Bigamia autem triplex eſt, prima vera, & realis. Secunda, interpretativa, ſeu ficta. Tertia, ſimilitudinaria. *Vera & realis eſt*, quando quis validè contraxit cum duabus, & conſummavit. *Interpretativa*, ſeu *ficta*, quando quis revera non contraxit duo matrimonia, ſed juris fictione, ac interpretatione, cenſetur contraxiſſe, ut ſi quis contrahat cum vidua, ac corrupta. *Similitudinaria eſt*, cum ex eadem juris interpretatione, duplex matrimonium reputatur, ut cum quis poſt votum ſolemne caſtitatis contrafiit cum Virgine, eámque cognoſcit. Ita communiter Doctores. Noſter Bacconius *in 4. diſtinct. 25. artic. 3.* M. Cornejo *tract. 5. de irregularitate: diſput. 10. dub. 1. & 2.* Suarez *tom. 5. ad 3. part. diſp. 49. ſect. 1. num. 1.* Sayrus *lib. 6. de cenſuris, cap. 3.* Bonacina *de cenſuris, diſp. 7. q. 2. punct. 5.* Qui omnes bene notant hanc irregularitatem dici ex defectu, non quia ad eam ſemper præſupponatur culpa, ſed quod iterata matrimonij repetitio, non aptè repræſentat conjunctionem Chriſti unius cum vna Eccleſia quæ eſt Virgo pura incorrupta, ſine macula, & ruga.

Bacconius. Cornejo. Suarez. Sayrus. Bonacina.

2. Tota difficultas in hac materia in eo vertitur, an Prælati Regulares poſſint cum ſuis ſubditis diſpenſare in hac irregularitate Bigamiæ, & de hoc mihi olim fuit magna controverſia, cum quodam viro ſatis docto, & partem negantem tuentur Fr. Bartholom. de Vechis *in praxi obſervanda, diſp. 9. dub. 15. num. 2.* Aſcanius Tamburiuus *tom. 2. de iur. Abbat. diſp. 17. q. 3. n. 2.* & alij, quos citat, ac ſequitur Barboſa *de poteſtate Epiſcopi, p. 2. allegat. 49. num. 28.* Pro hac ſententia etiam ſtat Lezana *tom. 1. ſummæ, cap. 18. num. 42.* & Diana *tom. 4. tract. 2. Reſolut 63.* concedit tamen fieri poſſe in bigamia ſimilitudinaria, quorum fundamenta poſtea apponam in hac difficultate.

Vechis. Tambur. Barboſa. Lezana Diana.

3. Dico primò. Quod Prælatus Regularis ex mendicantibus poteſt diſpenſare cum ſuis ſubidtis bigamis ad Ordines minores. Ita D. Thom. *in 4. diſtinct. 27. art. 2.* Sylveſter *verb. Bigamia, q. 6.* Miranda *tom. 2. q. 8. art. 2. § Secunda concluſio.* Sayrus *lib. 6. cap. 6. num. 11. & 13.* M. Petrus Cornejo *in 3. part. D. Thomæ, tract. 5. de irregularitate, diſp. 10. dub. 1. quæſt. 5.* Sanchez *de matrim. lib. 7. diſp. 86. num. 11.* Azor. *part. 2. lib. 5. cap. 20. quæſt. 2. & lib. 6. cap. 4. quæſt. 8. & 11.* Ioannes de la Cruz *in Direct. part. 2. de irregularitate, dub. 1. concluſ. 1.* Probatur, quia Epiſcopi poſſunt diſpenſare cum ſuis ſubditis bigamis ad Ordines Minores, ut tenent citati Auctores, & alij multi, quos latè adducit allegatus Barboſa *allegat. 49. num. 24.* & conſtat ex *cap. Lector. diſt. 34.* ergo etiam Prælati Regulares deducto argumento ex *cap. Cum illorum de ſententia excommunicat.* Deinde, ut tenet Sotus *in 4. diſtinct. 27. quæſt. 3. concluſ. 4.* quia per Ordines Minores non ita eſt homo addictus ad res ſacras, ut interevniente bigamia, vel alia irregularitate repugnet, ut Prælatus, ſeu Abbas queat diſpenſare, cum in hac re plus poteſtatis habeant Prælati Regulares, quam Epiſcopi, ut tenet Sayr. *citatus. n. 23.* referens alios.

D. Thom. Sylveſt. Miranda. Cornejo. Sanchez.

4. Dico ſecundò, quod Prælati Regulares, ut Abbates, Generales, Provinciales, ac Priores poſſunt diſpenſare cum ſuis ſubditis in bigamia vera interpretativa, ac ſimilitudinaria, etiam publica, ac manifeſta. Ita Avila *de cenſuris, part. 7. diſp. 8. dub. 4. §. Octava concluſio.* Henriquez *lib. 12. cap. 6. n. 11. liter. Z.* Portel. *in Additionibus ad dubia Regul. verb. Diſpenſare, num. 4. & 5.* Hieron. Rodrig. *in Additionibus Reſol. 16. n. 14.* Baſſeus *verb. Abbas. §. 3.* M. Cornejo *in 3. p. D. Thomæ, tract. 5. de irregularitate, diſp. 10 dub. 1. in fine.* Carceres *lect. 12. fol. 603.* Pellizar. *tom. 1. tract 9. cap. 3. n. 135.* Lezana *verb. Irregularitas, in ſumma, num. 72.* Dicítque quod Prælati ea vti poſſunt. Peirinis *de Relig. Prælat. tom. 2. q. 2. cap. 5. §. 8. num. 99.* Caſtro Palaus *tom. 5. diſp 6. de cenſur. punct. 8. n. 21.* Nobiſcum conſentit Bordonius ſaltem in bigamia ſimilitudinaria. Ait enim *cap. 4. de Profeſſis, q. 56. §. Bigamum*, quoad Ordines Minores; imo quoad maiores.

Avila. Henriq. Portel. Rodrig. Baſſeus. Cornejo. Carceres. Pellizar. Lezana.

Probatur ex Bulla Pauli III. conceſſa Generali, Abbatibus Prioribus, & Præſidentibus Ordinis, Congregationis Sancti Benedicti Valliſſoleti, refertur apud Bullarium Rodriguez, & inter Bullas huius Pontificis decima eſt. In qua Pontifex concedit, ut quotannis prima die Lunæ Quadrageſimæ, hoc eſt Feria ſecunda poſt Dominicam primam Quadrageſimæ, & ſic habetur: *Nos igitur, qui ſingulorum paterne zelamus affectu, huiuſmodi ſupplicationibus inclinati, vobis, qui ſtante immemorabili conſuetudine huiuſmodi etiam de cætero perpetuis futuris temporibus ſingulis annis, prima die Lunæ Quadrageſimæ huiuſmodi, omnes, & ſingulas vtriuſque ſexus perſonas Ordinis, & Congregationis prædictorum Religioſos, ac eidem Ordini, & Congregationi oblatas, ſeu donatas, necnon eremitas, ſub cura veſtra exiſtentes inter ſepta veſtrorum, ſeu ipſorum pro tempore abſolvendorum Monaſteriorum, ſeu aliorum Regularium locorum, ab omnibus, & ſingulis eorum peccatis, ſententiis, cenſuris, & pœnis, per eos pro tempore quomodolibet incurſis, etiam in caſibus dictæ Sedi quomodolibet reſervatis, exceptis contentis in Bulla, quæ in die Cœnæ Domini ſolita eſt legi, abſolvere; & cum eis ſuper quibuſvis irregularitatibus per eos pro tempore, quavis occaſione, vel cauſa contractis diſpenſare, prout hactenus, ut præfertur, conſuevistis, dicta auctoritate valeatis plenam, & liberam, eadem auctoritate tenore præſentium concedimus facultatem.* Vbi Pontifex generaliter, & verbis maximè univerſalibus loquitur, nulla facta exceptione, nec de homicidio voluntario, publico, ſeu occulto, nec de mutilatione, nec bigamia, & vbi lex nullam ponit limitationem, nec nos ponere debemus; maximè cum hæc conceſſio ſit pro perſonis religioſis, & vna die tantum anni, ut notant citati Auctores. 5. Paul. III. Rodrig.

Probatur ſecundò, ex ipſa diſpoſitione, ac conceſſione Apoſtolica: nam quando Pontifex dat facultatam ad abſolvendum à peccatis, ſententiis, & cenſuris apponit exceptionem in caſibus Bullæ Cœnæ: *exceptis contentis in Bulla, quæ in die Cœnæ Domini ſolita eſt legi.* At verò ad diſpenſandum in irregularitatibus abſolutè, & ſine ulla limitatione facit conceſſionem: *Super quibuſvis irregularitatibus per eos pro* 6.

tempore, quavis occaſione, vel cauſa contractis, ergo ſicut in caſibus, ac cenſuris Pontifex poſuit exceptionem, ſi eam etiam voluiſſet dari in irregularitatibus, eam etiam exprimeret, atqui eam non expreſſit, nec appoſuit, ergo nullam eſſe voluit.

7. Probatur tertiò ex eadem bulla Apoſtolica, quia prædicti Religioſi illi Vallis-ſoleti habebant ex immemorabili conſuetudine prima feria ſecunda quadrageſimæ diſpenſari in omnibus irregularitatibus, abſque ulla exceptione ſua ſanctitas indulſit, ac conceſſit iuxta ſuam immemorabilem conſuetudinem, *ſtante immemorabili conſuetudine, prout hactenus, ut præfertur, conſueviſtis.* Atqui ut teſtificantur Reverendiſſimi Patres Abbates, & Doctores, ac Regentes Ordinis Sancti Benedicti, quorum ſubſcriptiones apud me ſunt, quòd antiqua, & recepta eorum conſuetudo eſt, quòd eorum Prælatus ſupradicta die ſuos ſubditos ſolemniter, ac publice abſolvit, diſpenſatque eum eis in omni irregularitate abſque ulla exceptione, *quavis cauſa, vel occaſione contracta*, tam in foro interiori, quam exteriori, & quòd talis ſit uſus, ac ſtylus prædictæ Religionis ab antiquo. Et cùm indultum Apoſtolicum reſpiciat antiquam, ac immemorabilem conſuetudinem, in eaque fundetur, ſecundùm illam eſt exponendum, ac interpretandum-Ita D. Thomas 2.2.*quæſt.*186. *art.*9. *ad ſecundum.* Gloſſa *in cap. Nonnulli de reſcript.* Bartolus *in l.omnes populi de iuſtitia, & iure.* Suar. *lib.*7. *de legibus cap.* 17. *num.*1. ubi multos *citat.* Miranda *tom.*2. *quæſt.* 44. *art.*4. §. *Concluſio.* Teſtatur eſſe omnium, & pertè colligitur *ex cap. cum contingat de foro competentì, cap. conquæſtus* 9. *quæſt.*3. ubi Gloſſa ex utroque iure multos adducit.

D Thomas. Bartolus. Suarez. Miranda. Gloſſa.

8. Probatur: quia Sixtus IV. ut refertur in compendio Minorum, *verb. Abſolutio extraordinaria quoad fratres* §. 4. Conceſſit facultatem Carthuſienſibus diſpenſandi in omnibus irregularitatibus, excepto homicidio voluntario, & mutilatione, cùm igitur non excipiatur Bigamia, ut ait Caſtro Palaus *citatus*, cenſenda eſt in clauſula generali comprehenſa, quia poteſtas diſpenſandi latè eſt interpretanda. Deinde ut notant idem Palaus, Portel. *in dubiis, reg. verb. diſpenſare, n.*4. & Peyrin. *citatus*, quòd in compendio Societatis Ieſu *verb. diſpenſare*, §. 5. & 6. Dicitur, quòd Generalis ipſorum poteſt diſpenſare cum ſuis ſubditis in Bigamia, ac proinde ratione huius privilegij qualibet die poterunt Prælati Regulares diſpenſare in Bigamia.

Caſtr Pal. Portel. Peyrin.

9. Primò pro contraria parte opponunt Auctores adverſarij, quòd ſit contra communem curiæ ſtylum ex privilegiis diſpenſare in Bigamia, iuxta quendam caſum relatum à Navarro.

Sed contra. Talis ſtylus poterat eſſe tempore Navarri, non verò hodie, nam etiam ipſe Navarrus tenet *cap.*27 *num.*250. quòd ſecundùm Curiæ ſtylum pœnæ veniunt ſub nomine cenſurarum; & tamen Ledeſma *tom.* 1. *ſummæ, tit. de cenſuris, cap.*1. *dub.* 2. teſtatur contrarium eſſe ſtylum Curiæ; ex quo affirmat Cevallos communes contra communes, *q.*737. *num.*21. Quòd ſtylus Curiæ, modò ſit albus, modò niger, ex quo etiam infert ipſe Auctor quòd ſtylus Curiæ non obligat in partibus diſtantibus, ac remotis, ita habet *eodem loco, num.* 20. Filinus *in cap. Rodulphus de reſcriptis, num.* 22. *verſ. Vbi autem* Ferretus *conſil.*52. *n.*3. Albericus *in dictionario, verb. Curia*, qui optimè debebat rem ſcire; nam ipſe Protonotarius Romæ extitit. Deinde ſatis vulgaris, ac celebris opinio eſt, quòd ſtylus Curiæ non habet vim legis, ut docent Vaſquez 1.*diſp.*177.*c.*8. *num.*75. Salas *de legibus, diſp.*19. *ſect.*19. Bonac. *diſp.*1. *de legib. quæſt.*1. *punct.*4. *n.*14. §. *Idem cum* Trullench. *in Bullam Cruciatam, dub.* 3. *proœmial. & citat.* Sanchez *in quæſt. ſelectis, diſp.*48. *num.*1. Proindèque tot, ac tantis Auctoribus optimè ſtabilitur ſententia, quòd non habeat vim legis. Deinde eſto concedamus, quòd talis ſtylus habeat vim legis, non tamen tollit, ac abolet antiquas conſuetudines locorum, ac privilegiorum. Suar. *lib.* 7. *de legibus cap.* 20. *num.*6. & 7. & *num.* 18. & deducitur *ex l. hæres abſens ff. de iudiciis, l. præcipimus, cap. de Appellationibus, Cod. cum expediat,* & *c.*1. *de conſtitutionibus in* 6. ergo immemorabilis conſuetudo Religionis D. Benedicti non aboletur per talem ſtylum.

Fillinus. Ferretus. Albericus. Suar.

10. Secundò opponitur, quòd ad diſpenſandum in Bigamia, non ſufficit clauſula generalis in quibuſvis irregularitatibus. Sed contra, quòd Bigamia veniat ſub clauſula generali, inde probatur. Nam Sixtus IV. conceſſit indultum Generali Carthuſienſi, ad diſpenſandum in omni irregularitate, excepto homicidio, & ſub illa clauſula: *In omni irregularitate* intelligitur Bigamia, in qua prædicti Prælati poterunt diſpenſare in foro conſcientiæ, ut tenet Compendium Societatis Ieſus, *verb. diſpenſare,* §.4. *compendium S. Hieronymi, verb. Ordines ſacri.* §. 6. Henriquez *lib.* 2. *de Matrim. cap* 9. *num.*11. Avila *de cenſuris part.* 7. *diſp.*8. §.8. *concluſio.* Suarez *tom.*4. *de relig. lib.*2. *cap.*12. *num.* 9. Portel. *citatus in dubiis, verb. diſpenſare num.*4. Imò Concilium Trident. *ſeſſ.*24. *cap.*6. dans facultatem Epiſcopis diſpenſandi in foro conſcientiæ in omnibus irregularitatibus, intelligunt etiam Bigamiam. Reginaldus *lib.*30. *tract.*2. *num.*29. §.7. Layman *lib.*1. *tit.* 5. *part.* 5. *cap.*9. Lorca 2.2. *diſp.*45. *quæſt.*11. *art.*4. *num.*10. ergo ſub clauſula generali adhuc intelligitur Bigamia, & ita habetur in praxi apud Religionem D. Benedicti, cui indultum conceſſum eſt.

Sixtus IV. Trident. Reginald. Layman. Lorca.

11. Tertiò opponunt; quòd in generali conceſſione non veniunt ea, quæ in ſpecie non concederentur, & quòd Pontifex non concederet in Bigamia, hoc erat probandum: & quòd concederet, patet ex dictis, tum quia in irregularitatibus nullam facit exceptionem, ſicut in caſibus, ac cenſuris, tum ex conſuetudine Religionis D. Benedicti, *ut hactenus facere conſueviſtis*, ut iam dictum eſt, & quamvis in hoc eſſet aliquod dubium, Privilegia Regularium in eorum gratiam, & favorem ſunt intelligenda ac explicanda, ut conceſſit Leo X. Congregationi Camaldulenſi. Iulius I. Congregationi Montis Oliveti. Alexander VI. Religioni D. Benedicti. Vt referunt compendium Societatis *verb. Privilegium.* Rodrig. *tom.*1. *Regul. quæſt.* 11. *art.* 6. §. *Decima Regula.*

12.

Quartò opponunt indultum conceſſum eſſe 13.

pro

Navar. 10. Ledeſm. Cevallos

pro ſerenitate conſcientiæ; ergo tantùm pro foro interiori, & non eſt utile ad exteriora. At hoc nullam habet difficultatem; quia illi Religioſi obtinebant immemorabilem conſuetudinem dicta feria ſecunda poſt Dominicam primam diſpenſandi in omni irregularitate, cuius rei cum initium ignorarent, pro quiete ſuæ conſcientiæ impetrarunt indultum à Pontifice, quòd eis conceſſit prout hactenus facere conſueverant; eorum autem conſuetudo erat tam pro foro interiori, quàm exteriori. Et confirmatur; quia talis diſpenſatio fiebat ſolemniter omnibus cæremoniis, virgis, ac cæteris, quibus una abſolutio publica, & in facie Eccleſiæ fieri ſolet pro abſolutione publica, & manifeſta. Ita ſit in Religione D. Benedicti.

14. Opponunt quintò, quòd ex his ſequitur quòd Prælatus Regularis poſſit diſpenſare in omni irregularitate, ut cæcus, vel carens manu poſſit celebrare. Reſpondeo quòd Prælatus Regularis habens privilegia ad diſpenſandum in omni irrigularitate, poteſt diſpenſare cum eo, qui habet corporis defectum, in quo poteſt Summus Pontifex diſpenſare; & ideo poterunt diſpenſare cum eo, qui claudicat pede, vel utitur pede ligneo, vel habet in manu unum, vel alterum digitum amputatum, dummodo non ſit pollex, ut ego vidi diſpenſatum. Non tamen poterunt prædicti Prælati diſpenſare cum cæco, vel cum eo, qui habet manum amputatam, vel caret pollice, quia cum his nunquam legitur Summum Pontificem diſpenſaſſe. ita Rodrig. *tom.1.quæſt* 24. *art.3.* Layman *lib.1 tract.5. part.5.cap.9. num.7.* Miranda *tom.2. quæſt.8. art.3. §. Hæc omnia.* Bordon. *Reſol. 11. à num.7.* Roſela *in ſumma, verb. vitiatus, num.1.* Maiolus *lib.1. de irregularitate, cap.* 17. Avila *part.7. diſput.3. dub.* 3. Peirinis *tom.1.privileg. Minor. in Conſt.2.Iulij 2. num.218.*& refert Crucem,& alios.

Rodrig. Layman. Miranda. Bordon. Roſela. Majolus.

RESOLUTIO XIX.

Bulla Cœnæ.

QUÆSTIO PRIMA.

An quando in Iubilæis, vel privilegio conceditur facultas abſolvendi ab omnibus caſibus Bullæ Cœnæ intelligatur hæreſis occulta?

SVMMARIVM.

1 *Quid ſit Bulla Cœnæ.*
2 *Status quæſtionis, & quid ſit occultum.*
3 *Prima ſententia negat poſſe abſolvi.*
4 *Secunda ſententia & probabilior affirmat.*
5 *Fundumenta huius ſententiæ.*
6 *Ponuntur, & ſolvuntur fundamẽta contraria Ponitur ſententia Sancij contra Vaſquez.*

1. BVLLA Cœnæ ea dicitur, quæ ritu veteri Summorum Pontificum quotannis legitur Romæ, præſente Papa, feria quinta maioris hebdomadæ vocata in Cœna Domini, in eaque ſunt viginti capita, ſeu viginti caſus reſervati Sedi Apoſtolicæ, de quibus multis agunt ſummiſtæ, horum primus eſt hæreſis; & eſt celebris, & ſatis agitata quæſtio.

2. An quando in Iubilæo, vel in aliqua bulla, ſeu privilegio, conceditur alicui facultas abſolvendi ab omnibus caſibus Bullæ Cœnæ, intelligatur etiam poſſe abſolvi à crimine hareſis occulto. Occultum autem illud dicitur, quòd non eſt deductum ad forum contentioſum, & ignoratur à magna parte oppidi, vel civitatis, licèt agnoſcatur, ac ſciatur à quinque perſonis, ut latiùs explicabo agens de confeſſario.

3. In propoſita quæſtione. Prima ſententia tenet iuxta ſtylum Curiæ Romanæ ſub huiuſmodi clauſula generali, quòd nunquam hæreſis comprehendatur Ita Henriq. *lib.8.de pœnitent.cap.16.n.12.* Azor. *tom.1. lib. 11. cap.10. quæſt.12.* Sanch. *tom.1. in Decalog. lib.2. cap. 12. num.10.* Petr.de Ledeſma *in ſumma.1.part.tract. de Sacr. pœnit.cap.13. dub.15. concluſ.2.* Covar. *cap. Alma Mater,1. part.§.11. num.15.* Navar. *in manuali Latino, cap.27 num.275.* Simancas *de Catholic. inſtitutionibus, tit. 2. cap.3. nnm. 2.* Guttierrez *lib.1. quæſt. Canonic.cap.13. num.26.* Graffius *lib.1. deciſion aurearum, num.33.* Aragon.2.2. *quæſt.11. art.3.* Vgolinus *de cenſur. tabula 1. cap. 10.§.4. num.13.* Philiarch *de officio Sacerdotis, 1. part. lib. I. cap.27.* Veiga *in ſumma, 1. part. cap.125.caſu 12.*Sorbo *in compend. mend. verb. Abſolutio ordinaria,* Gratian.*de benefic.2. part.cap. 10.num.109.* Rodriguez *in explicat. Cruciatæ, quæſt.59.* Cevallos *in commentar. opin. tom.3.quæſt.802. num.67.* Suar. *tom 5. de cenſur. diſput.7.ſect.5. num.12.* Mirandula *de Regul. tom.1. quæſt.6. art. 6. concl. 1.* Homobonus *de examine Eccleſiæ, part.1, tract.5. cap.6. quæſt.35.* Torreblanca *de Magia, lib.4. cap.6. n.3.* & cum aliis probabiliorem indicat Diana *1. part. tract 5. Reſol.1. §. Sed hæc parum.*

Henriquez. Azor. Sanchez. Ledeſma.

4. His non obſtantibus oppoſita ſententia affirmat, quòd in Iubilæo, vel privilegio, in quo conceditur facultas abſolvendi ab omnibus caſibus, etiam contentis in Bulla Cœnæ poſſit abſolvi pœnitens à crimine hæreſis occultæ. Et ita fuiſſe declaratum Romæ anno 1567. in ſacr.pœnitentiar.& ſervari in praxi teſtatur Filliucius *tom.1.tract.8.cap.10.n.265* Anton. *in Catechef.Neapol, lib.4.cap.* 19. affirmat ita fuiſſe reſolutum Placentiæ ab Epiſcopo, & inquiſitore illius civitatis, qui poſtea fuit Cardinalis. Hancque ſententiam practicari à Patribus Societatis Ieſu teſtatur Epiſcopus Zerola *tract.de Iubilæo lib.2. cap.18.quæſt.3.* eamque tenuerunt, ac docuerunt viri Doctiſſimi Agazo Ioannes de Penha, Medina, Lectores Theologiæ Salmanticæ, & Morgoueio Lector Decreti, & multi alij de hac re conſulti per Proviſorem Hiſpalenſem, ut refert Vivaldus *in candelabro. 1. part. tit. de abſolutione, n.* 16.Idem Ovandus *in 4.diſt.13.propoſ.28. dub.3 opin.3. ſol.mihi* 341. Graffius Neapolitan. *inquiſitor, deciſion. Aureæ, cap.* 15. *num.25.in fine.* Albertan. *in ſumma Sacram.part.3. cap.11. num.9 in fine.* Penha *2.part.commen.25.*Decian. *conſil.5 num.13. in fin.vol. 2.* Sà, *verb.excommunicatio bullæ cœnæ, num.18. alias* 20. Reginald. *tract.1.lib.8.cap.5.ſect.1.n.53. in fine.*Alphonſus

Filliuc. Anton. Zerola. Gazo. Penha. Medina. Morgoueio Vivaldus. Ovandus. Graffius. Albertan. Decian. Sà. Reginald. Alphonſ.

de Leone *tract. de Iubilæo, part.2.quæſt.11 n.43*
Molfeſius. Molfeſius *in ſumma,tom.1. tract.7. cap.21n.62.*
Peirin. Peirinis *de privileg. Minor. tom. 1. Conſtit.4.*
Lorca. *Sixti IV.* § *5. num.* 20. ante illos Lorca 2. 2.
Farinac. *quæſt.11. art.4 diſp.45. num.3.* Farinac *de hæreſi.quæſt.19 num.63* Fagundez *de quinque præcep. lib.8.cap.8. n.89.* probabilem dicit Suar.
Fagundez.
Suar.

5. Probatur; primò hæc ſententia, quia ut obſervat Lorca, ex quo Pontificibus innotuit, hæc controverſia inter Doctores agitari, ut quæſtionem ſedarent, ac determinarent, expreſsè crimen hæreſis exceperunt, & ſi poſtea in aliquo Iubilæo abſolvendi poteſtatem concedunt, nulla facta exceptione, planè videtur ex induſtria illam abſtuliſſe,& abſque ullo diſcrimine, ac excluſiva, omnia indulgere, aç concedere. Secundò, hoc videtur magis conducere ad finem intentum à Romano Pontifice, ut omnes expediti à cenſuris, fiant participes magni indulgentiarum theſauri. Tertiò, eſt privilegium, & gratia Summi Pontificis, ac Principis univerſalis, quòd latè eſt explicandum,ut ſuppono ex materia de privilegiis. Deinde Concilium Trident. eſt magnæ auctoritatis, & in multa æſtimatione apud Pontifices, & non derogatur per clauſulam generalem, *cap. Nonnulli de reſcriptis.*

6. Opponunt primò;ſtylum Curiæ,utſub illis clauſulis generalibus non veniat crimen occultum hæreſis. Secundò,quia ita fuit declaratum à Gregorio XIII. anno 1576. Reſpondetur; quòd ſtylus Curiæ varius eſt provarietate Pontificum; & Filliucius citatus Pœnitentiarius in Romana Curia apud Sanct. Petrum teſtatur praxim Curiæ ſtare pro noſtra ſententia, vide ſuperiorem reſolutionem, *num.9* Deinde,ut dixi ſuperiori *Reſol.n.10.* ſtylus Curiæ varius eſt,modo albus,modo niger. Declaratio autem Gregorij XIII. non oſtenditur authentica, inde eam ſequi non tenemur. Deinde illæ declarationes Pontificum ſunt vivæ vocisoracula,quæ iam evanuerunt; Deinde ut notat Illuſtriſſimus Dominus Rodericus à Cunha in explicatione Iubilæi,*c.10. dub.10. n.19.* ex Henriquez ſolùm habere locum in Epiſcopis Italiæ, quia eorum ſubditi facilè habent recurſum ad Romanum Pontificem. Vide quæ dicam infrà *Reſol.28. q.2.*

7. Ex quo Sancius *in ſelectis, diſp.44. num.23.*
Sancius. *& diſp.48. num.52.* reiicit ſententiam Vaſq.3.
Vaſquez. *part.tract.4. dub.19. num.15. & 16.* aſſerentis Dominos Inquiſitores debere punire confeſſarios abſolventes hæreſim occultam virtute Iubilæi plenarij, at hoc non eſt dicendum, utuntur enim opinione probabili, inde nec culpam committunt, nec pœna digni ſunt, ut patet ex *l. ſi putatur, ff.ad leg. Aquil. & cap.*
Diana. *ſatis perverſum, diſt.56. cap. Inventum,* Diana verò *part.4. tract.8.Reſolut.109.* rem committit arbitrio Inquiſitorum.

Quæstio II.

An privilegia ſublata ſint per Bullam Cœnæ?

SUMMARIUM.

8 *Prima ſententia affirmans revocari pradicta privilegia.*
9 *Secunda ſententia, non revocari.*
10 *Gregorius XIII. conceſſit non revocari per Bullam.*
11 *Confirmatur ex privilegio Pij V.*
12 *Revocantur quæ fiunt prætextu, non auctoritate legitima.*
13 *Revocantur generalia privilegia, non ſpecialia.*
14 *Declarationes Clementis VIII. & Vrbani VIII.*
15 *Graves Doctores exponunt de abſolutione quoad ſæculares, non verò quoad Regulares.*

MVlti, & graves Doctores cum Sayro *lib.3.de cenſur. cap.25. num.5.* tenent Mendicantium privilegia revocari per Bullam Cœnæ, quæ quotannis legitur Feria.5.in Cœna Domini, in qua prohibetur dari abſolutionem iu prædictis caſibus, ut ad finem dicitur: *Etiam prætextu quarumvis facultatum, vel indultorum, quibuſcumque perſonis quorumvis Ordinum, etiam mendicantium, ipſiſque ordinibus & eorum monaſterijs,*&c. Per quæ verba videntur expreſsè derogata privilegia conceſſa Mendicantibus, ac cæteris ordinibus. 8. Sayro. Bulla Cœnæ

Tamen quòd prædicta privilegia non ſint revocata per Bullam Cœnæ, tenent Veiga 1. *part. ſummæ, cap.49. caſu.1.* Doctiſſimus Mag. Anton. de Souſa *de cenſur.diſp.100.* Naldus *in ſumma, verb.reſervatio.* Vivaldus *tom.1.tract.9. difficult.61.n.51.* Portel. *in additionibus, verb. Abbas, num.10.* Peirinis *in additamen. ad conſtit.4. Sixti IV. cap.2. num.35.* & Baſſæus *verb. Abbas,*§.2. *num.* 8. & etiam Frater Martinus à S. Ioſeph. in regulam S. Franciſci *cap.3.*§.8. Probatur; primò, quia ut ait Rodrig. *tom. 1. quæſt. 20. art. 10.* Videtur omnino alienum ab auctoritate Summi Pontificis hodie ædificare, cras deſtruere, verb. gratia,in menſe Februario,vel Martio concedere, & ſtatim inter paucos dies per Bullam Cœnæ revocare. Secundò,quia fruſtra innovarentur,ut ab unoquoque Pontifice fieri ſolet prædicta privilegia, ſi in die Cœnæ ab ipſiſmet Pontificibus ſint revocanda. 9. Veiga. Souza. Naldus. Vivald. Peirin. Portel. Baſſeus.

Secundò, quia Gregorius XIII. ann.1564. die 18, Martij. Indulſit Patribus Societatis Ieſu, ut per Bullam Cœnæ, conceſſionesillis factæ non eſſent revocatæ,ut habetur in compendio ejuſdem Societatis, *verb. Bulla Cœnæ,* §.2. & notavit Suar. *de Relig. tom. 4. tract.10. lib.9. cap. 20. num.18.* Portel. *in dubijs Regul. verb. Bulla Cœnæ,num.2.* De quo per communicationem cæteræ Religiones gaudent, ut notavit Diana *1.p.tr.5.Reſolut.6.*§. *Adde etiam.* 10. Suar. Portel. Diana.

Tertiò, Suar. citato *cap.20.num.11.* & Coriolanus *de caſibus reſervatis, p.1.ſect.1.art.23. num.6.* & Bauny *tom.1.tract.4. quæſt. 32. lit. E.* ex privilegio Pij V. pro Dominicanis Bulla 3. apud Cruz *lib.1. cap.6. dub. 14.* Inqua conceditur facultas eorum Generalibus, Provincialibus,Prioribus, ac Præpoſitis, quam habent Epiſcopi, ac proinde, ſi Epiſcopi habent poteſtatem abſolvendi ab huiuſmodi caſibus, & etiam hæreſi occulta,poſſunt & Prælati Regulares; quòd autem hæc facultas conceſſa ſit Epiſcopis à Concilio Tridentino *ſeſſ. 24.cap.6.* abſolvendi ab hæreſi occulta, & conſequen- 11. Suar. Coriolan. Bauny. Cruz.

ter

ter à cæteris caſibus Bullæ Cœnæ, quòd autem in Epiſcopis detur huiuſmodi facultas, latè ex multis Doctoribus tenent Doctiſſimus Souza in Bulla Cœnæ, *cap.23.diſput.100. concluſ.3.num.7.* Fagundez *de præceptis Eccleſiæ, tract. 2. lib. 8. cap. 8. num.32. & 33.* Portel. *in additionib. in dubia Regular. verb. Epiſcopus,* Lorca *2. 2. quæſt. 11. art.4. diſput. 45. num.10.* Nugnus, Sà, Ledeſma, Henriquez, Ricciolus, & alij multi, quos citant in magno numero Sanchez *in Decalog. tom. 1. lib.2. cap.11. num. 27.* Barboſa *de poteſt. Epiſcop. part 2. allegat.40.n.21.*

12. Quartò. Reſpondent alij, quòd in dicta bulla cœnæ non prohibetur abſolute abſolvere ratione privilegiorum, ſed eorum prætextu; prætextus autem non excludit illud, quòd fit legitima interveniente auctoritate; ſed illud quòd ſub aliquo velamine, vel colore privilegiorum exercetur, ita citatus M. Souza *concluſ. 3. & citatus* Bauny, Peirinis *de privilegiis Minorum tom. 1. conſtit. 4. Sixti IV. §. 5 n.6. & ſequentib.* Villalobos *in ſumma part.1. tract. 9. diſp.41.n.5.* cum aliis.

Souza. Bauny. Peirin. Villalobos,

13. Quintò. Reſpondet etiam Suar. *tom. 5. de cenſur. diſp.21.ſect.3. num. 4. & tom.4. de Relig. tract.8.lib.2. cap.21.num.5.* Per Bullam Cœnæ derogari privilegia generalia, quæ generaliter concedunt facultatem abſolvendi à caſibus reſervatis; non verò quæ ſpecialiter dant talem poteſtatem abſolvendi à caſibus Bullæ Cœnæ; quàm doctrinam confirmat Peirinis *ad citat. conſtit. Sixti IV. num. 15.* ex Iulio II. *conſtit. 4.* qui declaravit, quòd non obſtante Bulla Cœnæ poſſe, quibus hæc facultas conceſſa eſt in perpetuum abſolvere à prædictis caſibus, quàm confirmavit Paulus IV. Gregorius XIII. & Clemens VII. apud eundem Peyrinis.

Suar. Peirin.

14. His non obſtantibus inſurgit in hac re magna difficultas, quia de mandato Clementis VIII. edita quædam eſt Cardinalium declaratio, in qua prohibetur abſolutio à prædictis caſibus Bullæ Cœnæ, & idem habetur in alia declaratione Vrbani VIII. data die 17. Novembris anno 1628. quem referunt Diana *tom.3.tract.2.Reſol.122.* & Peirin. *tom.3.Privilegiorum, cap.2.n.38.*

Diana. Peirin.

25. Reſpondet Peirinis proximè citatus cum Molfeſio, quibus adhæret Noſter M. Fratr. Antonius de Spiritu ſancto *in directorio Regular.tom.1.tract.2.diſp.1 ſect.1.num.34.* huiuſmodi declarationes ſolùm derogare privilegia Regularium quoad abſolutiones ſæcularium, non verò Religioſorum; & ita declaratum fuiſſe à ſacra Congregatione de mandato Clementis VIII. cum Peregrino, Naldo tenet ipſe Peirins *ad conſtit. 4. Sixti IV. num. 16.* qui etiam ibi addit, ita reſponſum fuiſſe à ſacra Pœnitentiaria 1617. juxta quam declarationem Clementis VIII. exponenda eſt declaratio ſub Vrbano VIII. quæ ſententia cum ſit tot Doctorum, ſuam habet probabilitatem.

Peirin. Naldus.

26. Ex his ſequitur quòd Prælati Regulares in foro conſcientiæ poſſint abſolvere ſuos ſubditos, ab omnibus caſibus bullæ Cœnæ, excepta hæreſi, de quo dicam quæſt. ſequenti, & à Cæteris caſibus reſervatis; proindeque poſſunt abſolvere ſuos ſubditos à ſimonia commiſſa tam in aſſequutione officij, ac beneficij, ac receptione Sacrorum Ordinum, ut docent Rodrig. *tom.1. quæſt.2. art. 13.* Suar. *tom.4. de Relig. lib.2. cap.21.num.9.* Peirinis *tom. 1. privileg. Minor.conſt.2.Iulij 2.§. 29. num.88.* Lezana *tom.1. cap.18. num.29.*

Rodrig. Suar. Peyrin. Lezana.

17. Et etiam poſſunt abſolvere ſuos ſubditos, cenſura incurſa ob contemptum clavium, ac à peccatis contractis ex confidentia privilegiorum, Rodrig. *quæſt.20. art. 15.* Portel. *in dubiis, verb. Prælatus, num. 3.* Lezana *tom. 5. in Mar. Magn. Carmel. num. 570.* quia licèt in aliquibus privilegiis habeatur hæc clauſula reſtrictiva, exceptis peccantibus ex confidentia prædictorum privilegiorum tamen poſtea per alios Pontifices confirmata prædicta privilegia, illa clauſula ſublata eſt.

Rodrig. Portel. Lezana.

QUÆSTIO III.

Vtrum Prælati Regulares virtute ſuorum privilegiorum poſſint abſoleure ſuos ſubditos ab hæreſi occulta?

SVMMARIVM

18 *Prima ſententia affirmat.*
19 *Secunda, & vera negat.*
10 *Confirmatur, & corroboratur ex multis privilegiis ſanctæ Inquiſitionis.*

18. AFfirmativè reſpondent Rodrig. *in quæſt. tom. 1. quæſt. 20. art. 9.* Suar. *tom. 4. de Relig. tract.8. lib.2. cap.21. per totum,* Veiga in *ſumma, tom.1. cap.49. caſu 1.* Peirin. *in privileg. Minor. tom.1. conſtit.4.Sixti IV.§.5.num.6. cum ſequentibus,* Hieron. Rodrig. *in compend. Reſolut.3. num.3. compendium Societatis, verb. Abſolutio, §.3. & 7. ac 8.* Peregrinus *in compendium Privilegiorum, p. 2.tit. Abſolutio quoad fratres.§.2.* Fundantur in privilegio, ac rationibus citatis ſuperiori quæſt. *n.11.12. & 13.*

Compendium. Peregrin.

19. Secunda ſententia, & oppoſita omnino negat talem facultatem. Ita Sigiſmundus à Bononia *in electis, dub.79. num.13. Aſcanius* Tamburinus *de iure Abbat, tom.2.diſp.14. quæſt.15. num.3.* Portel. *in dub. verb. Prælatus, num.24.* Ioannes de la Cruz *de ſtatu Relig. lib. 1. cap.6. dub.15.concl.1.* Naldus *in ſumma, verb. Novitius, num. 7.* Sanchez *in ſumma, tom. 1. lib.2. cap.17. num.7.* Megala *conſil.21. num.6.* Novar. *in ſingulari iure Pontif. concl.3. num. 10* Avila *de cenſur. part.7.diſp. 10 dub.6. num.3.* Zanardus *in director. Theolog. part. 2. cap.12.* Vechius *in praxi Novit.diſput.9. dub. 6. num.3.* Graffius *in Appendic. lib.1. cap.7.num. 22.* Diana mordicus multis in locis, *tom. 1. tractat.5. Reſolut.72. & Reſolut. 122.* Thomas Hurtad. *tom.1. tractat.5. cap.2. Reſolut. 17. num.152.* Pellizar. *tract.8.cap.2.num.54 A. 39.* Hæc ſecunda ſententia eſt vera, & ſimpliciter tenenda, ac ſequenda in praxi.

Sigiſmund. Tambur. Portel. Crux. Naldus. Sanchez. Megala. Novar. Avila. Zanardus. Vechius. Graffius. Diana. Hurtado. Pellizar.

Dico ergo cùm hac ſecunda ſententia, quòd Prælati Regulares non poſſunt ſuos ſubditos abſolvere, nec ab hæreſi publica, nec etiam occulta. Probatur, quia, ut teſtatur Portel. *in Additamentis, verbo Abbas, num.11.* Sanctum

Tribunal

Tribunal Inquiſitionis, quod nos omni cultu venetamur, multas habet conceſſiones Apoſtolicas, quibus privilegia Regularium quoad abſolutionem ab hæreſi abrogantur, & ſolum talis abſolutio pertinet ad Dominos Inquiſitores, ut determinat Pius V. in ſua Conſtitutione, quæ incipit *Paſtoris Æterni*. Et noviſſimè Paulus V. ſub graviſſimis pœnis prohibet Religioſis, ne ſuos ſubditos in hac re iudicent, ſed illico eos ad Sanctum Tribunal deferant, ut referunt Barboſa *de Officio, & poteſtate Epiſcopi, part. 2. allegat. 40. num. 40.* Barboſa. Riccius *in praxi fori Eccleſiaſtici, deciſ. 671. num. 1. edit. & Reſolut. 423. in 2. editione*, & ita habet communis uſus, ac ſtylus, quia ſuper tale crimen non cognoſcunt Prælati, ſed eos ſtatim mittunt ad Dominos Inquiſitores, ut teſtantur Azor. *tom. 1. lib. 8. cap. 18. quæſt. 12.* Azor. Trullench *tomo primo, in Decalog. lib. 1. cap. 3. dub. 5. num. 1.* Riccius. Trullench.

RESOLUTIO XX.

Bulla Cruciatæ.

QUÆSTIO PRIMA

An Regulares ſine ſuorum Prælatorum licentia poſſint eligere confeſſorem qui virtute Bullæ Cruciatæ, à peccatis, ac cenſuris reſervatis eos valeat abſolvere?

SUMMARIUM.

1 *Prima ſententia & affirmativa.*
2 *Primum, & ſecundum fundamentum, & num. 3.*
4 *Proponitur, & ſolvitur obiectio contra hanc ſententiam, & num. 5.*
6 *Secunda ſententia & vera negativa.*
7 *Decreta Clementis & VIII. & Vrbani VIII.*
8 *Subterfugium Ioannis Valerij, & Hurtadi.*
9 *Interpretatio Villalobos.*
10 *Intentio Clementis, & Vrbani refertur ad ipſoſmet Pontifices, & n. 11. & 12.*
13 *Leandrus de ſupplicatione Regis Philippi Quarti.*
14 *Sententia negativa verior, & maximè ſecura in conſcientia.*
15 *Confirmatur ex Martino de S. Ioſeph.*

1. QUÆSTIO procedit tam de Fratribus, quam Monialibus cuiuſcunque Ordinis etiam Mendicantium. Affirmativam ſententiam tenuerunt graves Auctores & Emmanuel Rodriguez *in Bulla, §. 9. n. 25.* Rodrig. Ledeſma *tit. de Pœnitent. cap. 13. dub. 12.* Ledeſma. Medina *de Confeſſione, c. 26. Collector. Privileg. verb. Abſolutio ordinaria quoad Fratres, § 16.* Medina. Collector. Antolinus *de Indulgentiis*, Antonius Fernandez de Moura. Antolinus. Fernandez. Crux *de ſtatu Religionis, lib. 1. cap. 6. dub. 12. concluſ. 3. pag. 58.* & alij multi viri Docti Salmanticenſes. Crux.

Probatur primò; quia in Bulla plumbea Cruciatæ ad illius effectum, derogantur omnia privilegia Mendicantium: *Tenores Ipſorum pro expreſſis habentes.* Per quam clauſulam derogantur quæcunque privilegia etiamſi de illis eſſet faciẽda ſingillatim expreſſa mentio, ut ex Deciſione Rotæ habetur apud Puteum *deciſ. 615. num. 6. lib. 2.* Gabriel. *tit. de clauſul. concluſ. 5. num. 12.* Menochius *lib. 6. præſumpt. 46. num. 2.* Gonzal. *Regul. 8. Gloſſa 36. num. 22.* Nec enim Summus Pontifex poteſt recordari de omnibus conceſſionibus ſuorum prædeceſſorum, nec eas ſingillatim referre; eſſet enim valdè longus proceſſus, & ideo ſub illa clauſula *Tenores ipſorum pro expreſſis habentes*, continentur, ac ſi de verbo ad verbum proponerentur. Vt notant Fredericus de Senis *conſ. 47.* Gambar. *de Officio Legati, cit. de poteſt. Legati in legibus, à n. 33. & 39. cum ſequent.* Gonzal. *Reg. 8. Gloſſa 36. à n. 24.* ergo per talem clauſulam in Cruciata derogantur cætera privilegia cuique Ordini conceſſa. 2. Rota. Gabriel. Gloſſa. Gonzal. Frederic. Gambar. Gonzal.

Secundò, Bulla Cruciatæ in hoc Luſitaniæ Regno conceſſa eſt ad inſtantiam, ac favorem Regiæ Majeſtatis; at Summus Pontifex privilegia Regibus conceſſa, ac ad eorum inſtantiã, non intendit derogare, ac annullare. Argum. Text. *in cap. fin. de Officio delegati, lib. 6.* ibi: Regibus, & Reginis, qui ſicut dignitatis altitudine præeminent, ſic prærogativæ gratia ipſos conſueverit anteferre, dumtaxat exceptis, *cap. aliquid, de privileg. lib. 6.* Trident. *ſeſſ. 25. cap. 9. de reform* ibi: Exceptis, quæ ad Imperatorem, ſeu Reges. Vt notant Stephanus *de literis, gratia 3. part. ſignaturæ, n. 62.* Caſſian. *in Catalog. gloriæ mundi, part. 5. conſiderat. 24. n. 202.* Caved. *lib. 4. Diverſ. cap. fin. num. 7.* Gonzal. *Reg. 8. Gloſſ. 9. à num. 25. & Gloſſ. 24. à num. 155.* Et confirmatur: quia Cruciata conceſſa eſt in ſubſidium militum, qui pugnant in Africa, Aſia, Europa contra Iuſideles, ac Hæreticos, & valdè vulgare eſt, quod privilegium in bonum utilitatis, ac neceſſitatis publicæ præferendum omni alij privilegio etiam conceſſo cum clauſulis derogatoriis, ut tenent Decius *conſil. 10. num. 8. fundam. 3.* Paulus Caſtrenſ. *conſil. 278. in fine, lib. 1.* Selva *de benefic. 3. part. q. 14. num. 36. cum ſequent.* Celſus Hugo *de clauſul. num. 44.* Gambar. *num. 41. ad fin.* Gonzal. *Gloſſa 36. n. 71. de locis.* 3. Decius. Caſtrenſ.

Nec contra hæc obſtat clauſula poſita in fine Bullæ; in qua dicitur: *Præter facultates conceſſas Mendicantium Ordinum Superioribus quoad ſuorum Ordinum Fratres.* Quæ clauſula poſita in fine refertur ad omnia præcedentia. Bern. *Reg. 85. cum ſeq.* Gabriel. *tit. de clauſulis, concl. 9. à princip.* Menoch. *caſu 94. n. 23. & 24.* Proindéque cum in clauſula antecedenti Summus Pontifex derogaſſet omnia privilegia, & indulta conceſſa etiam Ordinibus Mendicantium, & feciſſet exceptionem de facultate Superiorum Ordinum quoad ſuos Fratres, manet expedita eorum poteſtas, ut ſuis ſubditis prohibeant, ne pro ſuo arbitrio eligant confeſſores, ut virtute Bullæ abſolvantur à reſervatis. Ita Henriq. *lib. 6. cap. 17. §. 7.* in Gloſſa P. & *lib. 7. cap. 22. §. 2. ad finem.* Gloſſa *littera H.* 4. Clauſula Bullæ. Bernard. Gabriel. Menoch. Henriq.

Reſpondent

5. Rodrig. Crux.

Reſpondent Rodriguez in Cruciatam §.12. *num.*5.Cruz *de ſtatu Relig.lib.*1.*cap.*6. *dub.* 12. *concluſ.*3.Quòd iſta exceptio non reſpicit gratiam, & privilegium,de quo agimus, ad eligendum confeſſorem, cùm clauſula derogatoria aliorum ſub quocumque tenore verborum, ut eſt dictum,ſed tantùm denotat facultatem ſuperiorum eſſe integram quoad ſuos ſubditos ad diſpenſandum, commutandum, ac abſolvendum ab irregularitate, votis, ac cenſuris. Nec obſtat id, quòd ait Henriquez, quod illa clauſula poſita in fine reſpicit omnes præcedentes: Hoc inquam nec obſtat, quia Bulla plumbea poſt ſuas conceſſiones ait, *Non obſtantibus facultatibus, indultis, gratiis, & privilegiis.*Vbi quatuor ſpecies continentur & tamen talis clauſula ſolùm unam reſpicit: *Facultatem nempe ſuperiorum*; ergo tres aliæ non comprehenduntur, quia ut comprehenderentur, neceſſaria erat clauſula generalis, quæ omnes alias ſub ſe clauderet, ut docent Aretin. Gabriel. Aretin.*in l.*3.§.*filius in fine, ff. de liber. & poſthum.*Gabr.*ad concluſ.*9.*num.*6.

6. Cotilianus. Portel. A Coſta. Miranda. Reginald. Suar.

Contraria ſententia, & negativa eſt hodie valdè communis,eam tenent Corilian. *de caſibus reſervatis,part.*1. *ſect.* 3. *art.* 14. Portel. *in dubiis.Regul.verb.Bulla Cruciata, n.* 1. à Caſtro *in explicat.Bullæ,quæſt.*107 Miranda *in manuali Prælator.part.* 2. *quæſt.* 34. *art.* 15. *concluſ.* 2. Reginaldus *tom.*1-*lib.*8.*cap.* 3 *ſect.* 3. *num.* 37. Suar. *de Relig.tom.*4 *tr.*8 *lib.*2.*c.*16. *n.* 3. & poſt Garciam;Ledeſmam,Cordubam, & Paſſarellum,Leandrus *de Sacramentis, tom.* 1. *tract.* 5. *diſp.*12.*quæſt.*55. & alij multi, quos citat, ac *Reſolut.*14.*part.*4.*tract.*4. *Reſolut.*43. *& part.*11. ſequitur Diana *part.*3 *tract. de Bulla Cruciata, tract.*9.*Reſolut.*37.

7. Clem.VIII Vrban.VIII

Validiſſimum fundamentum huius ſententiæ, eſt,quod ſcilicet Regulares virtute Bullæ Cruciatæ non poſſunt eligere confeſſorem, & ab eo abſolvi à caſibus reſervatis.Ita apertis verbis declaravit Clemens VIII. anno 1599. die 23.Novembris; & per ſuam Bullam confirmat Vrbanus VIII.editam ſub die 19. Iunij, anno 1630. & ait: *Sed noſtræ intentionis fuiſſe, & eſſe; quod ijdem Fratres, & Moniales tam ad Sacramentum pœnitentiæ, ſeu confeſſionis adminiſtrationem, ordinariæ diſpoſitioni ſuorum Prælatorum, & Sedi Apoſtolicæ quoad ſibi reſervata ſubiecti ſint earum tenore præſentium perpetuo declaramus.* Ita Pontifex, quæ verba ſunt clara,& manifeſta,& notãdum quod hæc

8. Clemens VIII. quem confirmat Vrbanus.

Multi Auctores multipliciter varia effugia excogitarunt,ut vim horum Decretorum declinarent, & dicerent, quod adhuc poſt illa modo Regulares poſſunt eligere pro ſuo arbitrio confeſſorem, qui eos abſolvat à reſervatis? primò Ioannes Valerius Valerius. Hurtadus. *diffic.*1. *concluſ.* 5. *verb Nulla confeſſ.diffic.*5.*num.*2.Thomas Hurtadus *variar.tom.* 2.*tract.* 9. *cap.* 11. quòd illa Decreta non obligant in illis Religionibus, in quibus non ſunt publicata, quia leges tunc fiunt, ac conſummantur, cum publicantur. Sed contra; talia Decreta ſunt publicata Romæ coram Patribus Generalibus qui ſunt capita Religionum, & valdè difficilè eſt, quòd Provinciales illa ſcientes, non publicarent, cum maximè illud cederet in eorum actoritatem.

Secundò; Henricus de Villalobos *in ſumma,tom.*1 *tract.*23.*clauſul.* 9.§. 2.*num.* 12. aſſerit Regulares poſſe virtute Cruciatæ abſolvi etiam à peccatis reſevatis, dummodo confeſſarij,quos per Bullam eligunt, ſint ex deputatis,ac approbatis ab eorum Prælatis; ad eorum confeſſiones audiendas. Ita ſenſerunt multi inſignes,ac DoctiſſimiCathedratici Salmanticenſes,ac PatresSocietatis: Eorum ratio eſt, quia Bulla Clem.VIII. prohibet tantum eligere confeſſarios extra Religionem,ut à reſervatis abſolvantur; ut conſtat ex procemio ipſius Bullæ; *Et illorum prætextu eligunt confeſſorem aliquando præter eos, qui à ſuis Prælatis eorum confeſſionibus deputati ſunt.* Et hæc quamvis ſuſtineri poſſint, ſecundùm Bullam Clementis,non tamen juxta diplomata Vrbani VIII.qui præcipit, quod dicti Regulares: *Ad Sacramentum pœnitentiæ, ſeu confeſſionis miniſtrationem,ordinariæ diſpoſitioni ſuorum Prælatorũ,& Sedi Apoſtolicæ quoad ſibi reſervata ſubiecti ſint.*Ergo nó Poſſunt alite reeligere confeſſorem niſi iuxta diſpoſitionẽ ſuorũ Prælatorũ.

9. Villalobos.

10. Crux. Trulhen. Remigi. Gallego.

Tertiò; reſpondent Ioannes de la Cruz *de ſtatu relig.lib.*1.*cap.* 6.*dub.*12. & cum Trulhen. Remig.*in practica confeſſar.tract.* 5. *cap.*5. §. 4. *n.*8. & Doctus P.Barnabas Gallego ex inclyta familia Dominicana in Bullam cruciatæ,*c.*12. *clauſul.* 12. & Seraphinus de Freiras, iuris Pontificij veſperarius Cathedraticus in univerſitate Valliſoleti in tractatu de eligendo confeſſore per Bullam Cruciatam,*num.*25.eam probabilem dicit Sancius,*in ſelectis, diſp.* 44. *verſ.*10.*circa finem, & num.* 13. eamque inſinuat Pontius *de matrim,lib.* 5. *cap.*20. *num.* 7. & magis clarè. *lib.*8.*cap.*19.§.2. *num.*13. *&* 14.

Freiras. Sancius. Pontius.

11. Valaſcus. Gabriel. Gomez. Barboſa.

Fundamentum eſt, quia prædicti Summi Pontifices Clemens VIII. Vrbanus VIII. explicant ſuam mentem, cum in ſuis Decretis, ac bullis: *noſtræ intentionis fuiſſe, ac eſſe* &c.quæ intentio ſpirat, ac extinguitur morte Principis, ac concedentis, *cap. ſi gratioſe de reſcript. in*6. Valaſc. *de iure emphyt. quæſt.* 34. *num.* 5. *&* 6. Gabriel *tit. de præbend. concl.* 1. *num.* 20. Gomez *l.* 43. *Tauri, num.* 1. Barboſa *num.* 90. *cum ſequent. in l. quia tale, ff. ſolut. matrim.* Nec obſtant illa verba: *perpetuo declaramus*; referuntur enim in ipſis bullis ad conceſſiones ipſorummet Pontificum, & non extenduntur ad conceſſiones futuras aliorum Summorum Pontificum, qui poſtea ſucceſſuri ſunt, ut notant *Collector Privileg. Tit. Abſolutio ordinaria*, §.6.Rodrig. *in Bulla* §.9. *n.*24. *vers.Lo quinto* Crux *de ſtatu Relig. lib.* 1. *cap.*6. *dub.*12.*concl.*1 *in fine,num.* 25.

12. Freitas. Henriq.

Quod confirmat citatus Freitas *num.* 27 quòd Procurator Societatis Ieſu poſt publicatam Bullam Cruciatam,poſtulavit à ſua ſanctitate confirmationem ſuorum privilegiorum ut tali conceſſione poſteriori bullata privilegia maneant in ſuo robore, ut advertit Henriquez *lib.*3.*de pœniten.cap.*17.§.7.*lit.Q.* Quod ſi ita non intelligeret, ad quid talis exigeretur confirmatio, ac impetratio nova privilegiorum ex regula *l.*1.*C.de Theſaur. lib.* 10. Et hic dicendi modus valdè probabilis eſt.

13. Leandrus.

Quartò reſpondet Leandrus à Murcia in Reg. S.Franciſci *quæſt.*1.*cap.*7. *num.* 17. Quòd ſuper decretum Vrbani VIII. ſupplicatum

fuit

fuit à Potentiſſimo Domino Rege Philippo quarto, circa annum 1631. & ſupplicatio ſuſpendit executionem Bullæ, dum alia juſſio, ac diſpoſitio non ſupervenit, ut docet ſapientiſſimus Soza *ſuper Conſtit.* Clemens VIII. *de largit. munerum* §. 109. & 112. Gonzales *de leg. Polit. lib. 2. cap. 3. num. 31.* Caſtrus Palaus *tom. 1. tract. 17. diſp. 3. punct. 17. nnm. 8.* Morla *in emporio juris, part. 1. tit. 2. quæſt. 14. num. 8.* Cenedus *in quæſtionib. Canonic. quæſt. 45. num. 36.* Hurtadus *tom. 2. tract. 12. cap. 1. reſol. 29. num. 18.*

Soza. Gonzales. Palaus. Morla. Cenedus. Hurtadus.

14. Quanquam tertia, & quarta ſolutio proximé data ſuam habeant probabilitatem, tamen ſecunda ſententia eſt verior, & maximè ſecura in conſcientia, quæ affirmat Religioſos per Bullam cruciatam pro ſuo arbitrio non poſſe eligere confeſſorem, qui eos à reſervatis abſolvat, & maximè nititur hæc ſententia in decretis Clementis VIII. & Urbani VIII. Et ratio eſt, quia in generali conceſſione non veniunt particularia, quæ in ſpecie veriſimiliter quis non eſſet conceſſurus, ut patet *de regulis juris in 6. cap. 1. de pœniten. & remiſſione in 6.* ergo in generali conceſſione Bullæ cruciatæ non venit hæc facultas, ut Religioſi pro libito abſolvantur à reſervatis. Probatur conſequentia, quia ſummi Pontifices interrogati, ac conſulti de hac re ita declararunt ac expreſſerunt, Religioſos non poſſe abſolvi, à reſervatis per bullam cruciatam. Ut Julius II. Leo X. Sixtus IV. Innocentius VIII. Alexander VI. Clemens VII. Pius V. Gregorius XIII. Clemens VIII. Gregoeius XV. Paulus V. Urbanus VIII. Ut referunt Rodriguez *tom. 2. quæſtionum regul. quæſt. 62. art. 4.* Henriquez *lib. 6. cap. 16. in* Gloſſa *lit. P.* Cardinalis Lugo *de pœniten. diſp. 20. ſect. 9. num. 159. 160. & ſequentibus*, & declaratio, ac expreſſio mentis tot ſummorum Pontificum facit efficax argumentum, quòd talis ſit intentio ſubſequentium. Solent enim Pontifices maximè conformari cum intentione ſuorum prædeceſſorum. Confirmatur, quia Gregorius XIII. in ſua Bulla non ſolùm de ſe, ſed etiam de ſuis ſucceſſoribus loquitur dicens *Non eſſe, nec fore unquam mentis noſtræ, aut ſedis Apoſtolicæ.* Illud verbum *ſedis Apoſtolicæ* facit quòd Decretum non expiret morte Pontificis, ut ex communi Doctorum ſententia tenet Sanchez *lib. 8. de matrim. diſp. 23. num. 49.*

Rodrig. Henriq. Lugo.

Sanchez.

15. Secundùm fundamentum ex Martino de S. Joſeph in monita confeſſorum *tom. 1. lib. 1. tract. 19. de Pœniten. num. 3.* & in Regulam D. Franciſci *cap. 16. num 20.* Quia quamvis ſummi Pontifices poſteriores Clementi VIII. Urbano VIII. non explicaverint mentem ſuam, ut prædictus Clemens, & Urbanus, juxta eorum mentem eſt explicanda mens poſteriorum Pontificum; nam decreta, ac leges novæ explicandæ ſunt, per decreta, ac leges antiquas, quamvis abrogatæ ſint, ut patet *l. non novum ff. de leg. & leg. ſed & poſteriores ff. eodem.* Gloſſ. *fin. in authen. ex teſtamento C. de collat.* & docet cum Bartolo Ludovicus Gomez *reg. de triennali quæſt. 6. verſ.* Tertius intellectus, Burgos de Paz *leg. 1. Tauri num. 570.* & alij communiter.

Martin. à S. Ioſeph.

Gloſſa. Bartolus. Gomez.

Burgos.

16. Et confirmatur; quia Clemens III. & Urbanus VIII. in ſuis Decretis inquiunt: *Perpetuo declaramus:* & Paulus V. *Prædictas litteras, Apoſtolica auctoritate, præſentium tenore, perpetuò confirmamus*; & Gregorius XV. ait *Hac noſtra perpetuo valitura conſtitutione ſancimus.* Quæ verba *perpetua declaratione*, indicant omne tempus ſubſequens, dum oppoſitum non exprimitur, maximè cum illud ſit in prejudicium tertij, auctoritatis nempe Prælatorum Regularium, ut exprimit Gregorius XV. in ſuo Decreto. *Cùm ratio doceat, & experimento compertum ſit Religionibus valdè perniciоſum exiſtere, ut eorum Religioſis licitum ſit confeſſarium ſibi eligere.*

QUÆSTIO II.

An Regulares ſaltem virtute Bullæ Cruciatæ poſſint abſolvi à mortalibus non reſervatis, per confeſſores à ſuis Prælatis non deſignatos?

SUMMARIUM.

17 *Prima ſententia, & affirmativa.*
18 *Fundamentum hujus ſententiæ.*
19 *Sententia negativa, & verior.*
20 *Ex decretis Pontificum confirmatur, ac corroboratur, n. 21. & 22.*

17. AFfirmativam ſententiam tenent Gallegus *in Bullam Cruciatam cap. 12. dub. 172.* & Martinus de S. Joſeph. in regulam S. Franciſci *cap. 16. num. 23.* Quintanadueñas *tom. 1. de Sacram. tract. 3. ſingulari 18. num. 19.* ex Societate Andreas Mendo *in Bullam Cruciat. diſp. 24. cap. 18. & in Appendice contra Bardim. diſp. 1. cap. 10.* Hurtadus *tom. 2. tract. 9. cap. 6. num. 78.* Diana *part. 11. tract. 6. Reſolut. 34.* Qui omnes conſtanter tenent quòd poſſunt Mendicantes virtute Bullæ Cruciatæ invitis ſuis Prælatis eligere confeſſorem, qui eos abſolvat à peccatis mortalibus non reſervatis.

17. Gallegus Martinus. Quintanad. Mendo. Hurtad. Diana.

18. Fundamentum eſt, quòd Clemens III. quantum ad uſum Bullæ Cruciatæ declarat: *Suæ intentionis fuiſſe, quòd iidem Fratres, & Moniales quantum ad Sacramentum pœnitentiæ, diſpoſitioni ſuorum Prælatorum ſubjecti eſſent.* Quod decretum Clementis VIII. innovavit Paulus V. loquens de Religioſis ſive non Mendicantibus, quoad uſum Cruciatæ dicens: *Locum minimè habuiſſe, neque habere, nec illis ullo modo ſuffragari potuiſſe, neque poſſe; & quòd iidem Fratres, & Moniales, quantum ad Sacramenti pœnitentiæ, ſeu confeſſionis adminiſtrationem, ordinariæ diſpoſitioni ſuorum Prælatorum, & ſedis Apoſtolicæ, quoad ſibi reſervata ſubjecti ſint.* Quod etiam declaravit, ac determinavit Urbanus VIII. Ut ſuperioti quæſt. retuli, ex quibus conſtat, quòd ſolùm ſummi Pontifices excipiunt caſus reſervatos *quoad ſibi reſervata ſubjecti ſint*: & caſus exceptus firmat regulam in contrarium *l. Nam quòd liquido, ff. de pen. ligat. cap. Dominus 32. quæſt. 7.* ergo cum excipiantur caſus reſervati, alij conceſſi intelliguntur, nam conceſſum habetur, quod expreſsè prohibitum non reperitur *l. Nec non* §. *quòd ejus ff. ex quibus caſis.*

Clem. VIII. & Paulus V.

Urban. VIII.

Contrariam

19. Bardi. Contrariam ſententiam tenent Franciſcus Bardi Præfectus in Collegio Panormitano Societatis IESV in Bullam Cruciatam *part. 2. tract. 2. cap. 4. ſect. 2. num.* 12. Cardinalis Lugo *de pœnitentia, diſp. 20. ſectione 9.* Lugo. Clem. VIII. *num.* 195. *& ſequentibus* Probatur. quia Clemens VIII. in ſua Conſtitutione ait: *Suæ intentionis fuiſſe quod iidem Fratres, ac Moniales, quantum ad Sacramentum Pœnitentiæ, ſeu, Confeſſionis adminiſtrationem diſpoſitioni ſuorum Prælatorum ſubiecti eſſent:* in quibus verbis non poſuit *ſibi reſervata*, ſed hoc addidit ut notant Cardinalis Lugo Lugo. Diana. *citatus num.* 198. & ipſe Diana *quarta part. tract. 4. reſolut. 43. §. Verum ego* Vrbanus VIII. in ſua Conſtitutione, ut retuli *ſuperiori quæſt. num.* 7. confirmans, & innovans totam Clementis declarationem his verbis, *Præfatæ Clementis prædeceſſoris declarationi inhærentes, illámque præſentium tenore innovantes, ac quatenus opus ſit ampliantes* Ergo cum Clemens VIII. abſolutè ſubiecerit Regulares quantum ad Sacramentum Pœnitentiæ diſpoſitioni Prælatorum, ſic etiam & Vrbanus. Quia decretum innovans, intelligendum, ac explicandum eſt ſecundum tenorem decreti innovati *l. in Teſtam ff. de condit. & demonſtrat.*

20. Clem VIII. Greg. X V. Vrban. VIII Et confirmatur, quia Clemens VIII. Gregorius X V. Vrbanus VIII. pro ratione ſuorum decretorum præmittunt: *Sanè cum ratio doceat, & experientia compertum ſit Religionibus valdè perniciosum exiſtere, vt earum Religioſis licitum ſit confeſſarium ſibi eligere.* Non dixerunt reſervata; ſed abſolutè. *Confeſſarium ſibi eligere.* Ergo totam illam facultatem, ut valdè pernicioſam eligendi Confeſſarium voluerunt auferre, ac abolere.

21. Clem. VIII. Dices: Clemens VIII. in exordio ſui decreti loquitur de caſibus reſervatis. Dicens *Confeſſionem Sanctæ Cruciatæ. & aliorum indultorum particularium, quantum ad prædictum articulum eligendi Confeſſarium, & abſolvendi à caſibus reſervatis.* Ergo tota Conſtitutio ſolum de caſibus reſervatis procedit. Sed contra, quia poſtea ipſe Pontifex magis explicat mentem ſuam, *Vt quantum ad Sacramentum Pœnitentiæ, ſeu Confeſſionis adminiſtrationem, diſpoſitioni ſuorum Prælatorum, ſubiecti ſint.* Et rationem apponit, quia valdè pernicioſum eſt, ut ſibi eligant Confeſſorem; quæ ratio militat in omnibus partibus Decreti, vbicunque habet locum ratio legis, habet etiam & lex ipſa, *l. 1. Cod. de interdicto*, & hoc etiam ſi verba legis contradicant, *l. Scire oportet*, §. *Aliud in verbo ff. de excuſatione tutor.* Text. *in l. 3. ff. de lib. præterit.*

22. Confirmatur, quia Vrbanus VIII. ut vidimus, ait ſe innovare, ac ampliare Decretum Clementis VIII. quo univerſaliter ſubiecerat Religioſos ſuis Prælatis, quoad Sacramentum Pœnitentiæ; ergo non voluit illam ſubiectionem limitare, ſed potius extendere, & ampliare ad omnia peccata mortalia, non ſolum reſervata, ſed etiam non reſervata.

QUÆSTIO III.

An licitum ſit in Eccleſia ſpecialiter interdicta per Bullam Cruciatam mortuum ſepelire?

SVMMARIVM.

23 *In Interdicto generali per Cruciatam licitè eſt ſepultura Eccleſiaſtica.*
24 *Magna differentia inter Bullam Cruciatam Caſtellæ, ac Portugalliæ.*
25 *In interdicto ſpeciali per Bullam Caſtellæ non poteſt dari ſepultura Eccleſiaſtica, & num.* 26.
37 *Trullench tenet quod per Bullam Caſtellæ poteſt dari ſepultura in interdicto ſpeciali.*
28 *Per Bullam Cruciatam dari poteſt ſepultura Eccleſiaſtica in interdicto ſpeciali, & num.* 29.
30 *Privilegium Cruciatæ latè explicandum.*

CONveniunt Doctores abſque ulla differentia, quòd per Bullam Cruciatam licitum ſit dare ſepulturam Eccleſiaſticam tempore interdicti Generalis; hoc diſertis verbis concedit ipſa Bulla. Tota verò dubitatio eſt an in interdicto ſpeciali in Eccleſia tali interdicto detenta, hoc fieri poſſit, de quo olim fuit magna controverſia in hoc noſtro Regno Luſitaniæ. 23.

Pro quo notandum eſt, valdè diverſam eſſe formam, indèque multam differentiam inter Bullam Cruciatam pro regnis Caſtellæ, & Portugalliæ, ut ſtatim adnotabo; & inde Auctores commentantes Bullam pro regnis Caſtellæ, negativam tenent ſententiam, ut Henriquez *lib. 7. cap. 13. n. 3.* Rodriguez *in Cruciatam. § 5. num. 4. & in Additionibus, ad § 5. num. 2.* Avila *de cenſuris, p. 5. diſp. 4. ſect. 3. dub. 7. §. Et notandum.* Villolabos *tom. 1. tractatu 27. in Cruciatam, clauſula. 4. num. 14.* 24. Henriq. Rodrig. Avila. Villalobos.

Fundamentum horum Auctorum. Quædam clauſula Bullæ Regnorum Caſtellæ, quæ ita habet: *Item conceditur, quod in Eccleſiis, in quibus alias divina Officia, interdicto durante, quomodolibet celebrare permiſſum fuerit, Miſſam audire, vl celebrare*, &c. Et ſubdit: *Item mortuorum corpora, cum moderata funerali pompa ſepeliri.* Sed ſecundum ius, ut patet ex *cap. Alma mater*, ſolum permiſſum eſt celebrare in interdicto generali cum ſuis moderationibus: nam in interdicto ſpeciali non licet celebrare, niſi tantum ſemel in hebdomada ad renovandam Sacram Euchariſtiam; ergo per illam clauſulam, *In Eccleſiis, in quibus alias*, &c. Magno fundamento prædicti Doctores tenent, quod attenta tali clauſula per Bullam tempore interdicti ſpecialis, nec poteſt celebrari, nec ſepultura Eccleſiaſtica concedi, ſed tantum in interdicto generali ad quod ordinatur prædicta Bullæ clauſula. 25. Clauſula Bullæ.

Doctor Trullench. *citato §. 3. Bulla, dub. 10. num. 5.* 26. Trullench.

num.5. tenet, quod adhuc attenta Bulla Regnorum Caſtellæ dari poſſet ſepultura Eccleſiaſtica in interdicto ſpeciali : nam illa clauſula, *In Eccleſiis, in quibus aliàs*, &c. non eſt poſita immediatè cum ſepultura, ſed tantùm cum celebratione divinorum Officiorum, & ideo ad divina Officia eſt referenda, & non ad ſepulturam. Ita cenſent graves Recentiores, ut reſtatur ipſe Trullench.

27. Dico tamen, quod per noſtram Bullam Cruciatam Regni Portugalliæ licitum eſſet celebrare, & dare Eccleſiaſticam ſepulturam in interdicto ſpeciali, & ita ſenſerunt graviſſimi Theologi, me etiam aſſiſtente, conſulti ab Illuſtriſſimo Domino Commiſſario Generali Cruciatæ, & eſt etiam de mente Doctorum, quos ſupra citavi: nam illi maximè innituntur in illa clauſula bullæ, *In Eccleſiis in quibus alias divina Officia*; quæ clauſula reſpicit interdictum generale; ergo excluſa hac clauſula, ac eorum fundamento, bene infertur eſſe de eorum mente celebrare, ac dare Eccleſiaſticam ſepulturam, ſtante interdicto ſpeciali. Vnde Trullench. citatus in Bulla regnorum Caſtellæ in interdicto ſpeciali admittit ſepulturam Eccleſiaſticam, ex eo quod illa clauſula non ſit immediatè affixa ſepulturæ, ſed divinis Officiis.

Trullench.

28. Probatur ergo concluſio, Bulla Regni Portugalliæ tam Latina, quam refert Acoſta ad initium ſui Tractatus, quam quæ lingua vulgari circumfertur, in interdicto tam ad celebrandum, quam ad ſepulturam Eccleſiaſticam nulla in ea eſt clauſula reſtrictiva, ſed quædam diſpoſitio generalis, & abſoluta, ergo abſolutè, & ſimpliciter eſt intelligenda ex vulgati principio: *ubi lex non diſtinguit*. &c. Et ita Acoſta explicans noſtram Luſitaniæ Bullam, apponens varias interdicti diviſiones *quæſt.27.* abſolutè loquitur de privilegio Bullæ abſque ulla diſtinctione inter interdictum generale, ac ſpeciale.

Acoſta.

29. Nec poteſt dici, quod nomine interdicti ſolum intelligendum venit interdictum generale : nam hoc eſt apertè falſum *cap. Quoniam, de ſententia excommunicationis. cap. Alma mater eodem titulo, cap. Quod in te, de pœnitentiis, & remiſſionibus, cap. Reſponſo, de ſententia excommunicationis*, & notat ibi Panormitan. *num.5.* Paludan. *in 4. diſt.18. quæſt. 8. art.4. in principio.* Sylveſter *verb. Interdict.6. num. 9. quæſt.7.* Angelicana *verb. Interdict.6. num 28.* Covar. *cap. Alma mater, part.2. §.2. num.7.* Navar. *in manuali, cap.27. num.178.* Sayro *lib.5. cap.7. n.5.*

Paludan. Sylveſt. Angelic. Covarr. Navarr. Sayro

30. Confirmatur noſtra reſolutio. Nam privilegium Cruciatæ valdè latè eſt explicandum, ac intelligendum, ut docent Henriquez *lib. 7. cap.30.* Suarez *tom.2. de Religione, tractatu de voto, lib. 6. cap.16. num.3.* Nugnus *quæſt.27. art.4. diff.3.* Salas *de legibus, diſp.20. ſect.3. num. 19* Bonacina *de privileg. punct. 7. §.1. num.17.* Sanchez *in opere Moralib.4 cap.54. num.7.* Qui hanc opinionem probabilem iudicat contra id, quod dixerat *lib.8. de matrim. diſp.2. n.7.* Nam omnes ferè rationes, ob quas amplianda ſit privilegij intelligentia, militant in præſenti Cruciata, quæ eſt privilegium Summi Principis ad Regum inſtantiam conceſſum, datum pro tota communitate Regni, & pro cauſa univerſali, ac bono communi, in magnam Eccleſiæ utilitatem.

Henriq. Sanchez. Nugnus, Salas. Bonacina. Sanchez.

RESOLUTIO XXI.

Canonizatio Sanctorum.

QUÆSTIO PRIMA.

Quid ſit Canonizatio Sanctorum, quantaque illius certitudo, & ad quem ſpectat?

SUMMARIUM

1 *Quid ſit canonizatio, eiuſque forma.*
2 *Aliqui dicunt non eſſe de fide Pontificem non poſſe errare in canonizatione Sanctorum.*
3 *Probabilior, & verior ſententia eſt Pontificem non poſſe errare.*
4 *Probatur ratione, ac verbis multorum Pontificum.*
5 *Confirmatur efficaci ratione, ac convenienti.*

CANONIZATIO Sanctorum, eſt certum, ultimúmque Eccleſiæ iudicium, & ſententia diffinitiva ſanctitatis, & gloriæ alicuius Sancti à Summo Pontifice lata, & univerſali Eccleſiæ intimata, ac propoſita, qua canonizatus cultu publico exponitur venerandus; in cáque procedit Pontifex poſt multas Congregationes, probationes, ac alta, & profunda examina per formam diffinitivam, dicens: *Divina ope ſæpius implorata, ac de venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium, Patriarcharum, Archiepiſcoporum, & Epiſcoporum in urbe exiſtentium conſilio. Beatam Mariam Magdalenam de Pazzi Virginem Sanctam eſſe decernimus, definimus, ac determinamus, & Sanctarum Catalogo aſcribimus ſtatuentes ab univerſali Eccleſia quolibet anno die 25. Maij pia devotione recoli debere.* Ex quo patet quanta ſit differentia inter beatificationem, & canonizationem, ut ſupra dixi *Reſol. 16. q.2.* 1. *Forma canonizationis.*

Qua verò certitudine tenendum ſit Pontificem non poſſe errare in canonizatione Sanctorum, dubitatur. Sunt Doctores, ut Ioannes à D. Thoma *2.2. diſp. 9. artic. 2 fol.767.* Granadus *2. 2. controverſ. 1. tract. 7. diſput .3. ſect. 3. num. 24.* qui aſſerunt non eſſe de fide, ſed tantum impium, & ſcandaloſum, atque quodammodo ſapere hæreſim negare eſſe beatam animam Sancti canonizati. Ita etiam docent Malderus *dub. 9. Propoſit.4.* Suarez *de fide, ſect. ultima, num 8.* Fundamentum eſt, quia Papa in canonizatione Sanctorum fundatur in humano teſtimonio, humaniſque probationibus. 2.

Tamen mihi magis placet oppoſita ſententia aliorum aſſerentium eſſe de fide Pontificem non poſſe errare in canonizatione Sanctorum. 3.

Ita

Pta docent Valentia *tom. 3. diſput. 1. quæſt. 1. punct. 7. §. 40.* Turrian. *2. 2. tom. 1. diſp. 17. dub. 6.* Caſtro Palaus *tom. 1. tract. 4. diſput. 1. Punct. 5. §. 4. num. 2.* Verricellius *in quæſt. Moral. tract. 8. quæſt. 24. num. 2.* Amicus *tom. 4. diſput. 7. ſect. 4. numer. 13.* Arriaga *tom. 5. diſput 9. ſect. 5. num. 18.* Diana *tom. 11. tract. 2. de infallibilitate Decretorum, reſolut. 18. §. Sed mihi.*

4. Probatur, quia in Canonizatione proponitur canonizatus univerſali Eccleſiæ, ut colatur, ac veneretur ut Sanctus regnans cum Chriſto. Atqui in his, quæ pertinent ad univerſalem gubernationem totius Eccleſiæ non poteſt Pontifex errare. Probatur minor, quia in magnum damnum cederet totius Eccleſiæ, quod aliquis non juſtus coleretur ut Sanctus. In his autem, quæ ſpectant ad univerſalem concurſum totius Eccleſiæ adeſt
1. Cor. 3. Spiritus ſanctus, juxta illud Pauli 1. Corinth. 3. num. 16. *Spiritus Dei habitat in vobis.* Et quamvis Summus Pontifex in hoc negotio requirat humana teſtimonia, hoc eſt tanquam manuductio, tamen principaliter nititur lumine, ac inſpiratione divini
Cœleſt. III. Spiritus ejus mentem dirigentis. Sic ait Celeſtinus III. in canonizatione ſancti Ubaldi, loquens cum eo, qui pro canonizando ſancto Ubaldo agebat, & ait: *Suſpendimus deſiderium tuum aliquandiu, ut nobis, & fratribus noſtris, quid nobis agendum eſſet, Spiritus ſancti gratia revelaret.* Et Clemens VII. in canonizatione ſancti Antonij, Bullam edens nomine Prædeceſſoris
Clem. VII. Adriani Sexti, ait: *Conſiderans idem Adrianus, quod in eadem canonizatione non permiſſurus eſſet Deus eum errare*, &c. Honorius III. in canonizando S. Laurentio Archiepiſcopo Dublinenſi ait: *Divinum ſecuti judicium, per quod ejus glorificatio argumentis tam evidentibus innotuit.*

5. Confirmatur. Quia de fide eſt Pontificem non poſſe errare in legibus univerſalibus ſpectantibus ad totam Eccleſiam, non enim poteſt ſtatuere aliquid contrarium legi divinæ, & naturali: ſed ſi errare poſſet in canonizatione Sanctorum, ſtatueret aliquid contra legem divinam, & naturalem; ergo non poteſt errare in canonizatione Sanctorum. Major patet, quia Pontifex non poteſt errare in paſcendis ſuis ovibus, ſed oves non ſolùm paſcuntur doctrina fidei, ſed etiam ſtatutis ad mores pertinentibus. Minor probatur. Quia Pontifex canonizans Sanctum obligat omnes fideles aſſentiri illum eſſe in cœlis, & cum Chriſto regnare, & ut amicum Dei venerari, ſi autem in hoc error adeſſet, jam obligaret fideles falſitati aſſentiri, & cultum præbere veneratione indigno; hoc autem fieri non poteſt; ad hoc enim promiſit Chriſtus ſuæ Eccleſiæ Spiritum veritatis, dicens, *Cum venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.*
Ioan. 16. Joan. 16. Ex quibus colligitur canonizatum eſſe Sanctum.

QUÆSTIO II.

Ad quem in præſenti ſpectat canonizatio Sanctorum?

SUMMARIUM.

6 *Epiſcopi canonizabant olim canonizatione particulari.*
7 *Canonizare, ſicut & beatificare hodie ſpectat ad Sedem Apoſtolicam.*
8 *Nullo modo hodie pertinet ad Epiſcopos.*
9 *Imò nec ad legatum à latere.*
Papa non poteſt delegare poteſtatem definiendi. Ibid.
10 *Concilium Generale, non per ſe ſolum, ſed auctoritate Papæ poteſt definire res fidei, & canonizare.*

ANtiquitus canonizare Dei ſervos, ſaltem canonizatione particulari, pro una Provincia, vel Regno ad Epiſcopos pertinebat, ut ex noſtro Vvaldenſi *tom. 3. de Sacramento, titul. 14. cap. 122.* eliciunt Bellarminus *tom. 2. lib. 1. de Beatitudine, ac canonizatione Sanctorum, cap. 8.* Layman. *lib. 4. tract. 7. cap. 5. num. 1.* Baldellus *tom. 2. lib. 3. cap. 12. num. 2.* & alij, qui & maximè id colligunt ex eo quod D. Cyprianus *Epiſcop. Carthag. lib. 3. cap. 6.* præcepit ut ſibi ſcriberetur, ſi quis Martyr denuò occumbat, ut ejus memoria celebraretur. 6. Vvalden. Bellarm. Layman. Baldellus. D. Cyprian

At verò hodie canonizare Dei ſervos, ſicut & beatificare ad Sedem Apoſtolicam ſpectat, ut deciſum habetur ex Alexandro III. *cap. Audivimus*, & ex Innocentio III. *cap. cùm eo de reliquiis, & venerat. Sanct.* ut ibi latè explicant Innocentius, Hoſtienſis, Joannes Andreas, & multi alij Canoniſtæ, ac Summiſtæ, verbo Canonizatio. Et alij Doctores communiter; & id apertè ſupponit Urbanus VIII. in Bulla, ſeu Brevi *Cœleſtis Hieruſalem*, ann. 1634. 7. Alex. III. Innoc. III. Hoſtienſ. Joan. Andr. Vrbanus.

Ex quo jam patet, quod in præſenti ad Epiſcopos id nullo modo jam ſpectat, ut latè probant Jacobus Caſtellanus *de canonizat. Sanct. q. 3. art. 1.* Felix Contelorius *num. 17.* Troilus Malevitius *de canonizat. Sanct. dub. 2. num. 1. & ſeq.* Auguſt. Triumphus *de poteſt. Eccleſ. q. 14. num. 2.* Maſcard. *de probationibus, concluſ. 262. num. 56.* Luiſ. Turrian. *in 2. 2. diſp. 17. dub. 2. verſ. Item dicendum.* 8. Caſtellan. Contelor. Malevit. Auguſt. Maſcard.

Imò nec ad legatum de latere, ut probat Caſtellan. *dicta q. 3. art. 2. n. 3.* Et quod majus eſt, nec etiam ex commiſſione Pontificis, ut tenent Alphonſus à Caſtro *de juſta Hæreticorum punition. lib. 1. c. 6. col. 4. verſ. Rurſus.* Contelorius *in Additionib. ad Iacobum Caſtellanum, d. q. 3. art. 2. num. 4.* ex eo probat, quia Papa non poteſt delegare poteſtatem definiendi res fidei alteri, ut tenent Bañez *2. 2. q. 1. art. 10. dub. 4. §. Quapropter.* Barboſa *ad citatum, cap Audivimus, n. 7.* Lezana *conſult. 1. n. 5.* Et ex eo probat Bañez, quia definire res fidei pertinet ad gratias gratis datas, ad donum nempe ſcientiæ, hæ autem reſident in ſolo Summo Pontifice. 9. Caſtellan. Alphonſ. Contelor. Bañez. Barboſa. Lezana.

10. At Concilium Generale non per ſe ſolum, ſed interveniente auctoritate Summi Pontificis, cum dicatur in Spiritu ſancto legitimè Congregatum, ut habetur apud Trident. poteſt definire res fidei. Soto *in* 4. *diſt.* 20. *qu.* 1. *art.*4. Aragon. 2.2. *q.*1.*art.*10.*tract.de Conciliis*, §. *Tertia concluſio*, & §. *Ad primum argumentum, quod ipſe confirmat.* §. *His poſitis*, ex Concilio Nicæno, ubi eſt ſtatutum, *Quod Concilia Provincialia non definiãt res fidei, ſed tantum Generalia*; ergo Concilia Generalia habent poteſtatem definiendi, & etiam Sanctos canonizandi, ut reſolvunt Jacobus Caſtellan. *d.q.*3. *art* 5. *à principio*, ubi d. Contelor. *à num.* 10. Angel.Roch. *D.Tract.cap.*4.§.*Quod ad ſolum.*

Soto. Aragon.

QUÆSTIO III.

Ex quibus deſumantur probationes ad canonizationem?

SVMMARIVM

11 *Ad canonizationem, & beatificationem requiruntur non virtutes communes, ſed ſupereminentes.*

12 *In perſonis Religioſis requiritur exacta obſervantia regulæ, ac præceptorum Religionis.*

13 *Vnde deſumantur ſigna ſanctitatis ad canonizationem, ac beatificationem.*

14 *Hæc ſigna ad canonizationem, debent eſſe manifeſta vitæ ſanctitate, multa enim fiunt arte dæmonis.*

11. PRimò, ad canonizationem, ſeu beatificationem requiruntur virtutes non communes, ac ordinariæ, ſed illæ, quæ à Theologis nuncupantur *Heroicæ*, ſeu in gradu ſupereminenti; velut divinæ, & ſuperhumanæ, per quas quantum fieri poteſt homo conjungitur Deo. De quibus agunt Ariſtoteles *lib.* 7. *Moral.c.*1. D.Thom. *ibi* D. Bonav. *in* 3. *diſt.*34. *q.*1. Gerſon 14. Piccolomineus *in lib. de Moralib. gradu* 6. *cap.* 12. & Fortunatus Scacchus *ſect.* 2. *cap.* 4. multis exemplis explicans, in quibus hæ heroicæ virtutes reluccnt.

Ariſtot. D.Thom. D. Bonav. Gerſon. Piccolom. Scacchus.

11. Specialiter tamen pro canonizatione, ſeu beatificatione alicujus perſonæ regularis, ſeu religioſæ, præter miracula, virtutes etiam in gradu heroico, requiritur quoque exactiſſima, ac diligentiſſima obſervantia, & cuſtodia illorum omnium, quæ ad ſtatum religioſum pertinent, tam votorum regulæ, quam præceptorum, ſtatutorum, & conſtitutionum ſui Ordinis. Primò, quia qui ab Eccleſia canonizantur, ac beatificantur proponuntur fidelibus, ut norma, ac exemplar virtutum, ad ſequendum, ac imitandum. Molfeſ. *tom.*2. *Additionum ad quæſtiones uſuales*, *conſ.* 46. *n.*5. & 6. ex multis Patribus, & Doctoribus. Secundò. Quia excellentia heroica virtutum, pro illis requiſita ſtare non poteſt ſine illa rigoroſa obſervantia ſuæ regulæ. Tertiò. Quia ita habet ſtylus Summorum Pontificum in Bullis canonizationis ex Innocentio IV. pro S. Petro Martyre. Eugenio VI. pro S.Nicolao Tolentino Sixto V. pro S. Didaco, Clem. VIII. pro S. Hiacinto, & Raymundo, ut refert citatus Fortunatus *ſect.*6. *cap.* 3. & maximè *c.* 4. non tamen requiruntur in illis ea opera, quæ ad eos non pertinent, ut peregrinatio reſpectu Monialium, largitio eleemoſynatum reſpectu pauperum.

Molfeſ. Fortunat.

13. Præter has virtutes requiritur vel illuſtre Martyrium, vel aperta, & evidentia miracula aliena ab omni concurſu cauſarum naturalium. Deinde etiam & primò, odor ſuavis è corpore defuncti emanans. Rota in relatione S. Paſchalis Bailon, & in relatione S. Iſidori Matritenſis; & in relatione S.Thereſiæ.Graffius *lib.*5. *conſil. de ſentent. excommunic. conſ.*17. Contelor. *ſupra*, *num.* 29. Secundò, Liquor odoriferus manans è corpore ſervi Dei. Rota in relatione S. Paſchal. & in relatione S. Andreæ Curſini. Et conſtat ex eo liquore manante è corpore S. Nicolai Barenſis, Contelor. *ſuprà*, *num.* 20. Tertiò, converſatio in vita cum Angelis. Rota in relatione S. Raymundi, & in relatione S. Franciſcæ, & in relatione S. Iſidori. Contelor. *ſuprà*, *num.* 21. Quartò, ſplendor, ſeu fulgor in facie relucens dum viveret. Rota in relatione S. Ignatij, in relatione B. Bertrandi. Contelor. *ſuprà*, *n.* 22. Quintò, & multo magis, ſi id contingat poſt mortem. Rota in relatione S. Bertrandi Graffius, & Contelor. *ſuprà*. Sextò. Harmonia cœleſtis audita in loco, ubi defuncti corpus poſt mortem adſervatur. Rota in dicta relatione B.Bertrandi.Contelor. *num.*25. Septimò. Extaſis raptus, ſeu elevatio à terra. S.Thom.2. 2. *quæſt.* 175. *art.* 1. & 5. Rota in relatione S. Xaverij Contelor. *n.* 27. Octavò. Prophetia S.Thomas 2.2. *q.*172. *art.*4. Auguſt. Triumph. *de poteſtate Eccleſ. q.*15. *art.*5. Rota in relatione S. Paſchalis. Nonò, habere revelationes divinas, S.Thom.2.2.*q.*172. *art.*6.Toſtatus *in Matth. cap.*23. *q.* 244. Antiochus Brondus *in Apoc.diſp.*2. *q.*1. Decimò, quod irrationalia obediant ſervis Dei contra naturalem inclinationem, ut ſi aves, piſces, arbores, flumina, & alia hujuſmodi aliquid agant, vel patiantur ſupra eorum naturas. Rota in relatione ſancti Raymundi. Panuinus in relatione S. Bonaventuræ.

Graffius. D. Thom. Rota. Contelor.

14. Undecimò, ebullitio ſanguinis, vel fluxus illius longo tempore poſt mortem, vel quod corpus ſit ita flexibile, ut poſſit in quamcunque partem verti: unguium, & capillorum continua argumentatio. Rota in relatione S. Xaverij. Contelorius *ſuprà*, *num.*35. 36. & 37. Et ita refertur de S. Januario, cujus ſanguis ebullit ſæpius Neapoli. Hæc omnia, & ſimilia ſunt ſigna ſanctitatis, eo quod cum ſint ſupra naturam, debent aſcribi miraculo. Juxta Rotam in relationibus S. Franciſcæ, S. Caroli, S. Andreæ Curſini, ac S. Magdalenæ de Pazzi, ex doctrina S. Thomæ, & aliorum Theologorum *in cap.* 1. *verb.Sedis Apoſtolicæ, de Reliq. & venerat. Sanct. in* 6.

15. Hæc ſigna non ſunt ſemper infallibilia, niſi quando ſunt adminiculata, & ex circunſtantiis manifeſtativa ſanctitatis, virtutum, ac eximiæ probitatis, eo quod ferè ſimilia contingere poſſint per illuſionem, aut arte dæmonis per malos, *cap. Teneamus*, 1. *quæſt.*1. & *cap. Prophetavit*, 2.*quæſt.*7. §. *Item Balaam.*

QUÆSTIO IV.

An poſſit dari canonizatio alicuius abſque miraculis, & agitur de Sanctis Martyribus?

SUMMARIUM.

15 *Papa de potentia abſoluta poteſt canonizare abſque miraculis.*
16 *Pro Sanctis Martyribus non requiruntur miracula.*
17 *Non pœna, ſed cauſa facit Martyrem.*
18 *Modus, ſeu cauſa patiendi diligenter eſt inveſtiganda.*
Si cauſa Martyrij non conſtat, tunc requiruntur miracula. Ibidem.
19 *Multi per vnum virtutis actum facti ſunt Sancti.*

DIxi *ſuperiori quæſt.* communiter ad canonizationem, ac beatificationem requiri miracula; tamen abſolutè, & de potentia veluti abſoluta Papæ, poteſt canonizari aliquis ex ſola ſanctitate vitæ, & finali perſeverantia bene cognita; ſic enim colligitur ex Leone X. in canonizatione S. Brunonis, ut refert Surius *in vita ipſius.* Et Sixti IV. in Bulla canonizationis ſancti Bonaventuræ, Auguſtin. Triumph. *de poteſtate Eccleſ. q.* 15. *art.* 2. Cantelorius *de canonizat. Sanct. cap.* 19. Baldellus *tom.* 2. *lib.* 3. *diſp.* 13. *num.* 2. Molfeſius *tom.* 2. *Additiones ad quæſtiones vſuales, conſil.* 46. *num.* 85.

Triumph. Cantelor. Baldellus. Molfeſ.

16. Pro Sanctis Martyribus non eſt neceſſaria miraculorum comprobatio, ut tenent Auguſtin. Triumph. *citat. quæſt.* 16. *artic.* 3. Angelus Rocca *de canonizat. Sanct. cap.* 35. Baldellus *ſupra, diſput.* 14. *num.* 4. & 14 afferens deciſionem Rotæ, ſtylum Curiæ in pluribus canonizationibus, & plura alia fundamenta. Flavius Cherubinus *in Compendio Bullarum, ſchol.* 2. *ad Conſtit.* 4. *Alexand. III.* & *ſchol.* 1. *ad Conſtit.* 11. *Innocentij IV.* & Carena *in tract. de Officio Sanctæ Inquiſitionis, part.* 2. *tract.* 17. §. 12. *n.* 42.

Triumph. Rocca. Baldellus. Flavius. Carena.

17. Requiritur tamen probatio cauſæ propter quam paſſi ſunt, nempe pro defenſione, ac confeſſione fidei Catholicæ, ac defenſione alicuius virtutis, ut in odium fidei, ac virtutis occiſi ſint, *quia cauſa non pœna facit Martyrem*, ut ait D. Auguſtin. *epiſt.* 61. & 166. Legitima, & vera cauſa debet eſſe defenſio, ſeu confeſſio fidei Chriſtianæ, prout regulariter contingit, vel etiam eorum, quæ fidei annectuntur. Siquidem D. Ioannes Baptiſta pro Martyre habetur, eo quod occiſus fuerit ab Herode ob reprehenſionem adulterij. Ita Auguſt. Triumph. Rocca, Cherubinus, Carena relati cum Lezana *conſult.* 1. *n.* 16.

D. Auguſt.

Triumph. Rocca. Cherubin. Carena. Lezana.

18. Modus autem, ſeu cauſa patiendi diligenter eſt inveſtiganda prout aſſerunt iidem Triumphus, Rocca, & Cherubinus, & maximè Maſcardus *de probationibus, volum.* 1. *concluſione* 261. *num.* 10. vbi ſic ait: *Non eſt reſpiciendum ad ſupplicii genus, vel tormentorum aſperitatem, niſi cauſa propter quam quis patitur, à Sancta Romana Eccleſia approbata, & confirmata ſit. Quot enim hiſce noſtris infeliciſſimis, ac deplorandis temporibus vidimus, qui blanditiis, falſiſque hæreticorum doctrinis in fraudem pellecti, & ſeducti laqueiſque diabolicis irretiti, quodvis etiam crudeliſſimum genus mortis perpeti non dubitarunt, quam vel latum quidem vnguem à perverſa ſua hæretica labe diſcedere.* Quod etiam probat exemplis Georgij Cella Novarienſis & cuiuſdam alterius Anglici, & aliorum Hæreticorum (etiam fœminarum) qui pertinaciter vitam pro ſua ſecta expoſuerunt. Si verò cauſa Martyrij non conſtat ſufficienter, tunc videntur neceſſaria miracula, ut probat Baldellus *d. diſp.* 14. *n.* 15.

Maſcard.

Baldellus.

Ad calcem huius quæſtionis nota cum Lezana *citato num.* 178. quod ea, quæ diximus, de neceſſitate omnium virtutum, ac perſeverantia in illis, intelliguntur quoad illos, qui poſt ſuam converſionem habuerunt tempus operandi; nam certum eſt, multos ob unum actum perfectiſſimæ charitatis in hora mortis fuiſſe canonizatos, ut de Bono Latrone, Sancto Maximo, & Ianitore 40 Coronatorum, & aliis, qui eodem tempore fuerunt converſi ad fidem Chriſtianam, & paſſi Martyrium, ut legimus in Martyrologio.

19. Lezana.

QUÆSTIO V.

Qui cultus deferendus ſit Sanctis canonizatis, ac beatificatis?

SVMMARIVM.

20 *De cultu Sancti canonizati, ac beatificati.*
21 *Ex vi Bullæ canonizationis, non poteſt recitari officium de ipſo ſine novo decreto.*
22 *Decretum Congregationis de ipſa canonizatione.*
23 *Solus Papa poteſt extollere vnum Sanctum præ aliis.*

CVltus pertinens ad Sanctos beatificatos, de eo iam dixi *ſupra*; *Reſol.* 16. *quæſt.* 6. 7. & 8. Nunc de canonizato agendum eſt, qui erecto Altari, Capella, Templo in eius nomine in toto orbe terrarum, maximè venerandus eſt, omni feſtivitate, & cultu celebrandus, de quo etiam quolibet die poſſit Miſſa votiva celebrari, ut de aliis Sanctis.

20.

Tamen de ipſo Sancto canonizato non poteſt Officium cum Miſſa celebrari ſine novo Decreto Sacræ Congregationis diſtincto à Bulla, ſeu Decreto canonizationis, ut tenent Barboſa *de Officio Parochi cap.* 10. *num.* 21. Gavantus *in Theſauro, tomo.* 2. *cap.* 2. *num.* 30. afferentes Decretum eiuſdem Sacr. Congregationis ſub die 9. Decembris 1628.

21.

Barboſa. Gavant.

Et quamvis in Bulla canonizationis concedi ſoleat generaliter facultas celebrandi Officium eorum quolibet anno in die obitus ipſorum prout in inſtrumento canonizationis Sancti Andreæ Curſini expreſſis verbis ait Vrbanus VIII. anno 1629. & eodem modo

21.

Decretum canonizationis.

Clemens IX. In Bulla canonizationis S. Mariæ Magdalenæ de Pazzi : *Ad honorem Sanctæ, & individuæ Trinitatis, & exaltationem fidei Catholicæ, & Chriſtianæ Religionis augmentum, auctoritate eiuſdem Dei Omnipotentis Patris, Filij, & Spiritus ſancti, Beatorum Apoſtolorum Petri, & Pauli, & noſtra, de Fratrum noſtrorum conſilio decernimus, ac definimus, bonæ memoriæ Mariam Magdalenam de Pazzi, Florentinam, Ordinis Carmelitarum Sanctam eſſe, ac Sanctarum Catalogo adſcribendam, ipsámque Catalogo huiuſmodi adſcribimus.* Nota ſequentia verba : *Statuentes ut ab univerſali Eccleſia ; anno quolibet in die obitus dictæ Magdalenæ, Feſtum, & Officium ipſius ſicut de vna Virgine, non Martyre, devotè, & ſolemniter celebretur.*

23. Et ratio huius rei eſt, quia quamvis ex vi Decreti, ſeu Bullæ canonizationis, concedatur generaliter, Feſtum, & Officium celebrandum Sancti canonizari, non tamen præſcribitur ritus, quo celebrari debeat, an ſcilicet ſub duplici, vel ſemiduplici, &c. nec id exprimitur in Rubrica Breviarij ; & propterea neceſſarium eſt, novum Papæ Decretum de tali ritu, quia iuxta *cap. Glorioſus Deus, de Reliq. & venerat. Sanctorum*, ſolus Papa poteſt unum Sanctum præ aliis extollere, ac proinde ipſe ſolus facere Decretum de tali ritu, duplici, vel ſemiduplici. Cantilorius *de canonizat. Sanctor. cap. 1. num. 22.* Gavantus *Commentar. in Rubric. Breviarij Rom. ſect. 2. cap. 2. num 30.* & refert Decretum S. Congregat. Rituum, de ipſo ritu interrogatæ. Et ita, ut teſtatur Lezana *conſult. 2. num. 7.* praxi receptum eſt in tota Eccleſia, cum conſtet non fieri generaliter ab omnibus officia de Sanctis omnibus canonizatis, ſed tantum de aliquibus.

Cantilor. Gavant.

Lezana.

QUÆSTIO VI.

An de Sanctis, nec Canonizatis, nec beatificatis ſpeciali Bulla, ſed longa conſuetudine veneratis faciendum ſit Officium ?

SUMMARIUM.

24 *Status quæſtionis.*

25 *Celebrandi Sancti ex antiqua conſuetudine.*

26 *Conſuetudo habet vim legis.*

27 *Quod comprobatur ex Decreto Congregat. Vrbani VIII. ac ex Rubrica Breviarij, & num. 28.*

24. QVæſtio eſt. Sunt multi Sancti, nec canonizati, nec beatificati, de quibus tamen ex longa conſuetudine Religionum, vel locorum fieri ſolet Officium, an talis conſuetudo retinenda ſit.

25. Affirmativè reſpondendum eſt, ut docent Fr. Thomas de Ieſu *in Regulam Carmelit. part. 3. cap. 7. dub. 3.* Rodriguez *tom. 2. quæſtionum Regularium, quæſt. 69. artic. 5.* referúntque pro hac ſententia Vaſquez, Salzedum, alioſque graviſſimos Doctores Complutenſes ; in eadem ſententia eſt Hieronymus Rodriguez *in Compendio Reſolut. 65. num. 10.* Bordonius *Reſol. 30. num. 36.* Anelus *tract. de Horis Canonic. cap. 6. dub. 3. num. 11.* Molfeſius *tom. 2. in Additionibus ad quæſtiones vſuales, conſil. 45. num. 75. & ſequenti*, referens reſponſiones Clementis VIII. & Paul. V. circa tales conſuetudines colendi Sanctos non canonizatos, ut etiam refert Lezana *conſult. 2. num. 10.*

Thomas de Ieſu. Rodrig.

26. Probatur primò, ex vi, ac natura conſuetudinis, quæ æquipollet legi, ac veritati *l. 1. ff. de ſervit. & aqua.* Baldus *conſil. 28. in principio, lib. 4.* Cardinalis Tuſch. *concluſ. 806. num. 17.* Quod autem habeat vim legis ſatis commmune, ac vulgare eſt, *l. de quibus, ff. de leg. §. ex non ſcripto inſtit. de iure, natur. & Gentium, cap. final. de conſuetud.* Guido *ſingul. 83.* Belletus *diſquiſ. Cleric. part. 1. tit. de favore Clericor. §. 3. num. 10.*

Baldus. Tuchus. Guido. Bellutus.

27. Probatur ex Decreto Sacræ Congregationis, quod referunt Sellius *in Selectis Canon. cap. 33. num. 18.* & Barboſa *in Collectan. Bullarij, verb. Officium divinum 1.* & *in Apoſtol. dec. Collectan. Collectan. 532. num. 11.* ubi in una Viſenſi 21. Iunij 1605. ſic ait eadem Sacra Congregatio *Officium pro Sanctis etiam non canonizatis poteſt recitari de communi, ubi viget conſuetudo immemorialis recitandi.* Et confirmat Vrban. VIII. In Congregatione univerſali Sanct. Inquiſitionis, per quam prohibet exhiberi venerationem, & cultum hominibus cum ſanctitatis, vel Martyrij fama defunctis, & expreſsè declarans, ſubdit : *Quod per ſupraſcripta præiudicari in aliquo non vult, neque intendit, iis, qui aut per communem Eccleſiæ conſenſum, vel immemorabilem temporis curſum, aut per Patrum, virorúmque Sanctorum ſcripta, vel longiſſimi temporis ſcientia, ac tolerantia Sedis Apoſtolicæ, vel Ordinarij coluntur* Ecce quomodo de Sanctis, qui nec canonizati, nec beatificati ſunt, conceditur fieri Officium, ſi ex antiquo, & longo tempore coluntur.

Sellius. Barboſa. S. Congr.

28. Et etiam amplius confirmatur ex Breviario Romano : nam Rubrica. 1. de Officio duplici dicitur, *Officium ſit duplex*, & ſic dicitur, *& in Feſtis Sanctorum, qui apud quaſdam Eccleſias, vel Religiones, vel Congregationes conſueverunt ſolemniter celebrari, cum Officiis propriis à Sede Apoſtolica approbatis, aut ex eiuſdem Sedis auctoritate receptis, vel recipiendis (ſervata tamen forma huius Breviarij) alioquin de communi, etſi prædicta feſta in hoc Kalendario non ſint ſcripta.* Ex quo apertè conſtat, quod ipſummet Breviarium approbat conſuetudinem faciendi Officium (etiam ſub ſolemnitate duplici) de Sanctis, *qui apud Religiones conſueverunt ſolemniter celebrari :* quales ſunt multi Sancti ipſarum Religionum, ut obſervant Thomas de Ieſu, Rodriguez cum aliis ſupra citatis, & hoc etiam apertè ſupponit Gregorius XII. in Bulla, quæ præmittitur in Martyrologio Romano.

Ex Breviar. Rubrica. Thomas de Ieſu. Rodrig.

RESOLU

RESOLUTIO XII.

Clauſura Monialium.

QUÆSTIO VNICA

An Monialis poſſit exire à Monaſterio abſque morbo contagioſo, ſed tantùm qui mortalis iudicatur, niſi exeat ad ſalutis remedium?

SUMMARIUM.

1 *Status quæſtionis.*
2 *Bulla Pij V. & quòd epydemia ſignificet omnem morbum periculoſum.*
3 *Prima ſententia tenet non poſſe egredi niſi in caſibus expreſſis in bulla.*
4 *Secunda affirmativa in caſibus ex identitate rationis.*
5 *Pro hac ſententia Cardinalium declaratio.*
6 *Probatur ex natura legis.*
7 *Probatur ex Carthuſianis.*
8 *Ex narrativa legis colligitur mens legislatoris.*
9 *Clauſula taxativa non excludit ſimiles caſus.*
20 *Pius V. in ſua conſtitutione non loquitur de re communi.*
11 *Datur exitus à monaſterio in cauſa particulari incendij, vel hoſtis adventus.*
12 *Si medici diſtant, Monialis poteſt exire.*
13 *Ad quem ſpectat dare licentiam, etſi Epiſcopus noluerit, vel fuerit capitulum ſede vacante.*

2. DVo inquirit præſens quæſtio, an in tali caſu, quando urget gravis morbus, & mortalis, & nullum aliud exſtat remedium, an licitum ſit Moniali à monaſterio exire v.g. ad balnea. Secundò, à quo talis licentia ſit concedenda.

Trident. Pius V.

Difficultas huius rei nec provenit ex *cap. Periculoſo de ſtatu Regularium, in 6.* nec ex Concilio Trident. *ſeſſ.26. cap.5. de Regularibus.* Vbi prohibentur egreſſus monialium à conventu. Sed tota difficultas provenit ex conſtitut. Pij V data anno 1569. quæ incipit: *Decori, & honeſtati,* refertur apud Laërtium *tom.2. Bulla 8. ipſius Pij V.* Vbi rigoroſè prohibet egreſſum monialium à conventu, & exprimit caſus, in quibus hoc tantùm eis licitum erit, quòd nunquam hoc eis liceat: *Aliave cauſa, & prætextu, niſi ex cauſa magni incendij, vel infirmitatis lepræ, aut epydemiæ.* Per epydemiam non ſolum intelligitur peſtis, ſed quilibet nocivus, & contagioſus morbus communitati. Ita Sanchez *in Decalogum, lib.6. cap.25. num.35.* Villalobos *in ſumm.1.part.tract.35.difficult.45. num.2.* Hieronymus Rodrig. *in compend.quæſt. Reſol.98.num.19.* Sella *in ſelectis Canon.cap.15. num.4.* Vbi refert ſacram Congregationem Epiſcopor. ita reſcripſiſſe Hiſpaniarum Nuntio die 8. Novembr. 1594. Hoc poſito.

Sanchez. Villalobos. Hieron. Rodrig. Sella.

3. Prima ſententia affirmat Moniales non poſſe egredi à monaſterio niſi in caſibus exceptis in dicto motu proprio Pij V. & quòd non poſſit fieri extenſio ad caſus ſimiles, vel urgentiores, ita tenent compendium Mendicant. *verb. clauſura Monial. num.5. verſ.quæritur, utrùm miniſter generalis.* Tuſchus *de viſit. lib.2. c.18. num 17.* Bollon. *in œconom. Canoni.claſſ.3. cap.4. n.10.* Gutierr. *lib.1.Canoni.cap.14.* Cened. *ad ſextum collect. 31. num. 2.* Zerola *in praxi Epiſcop.part. 1.verb. Moniales §.16. verſ.2.part 2.eodem verb. in fine* Riccius *in praxi rerum fori Eccleſiaſtici deciſ.545.num.1 Alias reſolut. 541. in 2.edict.* Miranda *de ſacris Monialibus quæſt 3. art.4.* Campan. *Rubric.12 cap. 16.n.22.* His non obſtantibus.

Compend. Tuſchus. Bulloni. Gutierres. Zerola. Riccius.

Dico tamen, quòd quamvis morbus non ſit contagioſus, ſed talis ex ſua conditione periculoſus, quod ſi Monialis non egrediatur è monaſterio ad ſe curandum, verbi gratia ad quædam balnea, morietur, & maxime peribit, in hoc caſu licitè poteſt exire è monaſterio, licitèque licentia ei concedenda eſt. Hanc ſententiam conſtanter tenent Navarr. *de Regul. commen. 4.num. 49. & 50.* Suar. *ſatis late tom.4. de Relig. lib.1 .cap.9. num.7. & 9.* Azor. *tom.1. inſtit lib .13.cap.8.quæſt.1.* Llamas *Method. curati. in appendice §.10.* Graff. *1.part.deciſion. lib. 4. cap.23.num. 17.* Sorbus *in annotat ad compend. mendicant. verb. ingreſſus monaſter .monial. n. .6* Zenus *in praxi tom.1.reſol 393.num .3.* Fr. Ioan. nes à Cruce *lib.1.cap. 5.dub. 4. §. ſecunda concluſio* Sanchez *citato lib.6.cap.15.num.37. Barboſa de poteſt. Epiſcopi allegat. 102. a n.16.* Bonacina *tract. de clauſura quæſt. 1.punct.9. num.6.* Lezana *tom. 1. cap. 25. num. 20.* Gavantus *in manuali Epiſcop. verb Monial clauſura n.7.* Diana *tom. 1.part. 3. tract. 2. de regularib. reſol.*

4.

Navarr. Suarez. Azor. Llamas. Graff. Scorbus. Zeno. Ioan. à Cru. Sanchez. Barboſa Bonacina. Lezana.

Probatur primò ex quadam Cardinalium declaratione quam adducit Suar. *citat. n. 11. ad finem* ſic habet: *Curandæ valetudinis cauſa, ad balnea monialem exire poſſe ſedes Apoſtolica conceſſit, dum tamen eat cum honeſto comitatu perſonarum, quem ordinarius dandum cenſuerit: atque tam eundo, quam redeundo, nullum ad locum extra viam rectam divertat, neque diutius maneat, apud ipſa balnea, quam ad curandam infirmitatem neceſſe fuerit.* Quæ declaratio ſive fuerit generalis, ſive pro aliqua particulari maximè comprobat noſtram reſolutionem.

5. Cardinalitiã declaratio. Suar.

Probatur 2. Nulla lex poſitiva, dummodo non interveniat auctoritas fidei noſtræ, aut Religionis Catholicæ, vel evidens neceſſitas boni communis, obligat cum proprio vitæ diſpendio, quia ut ait D. Iſidorus *lib.5. ethymologiar. cap.21. & 21.* communiter receptis à Theologis, ac luriſperitis: *De natura legis eſt ut ſit de re moraliter poſſibili & non ſuper humanas vires*: ergo cum nulla res ex præpoſitus interveniat in præſenti, non poteſt lex obligare ad valde arduum & difficile, ad diſpendium nempe propriæ vitæ.

6. D. Iſidor.

Probatur 3. Quia Carthuſiani habent votum nunquam comedendi carnes; & tamen hoc eis licitum eſt, quando nullum aliud eſt alimentum nec aliud remedium ob propriæ

7.

vitæ conſervationem bene poſſunt eas comedere. Primò, quia homo habet jus ad conſervationem propriæ vitæ *cap. exiit, de verborum ſignificat. cap. Paſtoralis § caterum. de ſententia, & re judicata l. ut vim ff. de juſtitia, & jure.* Deinde votum ſecundùm ſuam naturam ita obligat, niſi aliud gravis neceſſitas poſtulet, ut notat Azor. ſtatim citandus. Tertiò, Azor. nec bonum, nec ingens Religionis reformatio aliud poſtulat rationaliter loquendo, ſufficit enim ad exactam Religionis reformationem, quòd in nullo caſu licitum ſit comedere carnes, niſi quando eſt unicum & ſingulare remedium ad propriæ vitæ conſervationem, ut optime notant Covarruv. 1. *variar. cap.* 2. Covar. *n.* 10. Gerſon, Medina cùm Rodriguez *tom.* 2. Gerſon. *quæſt.* 101. *art. in concluſion.* Leſſius *lib.* 4. *cap.* 3. Medina. *dub.* 2. *num.* 12. Azor. *tom.* 1. *lib.* 5. *cap.* 6. *quæſt.* 7. Rodrig. Suar. *lib.* 6. *de legib. cap.* 7 *num.* 9. Salas *de legib.* Loſſius. *diſp.* 11. *ſect.* 2. *n.* 23. & 27. Bonacin. *tom.* 2. *diſp.* 2. Azor. *q.* 8 *punct.* 2. *n.* 16. Ex qua doctrina enervantur Suar. omnia argumenta contraria.

8. Probatur quartò, quia mens Pontificis intendit prohibere, ne Moniales ex qualibet cauſa foras egrediantur, in integrum tamen ſervans, ut egrediantur in caſibus, in quibus ut in incendio, lepra, epidemia militat eadem ratio, quando enim de intelligentia unius legis dubitatur, ex illius narrativa bene Baldus. colligitur mens legiſlatoris Baldus *in cap. licet delicti.* Decius *in cap.* 2. *requiris de appellat.* Decius. Tiraquel. *in l. ſi unquam § libertis num.* 23. Pius autem V. in narrativa ſui diplomatis, *decori, & honeſtati*, ait ſe intendere delere abuſum, quo Moniales è monaſterio egrediebantur ad viſitandos amicos & conſaguineos ex qualibet cauſa, tantúmque reſtringere ad caſus neceſſarios ad conſervationem vitæ, vt ad effugiendum incendium, lepram, epidemiam, & ſimilia, in quibus intervenit eadem ratio, & ſimile vitæ periculum.

9. Dices primò. Ex illa clauſula taxatiua *nulla alia cauſa, vel pratextu*, quæ cauſula non excludit ſimiles caſus, quia ubi militat eadem ratio, eſt eadem iuris diſpoſitio ex optima epicheia, ac optima legis interpretatione.

10. Dices 2. Quòd in caſibus præpoſitis poteſt fieri extenſio ex identitate rationis, quando vertuntur in damnum commune, at verò in propoſitò caſu agitur de damno particulari. Reſpondetur & primò. Pius V. in ſua conſtitutione non loquitur de bono communi, ſeu communitatis, nec in aliqua re talibus concernente, ſed abſolute, & propoſuit illa tria, *incendium, lepram, epedimiam*, quæ cum extenſione, quàm Doctores admittunt, ex identiate rationis, procedunt ſive damnum ſit particulare, ſive commune, nam vbi lex non diſtinguit, nec nos diſtinguere debemus.

11. Et confirmatur, in quodam monialium dormitorio graſſatur ignis, cùm quædam religioſa eſſet in vltima cellula verſus plateam, talis incendij cauſa ipſa poteſt á clauſura exire, & tunc incendium non urget contra bonum commune, ſed contra unius particularis commodum. Deinde confirmatur ulterius, nam Doctores contrarij per illam clauſulam *incendium* intelligunt hoſtium adventum. Suppono quòd unus hoſtis magno furore raptus ingreditur unum monaſterium inſequēs unam monialem ad mortem, quæ aliter non valet effugere, niſi à clauſura exiens, & tunc valde licitè foras egreditur, ut Auctores contrarij fatentur, Rodrig. *citat. quæſt.* 39. *art.* 5 Sanchez Rodrig. *citatus, num.* 39. Bonacin. *de clauſur. Monial. punct.* 9. *num.* 6. &, alij, quos citat, ac ſequitur Bonacina. Barboſa *de poteſt. Epiſcop.* 3. *part allegat.* 10. *n.* 16. Barboſa. Et tamen in hoc caſu hoſtis adventus non verſatur contra bonum commune, ſed unius particularis.

Vltimò confirmatur; quia Rodrig. *tom.* 1. *quæſt.* 49. *art.* 2. *verſ. vltimò, colligo* Fr. Hieronymus Rodrig. *reſol.* 26. *num* 11. aſſerunt quòd ſi quoddam monaſterium ſit in loco deſerto valdè diſtanti ad quem valde difficiliter Medici, Chirurgi, venarumque ſectores accedere poſſunt, tunc inquiunt, poteſt Monialis licite exire ob remedium vitæ, & illius conſervationem, ergo à fortiori in noſtro caſu ad balnea. *Ex* quibus conſtat quòd bulla Pij V. ex identitate rationis, militat quando damnum vel eſt commune, vel particulare & quamvis de hoc magna controverſia fuiſſet olim in hoc regno, hodie tamen valdè res eſt in praxi, & quotannis multæ Moniales ex gravi neceſſitate exeunt ad balnea. 12. Hieron. Rodrig.

13. Facultas autem exeundi à monaſterio in prædictis caſibus pertinet ad Generalem, vel Provincialem, interveniente conſenſu ordinarij, ut patet ex Concilio Trident. *ſeſſ.* 25. *de Regularibus, cap.* 5. de quo Lezana *tom.* 1. *cap* 25. *num.* 21. Si autem Epiſcopus noluerit dare talem licentiam, tunc Religionis Prælatus eam concedere poteſt, ut tenet Suar. *citatus tom.* 4. *de Relig. lib.* 1. *cap.* 9. *num.* 13. & 19. Et etiam facultatem hanc concedere valet Capitulum Sede vacante, & quamvis talis iuriſdictio non ſit ordinaria, ſed delegata, tamen ex neceſſitate, eam dare poteſt, vt tenet Quaranta, Capitulum Sede vacante, *num.* 1. Et in hoc Archiepiſcopatu Vlyſipponenſi Sede vacante ferè per viginti octo annos multas licentias de hac re conceſſit Capitulum. Tridene. Lezana. Suar. Quaranta.

QUÆSTIO II.

An mulier adultera fugiens maritum, vel delinquens ad evitandos miniſtros iuſtitiæ, violet ingrediens claſſuram.

SUMMARIUM.

14 *Oppoſitæ declarationes faciunt dificultatem.*
15 *Declaratio pro parte negativa*
16 *Tres declarationes pro parte affirmativa, & num.* 17.
18 *In caſu vrgenti mulier admittenda, dummodo non detur recurſus ad Papam, & num.* 19.
20 *Ex charitate admittenda, & quia neceſſitas non habet legem.*
21 *Ex Epicheia legis videtur admittenda.*
22 *Malefactor fugiens à miniſtris iuſtitiæ poteſt admitti.*

OPpoſitæ Illuſtriſſimorum Cardinalium declarationes magnam difficultatem nobis

bis faciunt in hac materia; nam extat quædam declaratio ex Bullario Rodrig. 1200. Ubi inter Bullas Clementis VIII. adducens aliquas Cardinalium declarationes factas tempore prædicti Pontificis, ponit hanc ſequentem declarationem miſſam ad Epiſcopum Salmanticenſem anno 1604. cujus hæc ſunt verba.

Rodrig.

15. *Congregatio conſilij reſpondit, non licere ullo modo Epiſcopis, vel permittere, vel licentiam concedere mulieribus, ut ex cauſis ſupernarratis, (erat autem unus ex caſibus ab Epiſcopo antea propoſitis apud Cardinales, lites matrimoniales adulterorum, ac diſſenſionum inter viros, & uxores,) monialium monaſteria ingrediantur, imò ingredientes incidere in excommunicationem. Quòd ſi aliquis caſus inciderit, propter quem expedire videatur concedere talem licentiam, eam omnino obtinendam eſſe à ſede Apoſtolica.* Caſu contigit in hac civitate Ulyſipponenſi, quòd quædam Moniales ordinario ſubjectæ, cujuſdam mulieris adulteræ ne à viro ſuo interficeretur miſertæ, eam recepiſſent, Capitulo ſede vacante annuente, tamen prædictum Capitulum ab Illuſtriſſimo Collectore admonitum de prædicta declaratione, ſtatim præcepit prædictam mulierem à conventu ejicere.

Declaratio Cardinalium.

16. Econtra verò in libro declationum Cardinal. Antuerpiæ impreſſo anno 1633. fol. 521. poſt medium inter declarationes Cardinalium ad Trident. *cap. 5. de regular. ſeſſ. 25.* ponuntur de hac re tres declarationes Cardinalium, quas etiam refert Barboſa ad citatum locum Concilij Prima eſt, *Mulier conjugata, ſit in monaſterio Monialium, & conſtiterit, quòd ſi inde exierit, verſabitur in periculo mortis, in monaſterio relinqui debet, ſed ſine ancillis, &c.*

Liber declarationum.

17. Secunda declaratio. *Mulier quæ venit in ſuſpicionem adulterij apud maritum, & ob id timet ne ab eo vis aliqua inferatur, permitti debet, ut monaſterium ingrediatur monialium, ſi modo conſtitutiones monaſterij non repugnent.* Tertia declaratio. *Inſuper mulieres, quæ ſunt in diſcordia cum maritis, & eorum ſævitiam timent, ſi ſunt extra culpam, quandiu juſtam timendi cauſam habuerunt, debent ſi ſunt in monaſterio tolerari.*

Declarationes Cardinal.

18. Dico tamen, quòd videtur ordinariè loquendo tales mulieres non debere admitti à Monialibus in conventu, niſi in caſu valdè raro, in quo non eſt commodus recurſus ad Papam, & eſt grave periculum in mora, & occaſio præceps ad evitandam mortem. Ita Rodrig. *tom. 2. qu. 46. art. 10.* Miranda *quæſt. 2. de Monialibus artic. 7.* Zerola *in praxi Epiſcop. part. 1. verb. Moniales, §. 12.* Barboſa *de poteſt. Epiſcop. part. 3. allegat. 102. nu. 66.* Bonacin. *de clauſura Monial. quæſt. 4. punct. 3. n. 17.* Joan. de la Cruce *cap. 5. dub. 2. concluſ. 3. in fine.* Tamburinus *diſp. 24. qu. 14. num. 1.* Pellizar. *tom. 2. tract. 10. cap. 5. ſect. 3. n. 120.* Sanchez *in decalog. lib. 6. cap. 16. num. 91.* Portel. *2. tom. reſponſ. morali. caſu 106. §. dico 2.*

Rodrig. Miranda. Zerola. Barboſa. Bonacina. Joan. de la Cruz. Tambur. Pellizar.

19. Concluſio duas habet partes. Et prima ſupponit, quòd quando datur ſpatium, & tempus, recurrendum ſit ad ſummum Pontificem pro impetranda licentia, & in hoc ſenſu procedit prima declaratio miſſa ad Epiſcopum Salmanticenſem, *quòd ſi caſus inciderit licentiam omnino obtinendam eſſe à ſede Apoſtolica.* Quia ſolus ſummus Pontifex poteſt dare licentiam, ut tales mulieres ad monaſterium admittantur, ibi exiſtant, & commorentur.

20. Secunda pars concluſionis, quòd talis mulier ſit admittenda in monaſterium, quando periculum urget; probatur à tribus poſterioribus declarationibus, in quibus hoc expreſsè deciditur. Et in primis mulier fugiens à marito, habet jus pro conſervanda vita, quia hoc eſt de jure naturali, quia ut dicitur *neceſſitas non habet legem. cap. querelam de jurejurando,* ubi Gloſſa *in verb. Non neceſſitate.* multa juris loca congerit, ſicut & Sebaſtianus Medices *lib. de regimine juris in regula 2. n. 8.* Deinde ex parte monialium urget præceptum charitatis ſubveniendi proximo in tam urgenti, & gravi periculo honoris, & vitæ. Deinde quia videtur, quòd in tanto periculo Summus Pontifex non velit reſtringere facultatem Prælati, imò & Prælatæ, ſi non detur tempus ad recurſum majoribus.

Gloſſa.

21. Confirmatur, quia neceſſitatis cauſa multa permittuntur, quæ aliàs non permitterentur, *cap ſi quis propter. de fur.* Cùm ergo in præſenti caſu valdè difficilis, imò moraliter impoſſibilis acceſſus ſit ad Papam, urget periculum vehementiſſimè in mora, ex epicheia, ac interpretativa voluntate Papæ videtur concedenda facultas à Prælatis dandi licentiam ad ingrediendam clauſuram monialium. Maximè cum Concilium Trident. *ſeſſ. 25. de Regularibus, cap. 5.* dicat: *Dare autem tantùm Epiſcopus, vel ſuperior licentiam debet in caſibus neceſſariis.* Quæ verba cùm ſint generalia non ſunt reſtringenda ad ſolam neceſſitatem monaſterij vel monialium, ſed etiam extendenda ſunt ad neceſſitatem cujuſque extranei, ſiquidem lex loquitur generaliter, ac proinde generaliter eſt intelligenda.

Trident.

22. Confirmatur ex caſu difficiliori adducto à Sanchez *lib. 6. in Decalog. cap. 16. n. 59.* & ait; quòd ſi malefactor fugiens inſequentes juſtitiæ miniſtros, & inveniens portam monialium apertam, poterit ſine peccato dictam clauſuram intrare, & licitè ſine ſcrupulo; & verba Sanchez ſunt. *At malefactor in eo diſcrimine conſtitutus non peccaret ingrediendo, ſi fores apertas reperiret: tum quia præſentaneum periculum anſam maturioris deliberationis præripit: tum quia jus tuendi vitam, vel grave corporis damnum, ut ſi pœna mortis, aut flagellorum, aut triremium plectendus eſſet, ipſum excuſat.*

Sanchez.

23. In exemplo adducto à Sanchez duo maximè conſidetanda ſunt, quæ ſunt duriora, & majora, nam Sanchez hoc concedit in homine maſculo, in quo caſtitas Monialium periclitari poteſt. Secundò Sanchez admittit ingreſſum malefactoris in clauſuram, non ſolùm ad evitandam mortem, ſed etiam periculum flagellorum, vel triremium, hæc autem mulier eſt in proximo, & evidenti periculo mortis, & hoc ulterius comprobatur ex his, quæ docet idem Sanchez *citato c. 16. num. 60.* poſſe à ſuperiore concedi ingreſſum intra clauſuram Monialium ad deponendas ibi pecunias, ſi non detur aliquis locus tutus ad eas deponendas, charitas ſuadet depoſitum illud admittere, quanto magis ſuadet charitas, mulierem in tanto mortis periculo admittere.

Sanchez.

24. Ex quo conſtat, quòd in neceſſitatibus repentinis,

pentinis, & quidem graviſſimis, in quibus periculoſa eſt mora, & acceſſus ad ſuperiorem eſt moraliter impoſſibilis, in talibus caſibus licentia obtenta ab Abbatiſſa, ſeu Prioriſſa eſt ſufficiens. Ita Sanchez *in decalog. lib. 6. cap. 26. n. 34.* Rodrig. *tom. 1. quæſt. 46. art. 2.* Azor *tom. 1. lib. 13. cap. 8. quæſt. 8.* Pellizar *t. 2. tract. 10. cap. 5 ſect. 3. num. 164.*

Sanchez. Rodrig. Azor. Pellizar.

RESOLUTIO XXIII.

Confeſſoris Regularis Approbatio.

QUÆSTIO PRIMA.

Confeſſores Regulares quamvis accipiant iuriſdictionem à Papa, indigent approbatione Epiſcopi.

SVMMARIVM.

2 *Et ſi antiquitus Religioſi ſæcularium confeſſiones ſine approbatione Epiſcopi audirent, hodie poſt Tridentinum non poſſunt.*
2 *Religioſi talem iuriſdictionem accipiunt à Papa.*
3 *Epiſcopus in approbandis Religioſis habet ſe tanquam delegatus à Papa.*

1. LICET antiquitùs tempore Bonifacij VIII. in Extravag. quæ incipit; *Super Cathedram*, ipſe conceſſerit Regularibus facultatem, ut tantummodo à ſuis Prælatis præſentati Epiſcopis ſæculariũ confeſſiones poſſent audire, & ulterius tempore Benedicti IX in alia ſua extravaganti, & incipit *Inter cunctas, de privilegiis*, etiã ſine præſentatione, aut alia licentia Epiſcoporum conceſſerit poſſe Regulares audire ſæcularium confeſſiones: tempore tamen Clementis V. in Concilio Viennenſi, in Clementina, quæ incipit: *Dudum. de ſepultur.* revocatum fuerit prædictum Decretum Benedicti; & renovatum illud antiquum Bonifacij: tamen hodie poſt Concilium Trident. ad hoc ut Religioſi audire poſſint ſæcularium confeſſiones indigent præſentatione, & approbatione Epiſcoporum, ſic ait Concilium ſeſſ. 23. cap. 15. *Decernit ſancta Synodus, nullum etiam Regularem poſſe confeſſiones ſæcularium, etiam Sacerdotum audire, neque ad id idoneum reputari, niſi aut Parochiale beneficium, aut ab Epiſcopis per examen, ſi illis videbitur eſſe neceſſarium, aut alias idoneus judicetur, & approbationem, quæ gratis detur, obtineat*: Et cùm poſtea emanaverit aliquibus Religioſis indultum audiendi confeſſiones ſæcularium abſque prævio ordinarij examine, Vrbanus VIII. in ſua Bulla anno 1628. quæ eſt apud Bullarium *tom. 4. conſtitut. huius Pontificis 92.* caſſavit, annullavit & revocavit omnia, & ſingula talia privilegia cuicumque Religioni conceſſa, ut obſervat Lezana *tom. 1. cap. 19. num. 2.*

Bened. IX. Clem. V. Trident. Vrban. VIII Lezana.

2. Cùm hoc tamen ſtat, quòd in ipſa approbatione ad audiendas cõfeſſiones aliter ſe habent Religioſi, ac Sacerdotes ſæculares; nam Sacerdotes ſæculares accipiunt iuriſdictionem ab Epiſcopo, ut à ſuo Prælato, at Religioſi cum immediatè ſubiiciantur Romano Pontifici ab ipſo accipiunt iuriſdictionem: approbatio autem Epiſcopi tanquam teſtimonium dantis, ac ſententiam proferentis de ſufficientia, habilitate, ac ſcientia talis religioſi requiritur. Ita Navar. *in ſumma, cap. 27. num. 264. & ſequentibus*. Suar, *de pœnitent. diſp. 28. ſect. 5. num. 11. & tom. 4. de Relig. tract. 10. lib. 9. cap. 2. num. 3.* Vaſquez *tom. 4. de pœnitent. quæſt. 93. art. 3. dub. 5. num. 3. & 4.* Henriquez *lib. 6. de pœnit. cap. 6. num. 4. 6. & 8. & lib. 7. de indulg. cap. 28.* Veiga *in ſumma, tom. 1. cap. 62. caſu 4.* Rodrig. *tom. 1. Regul. quæſt. 59. art. 2. & 4.* Ledeſma *tom. 2 ſummæ, cap. 13. circa finem, dub. 1. §. Eſta duda*, Cruz *lib. 2. de privileg. cap. 6. dub. 4. concluſ. 3.* F. Louis Lopez *2. part. inſtructorii. quæſt. 17. de clavib. cap. 8. §. 2. & 4.* Fagund *præcept. 2. Eccleſ. lib. 7. cap. 2. num. 8.* Pellizar. *tom. 2. tract. 8. cap. 3. ſect. 2. num. 9.* Bordon. *tom. 1. Reſol. 36. num. 32.*

Navarr. Suar. Vaſquez. Henriq. Veiga. Rodrig. Ledeſma. Cruz. Lopez. Fagundez. Pellizar. Bordon.

Habent ergo Religioſi iuriſdictionem ad audiendas confeſſiones à Summo Pontifice, ut conſtat ex Clementina, *Dudum* de ſepulturis, ut latius dicam quæſt ſequenti, & Epiſcopus tanquam delegatus à Sede Apoſtolica dat teſtimonium de eorum ſufficientia, probitate, ac habilitate. 3.

QUÆSTIO II.

An Regulares ſufficientes, & idonei Epiſcopo præſentati, ſi abſque iuſta cauſa non fuerint ab eo admiſſi, ac approbati, licitè, & validè poſſint confeſſiones audire?

SVMMARIVM.

4 *Prima ſententia negat validas eſſe.*
5 *Secunda, & vera affirmat.*
6 *Quæ probatur ex Clementina, & multis, & num. 7.*
8 *Obiectio oppoſita contra Carmelitas, & Auguſtinianos.*
9 *Quatuor ordines mendicantes æqualiter habent à iure.*
10 *Aliæ Religiones ex privilegiis tanquam ex iure, & n. 11. & 12.*

NEgant validas eſſe confeſſiones, quamvis dicant Epiſcopum peccare, Suar. *tom. 4. de pœnitent. diſp. 28. ſect. 5. num. 13.* Vaſq. *tom. 4. de pœnit. quæſt. 93. art. 3. dub. 3. num. 2.* Lugo *de pœnit. diſput. 21. n. 52. fol. 509.* Coninch. *diſp. 8. dub. 7. num. 257.* Reginald. *tom. 1. lib. 1. cap. 16. num. 192.* Filliucius *tom. 1. tract. 7. num. 257.* Barboſa *in collectanea ad Clement. Dudum, num. 8.* Sancius *in ſelectis, diſp. 48. num. 16.* Sylvius *in additionibus ad 3. part. quæſt. 8. art. 5. quæſt. 4.* Pirigrianus *diſtinct. 17. quæſt. unic. art. 4. dub. 4.* Trullench. *in expoſitione Bullæ, lib. 1. §... cap. 1. dubio 8.* 4.

Suar. Vaſquez. Lugo. Coninch. Filliuc.

Alij è contra affirmant eo ipſo tales Religioſos 5.

Navarr. Henriq. Gloſſa. Rodrig. Sotus. gioſos eſſe approbatos Ita docet Navarr. *in Manualis cap. 27. num 264. & 265.* Henriquez *lib. 6. cap. 6. num. 4.* Gloſſa *in Clementina dudum de ſepulturis.* Rodriguez *in additionibus ad Bullam §. 9. num. 30. & tom. 1. de regul. quæſt. 59. art 2 & 10.* Sotus, Angelus, Graffius, Cenedo, Palatius, Sylveſter, & Alex. quos citat, & ſequitur Fagundez *præcep. 2. lib. 7. c. 2. n. 15.* Miranda. *in Manuali Prælat tom. 1 q. 4. art. 6.* Ioan. de Cruce *in epitome lib. 2 cap 6. dub. 1.* Villalobos *tom. 1. tract. 1 diff. 53. n. 3.* Cochier *de iuriſdict. ordin. in exempt. part. 77.* Layman. *lib. 5. tract. 6. c. 11. n. 4.* Finellus *de cabſibus reſervatis c. 3. n. 3.* Peyrinus *de Religioſo ſubdito tom. 1. q. 1 cap. 21. §. 2.* Lezana *tom. 1. quæſt. Regul. cap. 19. num. 3.* Lopez *cap. 8. de bulla pag. mihi 822.* Vivaldus, *tom. 1. de abſolution. n. 28.* Ludovicus à Cruce, *diſp. 1 cap. 2. dub. 19.* Baunius *tract. 4. de Pœnit. quæſt. 11.* Tomas Hurtado *tom. 2. tract. 12. c 1.* Caſtrus Palaus *part. 3. tract. 23. diſp. unica, punct. 15. §. 3. num. 8. & 9.* Pellizar. *tom. 2. tract. 8. cap. 3. num. 26.* M. Fr Anton. ab Spiritu Sancto *direct. regul. tract. 2. diſp. 3. ſect. 1. num. 6. & directorio confeſſarior. tract 5 diſp. 13. ſect 7.* & æque probabile iudicat Leand. *de pœnit. diſp. 11. quæſt. 83.*

6. Probatur ex ipſa Clementina *Dudum de ſepulturis, §. ſi verò*, ubi expreſsè ex plenitudine poteſtatis Pontificiæ approbantur Regulares ipſo facto præſentati Epiſcopis, ſi abſque legitima cauſa, ſed ex malevolentia, ac odio reiiciantur, & reprobentur; Atqui tale Decretum non fuit derogatum per Concilium Tridentinum, tum quia Clementina ponitur, ac citatur ad marginem ipſius Concilij, tanquam ſi ipſam Concilium reſpiciat, ad ipſamque referatur; tum quia in hoc caſu Concilium non videtur procedere, ut obſervat Navarr. cit. Videtur enim alienum à ſanctitate, ac iuſtitia Concilij, quòd intendat favere odio, ac malevolentiæ Epiſcopi, ſi detur, quòd abſit, contra Religioſos. Tertiò, quia privilegium iuri communi inſertum, indiget ſpeciali derogatione, ut dicam ad finem quæſtionis. Quartò; quia privilegium conceſſum in Clementina *Dudum*, loquitur in cauſa ſpeciali. Tridentinum verò generaliter, quando autem lex generaliter loquitur, non derogat ſpeciali, cuius expreſſam non facit mentionem, ut multis probat Palaus *citat. n 9.*

Clementin. Navar. Palaus.

7. Probatur etiam ratione, quia approbatio Epiſcopi, non eſt, nec favor, nec gratia, ſed quædam iudicialis declaratio, quæ ſe habet tanquam iudicialis ſententia ex iuſtitia; ergo talis ſententia iniquè, & ſine cauſa denegata invalida eſt; nam finis Tridentini ad exigendam approbationem Epiſcopi eſt, ne quis indignus admittatur; at ſi conſtat quòd præſentatus eſt dignus, & ſufficiens, contra mentem Tridentini reijcitur, & inde militat diſpoſitio citatæ Clementinæ *Dudum*, & ipſo iure eſt approbatus.

Trident. Clementin.

8. Dices tamen, quòd licèt Clementina *Dudum*, non ſit derogata per Concilium Trident. adhuc non prodeſt omnibus Mendicantibus, nec omnibus Religioſis, ſed tantùm Fratribus Prædicatoribus, ac Minoribus; nam eis tantùm eſt conceſſa, & de illis tantùm agitur, cæteris autem Mendicantibus, ac Religioſis facultas non ex iure competit, ex ipſa Clementina, ſed ex privilegio per communicationem, ac proinde talis facultas videtur ſublata per Tridentinum.

9. Occaſione huius argumenti aliqui Auctores, ut Conceres, Baſſæus *verb. confeſſor. 3. num. 18.* tenent, quòd illa facultas conceſſa in prædicta Clementina ſolùm comprehendat Minores, & Prædicatores, ac proinde quòd ſolùm eis competat hæc facultas ex iure. Tamen hi Auctores aperte decepti ſunt, quantum ad Carmelitas, & Auguſtinianos; nam totam ipſam facultatem conceſſam Minoribus, ac Prædicatoribus in ipſa Clamentrina *Dudum* concedit Ioannes XXII. Carmeltianis, & Auguſtinianis in extravaganti: *Frequenti de iudiciis*, ut iam dixi in lectura de legibus anno 1632. & cum Rodriguez & Ioanne à Cruce notarunt Thomas Hurtado *part. 2 tract. 12. cap. 1. num. 1887.* & ſicut Clementina eſt de corpore iuris, ſic eodem modo; ac æqualiter prædicta extravagans eſt etiam de corpore iuris, ut cum Rodriguez notant idem Hurtado *citatus num. 1892.* & Fr. Antonius ab Spiritu Sancto *in directorio confeſſorum tr. 5. diſp. 13. ſect. 7. num. 872.* ac proinde quoad quatuor Mendicantes privilegium eſt de corpore iuris.

Conceres. Baſſena. Ioan. XXII Rodrig. Cruz. Hurtad.

10. De aliis verò Religioſis dicendum eſt, quòd prædicta privilegia habentur à quatuor prædictis ordinibus per communicationem, & quamvis eorum privilegia fuerint derogata per Concilium Tridentinum, quæ uſque tunc conceſſa erant, poſtea tamen per multos Summos Pontifices fuerunt denuò conceſſa, ac proinde rectè gaudent dicto privilegio Clementinæ *Dudum*, ac prædictæ extravagantis, ut notat Thomas Hurtado *citatus, n. 1893.*

11. Inſuper addo, quòd privilegia Religionum, cùm non ſint conceſſa uni, vel alteri perſonæ, ſed toti Religioni, ac communitati, æquiparantur legi, ac perinde habentur, ac ſi eſſent in corpore iuris inſerta, talique conditione gaudent, ut probant Oltradus *conſil. 300. n. 4. à verſ. Conſiderandum eſt*, Henriquez poſt alios *lib. 7. de indulg. cap. 22. num. 3. & cap. 24. n. 4.* Sanchez *lib 8. de Matrim. diſp. 1 num. 13.* Suar. *lib. 8. de leg. cap. 17. num. 7.* Salas *diſput. 20. de leg. ſect. 10. num. 90. §. ſextò limitatur*, Bonac. *diſp. 1. de log. quæſt. 3. punct. 4. §. 1. n. 5.*

Oltradus. Henriq. Sanchez. Suar. Salas. Bonacina.

12. Tandem privilegia Regularium ſaltem ex magna parte conceſſa ſunt illis in præmium laborum, quos paſſi ſunt, & quotidie patiuntur prædicatione, ac doctrina Evangelica, proque ſanctæ Romanæ Eccleſiæ defenſione, eiuſque augmento, & animarum ſalute, ut ipſi Summi Pontifices teſtantur in ſuis diplomatibus, Peirinis *tom. 1. privileg. Minor. in conſtitut. 26.* Leon. X. *num. 2. & tom. 3. cap. 4. in Additamentis de conſtit.* eiuſdem Leonis *n. 24.* Privilegium autem remuneratorium non revocatur per clauſulas communes, & Generales, & cum Abbate, Felino, Bartol. lex Aandro, Oldrado Tiraquel. & aliis tenet Suarez *lib. 8. de leg. cap. 37. num. 6.* & idem habet Lezana in conſultis, *conſult. 40. n. 102.*

Peirin. Abbas. Felin.

13. Dices contra: Inter propoſitiones damnatas ab Alexandro ſeptimo die 2. Octobris anno 1665. Propoſitio decimatertia ita habet: *Satisfacit præcepto annuæ confeſſionis, qui confitetur Regulari Epiſcopo præſentato, ſed ab eo iniuſtè*

iniuſtè reprobato. Ergo iniuſtè reprobatus non valide audit confeſſiones. Reſpondeo quòd Pontifex ait, quòd ille, qui cum tali confeſſario iniuſtè reprobato confitetur, non ſatisfacit præcepto; non tamen ait, quòd ipſa confeſſio ſit invalida: nam benè ſtat, quòd actus ſit validus, & tamen non ſatisfacit præcepto; verbi gratia, qui non eſt de familia Marchionis, & in die Dominica, in eius Oratorio audit ſacrum, revera audit ſacrum, & non ſatisfacit præcepto: qui in Quadrageſima communicat in Eccleſia Carmelitana, verè communicat, & non ſatisfacit præcepto, cum non ſit in propria Parrochia.

QUÆSTIO III.

An poſſit Epiſcopus approbare Regulares cum limitatione temporis, loci, perſonarum, virorum nempe, & non mulierum; vel è contra?

SVMMARIVM.

13 *Prima ſententia affirmat, quòd talis limitatio etiam ſine cauſa, obſervanda ſit.*

14 *Secunda ſententia, & vera tenet talem limitationem eſſe invalidam.*

15 *Quæ ſententia maximè probatur, & confirmatur, & n.* 16.

17 *In tali limitatione ſine cauſa graviter delinquit Epiſcopus.*

13. QVæſtio in præſentiarum procedit, quando ordinarius abſque aliqua iuſta cauſa tales limitationes, verbi gratia unius anni, virorum, non mulierum, huius oppidi, non illius apponit, & quod illa limitatio ſit tenenda, & obſervanda, tenent Mendo *in Bulla, diſp.* 22. *cap.* 3. *num* 54. 35. Trullench. *lib.* 1. §. 7. *dub.* 7. *num.* 4. Torreblanc. *lib.* 14. *pract. cap.* 3. *num.* 16 Lugo *de pœnit. diſp.* 21. *ſect.* 3. §. 1. *n.* 57. Quamvis dicat quòd hoc ſit grave onus imponere Religioſis, tamen ſive iuſte, ſive iniuſte in praxi obſervandum, & citat pro ſe Lugo, Navarrum, *in ſumma cap.* 4. *n.* 10. & 11. Suar *diſp.* 28. *ſect.* 7. *num.* 19. Vaſq. *de pœnit. quæſt.* 93. *art.* 3. *dub.* 5. *num.* 4. Fagund. *præcept.* 2. *lib.* 7. *cap.* 2. *num* 1. & Dianam *part* 3. *tract.* 2. *reſol.* 25 Sed non multum appoſitè, ut legenti patebit: Suar. Fagundez, Diana loquuntur iuſta interveniente cauſa ad talem limitationem apponendam.

Mendo. Trullench. Torreblan. Lugo.

14. Secunda, & vera ſententia tenet, quod Epiſcopus ſine iuſta cauſa ad confeſſionem pertinente non poteſt appobare regulares cum limitatione temporis, loci, ac perſonarum, ita definiuit Sacra Congregatio, ut teſtatur Peirinus *de ſubdito quæſt.* 1. *cap.* 21. §. 2. Miranda *part.* 1. *quæſt.* 45. *art.* 10. M. Lezana *tom* 1. *cap* 19. *num.* 8. & Pellizar *tom.* 2. *tract.* 8. *cap.* 3. *ſect.* 2. *num.* 28. *fol mihi* 264. Ita habet ſacra Congregatio die 20. Novembr. 1615. *Regulares, qui ad audiendas confeſſiones idonei generaliter ab ordinariis eorumque examinatoribus reperti, & approbati fuerint, generaliter quoque, & indiſtinctè, abſque ulla limitatione temporis, certorumque locorum, aut generis perſonarum admittantur in propria diœceſi; de cæteris verò, qui non adeò idonei reperiuntur, ſi pelierint ſe admitti arbitrio ordinariorum relinquitur ipſos cum limitata facultate, prout eiſdem ordinariis magis expedire videbitur probare, & admittere.*

S. Congteg Peirin.

Hanc noſtram ſententiam tenent Henriquez *lib.* 3. *de pœnitent. cap.* 6. *num.* 5. & 9. Rodrig. *in quæſtion. Regul. quæſt.* 59. *art.* 2. & *in Additionibus ad Bullam Cruciatam*, §. 9. *n.* 30. Navarr. *in manuali, cap.* 27. *num.* 264. *in fine*, M. Lezana *tom.* 1. *cap.* 19 *num.* 8. Portel. *in dub. Regular. verb. Confeſſor Regularis*, eiuſque præſentatio, Sotus *in* 4. *diſt.* 18. *quæſt* 4. *art.* 3. Veiga *in ſumm. tom.* 1. *cap.* 62. *caſu.* 7. Villalobos *in ſumm. tom* 1. *tract.* 9. *diff.* 53. *num.* 3. Layman *in. Theolog. Morali, lib.* 4. *tract.* 6. *cap.* 11. *num* 4. Cochier *de iuriſdict. ordinar. in exempt. part.* 4. *quæſt.* 77. Finellius *de caſib. reſervat. cap.* 3. *n.* 3. Peirinus proxime citatus, Ioan. de la Cruz *lib.* 2. *cap.* 6. *dub.* 1. Graffius, Angelus, Cenedus, quos citat, & ſequitur Fagundez *præcept. lib.* 7. *cap.* 2. *num.* 15. 16. & 17. Boſſius *de triplici Iubilæi, privileg. ſect.* 3 *caſa* 2. §. 1. *num.* 22. Delbene *tom.* 2. *cap.* 14. *dub.* 18. *ſect.* 11. *n.* 3. Ioannes Præpoſitus *in* 3. *part. da Sacram. pœnit. quæſt.* 8. *dub.* 3. *num.* 17. Paſqualigus *deciſ.* 500. *num.* 2. Baſſæus *verb. Confeſſar.* 3. *num.* 12. Collotius de Hierarchia *lib.* 5. *cap.* 25. Zambellus *in repertorio Morali, verb. Confeſſor quoad auctoritatem*, Diana 3. *part. tract.* 2. *Reſol.* 24. & *part.* 4. *tractat.* 4. *Reſel.* 200. M. Fr. Anton. ab Spiritu ſancto tam *in directorio Regular. tract.* 2. *diſp.* 3. *ſect.* 1. *n.* 7. Rom. *in direct. Confeſſ. tract.* 5. *diſp.* 13. *ſect.* 9. §. *Dico ſecundò*, Leandrus *tract.* 5. *de Sacram. pœnit. quæſt.* 84. Qui omnes docent, quòd ſi Epiſcopi abſque iuſta cauſa eiſdem Regularibus concedat approbationem limitatam uſque ad tempus, vel beneplacitum, prædicti Regulares non tenentur talia obſervare, ſed elapſo tempore, vel mortuo Epiſcopo non indigent nova approbatione, quod etiam declaravit Clemens X. die 2. Auguſti *in ſua Bulla ſuprema Magni Patris.* Quòd Religioſi ſufficientes non debeant approbari cum limitatione.

15. Henriq. Rodrig. Navarr.

16. Quòd rectè probat Angelus Boſſius ex Emmanuele Rodriguez, quia privilegium Clementinæ, §. *ſi verò*, conceſſum eſt Regularibus ad refrænandam quorumdam Epiſcoporum duritiem, ne ab ipſis ordinariis locorum iniuſtè moleſtarentur, ac vexarentur, cùm ſine cauſa, approbatione negata ipſo iure ſint abſolutè approbati, ergo ſicut negata licentia in toto, ſunt ipſo iure approbati abſolutè, ſic etiam negata licentia in parte, verbi gratia ad mulieres, vel ad longum tempus decem annorum, ſunt ipſo iure approbati.

Boſſius. Rodrig.

17. Confirmatur, quia ſolus ille; qui dat iriſdictionem, poteſt eam coarctare, ac limitare, ſed regularibus non Epiſcopus, ſed ſolus Papa dat iuriſdictionem, ut dixi *quæſt.* 1. ergo ſolus Papa & non Epiſcopus, eam poteſt coarctare, ac limitare. Epiſcopo autem tantùm datur, ut per examen iudicet de bona ſufficientia, qua cognita non poteſt iuſte negare approbationem, quæ in citata Clemen

tina

Trident. tina datur. Nec obstat Concilium Tridentin. quia Sacrum Concilium requirit approbationem, iustè datam, & non inique negatam: nam Concilium non favet iniquitati.

18. Notant tamen Lugo *de pœnit. disp. 21. sect. 3. §. 1. n. 57.* Diana *p. 6. tract. 7. q. 61.* Quod Episcopus sine iusta causa dans approbationem limitatam, graviter delinquit contra suam conscientiam, & facit iniuriam grandem Religioso, ac proinde existimo mortaliter peccare, agit enim in re gravi contra obligationem sui muneris.

Quæstio IV.

An interueniente iusta causa possit Episcopus limitare approbationem Regularis quoad tempus, & loca, & agitur, quænam sit hæc iusta causa?

SUMMARIUM.

19 *Quos Lugo citat pro parte negante.*
20 *Ex causa bene potest Episcopus limitare.*
21 *Iuxta aliquos Doctores assignantur variæ causæ.*
22 *Defectus ætatis non est sufficiens causa.*
23 *Nec levis suspicio de moribus.*
24 *Iusta causa insufficientia in litteris, ac examine.*

19. Licet Cardinalis Lugo *de Pœnitent. disp. 21. sect. 3. n. 56.* citat pro parte negante Henriquez, Villalobos, Portel. Veigam; tamen si rectè, & attentè legantur, ipsi non discrepant à communi sententia.

Lugo. Henriq. Villalobos.

20. Vera, & certissima sententia est, quod Episcopus interveniente vera, & iusta causa, potest approbare Regulates cum limitatione quoad tempus. Hæc resolutio fit manifesta ex declaratione S. Congregationis, quam retuli *superiori quæst. n. 14.* & M. Lezana *in mari magno Servitar. n. 55. §. Maxime notandum*, refert alias declarationes Cardinalium, quibus mandatur Episcopis, vt Religiosi idonei absolute approbentur, & non cum limitatione temporis, Probatur etiam ex Bulla Leonis X. in Concilio Lateranensi die 19. Decembr. 1516. in qua disponitur, quod Religiosi per Episcopos. & Prælatos super sufficientiam litterarum possint examinari. Et Concil. Trident. *sess. 32. c. 15. de reform.* quo ab Episcopis si illis videbitur necessarium per examen, vel aliàs idoneus iudicetur; ad quid ergo requiritur examen, nisi ut fiat iudicium de scientia litteratum, ergo iuxta illius cognitionem potest Episcopus approbare, reprobare, vel limitare. Ita Auctores *superiori q. citati.* Ita Henriq. Lezana, Suar. Miranda, Fagundez, Filliucius, Vasquez, Petigian. Sanchez, Reginald. Fernandez, quos citant, ac sequuntur Delbene *tom. 2. c. 14. dub. 18. sect. 11. n. 30.* Diana *5. p. tract. 2. resol. 24.* Pasqual. *tom. 1. decis. 500.* Trullench. *praxi Sacram. c. 9. dub. 7. n. 7.* Dicastill. *disp. 10. n. 270. & 289.*

Cone. Later. Trident. Henriq. Lezana. Suar. Miranda. Fagundez. Filliuc. Vasquez.

21. Causa sufficiens ad talem limitationem adhibendam dicunt Lugo, Fagund. Diana cum Suar. *de pœnit. disp. 28. sect. 7. n. 19.* est insufficientia in scientia, vel mala suspicio in moribus, vt maior de illis experientia, tractu temporis detur, aut defectus in ætate.

Lugo. Fagundez. Diana. Suar.

Imprimis defectus ætatis non est sufficiens causa ad limittandam approbationem, quia ut ait Villalob. *in summa tom. 1. tract. 9. diff. 53. n. 2.* Non enim est expectandus in Regularibus quadragesimus annus ad audiendas mulierum Confessiones: nam sæpe Episcopus dat beneficium Parochiale Clerico habenti in ætate vigesimumquintum annum, & inde ipse probatus est ad audiendas mulierum Confessiones. Insuper addo, quod sæpè Episcopatus datur Clerico ætatis trigina trium annorum, cur ergo in tali ætate neganda est facultas Religioso ad audiendas mulierum Confessiones, cum ipse sub strictiore disciplina, ac multo magis rigoroso vivendi modo. 22. Villalobos.

Nec quælibet levis suspicio de moribus est sufficiens ad talem limitationem, quia *vnusquisque semper præsumitur bonus, nisi probetur malus.* Ac proinde dum prudenter nihil mali timet de tali Religioso, debet approbationi Prælati illius Religiosi, quoad mores, & vitam acquiescere eiusque testimonio se conformare Episcopus. At verò si Episcopus magno fundamento dubitat, de honestate, ac probitate talis Religiosi, tunc non solum potest approbationem limitare, sed etiam absolutè negare, hoc enim maximè spectat ad munus Episcopale, ut à suis ovibus arceat omne nocumentum, & damnum. 23.

Iusta, & legitima causa est insufficientia scientiæ: nam cum Concilium Tridentinum requirit examen, hoc est vt communiter intelligitur de scientia, ac proinde si Episcopus eum parum scientem invenit, bene potest cum limitatione approbare, ut magis det operam litteris, & sapientior, & habilior fiat. Vnde facto, & approbato bono examine infert Leandrus *citatus tract. 5. disp. 11. q. 85.* Si Episcopus postea limitet licentiam: vt scilicet non audiat mulieres vsque ad quadragesimum annum: vel non audiat in tali loco, vel nisi per annum, &c. non est necesse servare talem limitationem. 24. Leandrus.

Quæstio X.

Vtrum Episcopus possit simul privare omnes Confessarios vnius, vel plurium Conventuum à facultate audiendi Confessiones?

SVMMARIVM.

25 *Episcopus non potest omnes Confessarios vnius vel plurium Conuentuum simul revocare, & revocatio est nulla.*
29 *Auctores prædicta sententia asserentes nullum scrupulum.*
27 *Non potest Episcopus revocare non consulta Congregatione.*
28 *Et hoc nulla ratione fieri potest.*
29 *In quadam controversia refertur alia declaratio anni 1645.*
30 *Vniversa communitas non est condemnanda pro crimine vnius vel alterius.*

31 *Confirmatio Innocentij X. pro partibus Indiarum.*

25. Pius V. EPiſcopus non poteſt omnes Confeſſarios unius, vel plurium Conventuũ, eorúmque licentias revocare, neque novam, & generalem revocationem edicere, iterũ vocãdo ad novum examen. Hoc ſæpè ſæpius declaratũ eſt à Sancta Sede Apoſtolica auctoritate Pij V. Conſtit. *Etſi Mendicantium data 16. Maij 1567. in Bullar. novo 41.* & alia Conſtit. *Romani Pontificis dat. 6. Aug. 1571 in Bullar. 133.* & apud Confet. Confet. *11. pag. 228.* & iterum ad mentem *Pij V. Declaravit S. Congreg. 20. Novemb. 1615.* Ita habent Declaratio Cardinalium. Illuſtriſſ. Domini Cardinales *Statuunt inſuper eoſdem Archiepiſcopos, Epiſcopos, locorumque Ordinarios Confeſſiones audiendi facultatẽ omnibus ſimul unius Conventus Regularibus Confeſſariis, eadem S. Congreg inconſulta, nullo pacto adimere poſſe, quod quidem Decretum, ut iidem Illuſtriſſ. Patres opportunum, & neceſſarium duxerunt, ita inviolabiliter iubent obſervari.* Et idem habetur ex alia declaratione S. Congregationis Epiſcoporum, & Regularium 21. Februarij 1642. pro Regularibus Ruſſiæ, quam ſe vidiſſe teſtatur Lezana Lezana. *conſult. 40. n. 6.*

26. Alph. Leo. Perin. Gavant. Guaſlin. Barboſa. Caſpenſis. Bordon. Palaus. Aldanus. Boſſius. Peregrin. Supradictam declarationem datam 20. Novembris 1615. referunt Alphonſus Leo *in fin. 2. p. de Indulg.* Peirin. *tom. 1. Privil. Minimorum Conſtit. 2. Sixti IV. num. 15.* Gavant. *in manual Epiſcop. verb. Confeſſ. num. 23.* Guaſlinus *in ſuo tract. Miſcell. fol. 240.* Barboſa *de poteſt. Epiſc. alleg. 25. n. 30.* Scroffa *q. 36. art. 2.* Ludov. Caſpenſ. *tom. 2. Curſ. Theol. tr. 24. de pœnit. diſp. 5. ſect. 9.* Franciſ. Ceſpedes *de exemptione Regul. dub. 110.* Bordon. *tom. 1. reſol. 36. n. 15.* Caſtro Palaus *tom. 4. tract. 23. diſp. unica, punct. 15. §. 4. n. 14. fol. mihi 163.* Aldanus *in Comp. Canonum, Reſol. lib. 1. tit. 13. num. 5.* Boſſius *ſect. 3. caſu. 2. num. 45.* Peregrin. *verb. Abſolutio quoad ſæculares, §. 2. in ſcholio.* Qui omnes conſtanter docent, quod facta tali ſuſpenſione generali, Religioſi non tenentur obedire Epiſcopo, cum excedat limites ſuæ iuriſdictionis; ac proinde ſine ullo ſcrupulo poſſunt pergere in Confeſſionibus audiendis, ac ſi talis revocatio non fuiſſet facta.

27. Ceſpedes. Nota etiam cum Ceſpedes, quod cum in dicto Decreto dicatur, *Inconſulta eadem Sacra Congregatione* denotari per hoc, quod etiam ſi cauſa rationabilis ſubſiſteret, id non poſſe fieri, non conſulta S. Congregatione, ut ſuſpendantur omnes Confeſſarij: nam ante Decretum non poterat fieri ſine rationabili cauſa, poſt Decretum verò requiritur iudicium Sacræ Congregationis.

28. Alberic. Gloſſa. Roland. Tiraquell. Gratian. Barboſa. Expende etiam quod dicitur, *nullo pacto adimere poſſe.* Dictio enim *nullo pacto* idem importat, ac quod nulla ratione Albericus *in Dictionario, verb. Nullo pacto*, per Text. *in l. pupillus 24.* ubi Gloſſa *ff. quæ in fraudem cred.* Et traditur non ſpecificata. Rolandus *conſil. 2. num. 421. lib. 4.* Tiraquellus *in l. ſi vnquam, verb. Omnia, num. 14.* Stephanus Gratianus *deciſ. 51. num. 14.* Barboſa *tract. de Clauſulis, clauſul 92. num. 4.* & *in tractatu de Diction. dict. 228. n. 6.*

29. Lezana. Deinde ut refert M. Lezana *ſecundo tomo, in mari magno Servitarum, num. 55. §. Maximè notandum.* Cum Dominus Epiſcopus Biſaurienſis valdè rigidè ſe habuiſſet contra Confeſſarios Regulares, ſuo Decreto anno 1644. Tunc cunctis rebus examinatis Sacra Congregatio ſuis literis obſignatis reſpondens ſtrictè iniunxit D. Epiſcopo, ut circa examen, & approbationem Confeſſariorum Regularium omnino, & ad amuſſim obſervaret declarationes Sacræ Congregationis eiſdem litteris adiunctas. Inter eas erat una diei 16. Ianuarij 1606. in qua declarabatur *Dominos Ordinarios non poſſe facultatem audiendi Confeſſiones omnibus ſimul unius Conventus Regularibus eadem Sacra Congregatione inconſulta adimere.* Quod Decretum datum fuit Romæ die 22. Septembtis 1645. & in Typographia Cameræ Apoſtolicæ impreſſum; & hoc maximè procedit ſi in ipſo Epiſcopo ſit aliqua ſuſpicio malevolentiæ, & odij in ipſos Regulares.

30. Et eſto aliqua cauſa ad ſuſpenſionem ſubſiſteret pro uno, vel altero, tamen proſus incredibile eſt ut ſubſiſtat pro omnibus, & quod omnes ſint criminoſi; & univerſitatem non debere condemnari pro crimine, ſeu peccato unius certi, vel incerti, habetur ex Bald. *in ſpeculata de ſentent. in 17. col. verſ. Pro peccato, in l. Polla, in l. 1. col. ad fin. verſ. Extra quæro, C. de his, qui ut indict.* Bartol. *in l. Sed ſi hac, §. Qui manumittitur, de in ius voc.* & *in l. Aut facta, in §. fin. in pen. q ff. de pœnis, in l. ſicut poſt.* Gloſſ. *in fine principij, ff. quod una uni,* & *in l. 1. ultim. colum. in verſ. Vltimo*, facit iſta Gloſſ. *ff. quod quiſque* Bartachino *in Repertorio, verb. Vniuerſitas.* Baldus. Bartol.

30. Et confirmatur: quia in Indiis Occidentalibus, cum D. Ioannes Epiſcopus Angelopolitanus Collegia, ac domos Reverendorum Patrum Ieſu ſuſpenderet ad audiendas Confeſſiones. Re ad Romanum Pontificem delata: in ſuo Brevi *Cum ſicut accepimus* datum Romæ die 14. Maij 1648. ſic ait Innocent X propoſita quæſtione ex Patribus Societatis. Primò *an Epiſcopi in partibus Indiarum poſſint ex integro totum unum Monaſterium, vel Collegium, ab audiendis Confeſſionibus ſuſpendere. Reſpondit Epiſcopos Indiarum poſſe quidem omnibus ſimul unius Monaſterij, vel Collegij Confeſſariis adimere facultatem audiendi Confeſſiones perſonarum ſæcularium etiam inconſulta Sacra Congregatione Epiſcoporum, & Regularium negotiis præpoſita, cum Decretum ab ea editum Nevembris 1616. ex intentione, & convenientia Morali non extendatur ad regiones illas tam longè ab urbe diſſitas; verum ab hac generali ſuſpenſione, quæ vix ſine ſcandalo, & animarum pernicie contingere poteſt, abſtinendum eſſe Epiſcopis, niſi graviſſima ſubſiſtente cauſa, ſuper quo Sacra Congregatio illorum conſcientias graviter voluit eſſe oneratas.* Ex qua Conſtitutione pro partibus Indiarum maximè confirmatur noſtra ſententia: nam ſupra citatum Decretum Congregationis, ut omnes Religioſi non poſſint ſuſpendi unius Monaſterij inconſulta Sacra Congregatione, & partes Indiarum maximè diſtent ab urbe; ideo ex interpretativa ratione in illis non procedit citatum Decretum. Congregationis anno 1615. quæ ratio ceſſat in Hiſpania, & Europa.

Quod etiam declaravit Dominus Clem. X. ſuo

ſuo diſplomate, *ſuprema magni Patris* dato Romæ die 2. Aug. 1670. ubi etiam ait, *Confeſſiones audiendi facultatem omnibus ſimul unius Conventus Regularibus Cõfeſſoribus adimi ab Epiſcopo, inconſulta Sede Apoſtolica, nullatenus poſſe.*

QUÆSTIO VI.

An approbatio abſolutè data ab Epiſcopo, poſſit licitè abſque iuſta cauſa ab eo revocari?

SUMMARIUM.

32 *Proponitur affirmativa ſententia.*
33 *Certiſſima ſententia Regularis abſolutè approbatus abſque iuſta cauſa non poteſt removeri à Confeſſionibus audiendis.*
34 *Probatur ex Pio V. & declarationibus Cardinalium.*
35 *Probatur etiam rationibus, quia approbatio eſt quædam ſententia declarativa.*

32. IDem eſt approbari per examen, ac idoneum reputari. Non agimus in præſentiarum de approbatione, quæ data fuit Regulari cum limitatione temporis ob defectum ſcientiæ, ut dari potuit, & ſupra diximus, ſed tantum difficultas eſt, quando approbatio fuit data abſolutè. Prima ſententia tenet Epiſcopum abſque iuſta cauſa ex ſolo nutu ſuæ voluntatis poſſe approbationem Regularium revocare. Tenet Luyſius *de pœnit. q.* 8. *art.* 1. *diſp.* 26. *dub.* 6. Sancius *in Selectis*, *diſp.* 48. *n.* 23. Gaſpar Hurtado *de pœnt. diſp.* 10. *diff.* 19. pro ea citat Vaſquez & Ochog.

Luyſius. Sancius.

33. Tamẽ certiſſimè dicendũ eſt quod Religioſus ſemel approbatus ab Epiſcopo non poteſt ab ipſo validè, abſque iuſta cauſa denuo adveniente, & ad Confectionem pertinente, iterum ad examen vocari, nec facultas audiendi Confectiones ei adimi. Hæc ſententia eſt hodie valdè communis, & receptaſeam tenent, ac tuentur Navarrus, Rodrig. Sorbo, Molfeſ. Miranda, Ioannes à Cruce, quos citant, ac ſequuntur M. Lezana *tom.* 2. *ſummæ, c.* 1. *n.* 16. Peirinus *de privileg. Minimor. tom.* 1. *conſtit.* 26. *Leon X.* § 6. *n.* 7. eandem tenent Suar. *de pœnit. diſp.* 28. *ſect.* 8. *dub.* 7. Portel. *in dub. verb. Confeſſor. Regular. eiúſque præſentatio*, *n.* 1. Ioan. Præpoſitus. 3 *p. de Sacram. pœnit. q.* 8. *dub.* 3. *n.* 17. Villalob. *tom.* 2. *ſummæ*, *tract.* 9. *diffic.* 53. Palaus *p.* 4. *tract.* 23. *punct.* 18. § 4. *n.* 6. Barboſa *de Officio, & poteſt. Epiſcopi alleg.* 86. *n.* 17. Tambur. *de iure Abbat. tom.* 1. *diſp.* 15. *q.* 17. Diana 3 *p. tract.* 2. *Reſol.* 22. Vidal. *tit. de iuriſd. Inquiſ.* 7. *h.* 32. Dicaſtil. *diſp.* 10. *à n.* 310. Baſ. *verb. Confeſſor.* 3. *n.* 18. Delbene *c.* 14. *dub.* 18 *ſect.* 11. *n.* 35. Tancredo *tract.* 1. *diſp.* 3. *q.* 53. Fr. Anton. ab Spir. Sanct. *Director. Confeſſ. tract.* 5. *diſp.* 13 *ſect.* 12. *Epiſc.* Barbaſtrenſ. *in Paſtorali Regul.* 2 *p. q.* 2. *n.* 42. *tract.* 5. *de pœnit. diſp.* 11. *q.* 88. Pellizar. *tom.* 2. *tract.* 8 *c.* 3. *ſect.* 2. Thom Hurtado *tom.* 2. *tract.* 12. § *dub.* 3. *n.* 2146. & ſubdit ſententiam contrariam eſſe hodie practicè improbabilem, nulla iuſta cauſa interveniente, revocare Regularibus licentias ad audiendas Confeſſiones à ſe conceſſas, quod etiam declaravit D. Clemens X. in ſuo diplomate dato Romæ die. 2. Auguſti 1670.

Navarr. Rodrig. Sorbo. Molfeſ. Miranda. A Cruce. Lezana. Peyrin. Suar. Portel. Præpoſit. Villalobos. Palaus. Barboſa. Tambur. Diana. Vidalius. Dicaſtill. Baſſeus. Delbene. Tancredo. Pellizar.

Probatur ex Clementina *Dudum de ſepulturis*, quod ſemel approbatus, ſemper ſit approbatus, ſaltem in eadem Diœceſi; & hoc expreſsè habetur ex Bulla Pij V. *& ſi Mendicanti* anno 1567. inter Bullas hujus Pontificis *num.* 41. & alia Bulla eiuſdem Pontificis, univerſali, quam approbavit Vrban. VIII. in Brevi à ſe edito anno 1629. die 30. Ianuarij. Probatur etiam ex declaratione Sacræ Congreg. 20. Novembri 1615. quam referunt Auctores *ſupra citati q.* 5. *n.* 26. & inter cætera; quæ ibi retuli, inſuper habet. Domini Cardinales: *Statuunt, ac decernunt Archiepiſcopis, Epiſcopis, aliiſque Ordinariis locorũ, ad quos Confeſſarius approbãdi ius ſpectat, Confeſſarios Regulares aliàs ad ipſis liberè approbatos, ab audiendis Confeſſionibus ſuſpendere poſt hac minimè licere; niſi ex nova cauſa, eaquè ad Confeſſiones ipſas pertinente; aut ob non ſervatum interdictum ab ipſis Ordinariis poſitum.* Pro hoc etiam multas alias S. Congregationis declarationes, ac Rotæ deciſiones referunt citatus Barboſa, ac Lezana *in mari magno Servitarum, n.* 55.

Pius V. Vrban. VIII. Barboſa. 34. Lezana.

Prabatur etiam ratione. Quia approbatio eſt quædam ſententia declarativa de ſufficientia perſonæ, & ſtante eadem ſufficientia, videtur quod non poſſit mutari. Secundo eſt aliena talis mutatio à poteſtate Epiſcopi, quæ non eſt ad deſtructionem, ſed ad ædificationem. Tertiò, talis mutatio eſt iniurioſa; & tollit ius tertij ritè acquiſitum; revocando ſententiam iuſtè, & benè latam. Suar *tom.* 4. *ad.* 3. *p. diſp.* 28. *ſect.* 8. *dub.* 7. Peirinus *de Privileg. Minimor. tom.* 1. *Conſt.* 26. *Leonis X.* § 6. *n.* 7. Diana 3. *part. tract.* 2. *Reſol.* 22. Lugo.

Suar. Peirin. Diana.

Dixi, nulla cauſa iuſta ſubſiſtente ad Confeſſiones pertinente: nam ſi hæc interveniat, v. g. quod Confeſſarius non dans operam deterior factus eſt in ſcientia, vel aliquem errorem commiſit in adminiſtratione ipſius Sacramenti, tunc bene poteſt Epiſcopus approbationem abſolutè datam revocare. Et ratio eſt manifeſta, quia Epiſcopus ex vi ſui Officij tenetur conſulere ſuo gregi, at ſi ineptum miniſtrum, & Confeſſorem, ab eo nõ removeret, ſineret perire ſuum gregem, quod non eſt dicendum, ita Suar. *ſupra citatus*, Lugo *diſp.* 31. *n.* 65. Dicaſtillus *diſp.* 10. *num.* 306. Præpoſitus, Bauny, Peirinus, quos citat, & ſequitur Diana 6. *p. tract.* 7. *Reſol.* 62.

35.

Suar. Lugo. Dicaſtill. Præpoſit. Diana.

Sæpè quæſitum fuit à me, an idem iudicium ferendum ſit de Confeſſario approbato ab Epiſcopo per examen, ac ab ipſo Epiſcopo approbato, ut idoneo, ac ſufficienti, quia ita aliàs cognoſcitur, vel ſupponitur. Reſpondeo affirmativè quia Concilium Trident. *ſeſſ.* 23. *cap.* 15. ait, quod nullus reputetur idoneus ad adminiſtrandum Sacramentum Cõfeſſionis: *Niſi aut Parochiale beneficium, aut ab Epiſcopis per examen, ſi illis videbitur eſſe neceſſarium, aut aliàs idoneus iudicetur.* Requirit Conciliũ examen, aut quod idoneus iudicetur, ac proinde unum æquivalet alteri, ut Sacerdos admittatur ad Confeſſiones audiendas, & idem eſt quod habeat examen, ac quod iudicetur idoneus. Riccius *in praxi aurea. Reſol.* 21. Reginaldus *lib.* 1. *n.* 197. Coninch. *tom.* 2. *diſp.* 8. *n.* 49. Fagundez *de præcept.* 7. *c.* 2. *n. lib.* 70.

36.

Trident. Riccius. Reginald. Coninch. Fagundez.

QUÆSTIO VII.

Vtrum approbatio data Regularibus ad beneplacitum, poſſit ſine cauſa revocari ab Epiſcopo?

SUMMARIUM.

37 *Affirmant aliqui.*
38 *Oppoſita ſententia eſt vera, & tenenda.*
39 *Epiſcopus non dat Regularibus iuriſdictionem, ſed tantum ſententiam de ſufficientia.*
Explicatur declaratio Sacræ Congregationis. Ibid.

37. PArtem affirmantem tenent Card. Lugo *de pœnitentia, diſput. 11. num. 63.* Trullench. *in Cruciatam, lib. 1. §. 7. cap. 1. dub. 7. num. 5.* Pellizarius *tom. 2. tract. 8. cap. 3. ſect. ... num. 47.* Horum præcipuum fundamentum eſt quædam declaratio S. Congregationis.

38. Oppoſita ſententia, & ſimpliciter vera eſt tenenda, cámque tuentur omnes Doctores, quos *ſuprà, quæſt. 3.* citavi, aſſerentes Epiſcopum non poſſe validè, & licitè dare approbationem Regularibus cum limitatione ſine cauſa, & in terminis pro noſtra concluſione pugnant, & ſtant cum Henriquez, Miranda, Peirinus, Coninch, Portel, quos citat: & ſequitur Delbene *tom. 2. cap. 14. dub. 18. ſect. 11. num. 38.* Baſſeus *verb. Confeſſar. 3. num. 18.* Fagundez *præcept. 2. lib. 7. cap. 2. num. 31. & 65.* Paſqualigus *deciſ. 500. quæſt. 85. num. 7.* Thomas Hurtado *tom. 2. tract. 12. num. 2149.* Leandrus *tract. 5. de Pœnitentia, diſp. 11. quæſt. 90.* M. Fr. Anton. ab Spiritu Sancto *in Director. Confeſſ. tract. 3. diſp. 13. ſect. 11. n. 886.*

Henriq. Miranda. Peirin. Coninch. Portel. Delbene. Baſſeus. Fagundez. Paſqualig. Hurtado.

39. Fundamentum huius concluſionis deſumitur, ex his, quæ dixi *ſuprà, quæſt. 1. num. 2.* licentiam, & iuriſdictionem ad audiendas Confeſſiones Regularibus non dat Epiſcopus, ſed Summus Pontifex, ut patet ex Clement. ſæpè citata *Dudum*; Epiſcopus autem tanquam Legatus Sedis Apoſtolicæ confert, & dat approbationem, & iudicium, ſeu ſententiam quoad ſufficientiam, & idoneitatem; ergo data hæc ſententia de ſufficientia perſonæ, non poteſt ad libitum revocari, deinde legatus cum functus eſt ſuo Officio expirat eius iuriſdictio. Ex quo bene ſequitur, quod approbatio data ad beneplacitum ſtante ſufficientia perſonæ, non poteſt pro libito revocari. Vnde ait Thomas Hurtado citatus, explanans mentem Sacræ Congregationis ait, quando dixit, quod Ordinarij poſſunt revocare licentias Regularibus conceſſas ad beneplacitum, intelligendum eſt, quando ſubeſt rationalis cauſa pertinens ad Confeſſionem, ut explicavit Vrbanus; necnon declarationes Cardinalium ſuo tempore editæ. Ita Thomas Hurtado.

Hurtadus.

Vrban. VIII

QVÆSTIO VIII.

Vnde conſtare poteſt quod Epiſcopus, quod abſit, ex odio, & malevolentia erga Regulares, eorum licentias revocet, vel cum limitatione temporis, loci, aut perſonarum concedat.

SVMMARIVM.

40 *Revocatio, & limitatio ſine iuſta cauſa eſt nulla.*
41 *Vnde colligatur malevolentia, vel odium Epiſcopi.*
6 *Acta ex tali malevolentia ſunt nulla. Ibid.*

40. SÆpe diximus, quod Epiſcopus non poteſt ſinè iuſta cauſa revocare facultates datas Religioſis ad audiendas Confeſſiones, vel concedere cum limitatione temporis, loci, ac perſonarum ſine iuſta cauſa, quæ eſt inſcientia, ſeu inſufficientia Confeſſarij, vel aliquod crimen commiſſum in ordine ad Confeſſionem, alias talis revocatio, & limitatio eſt nulla.

41. Et maximè talis limitatio, ſeu revocatio eſt nulla, ſi fiat ex odio, ſeu malevolentia Epiſcopi, quod ex multis capitibus conſtare poteſt, ſi contra Religioſos convitia jaciat, ſi de Religioſis detrahat, ſi de eis malè, vel cum contemptu loquatur, ſi ſine limitatione approbet Clericos ſæculares, vel alios Religioſos, ſi cum prædictis limitationibus omnes Religioſos approbet; valdè incredibile eſt ex omnibus Regularibus nullum reperiri idoneum, ut talis facultas detur ei abſolutè, & ſine limitatione, & idem etiam aſſerendum eſt, ſi indifferenter cum talibus limitationibus, vel ad beneplacitum approbat omnes Religioſos doctos, & indoctos, Magiſtros, ac ſimplices: nam in his magnum eſt diſcrimen, & recta ratio diverſum iudicium exigit, ut tenent Sotus, Veiga, Rodriguez, Ledeſma, Angel. Graffius, quos citant, ac ſequuntur Fagundez *præcept. 2. lib. 7. cap. 2. num. 16.* Peirinus *de ſubdito, q. 25. §. 2. verſ. Reſpondeo.* Pellizar. *tom. 2. tract. 8. cap. 3. ſect. 2. n. 27.* Qui omnes docent, quod nec approbatio cenſetur revocata, nec approbatio limitata, ac proinde quod Regularis ita ſe debet habere, ac ſi eius approbatio nec fuiſſet revocata, nec limitata. Peirinus, Pellizar.

Sotus. Veiga. Rodrig. Ledeſma. Angelus. Graffius. Fagundez. Peirin. Pellizar.

QUÆSTIO IV.

Vtrum novus Epiſcopus ſine rationabili cauſa poſſit approbationes datas Religioſis revocare, eoſque iterum ad examen vocare?

SVMMARIVM.

42 *Quæſtio eſt de approbatione data abſolutè.*
43 *Sententia affirmativa.*

44 *Senten*

44 *Sententia negativa vera, & tenenda.*
Concilium Tridentinum in nullo contrariatur Clementinæ. Ibid.
Privilegia Regularium ampliſſimè interpretanda. Ibid.
45 *Legati cum adimplent ſuum Officium, ſpirat eorum juriſdictio.*
46 *Conſtitutio Pij V.*
47 *Privilegia juris non revocantur per clauſulas generales, alia ſecunda, & tertia ſolutio, num.* 48. 49.
50 *Satisfit declarationi Cardinalium, & Decreto Clementis X.*

42. NOn loquimur in præſenti, quando approbatio eſt data ſecundum quid, & ad tempus, ſed de approbatione data abſolutè, v. g. donec ſua Illuſtriſſima D. præcipiat contrarium, vel alia ſimili forma data; nec loquitur quando novus Epiſcopus revocat omnes licentias omnium Religioſorum unius vel multorum conventuum, quia tunc talis revocatio eſt nulla, ut jam ſupra dixi *quæſt.* 5. & talis revocatio in nullo eſt obſervanda, ac tenenda.

43. Affirmativam ſententiam tenent Suarez *tom.* 4. *de Pœnitentia, diſput.* 28. *ſect.* 8. Cardinalis Lugo *de pœnitentia, diſput.* 21. *ſectione* 3. *num.* 63. fortiter Sancius *in Selectis, diſp.* 48. *per totam.* Riccius, Zanardus, Miranda, Campanilus, quos citant, ac ſequuntur Fagundez *præcept.* 2. *lib.* 7. *cap.* 2. *num.* 30. Diana 3. *part. tract.* 2. *Reſolut.* 27. & 4. *part. tract* 4. *Reſol.* 200. pro hac parte refert declarationes Cardinalium. Tancredo *tract.* 1. *diſp.* 2. *q.* 49. Epiſcopus Barbaſtenſis *in Paſtorali Regular. part.* 2. *q.* 20. *num.* 19. & 37. Lezana *tom.* 1. *cap.* 19. *num.* 7. Gaſpar Hurtado *tom.* 2. *tract.* 12. *cap.* 1. §. 2. *dub.* 3. *num.* 2138.

Suarez. Lugo. Sancius. Riccius. Zanard. Miranda. Campanil. Fagundez. Diana. Tancred.

44. Valdè probabile quod novus Epiſcopus abſque juſta cauſa ad Confeſſiones pertinente non poteſt revocare approbationem datam Religioſis à ſuo anteceſſore, nec eos denuo ad examen vocare. Pro hac concluſione ſtant multi graves Auctores: nam Barcinone impreſſum eſt quoddam conſilium anno 1618. & habetur in fine explicationis Bullæ Cruciatæ Emmanuelis Rodriguez, de quo facit mentionem Diana *ſupra citatus*, quòd ſubſcriptum fuit à 29 Doctoribus valdè eminentibus in Academia Salmanticenſi tam in Theologia, quam in utroque jure Canonico, & Cæſareo: & etiam de hac re lingua Hiſpanica contra Archiepiſcopum Toletanum doctiſſimum Tractatum edidit Sapientiſſimus Alphonſus Carranza, qui maximè approbatus, & laudatus eſt à multis, ac doctiſſimis Viris totius Hiſpaniæ; & hanc noſtram ſententiam conſtanter tenent, ac tuentur Rodriguez *tom.* 1. *Reg. quæſt.* 59. *art.* 4. Corduba *in Additionibus ad Compendium Titel. Præſentatio Confeſſ.* Soto *in* 4. *diſtinct.* 18. *diſt.* 14. *quæſt.* 4. *art.* 3. Ledeſma *in ſumma*, 1. *part. cap.* 13. §. 572. Hieronymus Rodriguez *Reſol.* 32 *num.* 4. Joan. de Cruce *lib.* 2. *cap.* 6. *dub.* 4. *col.* 4. Villalob. *tom.* 1. *tract.* 9. *diff.* 53. *num.* 6. M. Lezana *in conſultis, conſulto* 4. *n.* 56. 57. & deinceps. Joannes Lignano, quem refert, & ſequitur Dicaſtillus *diſp.* 10. *num.* 318. Leandrus *de pœnitentia, diſp.* 11. *q.* 91. Vivaldus 1. *p. de Abſolution. fol.*

Carranza. Rodrig. Corduba. Ledeſma. Hieron. Cruz. Villalobos. Lezan. Leandrus. Vivaldus.

mihi 122. ubi pro hac parte citat Navarrum *cap.* 27. *num.* 26. Henriquez *lib.* 6. *cap.* 7. M. Fr. Antonius ab Spiritu Sancto *in Directorio Confeſſor. tract.* 5. *diſp.* 13. *ſect.* 12. *n.* 891.

Navarr. Henriq. Fr Anton.

Probatur ex his, quæ dixi *ſupra*, *quæſt.* 2. Religioſi Mendicantes habent privilegium à jure ex Clementina *Dudum de ſepultur.* & etiam ex Extravaganti *Frequentes de Iudiciis*, & ex aliis privilegiis, ut ſemel approbatus ſemper maneat approbatus, & cum ſit privilegium inſertum in corpore juris, ac Concilij Generalis Viennenſis non derogatur per Generalem diſpoſitionem, ut ſtatim dicam; deinde Clementina *Dudum* citatur ad marginem Concilij tanquam ſi ipſum Concilium ad eam referatur. Deinde Concilium Tridentinum *ſeſſ.* 23. *cap.* 15. in nullo contradicit Clementinæ de ſemel approbato. Ergo Clementina eſt in toto ſuo vigore. Conſequentia eſt bona; antecedens probatur. Quia Tridentinum diſponit, ut Regularis non audiat Confeſſiones, niſi obtenta approbatione Epiſcopi, atqui etiam dicta Clementina hoc diſponit; Concilium autem non determinat, quod approbatio ſit multiplex, ergo non contradicit Clementinæ, quæ requirit unam approbationem. 45.

Trident.

Confirmatur Primò. Quia hæc diſpoſitio eſt diſpoſitio quæ tollit jus Tertij; reſcriptum autem quod tollit jus Tertij ſtrictè eſt interpretandum, *l.* 2. §. *Merito ff. ne quid in loco publico*: tenent Doctores, quos citat Azor. *tom.* 1. *Inſtitut. lib.* 5. *cap.* 23. Confirmatur ſecundò; quia privilegia Religionum in his, quæ non ſunt contra Canones ampliſſimè interpretanda ſunt, cum ſint beneficia Summi Principis, *l. Beneficium, ff. de Conſtitutionibus Principum, C. olim, de verborum ſignific. Cod. dilecti, ad finem, de donationibus, cap. Quia circa de privil.* Ita Orlandus *conſil.* 300. *n.* 4. Alexander *vol.* 2. *conſil.* 160. *num.* 4. Decius *in cap. Cum acceſſiſſent*, & de hac re extat Conſtitut. Alexandri VI. conceſſa Relig. S. Benedicti anno 1501. refertur *in Compendio Societ. vtrb. Privilegium.* Ubi Pontifex diſponit, quod privilegia Religionis, ampliſſimè interpretentur, ergo conceſſio facta in Clementina ampliſſimè explicanda. 46.

Azor. Orland. Alexand. Decius. Compend.

Probatur ſecundò, ex his, quæ dixi *q.* 1. *n.* 2. Religioſis juriſdictionem audiendi ſolus dat Papa, utpote ejus verus Prælatus; Epiſcopus autem eam non confert, ſicut confert ſuis Clericis, ſed per reſpectum ad Religioſos ſe habet tanquam delegatus, ut dixi proximè citato loco; atqui ſi Epiſcopi in hoc negotio non ſe habent tanquam Prælati, ſed tanquam legati, certum eſt, quod legatus, ubi primum functus eſt ſuo Officio, ſtatim tota ejus juriſdictio ſpirat, *cap. Venerabilis, cap. In his literis de Officio; & poteſtate delegati*; ergo ſi Epiſcopi ſunt tantum delegati in hoc negotio, ubi primum adimplent ſuum munus, ſtatim eorum poteſtas expirat; ergo ad aliquid innovandum requiritur nova poteſtas, quæ eis à Concilio non datur. Et confirmatur, quia privilegia Regularium, ſunt privilegia remuneratoria, ut jam dixi *ſupra*, *quæſt* 2. *num.* 12. Atqui privilegium remuneratorium non derogatur per clauſulas communes, & generales, ſed ſpeciales, ac individuales. 47.

Reſpondetur indulto Pij Quinti.

48. Pius V. Venit communis difficultas contradicta ex indulto Pij V. quòd incipit : *Romani Pontificis* ; anno 1571. & refertur 2. *tom. Bullarum*, & eſt Bulla 133. ubi ait Pontifex. *Volumus tamen eos , qui ſemel ab Epiſcopis ſuis prævio examine approbati fuerint , ab eodem Epiſcopo non poterunt iterum examinari ; ab Epiſcopo autem ſucceſſore pro maiori conſcientiæ ſuæ quiete examinari denuo poterunt.* Ergo ſucceſſor videtur , quòd poterit iterum eos examinare.

49. Primò reſpondetur,quòd hoc indultum nihil facit contra mendicantes , quia eſt indultum in forma communi cum clauſulis generalibus,privilegium autem mendicantium eſt de iure communi , utpotè pro Dominicanis, & Franciſcanis , in Clementina *Dudum.* Pro Carmelitanis , & Auguſtinianis in Extravag. *Frequentes de indiciis.* Atqui ius commune non derogatur per clauſulam generalem , ut eſt certum in iure, *l. Hæres abſens,ff.de iudiciis, l.Præcipimus, C. de Appellationibus , C. cùm expediat de electione, in 6.* tenet Fillinus *cap.1.de reſcriptis,num. 12.* Navar. *lib.3.conſil. 87. tit. de Regular.* Sanchez *lib.3.de Matrim. diſput. 26. n.7.* ubi multos Doctores citat.Rodrig. *tom. 1. quæſt.59.art.2.* Miranda *tom, 1. quæſt. 45. art..* Ergo cum tàlia privilegia ſint de iure,non derogatur per clauſulam generalem.

Fillinus. Navar. Sanchez. Rodrig. Miranda.

Greg.III. Secundo reſpondetur,quòd Greg. XIII.in ſua bulla,quæ incipit:*In tanta rerũ*,data ann.1573 refertur in Bullario Rodrig. Inter bullas huius Pontificis eſt Bulla 38.ubi Gregorius XIII annullavit , & irritavit omnia , quæ Pius V. conceſſerat contraria iuri antiquo , Concilio Tridentino , aut literis antea legitimè datis, & ea omnia reduxit ad terminos antiqui iuris Concilij Tridenti,aut litterarum antea legitimè datarum;ſed ſic eſt,quod dictum Decretum Pij V. contrariatur diſpoſitioni iuris in Clementina *Dudum* . quod ſemel approbatus, &c. quòd eſt pro Dominicanis , ac Franciſcanis,& in Extravag. *Frequentes de iudiciis* , pro Carmelitis, & Auguſtianis. Ergo Greg. XIII. reducendo omnia Pij V.ad terminos iuris, reduxit etiam hanc conſtitutionem,& ſic remanet diſpoſitio antiqua : *Quòd ſemel approbatus ſemper ſit approbatus.*

Bullarium.

50. Et confirmatur etiam,quia Greg.XIII.annullavit, & irritavit dictum Decretũ Pij.V. prout contrariabatur litteris antea legitimè datis,atqui multæ extant litteræ legitimè datæ ante Pium V. in quibus eis conceduntur privilegia mendicantium, ergo Gregorius reducendo ad terminos antiquos ipſarum literarum, habent & permanent in ſuo antiquo vigore , & gaudet de privilegio *ſemel approbatus.*

Tertio reſpondetur. Quia talis conceſſio Pij V. cum illa limitatione , *Pro maiori ſuæ conſcientiæ quiete*,eſt conceſſio qualificativa,& ubi ratio legis defecit , deficit ejus diſpoſitio. Gloſſ.*verb. Avocandum in l. Mancip.ff.de ſervit. fugit.* Menoch. *de præſumpt.lib.6. præſumpt. 15. num.74.*Fulvius Pacianus *de probat lib.2. c. 14 num.8*,Matius Antonius *variar. reſolut. lib. 1. reſol.82.num.* 1.etiamſi ipſa ratio legis in caſu particulari deficiat *l.4,§. Toties ff. de damna , in fer.l.1. §. loquitur.ff. de aqua quotid.cap.indemnitatib.§.pen.de elect.in 6.* Caldas Pereira *conſ.30. num.39.verb. Quamobrem illa qualitas.* Barboſa *in Axiomat.iuris , axiomate 196. num.7.*Deinde ut eſt ſatis vulgare,omnis lex rationabiliter,ac prudenter eſt interpretanda. Tunc ſic. Quoad aliquos Religioſos doctos , literatos , ut magiſtros , lectores , ac bonos prædicatores bonæ & probatæ vitæ , conſcientia novi Epiſcopi debet eſſe prudentialiter quieta, & ſecura rationabiliter , cum ergo in eis deficiat ratio legis , quæ eſt pro quieta conſcientia , deficit etiam ipſa diſpoſitio legis.

Gloſſa. Menoch. Pacianus. Matius. Caldas. Barboſa.

Opponitur etiam 2. Quædam Cardinalium declaratio , quæ ita habet , *Congregatio Concilij cenſuit Regulares ad audiendas , in civitate, & diœceſi ſæcularium confeſſiones ſemel ab Epiſcopo prævio examine approbatos , iterum ab eodem Epiſcopo non eſſe examinandos , cæterum à ſucceſſore poſſe utique examinari iuxta conſtitutionem ſanctæ memoriæ Pii V. datum 8. Idus Auguſti. Pontificatus illius anni 6.* quæ non eſt revocata per reductionem privilegiorum ad terminos Concil- Trident. per S. D. Gregorium XIII. quæ declaratio ut authentica refertur à Cardinali Garrafa. Quaranta , *verb. confeſſor.*Confetio *in ſummario tit. 17. c. 5.*Barboſa inter declarationes ad Trident, *ſeſſ. 23. cap.15.*

51. Declaratio. Garrafa. Quaranta. Confetio. Barboſa.

Reſpondetur : Primò. Quòd declarationes Cardinalium non poſſunt derogare id , quod eſt de iure , præcipuè cum in ipſis declarationibus nulla ſit clauſula ſpecifica. Secundò , quod declarationes Cardinalium , quæ fiunt inconſulto Pontifice , quamvis habeant magnam auctoritatem , tamen non poſſunt facere ius ,nec excedunt auctoritatem Doctorum particularium , ut tenent Rodriguez *tom.1. regul. quæſt. 11. art. 2.* Ledeſma *tom. 1. ſummæ tract. de Pœnitent. cap. 13. dub. 7. ſol. 2. ad 3. Argum.* & ex deciſionibus Rotæ idem habet Vaſq.1.2.*quæſt.97.art.3. diſp.187.num.74.*Fundamentum eſt, quia Sixtus V.in ſua bulla , & refertur *in 2.tom.*Bullarij,& inter bullas hujus Pontificis eſt 74. ait : *Cardinalibus deputatis executioni , & interpretationi Concilij Tridentini , ſi quando in his , quæ de morum reformatione , diſciplina , ac moderatione Eccleſiaſticis iudiciis difficultas emerſerit , interpretandi facultatem , nobis tamen conſultis impartimur.* Cùm ergo illa declaratio non ſit facta conſulto ſummo Pontifice , ad derogandum ipſum ius , præcipuè cum de hac re extet conſtitutio Gregorij XIII. reducentis omnia facta à Pio V. in quo prædicta declaratio fundatur ad terminos iuris antiqui,contra quam declatatio Illuſtriſſimorum Cardinalium non poteſt habere vim.

52. Rodrig. Ledeſma. Vaſquez. Rota.

53. Nec etiam cum his obſtat Decretum Clementis X. datum die 2. Auguſti 1670. in quo declaratur , quòd Religioſi poterunt iterum examinari à ſucceſſore , non obſtante quocumque privilegio , etiam incluſo in jure, quia tale Decretum , ut audio , non eſt promulgatum in Hiſpania , nec in Luſitania , quòd eſt neceſſarium , cùm ſit Decretum privilegij derrogatorium ut in præſenti reſolutum fuit à viris doctiſſimis , inſuper quia de illo nobis non conſtat authentice, tamen ſtante ſucceſſoris derogatione , ſecurius eſt iterum examinari.

QUÆSTIO X.

An approbatus ſemel in una diœceſi habeatur ubique approbatus?

SMUMARIUM.

53 *Quæſtio non procedit de ſacerdote ſæculari,*
54 *Prima ſententia, & communis negat.*
55 *Secunda affirmat.*
56 *Invalido nititur fundamento.*
57 *Ponitur Caſtro Palaus cum ſua ſententia.*
58 *Refertur Decretum Innocentij X. pro Epiſcopo Indiarum.*
59 *Vera, & certa ſententia eſt negativa.*

53. NVlla difficultas eſt in hoc de ſacerdote ſæculari, cum ſuam iuriſdictionem accipiat ab Epiſcopo, ſed tota difficultas eſt de ſacerdote Regulari, qui non ab Epiſcopo, ſed à Papa accipit ſuam iuriſdictionem, ut iam dixi *quæſt.* 1.

54. Navarr. Sylveſt. Rodrig. Hurtado. Barbaſten. Tancredo. Suar. Vaſquez. Prima ſententia, & communis tenet, quòd approbatus in uno Epiſcopatu, non ſit approbatus pro omnibus. Ita Navarr. Sylveſter, Rodriguez, Miranda, Fagundez, Vivaldus, Homobonus, Coninch, Veiga, Villalobos, Sella, quos citat, ac ſequitur Thomas Hurtado *part.* 2. *tract.* 12. *cap* 1. *num.* 2007. Epiſcopus Barbaſten. *in paſtorali regularium part.* 2. *quæſt.* 9. *per totam.* Tancredo *tract.* 1. *diſp.* 2. *quæſt.* 5 2. Suar. *de pœnit. diſp.* 18. *ſect.* 6. *&* 7. *n.* 3. *&* 8. Vaſq. *quæſt.* 93. *art.* 3. *dub.* 4. Lugo *diſp.* 21. *num.* 29. Barboſa *de poteſt. Epiſcop. part.* 2. *allegat.* 25. *num* 59.

55. Henriquez. Coninch. Propoſit. Bauny. Montius. Amicus. Leander. Diana. Oppoſitam ſententiam, quòd approbatus in uno Epiſcopatu ſit vbique approbatus, docent Corduba *quæſt.* 10. *ad* 2. Henriquez *de pœnitentia, lib.* 3. *cap.* 6. *num.* 7. Coninch. *diſp.* 8. *dub.* 7. *num.* 53. Præpoſit. *in* 3. *part. quæſt.* 8. *de Sacram. pœnitent. dub.* 4. *num.* 21. Stephan. Bauny *in Theolog. Moral. part*, 1. *tract.* 4. *quæſt.* Montius, Metina, quos referunt, & ſequuntur Frat. Martinus à S. Ioſeph *fol. mihi* 547. Amicus *de pœnit. diſp.* 15 *ſect.* 3. *num.* 123. Baſſæus *verb. Confeſſor.* 3. *num.* 19. Antolines. Leander à Murtia probabilem dicit, ut refert Diana *p.* 10. *tract.* 17. *Reſolut.* 23.

56. Vrban. VIII. Fundamentũ huius ſententiæ petitur ex conceſſione Clementis VII. ſed hoc revocatum eſt ab Vrbano VII. cùm aliis in ſua Conſtitut. *Cùm ſicut accepimus.* In qua revocat omnia privilegia audiendi confeſſiones abſque examine, & appobatione Epiſcopi Diœceſani, eamque refert Peirinus *tom.* 3. *Privileg. p.* 358. Peirin. Nec etiam eidem opinioni ſuffragatur alterum conceſſum à Sixto V. relatum à Quaranta *verb. Confeſſor.* Presbyteris Congregationis Oratorij, qui Romæ approbati ad confeſſiones audiendas, non debent examinari extra Vrbem à locorum ordinariis, quibus ſufficit præſentate eorum licentias Romæ datas: & quamvis memoratum privilegiũ utile ſit prædictis Patribus Oratorij, & ut notat Bordonius *tom.* 1. *reſol.* 6. *num.* 2. Cùm ipſi non ſint verè Religioſi, cùm non emittant tria vota, quamvis habeant communem menſam, inde prædictum privilegium non communicatur alteris non Religioſis, quia communicatio privilegiorum, ſolùm datur inter Religioſos. Quaranta. Bordon.

Caſtro Palaus *4. part. tract.* 23. *de ſacram. diſp. unica punct.* 19. §. 4. ait probabile eſſe, approbatum ab uno Epiſcopo, mutatione domicilij approbationem non perdere, quia approbatio eſt quoddam iudicium authenticum de idoneitate perſonæ, quòd ſemel factum perſeverat, dum retractum non eſt, neque à ſubiectione actuali Epiſcopi, à quo receptum eſt, pendere videtur, ſicut non pendet gradus Doctoratus; ac Magiſterij in univerſitatibus recepti, à ſubiectione eorum à quibus recepti ſunt, neque contrariam declaravit Sacra Cardinalium congregatio, dum dixit: *in diœceſi Valentina non cenſeri approbatum, qui ab alio, quam ab Epiſcopo Valentino eſt approbatus,* quia intelligi debet de approbatione iuriſdictionem concedente, hæc enim in diœceſi Valentina ab alio concedi non debet, niſi ab Epiſcopo Valentino, & hæc ab Epiſcopo datur clericis ſæcularibus; nam Regularibus ſolus dat Papa, *ut dixi. q.* 1. *n.* 2. 57. Palaus.

Contra danc ſententiam inſurgit Diana *part.* 10. *tract.* 14. *Reſol.* 23. propter quandam bullam Innocentij X. in cauſa Epiſcopi Angelopolitani, anno 1648. In qua bulla ad nonum ſic reſpondet Pontifex. *Ad nonum dubium. Regulares in una diœceſi approbatos nequaquam poſſe in alia diœceſi confeſſiones audire ſine approbatione Epiſcopi Diœceſani* Tamen hoc breve, ut notat Lezana *in conſiliis conſil.* 113. tantùm procedit pro Epiſcopo Angelopolitano in Indiis Occidentalibus, ad ſedandas lites, & ſcandala inter prædictum Epiſcopum, & Patres Societatis, & ideò ad alias terras non eſt extendendum. 58. Lezana.

Tamen ſimpliciter dicendum eſt cum prima ſententia, valde incredibile videtur, quòd approbatus ab uno Epiſcopo, ſit approbatus pro toto orbe, & quòd unus Epiſcopus valeat approbare pro toto orbe, hoc eſt contra communem praxim totius Eccleſiæ, & cõtra Conſtitutionem Vrbani VII I. anno Domini 1618. in qua revocat omnia privilegia, & licentias audiendi confeſſiones ſine approbatione Epiſcopi Diœceſani, & idem, ut Vrbanus præcipit, Sanct. D. Clemens X. in ſua Conſtitut. anno 1670. die 2. Auguſti. 59.

QUÆSTIO XI.

Vtrùm poſſit Epiſcopus punire Regularem, qui ab ipſo approbatus cum limitatione temporis, vel perſonarum virtute Bullæ, vel Iubilæi, audit extra limites?

SVMMARIVM

60 *Status quæſtionis.*
61 *Barbaſtrenſis affirmat.*
62 *Negativa ſententia eſt vera, & certa.*
63 *Intuitu Iubilæi, vel Bullæ Confeſſor agit in iuriſdictione non accepta ab Epiſcopo, ſed à Papa.*

60 QVæſtio præſens eſt, verbi gratia approbavit Epiſcopus Regularem pro certo tempore, verbi gratia pro uno anno, vel pro viris, & non pro fœminis, ſi virtute bullæ, vel iubilæi eligatur, an velit Epiſcopus ipſum punire, & idem eſt ſi approbatus in Archiepiſcopatu Eborenſi eligatur in alio Epiſcopatu, virtute ipſius bullæ, vel iubilæi.

61. Barbaſtren. Barbaſtrenſis in ſuo Paſtorali Regularium *quæſt.10.num.7* aſſerit Epiſcopum punire poſſe etiam Eccleſiaſticis cenſuris regularem, qui in ſuo Epiſcopatu audit confeſſiones ſæcularium ſine eius approbatione, quamvis alias in alio Epiſcopatu ſit approbatus. Hæc ſententia eſt omnino falſa, & nullum pro ſe habet fundamentum, maximè in eo quòd dicit poſſe Epiſcopum procedere contra regularem Eccleſiaſticis cenſuris, cùm nullo modo poſſit niſi in caſibus expreſſis in iure, ut eſt certum, & dicam infra cum de excommunicatione fuerit ſermo.

62. Dicendum eſt, quòd talis Religioſus nullo modo, nulloque pacto poteſt puniri ab Epiſcopo, non ſolùm cenſuris, ut iam dixi, ſed etiam nulla alia pœna, nec Regulatis tenetur in talibus Epiſcopo obedire. Ita Ioannes Sanchez *in ſelectis, diſp.44. num.27.& 28.* Baſſæus *verb. Confeſſar. 3.num. 19.* Diana *3. p. tract.2. Reſol.93.* Pellizar. *tract.8. cap.3. n.29.* M. Frat. Antonius à Spiritu ſancto *director. Confeſſor. tract.5. diſp.13. ſect.43. num. 898.* Et ratio eſt, quia iſte talis confeſſor ſimpliciter eſt approbatus, quòd Iubilæum, vel bulla requirit, & inde corruit totum fundamentum Barbaſtrenſis. Deinde, quia Regularis in tali caſu operatur ſecundum opinionem probabilem, ut patebit ex quæſt. ſequenti, qui autem operatur ſecundum opinionem probabilem, operatur bona, & tuta conſcientia abſque culpa, ut patet ex his, quæ docent Theologi in materia de conſcientia; ergo nulla pœna dignus eſt, quia pœna ſupponit culpam, & ubi nulla culpa, nulla eſt pœna, Confirmatur, quia facta prohibitio Regulari de non audiendis fœminarum confeſſionibus, verbi gratia, debet explicari, ut locum habeat quantum ad iuriſdictionem commiſſam ab Epiſcopo, ſive Prælato Regulari, non autem quantum ad eam, quæ ipſi delegatur à Papa, & datur confeſſariis virtute bullæ, vel Iubilæi.

Ioannes. Sanchez Baſſeus. Diana. Pellizar. Fr. Anton.

QUÆSTIO XII.

An ſimpliciter approbatus in uno Epiſcopatu poſſit per bullam, vel Iubilæum eligi in quocumque alio loco, ſicut & ille, qui limitatè in uno loco eſt approbatus?

SUMMARIUM.

63 *Nomine ordinarij non veniunt Prælati Regulares.*
64 *Sententia negativa.*
65 *Vera, & communis ſententia affirmativa.*
66 *Explicat rem Boſſius.*
67 *Ratio pro noſtra ſententia.*
68 *Ad declarationes Cardinalium reſpondetur*

63. SVppono ut certum Regularem approbatum à ſuo Prælato tantùm non poſſe eligi per Bullam Cruciatam, quia ſub nomine ordinarij non intelliguntur Regulares Prælati, ut Abbates, Generales, ſeu Prouinciales; ſicut etiam non intelligitur approbatus ab Epiſcopo titulari, quia hic non dicitur ordinarius, ut ex Nugno notat Diana *part. 1. tractat.11. Reſolut.7.* Nugnus. Diana.

Quòd approbatus ab ordinario in una diœceſi non valeat per bullam, vel Iubilæum eligi in alia, tenent Vaſquez, Villalobos, Layman, Zerola, Beja, Campanil. à Coſta Gutierrez, & alij quos referunt Diana *part.1.tractat.11. Reſol.7.* Candidus *diſquiſit.24. art.64.*

65. Valerius. Portel. Henriq. Ledeſma. Oppoſita ſententia mihi videtur vera, pro ea ſtant Ioan. Valerius, Portel, Henriquez, Ledeſma, Fai, Llamas, Fernandes, Nugnus, Coninch, Ioannes de la Cruz, Filliucius, Reginaldus apud Dianam, & Candidum. Delbene *tom.2. cap.14. dub.18. ſect. 13. num.1.* Thomas Hurtado *tom.2. tract.12. cap.1. dub. 1. num.2041. & 2056.* Leandrus *de Sacram. pœnitent.diſp.11. quæſt.70.* Baſſæus *verb.Confeſſor.3. num.14.* Boſſius *de pœnitent. §.7. num. 215.* & ſic ait.

66. Concedente bulla, vel Iubilæo, privilegio Pontificis facultatem eligendi confeſſarium approbatum ab ordinario, ſacerdos ſive ſæcularis, ſive Regularis ſemel abſolute approbatus à ſuo ordinario Epiſcopo, ſive ille Epiſcopus ſi originis, ſive beneficij, ſive domicilij, ſive ſit Epiſcopus pœnitentis, ſive confeſſarij, ſive loci vbi audiuntur confeſſiones, & conſequenter à quocumque Epiſcopo, ſeu ordinario ſimpliciter approbatus, virtute bullæ, & Iubilæi, vel privilegij, poteſt ubicumque terrarum licitè, & valide eligi ſaltem quoad forum conſcientiæ; ita Boſſius, & ſimpliciter Baſſæus.

67. Ratio pro noſtra ſententia eſt, quia bulla non requirit aliud, niſi quòd confeſſarius ſit approbatus ab ordinario, ſed qui in aliquo loco eſt apptobatus ab ordinario, verè, & ſimpliciter eſt approbatus ab ordinario, ergo eſt eligibilis per bullam, nam ſi aliàs requiritur quòd ſit approbatus ab ordinario loci nullum privilegium conceditur in bulla.

68. Ad quandam declarationem Cardinalium, quam auctores pro ſe afferunt, reſpondetur non oſtendi authenticam. Imò Ioannes Valerius cum Suario pro noſtra ſententia alias Cardinalium declarationes afferunt. Valerius.

QUÆSTIO XIII.

Vtrùm approbatus cùm limitatione ex defectu ætatis pro viris, & non fœminis vel pro uno oppido tantùm, ſit ab aliis eligibilis per bullam?

SUMMARIUM.

69 *Negativa ſententia eſt multorum.*
70 *Affirmativa vera, & communis,*

Genuina

71 *Genuina concluſionis ratio.*
72 *Si quis eſt approbatus pro viris, & non fœminis, quia eſt levis, & inhoneſtus, tunc non eſt eligibilis.*

69. Rodrig. Suar. Villalobos. Ioan. à Cruce. Diana. Henriq. Ledeſma.

NEgant Rodriguez, Suar. Villalobos, Homobonus, Ioannes à Cruce, quos citat Diana. 1. *part. tract.* 11. *Relol.* 9. Oppoſitam tamen ſententiam tenent Henriquez, Ledeſma, Fay, Nugnus, quos refert, & ſequitur citatus Diana, Barboſa, Gutierrez, quos refert & ſequitur Trullench. *lib.* 1. *ſuper Bullam Cruciatam*, §. 7. *cap.* 1. *dub.* 3. *num.* 9. Delbene *tom.* 2. *cap.* 14. *dub.* 8. *ſect.* 13. *num.* 2. M. Fr. Anton. ab Spiritu ſancto *in directorio Confeſſor. tract.* 5. *diſp.* 13. *ſect.* 17.

70. Fagundez.

Et ratio eſt, quia de iſto tali verum eſt dicere, quòd ſit approbatus ab ordinario, & bulla non diſtinguit inter has, & illas perſonas, & ubi lex non diſtinguit, nec nos diſtinguere debemus; maximè quia illa limitatio quoad viros, non eſt poſita ex defectu ſcientiæ, ſed ex defectu ætatis, quæ conditio benè ſuppletur in viro gravi, & timorato per bullam; deinde, ut benè notat Fagundez *de præcept. Eccleſ. tract.* 2. *lib.* 7. *cap.* 2. *num.* 45. ſaltem quoad ſacerdotes ſæculares. Illa reſtrictio quoad viros, locum habet quantum ad iuriſdictionem commiſſam, & datam ab Epiſcopo, non verò quantum ad iuriſdictionem delagatam à Summo Pontifice per bullam, ac eius privilegium, & ideò etiam noſtram ſententiam tenent præter Aoctores citatos, Sanchez *de matrim. lib.* 8. Sanchez. *diſp.* 36. *num.* 16. Bonacin. *diſp.* 5. *quæſt.* 7. *punct.* 4. §. 1. *n.* 22. Quintanaducñas *de Iubilæo dupl. hebdomad. cap.* 19. *num.* 9. Quintand.

71. Ledeſma. Barboſa. Gutierrez. Sanchez. Bonacina. Trullench.

Nota tamen, quòd ſi quis eſt approbatus ad viros, & non ad fœminas, quia ipſe levis eſt, & parem modeſtus, imò & ſuſpicione inhoneſti laborat, tunc non poteſt eligi per bullam, ut tenent Ledeſma, Barboſa, Gutierrez, Sanchez, Bonac. quos citat, & ſequitur Trullench. citatus *num.* 6. Et ratio eſt, quia mens Pontificis interpretanda eſt prudentialiter, ac rationabiliter, & ideo quando conceditper bullam, vel Iubilæum eligi confeſſorem approbatum ab ordinario, intelligit confeſſorem convenientem, pudicum, & modeſtum.

72. Pellizar. Leandr. Ledeſma. Nugnus. Diana. Henriq. Ludovic. Trullench.

Nota ſecundò contra Pellizar. *tom.* 2. *tract.* 8. *cap.* 3. *num.* 30. & Leandrum *de Sacram. tract.* 5. *diſp.* 11. *q.*.... cum Ledeſma, Nugno, quibus adhæret Diana *part.* 1. *tract.* 11. *Reſol.* 9. Henriquez Ludovic. à Cruce, quos refert, & probabile reputat Trullench. *in Cruciatam, lib.* 1. §. 7. *c.* 1. *dub.* 3. *num* 62. Quòd ſi quis ex defectu ſcientiæ approbatus eſt pro parvo oppido ruſticorum, vel pro pueris non poteſt eligi per bullam, niſi à viris conſimilibus, non verò ab his, qui magnis negotiis ſunt implicati. Et ratio eſt, quia confeſſor eligendus per bullam debet eſſe approbatus iuxta formam Concilij Tridentini, ut per examen ſit approbatus, & idoneus; ſed ſic eſt, quòd ille per examen non eſt inventus idoneus, niſi pro ruſticis, & parvulis; ergo per alios non eſt eligibilis; At verò ſi talis limitatio non ſit ex defectu ſcientiæ, tunc eſt eligibilis, ut patet ex dictis.

QUÆSTIO XIV.

An Confeſſarius, qui olim fuit approbatus ab ordinario, ſed modò ſine cauſa, ſuſpenſus, poſſit audire Confeſſiones, ſicut ille qui limitato tempore illo tranſacto per Bullam Cruciatam?

SUMMARIUM.

73 *Regulari ſufficit, quòd ſemel fuerit approbatus, quamvis modò non ſit.*
74 *De Clerico ſæculari negat Ioan. Valerius.*
75 *Sententia affirmativa vera.*
76 *Approbatus pro limitato tempore eſt eligibilis.*
77 *Iuxta aliquos Parrochus dimiſſo officio eſt eligibilis.*

COnveniunt Auctores, quòd quoad Regulares ſufficit, quòd ſemel ſint approbati, quamvis modò non ſint; quòd benè colligitur ex bulla plumbea, dum dicitur: *Liceat eligere confeſſorem ſæcularem, aut Regularem ab ordinario approbatum, & de Regularibus ſemel tantum approbatum*; Ergo de Regulari ſufficit, quòd ſemel ſit approbatus, quamvis actu non ſit ut eligatur per bullam. 73.

Tota difficultas eſt de confeſſore ſæculari, qui olim fuit approbatus, & modò ſine legitima cauſa, ex pravo affectu ordinarij, vel officialis, eſt ſuſpenſus, & privatus. Negat Ioannes à Cruce *in director. conſcientiæ, part.* 2. *de pœnit. quæſt.* 5. *dub.* 8. *concluſ.* 4. Et fundamentum deſumitur ex proximè dictis, quia bulla ait, quòd liceat eligere confeſſorem approbatum ab ordinario ſæcularem, vel Regularem, & quoad Regulares ſufficit quòd ſemel ſit approbatus; ergo illa taxativa quoad Regulares, videtur excluſiva ſæcularium. 7 Ioan. à Cruce.

Oppoſita ſententia videtur probabilior, eam tenent Sebaſtianus à Coſta *in exp. Bullæ, q.* 40. Delbene *tom.* 2. *quæſt.* 14. *dub.* 8. *ſect.* 3. *num.* 2. Scobar *lib.* 7. *Theol. Moralis, ſect.* 2. *problemate* 26. Diana *part.* 1. *tract.* 11. *quæſt.* 12. & magis rem determinat. 3. *part. tract.* 2. *de dub. Regul. Reſolut* 22. Bardus *in bulla. tract.* 5. *cap.* 1. *ſect.* 5. *num.* 100. Leandrus *tract.* 5. *de pœnit. diſput.* 11. *quæſt.* 72. Et ratio eſt, quia iſte ſacerdos iam ſemel fuit approbatus ad confeſſiones audiendas, atque idoneus reputatus ab ordinario, ergo benè poteſt eligi per bullam, quamvis actu non ſit approbatus, non ex defectu ſuo, ſed ex pravo affectu ordinarii; vel officialis, ob quem non debet privari ſuo iure verè, & legitimè acquiſito. 75. A Coſta. Delbene. Scobar. Diana. Bardus. Leandrus.

Ex his inferes contra Ledeſmam *in ſumma, cap.* 13. *de pœnit. dub.* 10. & Trullench. *in cruciatam lib.* 1. §. 7. *dub.* 3. *num.* 4. Quòd ille nempe, qui fuit approbatus pro limitato tempore, nempe per unum annum, quòd illo tranſacto eſt eligibilis per bullam, ſi illa limitatio fuit poſita abſq; aliqua cauſa, ſed ſolùm ex mera voluntate ordinarij, vel officialis, tunc enim benè poteſt eligi per bullam, quia non requiritur, quòd 76. Ledeſma. Trullench.

quòd actu ſit approbatus, ſed ſufficit, quòd olim habuerit approbationem, nam ita poteſt dici approbatus ab ordinario. Ita docent Acoſta. Acoſta *in explicat. bullæ, quæſt.* 39. Fay *in additionib. ad* 3. *part. quæſt.* 8. *art.* 5. *diſp.* 3. *concluſ.* 4. *ad* 3. *argum.* Delbene *tom.* 2. *cap.* 14. *dub.* 18. *ſect.* 13. *num.* 2. Diana 1. *part. tract.* 11. *Reſolut.* 11. M. Fr. Anton. ab Spiritu ſancto *in director. Confeſſor. tract.* 5. *diſp.* 13. *ſect.* 2.

Fay. Delbene. Diana. Fr. Anton.

77. Confirmatur; quia ut docent aliqui graves Doctores, Rodrig. *in additionibus ad bullam*, §. 9. *num.* 4. Villalobos *in ſumm. tom.* 1. *tract.* 27. *clauſul.* 9. §... *num.* 4. & Ludovicus à Cruce, quem refert, & ſequitur Trullench. *in Cruciat. lib.* 1. §. 7. *cap.* 1. *dub.* 4. *num.* 41. Quòd Parrochus dimiſſo beneficio. adhuc eſt eligibilis per bullam quia iam tali munere functus eſt; ergo idem dicendum.

QUÆSTIO XV.

An Regularis approbatus ab Epiſcopo, ſine approbatione ſui Prælati, imò cum illius prohibitione validè audiat confeſſiones.

SUMMARIUM.

78 *Hæc quæſtio idem valet, ac an Religioſus, poſſit audire confeſſiones ſine licentia ſui Prælati.*

79 *Si datur ſtatutum, vel ſententia tales confeſſiones prohibens invalidè audit.*

80 *Prima ſententia, & negatiua.*

81 *Secunda affirmat pro validitate.*

82 *Talis confeſſor non poteſt abſolvere virtute privilegiorum ſui ordinis.*

83 *An peccent mortaliter, aliqui affirmant, alij negant.*

84 *Prælatus Religioſum ab ipſo expoſitum, & ab Epiſcopo approbatum ob culpas poteſt ſuſpendere.*

78. Ledeſma. HÆc quæſtio, ut notat Ledeſma *in ſumma tom.* 1. *tract. de pœnit. cap.* 13. *dub.* 12. coincidit cum illa, an Religioſus qui habet facultatem ab Epiſcopo audiendi confeſſiones ſine licentia ſui Prælati validè eas excipiat.

79. Et in limine quæſtionis ſupponendum, quòd ſi Religioſus eſt prohibitus per Decretum irritans ſuæ Religionis, vel per ſententiam iuridicam, vel per legem latam à capitulo generali, vel prouinciali, quòd etiam cùm approbatione Epiſcopi non audiat confeſſiones, licet detur approbatio Epiſcopi, prædictæ tamen confeſſiones ſunt nullæ, & talis lex etiam conceſſa facultate Epiſcopi reddit Religioſum incapacem ad excipiendas confeſſiones, niſi alias approbationem habeat à Papa; nam contra ſententiam iuridicam prolatam à proprio iudice, vel contra legem legitimi ſuperioris nihil poteſt, qui non eſt iudex, vel ſuperior eius proprius. Ita cum Tabiena, & aliis, docent Thomas Hurtado, *tom.* 2. *tract.* 12. *c.* 1. *num.* 2153. & 2156. M. Fr. Anton. ab Spiritu Sancto, *Directorio confeſſor. tract.* 5. *diſp.* 13. *ſect* 22. *num.* 915. Vnde Religioſi D. Dominici non poſſunt audire ſæcularium cõfeſſiones, ob peculiaria ſtatuta ſine præſentatione ſuorum Prælatorum, ut ex Rodriguez, Ioanne à Cruce docet Villalobos, *tom. tract.* 9. *diff.* 50. *num.* 3.

Tabiena. Hurtado. Fr. Anton. Rodrig. Cruz. Villalob.

80. Ad quæſtionem, quòd talis Religioſus cùm approbatione Epiſcopi ſine licentia ſui ſuperioris licite non valeat audire confeſſiones, Negant aliqui, ut Adrianus Angelus, quam referunt, & ſequuntur Rodriguez, *tom.* 1. *quæſt.* 60. *art.* 3. Boſſius *de Iubilæo ſect.* 3. *caſu* 2. §. 5. *num.* 195. qui etiam refert Navarrum *in Manuali cap.* 4. *num.* 6. Sylveſtr. Conradum, Henriquez, Lopezium, Fagundez, & alios, quorum præcipuum fundamentum eſt, quia Epiſcopi conferunt talem poteſtatem dependenter à ſuis Prælatis præſentantibus, ergo ſine eorum præſentatione, nulla erit Epiſcopi expoſitio.

Adrian. Angelus. Rodrig. Boſſius. Navar. Henriq. Conrad. Lopez.

81. Affirmativam tamen ſententiam docent Pitigan. Nugnus, Salas, Angelus, Homobonus, Villalobos, Miranda, quos citat, & ſequitur Diana 1. *part. tract.* 11. *Reſol.* 13. In eadem ſententia etiam eſt Leandr. *de ſacram. tract.* 5. *diſp.* 11. *quæſt.* 75. Fundamentum eſt, quia talis ſacerdos habet poteſtatem ordinis, & eſt approbatus ab Epiſcopo ſimpliciter, & aliunde non habet impedimentum, nec ex ſua regula, nec ex ſuis conſtitutionibus, ut ſuppono, ergo nihil obſtat, cùm aliàs opus ſit ſanctum, & maximè ſalutiferum animabus. Dixi ſimpliciter approbatus, quia ſi Epiſcopus approbet ſecundùm ordinis ſtatuta, ut notat Diana citatus, & in ſtatutis prohibetur, ut nemo audiat confeſſiones ſine præſentatione Prælati, tunc invalidè audit confeſſiones, ſed Epiſcopi non ſolent in ſuis dimiſſoriis talem limitationem ponere, & ideo abſolutè ſunt intelligendi; de quo Fagund. *de præcept. tract.* 2. *lib.* 7. *cap.* 3. *n.* 32.

Pitigan. Nugnus. Salas. Angelus. Homobon. Villalobos. Miranda. Diana. Leandr. Fagundez.

82. Tamen maximè notandum cum Adriano *quæſt.* 1. *de confeſſ. dub.* 1 *verſ. ſed circa hoc fol. mihi* 266. Trullench. *in expoſit. bullæ lib.* 1. *cap.* 6. *num.* 8. Layman *lip.* 5. *tract.* 6. *cap.* 10. *num.* 19. Graff. 1. *part. lib.* 1 *cap.* 3. *n.* 88. Miranda *tom.* 1. *quæſt.* 45. *art.* 12. Lezana *in ſumma cap.* 19. *n.* 12. Zerola *in praxi pœniten. cap.* 16. *quæſt.* 6. dictum confeſſarium in prædicto caſu non poſſe abſolvere pœnitentem virtute privilegiorum ſui ordinis, cum non habeat licentiam audiendi confeſſiones à ſuis Prælatis.

Adrian. Trullench. Layman. Graffius. Miranda. Lezana.

83. Tota difficultas eſt, an talis ſacerdos peccet mortaliter. Affirmat Peregrinus ad ſuas *conſtitut. part.* 1. *cap.* 5. §. 5. Negativè tamen melius reſpondent Molfeſius, Megala, quos citat, & ſequitur Diana allegatus, hoc determinandum eſſe ſecundùm conſtitutiones Religionum, quæ ſemper requirunt licentiam proprij Prælati ad audiendas confeſſiones, ſi ergo ipſæ confeſſiones obligant ad mortale, talis confeſſarius mortaliter peccabit, ſi ſolùm ad veniale, ut in Societate Ieſu, & in noſtra Carmelitana, venialiter tantùm delinquet: ſi verò in ordine Minorum reluctantibus Prælatis confeſſiones exaudiat, præter peccatum, incurrit in excommunicationem, & alias pœnas, ut ex compendio notat Villalobos, *citatus num.* 3.

Peregrin. Molfeſius. Megala. Diana. Villalobos.

84. Vltimò advertendum eſt ex Sylveſtro, & Lopez, ut notat Villalobos, *citatus num.* 6. quòd

Sylveſt. Lopez.

quòd Religioſus expoſitus à Prælato, & ab Epiſcopo approbatus, tamen ob culpas, & ob juſtam cauſam benè poteſt ſuſpendi à Prælato à confeſſionibus audiendis, quia ius requirit Confeſſarium idoneum, & modeſtum, ac ſufficientem, ſed iſte judicio Prælati talis non eſt; ergo invalidè audit confeſſiones, & idcò exiſtimo, quòd ob ipſos defectus, ut veros, & legitimos, ut ſuppono, quòd talis confeſſor non eſt eligibilis per bullam; ſecus verò ſi defectus non ſunt veri, nec legitimi ut obſervant Ledeſma *in ſumm. tom. 1. tract. de pœnitent. cap. 13. dub. 12.* Acoſta *in expoſit. Bullæ. qnæſt. 1. per totam*, & alij.

Ledeſma. Acoſta.

85. Ad argumentum adverſariorum reſpondetur, quòd ſemper intelligitur Epiſcopũ dare poteſtatem Religioſo juxta ſui ordinis ſtatuta ac juxta ſuorum ſuperiorum mandata, tamen ſi his non reluctantibus Epiſcopus ſimpliciter dat poteſtatem, tunc validè abſolvit, quia ut ait Navarrus *in manual. cap. 4. num. 6.* Religioſus benè poteſt ſine licentia ſui Prælati facere pacem inter duos homines; ergo etiam inter Deum, & hominem.

QUÆSTIO XVI.

In quibus caſibus Epiſcopus Religioſos ſimpliciter, & abſolutè approbatos poſſit repellere, ac removere à confeſſionibus audiendis.

SUMMARIUM.

86 *Vbi iam de hac quæſtione eſt tractatum.*
87 *Auctores referentes Decretum ſacræ Congregationis.*
88 *Decretum ſacræ Congregationis.*
89 *Quid ibi determinat quoad confeſſionem.*
90 *Conſtitutio Clementis X.*
91 *Numerantur quinque cauſæ, ob quas Epiſcopi poſſunt ſuſpendere Regulares iam ſimpliciter approbatos.*
92 *Probitas, ac integritas morum in confeſſione maximè neceſſaria.*
93 *Refertur de verbo ad verbum in totum Conſtitutio Clementis X.*

86. IAm dixi ſuprà *quæſt. 6.* quòd Epiſcopus Religioſos ſemel ab ipſo abſolutè, & ſimpliciter approbatos non poteſt ſuſpendere, nec removere à confeſſionibus audiendis, niſi ex cauſa graviſſima, ac urgentiſſima, quæ quamvis jam olim fuiſſet explicata, à ſacra Congregatione, hanc cauſam magis in individuis nobis enucleavit ſanctiſſimus D. Noſter Clemens X. modò præſidens in Eccleſia Dei, ut ſtatim dicam.

Clem X.

87. Decretum ſacræ Congregationis inter alia referunt Alphonſus Leo *in fine, part. de indulgent.* Peirinus *tom. 1. privileg. conſtit. 2. Sixti IV. num. 45.* Barboſa *de poteſt. Epiſcop. allegat. 25. num. 30.* Gavantus *in manuali Epiſcop. verb. Confeſſor. num. 23.* Scroffa *quæſt. 36. art. 3.* Ludovicus Caſpenſis *tom. 2. Curſ. Theolog. tract. 24 de pœnit. diſp 3. ſect. 9.* Franciſcus Ceſpides *de exemptione Regular. dub. 110.* M. Lezana *tom. 1. ſumma Regular. cap. 19. num. 9. & in conſultis conſult. 40. num. 5.*

88. Ita habet Decretum Sacræ Congregationis *Cùm ſacra Congregatio negotiis Epiſcoporum, & Regularium Præpoſita, innotuerit confeſſarios Regulares graviter conqueri, quòd ab Archiepiſcopis, Epiſcopis, & locorum ordinariis ab audiendis confeſſionibus, quavis de cauſa, indiſcriminatim ſuſpenduntur, propterea ſæpe contingere ut ab iſdem Archiepiſcopis, & Epiſcopis, & locorum ordinariis omnibus ſimul, unius conventus confeſſariis confeſſiones audiendi facultates adimantur. Illuſtriſſimi eiuſdem Congregationis Patres, rati vix fieri poſſe, ut hoc ſine ſcandalo, magnaque animarum pernicie contingat: re maturè perpenſa ad omnem ſcãdali materiam ſubmovendam, & quo magis ſpirituali piarum mentium conſolationi conſulatur. Statuunt, ac decernunt Archiepiſcopis, Epiſcopis, aliiſque ordinariis locorum, ad quos confeſſarios approbandi ius ſpectat, confeſſarios regulares alias ab ipſis liberè approbatos*, ab audiendis confeſſionibus ſuſpendere poſt hæc minimè licere, niſi ex nova cauſa, atque ad confeſſiones ipſas pertinente, aut ob non ſervatum interdictum ab ipſis ordinariis poſitum, *ſtatuunt inſuper eoſdem Archiepiſcopos, Epiſcopos locorum ordinarios*, confeſſiones audiendi facultatem omnibus ſimul unius conventus Regularibus confeſſoribus, eadem ſacra Congregatione inconſulta, nullo modo adimere poſſe *quod quidem Decretum, ut iidem Illuſtriſſimi Patres opportunum, & neceſſarium, ita inviolabiliter iubent obſervari. Romæ 20. Novembris 1615. A. Mar. Epiſcopus Hoſtien. Cardin. Gallus V. Thatin. ſecret.* Idem habetur ex alia declaratione, *Sacræ Congregationis Epiſcoporum, & Regularium 21. Februarij 1642.* Quòd Decretum ad maiorem rei cognitionem integrum apposui.

89. Vbi ſacra Congregatio determinat, & ordinat, quòd confeſſarij approbati ab ordinario non poſſunt ſuſpendi niſi ex nova cauſa, eáque ad confeſſiones pertinente, vel ob non ſervatum interdictum poſitum ab ipſis ordinariis, quòd iam dixi, ac explicavi *citata q. 6* Tamen has cauſas magis explicat, & explanat.

90. Sanctiſſimus Dominus noſter Clemens X. in diplomate, & ſic ait: *Regulares verò admiſſos ad confeſſiones audiendas, prævio examine ſimpliciter, abſque ulla temporis præfinitione ab ipſomet Epiſcopo, ſecus autem ab ipſomet vicario, aut anteceſſoribus Epiſcopis approbatos, non poſſe ab eodem, qui ſic approbavit, iterum examinari, aut ab eiſdem confeſſionibus audiendis, ſuſpendi, ſeu licentias illis conceſſas revocari*, niſi nova ſuperveniente cauſa, quæ ipſas confeſſiones concernat, *de qua tamen haud neceſſarium eſſe, ut in actis conſtet, nec eam teneri Epiſcopum ipſis Regularibus ſignificare; ſed ſedi Apoſtolicæ dumtaxat, ubi eam ſibi aperiri poſtulaverit* Porrò, ſi Regulares cùm ſcandalo, aut aliàs inhoneſtè vivant, vel aliquod delictũ committant, *per quod rationabiliter Epiſcopi iudicio, videantur à confeſſionibus ſuſpendendi, in quo ipſius Epiſcopi conſcientiam oneratam eſſe volumus, cum præcipua Miniſtri pœnitentiæ qualitas, ſit vitæ integritas, ac morum honeſtas*, &c. paucis interpoſitis, *poſſit Epiſcopus Regu-*

lares

lares à ſemetipſo approbatos ſuſpendere, ac repellere à confeſſionibus audiendis.

91. Iuxta ergo Decreta Apoſtolica quinque habemus cauſas, ob quas Epiſcopus Regulares à ſemetipſo ſimpliciter approbatos, poteſt à confeſſionibus audiendis removere; in quo maximè ſummus Pontifex oneratam vult conſcientiam ipſorum Epiſcoporum. *Primò*, ob cauſas, ſeu defectus pertinentes ad confeſſionem. *Secundò*, ob non ſervatum interdictum impoſitum ab ipſo ordinario, ut patet ex ſupra citata declaratione ſacræ Congregationis *Tertiò*, ſi confeſſor vita ſua; ſuiſque actionibus ſcandalum præbeat. *Quartò*, ſi vitam luxurioſam ducat. *Quintò*, ſi aliquod grave delictum perpetraverit, quia *Præcipua miniſtri pœnitentiæ qualitas eſt vitæ integritas, & morum honeſtas.*

92. Confeſſor debet corripere pœnitentem de ſuis delictis, ac peccatis, ſi ipſe eiſdem eſt detentus, quomodo de eiſdem poteſt pœnitentem arguere, ac admonere, cum ipſe eadem
Rom. 2. faciat, quòd graviter arguit Apoſtolus Rom. 2 num. 21. *Qui alium doces, & te ipſum non doces, qui prædicas non furandum, furaris.*
D. Barnard. D. Bernard. lib. 2. de conſideratione ad Eugenium Papam, ait, *Monſtruoſa res eſt gradus ſummus, animus infimus, ſedes prima, vita ima, lingua magniloqua, manus otioſa, ſermo multus, fructus nullus.* Poſtquam Deum obiecit Iſraëli peccata ſua per Ezechielem Prophetam 22. num. 4. ait: *Propterea dedit te opprobrium gentibus, & irriſionem univerſis terris.* Ultima verba legit Arabicus: *Et luſum univerſis terris.* Severianus in catena Græca apud Vaticanum; *Gloriabantur ſe eſſe filios Abrahæ, ac veri Dei cultores, & idolis immolabant.* Qui id quòd verbis dicit operibus contradicit, unum habet in ore, & aliud oſtendit opere, in irriſionem, ac luſum univerſis terris venit.

Sanctiſſ. D. N. Clementis divina Providentia Papæ X, Conſtitutio in qua Regularium privilegia quoad prædicationem Verbi Dei, & Sacramenti Pœnitentiæ adminiſtrationem declarantur.

Clemens Epiſcopus ſervus ſervorum Dei ad perpetuam rei memoriam.

93. *SVperna magni Patrisfamilias præordinatione creditum Nobis Vniverſalis Eccleſiæ myſticum agrum circumſpecta providentia cuſtodire, atque excolere (quantum ex alto conceditur) ſatagentes, animum in eas curas libenter intendimus, quibus valeant diſſidia inter villicos, & operarios componi, iurgia tolli, ſcandalis, atque offenſionibus aditus præcludi, ut quibus una fides, una Mater Eccleſia, & unus Dominus, qui charitas eſt, & pacis cogitans cogitationes, fiat etiam cor unum, atque anima una; ſic etenim evulſis opportunè zizeniis, dum plantamus, & rigamus incrementum dabit Deus, quo benedicente meſſis multa fructu centeſimo cœleſte in horreum congregabitur.*

Sanè cum ſacri Concilij Tridentini decretis providè ſtatutum fuerit ut Regulares cuiuſcumque Ordinis, niſi à ſuis ſuperioribus de vita, moribus, & ſcientia examinati, & approbati fuerint, ac de eorum licentia, etiam in Eccleſiis ſuorum Ordinum prædicare non poſſint, cum quæ licentia perſonaliter ſe coram Epiſcopis præſentare, & ab eis benedictionem petere teneantur, antequam prædicare incipiant; in Eccleſiis verò, quæ ſuorum Ordinum non ſunt, ultra licentiam ſuorum ſuperiorum etiam Epiſcopi licentiam gratis ab eo dandam habere teneantur, ſine qua in ipſis Eccleſiis non ſuorum Ordinum nullo modo prædicare poſſint. Atque ut nullus ſæcularis, ſive Regularis etiam in Eccleſiis ſuorum Ordinum contradicente Epiſcopo prædicare præſumat. Itidémque cum nullus Sacerdos Regularis poſſit confeſſiones ſæcularium etiam Sacerdotum audire, nec ad id idoneus reputari, niſi aut Parrochiale beneficium obtineat, aut ab Epiſcopis per examen ſi illis videbitur eſſe neceſſarium, aut aliàs idoneus iudicetur, & approbationem, quæ gratis detur, obtineat, privilegijs, & conſuetudiue quacunque non obſtantibus. Innotuit Nobis dubitationes nonnullas circa benedictionem, licentiam; contradictionem, examen, & approbationem ejuſmodi in aliquibus Diœceſibus excitatas fuiſſe, ex quibus controverſiæ, & diſſenſiones permultæ in diem ſubſequi poſſent occaſione privilegiorum, quæ per Sedem Apoſtolicam religioſis Ordinibus conceſſa fuerunt.

Nos attendentes, quòd alias diverſis temporibus prædictæ dubitationes, & controverſiæ, nonnullis Prædeceſſorum Noſtrorum Summorum Pontificum conſtitutionibus, earumque declarationibus definitæ fuerint, eiuſmodi definitiones inunum collectas, ut magis, magiſque diſſenſionum tollantur ſemina, & in poſterum firmior in agro Dominico pax Chriſti floreat, pro ſummo, quo fungimur Apoſtolatus officio, novis Apoſtolicis litteris muniendas duximus, & roborandas: Itaque de conſilio nonnullorum Venerabilium Fratrum Noſtrorum S. R. E. Cardinalium, & dilectorum filiorum Romanæ Curiæ Prælatorum pietate, doctrina, & prudentia præſtantium, & matura deliberatione noſtra, atque ex certa ſcientia, hac generali, & perpetuò valiturâ conſtitutione decernimus, ac declaramus.

Regulares, qui in Eccleſiis ſui Ordinis prædicare volverint, teneri ab Epiſcopo Diœceſano benedictionem petere, prædicare tamen poſſe, quamvis illam non obtinuerint. Quòd ſi Epiſcopus benedictionem nedum non conceſſerit, ſed etiam contradixerit, nec in prædictis quidem Eccleſiis licere Regularibus prædicare, eoſque contravenientes ab illo tanquam Sedis Apoſtolicæ delegato cenſuris; aliiſque pœnis Eccleſiaſticis in vim Conſtitutionis fel. rec. Gregorij XV. prædeceſſoris noſtri, incipientis, inſcrutabili Dei providentia coërceri & puniri poſſe. Epiſcopum tamen abſque iuſta, & rationabili cauſa contradicere non debere, & huiuſmodi benedictionem teneri etiam Regulares petere, ſi in quibuſcumque oratoriis ſui Ordinis ſermonem coram populo, vel in Eccleſis, aut ad crates Monaſteriorum ſanctimonialium eorum juriſdictioni ſubiectarum licèt clauſis ianuis, & nullus ſæcularis ibi interſit, habere voluerint. Poſſe autem Epiſcopum

licentiam

licentiam concessurum Regularibus, in Ecclesiis quæ suorum ordinum non sunt, prædicare volentibus, illos, quamvis ab universitatibus, aut à magistratibus laicis nominatos, etiamsi Episcopi Antecessores per tempus immemorabile hanc licentiam absque examine concedere consueverint, quoad doctrinam examinare; sit ita ipsius arbitrio, quòd moderatum, & discretum esse debet, visum fuerit. Et licentiam prædicandi semel iisdem concessam ob rationabiles causas, licet occultas, prædicationem tamen concernentes suspendere. Non posse tamen Episcopum generatim prohibere Regularibus, quin in Ecclesiis suorum ordinum prædicent.

Ad hæc Religiosos ab Episcopo ad confessiones sæcularium in sua Diœcesi audiendas approbatos, non posse in alia Diœcesi eas absque Episcopi Diœcesani approbatione audire, quamvis pœnitentes subditi sint ejus Episcopi à quo ipsi Religiosi jam fuerant approbati. Et generaliter approbatos ab Episcopo ad personarum sæcularium confessiones audiendas nequaquam censeri approbatos ad audiendas confessiones Monialium sibi subjectarum; sed egere quoad hoc speciali Episcopi approbatione, atque approbatos pro audiendis confessionibus Monialium unius Monasterii minimè posse audire confessiones Monialium alterius Monarii. Itidemque confessores extraordinarios semel deputatos, atque approbatos ab Episcopo ad Monialium confessiones pro una vice audiendas, haud posse expleta deputatione in vim approbationis hujusmodi illarum confessiones audire. Sed toties ab Episcopo esse approbandos, quoties casus deputationis contigerit. Cæterum in Monasteriis, ac etiam Collegiis, ubi juxta Regularia instituta vivitur, posse tam Prælatos Regulares, quàm confessores Regularium eorundem Monasteriorum, seu Collegiorum audire confessiones illorum sæcularium, qui inibi sunt vere de familia, & continui commensales, non autem illorum, qui tantum ipsis deserviunt. Illos autem Religiosos, qui ad confessiones audiendas idonei generaliter reperti fuerint, ab Episcopis, generaliter quoque, & indistinctè absque aliqua limitatione temporis, certorumque locorum, aut generis Personarum in Diœcesi propria admittendos. Quoad cæteros verò, qui non adeò idonei reperientur, si petierint se admitti arbitrio ordinariorum relinqui, ipsos cum limitata facultate, prout eisdem ordinariis magis expedire videbitur, probare, & admittere. Semel autem simpliciter approbatos posse in Diœcesi Episcopi approbantis quovis anni tempore etiam Paschali, & quorumcumque etiam infirmorum confessiones audire absque ulla Parochorum, vel ipsius Episcopi licentia. De qua tamen confessione teneri dictos Religiosos eorundem infirmorum Parochum illico certiorem reddere. Et hoc posse illis ab Episcopo sub pœna suspensionis à facultate audiendi confessiones præcipi: sufficere tamen, ut certioratio hujusmodi fiat saltem per scripturam apud ipsum infirmum relinquendã.

Et eos, qui dictis Religiosis simpliciter approbatis Paschali tempore confessi fuerint, constitutioni quæ incipit omnis utriusque sexus quoad confessionem dumtaxat satisfecisse censendos. Regulares verò ad ejusmodi confessiones audiendas prævio examine simpliciter, & absque ulla temporis præfinitione ab ipsomet Episcopo, secus autem si ab eius vicario, aut ab antecessoribus Episcopis approbatos non posse ab eodem, qui sic approbavit, iterum examinari, aut eisdem confessionibus audiendis suspendi, seu licentias illis concessas revocari, nisi nova superveniente causa, quæ ipsas confessiones concernat. De quâ tamen haud necessarium esse, ut in actis constet, nec eam teneri Episcopum ipsis Regularibus significare, sed sedi Apostolicæ dumtaxat, ubi eam sibi aperiri postulaverit. Porrò si Regulares cùm scandalo, aut aliàs inhoneste vivant; vel aliquod delictum committant, per quòd rationabili Episcopi judicio videantur à confessionibus suspendendi, in quo ipsius Episcopi conscientiam oneratam esse volumus, cùm præcipua Ministri Sacramenti pœnitentiæ qualitas sit vitæ integritas, ac morum honestas; utique eam causam ad confessionis ministerium pertinere, ac proinde nihil obstare, quominus ob eam possit Episcopus Regulares à semetipso approbatos suspendere, aut repellere à confessionibus audiendis. Attamen confessiones audiendi facultatem omnibus simul unius conventus Regularibus confessoribus adimi ab Episcopo inconsulta sede Apostolica nullatenus posse. Ex facultatibus per mare magnum: aliave privilegia Regularibus cujuscumque ordinis instituti, aut Societatis etiam Iesu concessis factam eis non esse potestatem absolvendi in casibus ab Episcopo sibi reservatis. Et per confirmationes dictorum Privilegiorum, quas Regulares à sede Apostolica post sacrum Concilium Tridentinum obtinuerunt, nequaquam revixisse privilegia prius ab eodem concilio, aut deinde Apostolicis etiam Decretis sublata, atque extincta si qua habebant, absolvendi à casibus Episcopo reservatis.

Et habentes facultatem absolvendi ab omnibus casibus sedi Apostolicæ reservatis, non ideo à casibus Episcopo reservatis posse absolvere. Posse autem Regularem confessorem in eâ Diœcesi, in qua est approbatus, confluentes ex alia Diœcesi à peccatis in ipsa reservatis, non autem in illa, ubi idem confessor est approbatus absolvere, nisi eosdem pœnitentes noverit in fraudem reservationis ad alienam Diœcesim pro absolutione obtinenda migrasse; vigore supradictorum privilegiorum nequaquam licere Regularibus etiam satisfacta parte absolvere Pœnitentes à censuris quoad externum, & judiciale forum, & absolutos ab eis in foro Pœnitentiali, utique non censeri absolutos in exteriori judicio, & contentioso. Quinimmo censuris Ecclesiasticis irretitos, & denuntiatos ab Episcopis cogi posse gerere se pro talibus etiãsi à Regularibus fuerint absoluti. Quoties exhibitis aliquibus Regularium Apostolicis Privilegiis coram Episcopo, ab eo judicetur ipsa non suffragari casui, de quo agitur; si dictorum privilegiorum verba obscura sint, & ambigua, non esse ad Metropolitanum provocandam, sed cùm ejus sit interpretari, cujus est condere; dictorum privilegiorum interpretationẽ sedis Apostolicæ judicio, prout alias constitutione Prædecessoris nostri fel. rec. Clementis IV. Statutum fuit, esse requirendam.

Decernentes sic & non aliàs per quoscumque, judices ordinarios, vel delegatos quavis auctoritate, & dignitate fungentes etiam causarum

ſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ac S.R.E. Cardinales etiam de latere legatos, vicelegatos, & nuntios, & quoſvis alios ſublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & definiri debere. Irritum quoque, & inane quidquid ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus quibuſvis conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis in favorem quarumcunque perſonarum, atque quorumvis ordinum tam Mendicantium, quàm non Mendicantium, Militarium etiam Sancti Ioannis Hieroſolymitani, Congregationum, Societatum etiam Ieſu, ac cujuſvis alterius inſtituti etiam neceſſariò, & in individuo exprimendi, Monaſteriorum, conventuum, capitulorum, Eccleſiarum, & aliorum quorumcunque tam ſæcularium, quàm Regularium locorum, nec non illorum etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, vel conſuetudinibus etiam immemorabilibus, exemptionibus quoque, indultis, ex privilegiis etiam in corpore juris clauſis; aut ex cauſa, & titulo oneroſo, vel in limine fundationis conceſſis, etiam Mari Magno, ſeu Bulla aurea, aut aliàs nuncupatis; conſervatorum deputationibus, eorumque, atque aliis inhibitionibus, quibus Epiſcopi deferre minimè teneantur, & quibuſvis aliis ſub quibuſcumque tenoribus, & formis, ac cùm quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, & inſolitis clauſulis, necnon irritantibus, & aliis Decretis, etiam motu proprio, & ex certa ſcientia, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, aut aliàs quomodolibet etiam per viam communicationis, ſeu extenſionis conceſſis, & iteratis vicibus approbatis, & innovatis, quibus omnibus etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus, & formis ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret tenores hujuſmodi, ac ſi de verbo ad verbum nihil penitus omiſſo, & forma in illis tradita obſervata, inſerti forent, præſentibus pro plenè, & ſufficienter expreſſis, & inſertis habentes, illis quoad ea, quæ eiſdem præſentibus adverſantur, illis aliàs in ſuo robore permanſuris harum ſerie ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcunque. Cæterum quia difficile foret præſentes litteras ad ſingula quæque loca deferri, ut eæ tamen omnibus innoteſcant mandamus illas ad valvas Eccleſiæ Lateranenſis, & Baſilicæ Principis Apoſtolorum de urbe, atque cancellariæ Apoſtolicæ, & acie campi floræ affigi, & publicari. Volentes, quòd earundem præſentium litterarum tranſumptis etiam impreſſis, manu tamen alicujus notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo Prælati, ſeu perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis in judicio, & extra illud, ubi opus fuerit, eadem prorſus fides adhibeatur, quæ ipſis originalibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrorum Decreti, declarationis, derogationis, mandati, & voluntatis infringere vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ milleſimo ſexcenteſimo ſeptuageſimo. Vndecimo Kalendas Iulii. Pontificatus noſtri Anno primo. G. Dat. Viſa de Curia P. Ciampinus. I. G. Sluſius. D Ciampinus. Anno à Nativitate D. N. Ieſu Chriſti 1670. indictione 8. die verò 2. Menſis Auguſti Pontific. autem SS. in Chriſto Patris, & D.N.D. Clementis Divina Providentia PP. X. anno ejus primo, præſens conſtitutio affixa & publicata fuit ad vulvas Eccleſiæ Lateranen. Baſilicæ principis Apoſt. & Cancell. Apoſt. & in acie campi floræ, locis ſolitis, & conſuetis vrbis per me Hilarium Centellum SS. D. N. Papæ Curſ. Petrus Marcheratus Mag. curſ. Romæ. ex Typographia Reverendæ Cameræ Apoſtolicæ. M. DC. LXX.

QVÆSTIO XVII.

An Capitulum ſede vacante poſſit revocare Regularium licentias?

SVMMARIVM.

94 *Clementis IV. conceſſit, quòd licentia data Religioſis ad audiendas confeſſiones Epiſcopo mortuo, non poſſit revocare capitulum ſede vacante.*

95 *Idque roboratur ex conceſſione Pauli V. Pii V. & etiam ex Decreto Vrbani VIII.*

96 *Hæc reſolutio valde communis inter graviſſimos Doctores, ut videre eſt.*

94. CApitulum ſede vacante licentias datas Religioſis ad audiendas confeſſiones ab Epiſcopo anteceſſore non poteſt revocare, ut in propoſito caſu capituli ſedis vacantis, ut conceſſit Clementis IV. ipſis Religioſis Peruſiæ 17. Kal. Iulii anno 1. ſui Pontificatus. Et ita habet: *Quoniam ipſis Prælatis decedentibus, uti licentia, Eccleſiis ſic vacantibus dubitatis, nobis ſimiliter ſupplicaſtis, ut providere vobis ſuper hoc paterna diligentia curaremus: veſtris igitur ſupplicationibus inclinati, præſentium vobis auctoritate concedimus, ut in hujuſmodi caſu poſitis, uti liberè prædicta licentia, donec viduatis Eccleſiis proviſum fuerit de Paſtore.* Hæc Bulla habetur authentica in Bullario Fr. Emmanuel. Rodrig. impreſſo Lugduni anno 1615. fol. mihi 36. & originale habetur apud D. Franciſcum Salmanticenſem. Rodrig.

95. Quòd confirmatur ex novo Decreto edito à Paulo V. ano. 1650. quòd nempe, *Religioſus approbatus ab Epiſcopo, prævio examine, non poteſt iterum ab eodem Epiſcopo examinari, nec à ſua approbatione expelli, bene tamen à futuro ſucceſſore, niſi conſtet de aliquo crimine commiſſo in confeſſione, vel in violatione interdicti.* Quòd cohæret cum quodam Decreto Pii V. apud Bullar. Rodrig. bulla 10. & incipit: *Romani Pontifici providentia.* Et eſt aliud ſimile Decretum Urbani VIII. Ubi Summi Pontifices confirmant, ac corroborant licentiam datam ad confeſſiones ab Epiſcopo mortuo, ſolùm concedunt auctoritatem Epiſcopo ſucceſſori, Pij V.

ſucceſſori, ut de illis valeat cognitionem habere, cùm ergo capitulum ſede vacante mediet inter Epiſcopum mortuum, & Epiſcopum ſucceſſorem, nullam inde habet auctoritatem, ac juriſdictionem ad aliquid innovandum in prædictis facultatibus, ac licentiis.

96. Rodrig. Miranda. Ioan. à Cruce. Villalobos. Fagundez. Diana. Delbene. Dicaſtill. Sylveſt. Boſſius.

Hæc ſententia eſt valdè communis Fr. Emmanuel Rodriguez *tom.1. quæſt. 59. art.6. §.Infertur.ſecundo.* Miranda *tom.1. quæſt. 45. artic.7. ad finem*, Fr. Ioannes à Cruce *lib.2. cap.6. concluſ. 3. folio 120.* ex impreſſione Vlyſip. Villalobos *in ſumma, tom.2. tract 9. difficult.53. num.5.* Fagundez *præcept.2.lib.7. cap. 2. num. 28. & num. 30.* Diana *tom. 3. tract.2. Reſolut.27. §.Notandum eſt, & tom.8. tract.4. Reſolut. 48.* Delbene *tom. 2. cap. 14. dub 18. ſect. 11. num. 26.* Dicaſtillus *de pœnitentia, tract.8.disputat.10.dub.12. num.321.* Sylueſter *verb.Confeſſor 21. num. 4. quæſt. 3. ad finem*, Angelus Boſſius *de Iubilæo, ſect. 3. caſu 2.§.1.n.47.* Pellizar. *tom.2. tract. 8.cap.3, ſe.2.num.44.*

Quæstio XVIII.

An Religioſus degens extra Conventum poſſit confiteri cum Sacerdote ſæculari, vel cum Religioſo alterius Ordinis.

SUMMARIUM.

97 *Status quæſtionis.*

98 *Indulta Summorum Pontificum, ut Religioſi eligant Confeſſorem extra Conventum.*

99 *An debeat eſſe approbatus ab Ordinario, aliqui affirmant, & num.100.*

101 *Religioſus extra Conventum debet confiteri cum Religioſo ſui Ordinis etiam ſimplici Sacerdote, n.93. & abſolvi à reſervatis, & num.102.*

97. Quæſtio præſens eſt, an Religioſus cum licentia ſui Prælati iter agens, vel degens extra Conventum, vel ob recreationem, vel ob viſitandos cõſanguineos, & ibi non habet copiam Confeſſoris approbati ſui Ordinis, tunc talis an licitè, & validè poſſit confiteri cum Sacerdote ſæculari, vel Regulari alterius Ordinis. Dixi cum licentia ſui Superioris, quia ſine illa erit Apoſtata, & incapax abſolutionis.

98. Sixtus IV. Compend. Mendic. Monumenta Ordinis.

Sixtus IV. conceſſit Patribus Dominicanis, de quo privilègio participant aliæ Religiones, quod de licentia ſuorum Prælatorum Religioſi dum itinerantur, vel fuerint extra Conventus ſuos dumtaxat, valeant confiteri quibuſcunque Sacerdotibus, vel ſæcularibus, refertur *in Compendio Mendicantium, v. Abſolutio ordinaria quoad Fratres*, §.35. Idémque Minoribus conceſſit Sixtus IV. ut refertur *in libro Monumenta Ordinis*, & Innocent. VIII. Ciſtercienſibus, ut in eorum Compendio habetur, & hoc poſtulat recta ratio: nam prudens, & rationalis mens Prælati eſt, ut Religioſus non degat in peccato mortali, ac cum ſcandalo, dum diebus Dominis, ac feſtivis non celebrat, & ab Alteri ſe abſtinet.

99. An verò Sacerdos eligendus à tali Religioſo, ſi ſæcularis fuerit, debeat eſſe approbatus à ſuo Epiſcopo, vel ſi Regularis alterius Ordinis requiritur approbatus à ſuo Prælato, ſaltem quoad Sacerdotes ſui Ordinis? Affirmant Rodriguez *tom 1. quæſt.62. artic.4.* Portel. *in dub.verb.Confeſſor*, quoad Fratres, & *2.p.Reſpon.caſu 13.n.11.* quia aliàs non eligitur Sacerdos idoneus. Rodrig. Po. tel.

100. Navarr. Suar.

Tamen ſimpliciter dicendum eſt cum Navarro *in ſumma Latina, cap.4.§.In poſtrema.* Suarez *tom.4. de Regul. tract.8. lib.2.cap. 17. num.6.* quod non requiritur in Sacerdote eligendo talis approbatio, nec ab Epiſcopo, nec à Prælato alterius Religionis in Sacerdote, quia talis Religioſus non abſolvitur per juriſdictionem Epiſcopi, vel Prælati alterius Religionis, ſed per facultatem conceſſam à Summis Pontificibus Martino, Sixto, Innocentio, & per rationabilem facultatem Prælati ad eligendum Confeſſorem, ut eſt dictum.

101. Suar. Veiga.

Ex his inferes, quod quando Prælatus mittit duos Religioſos ſimplices Sacerdotes, ibi ut notant Suarez *citatus num. 5.* & etiam Veiga ibi, etiam ſecundum rectam rationem dat facultatem, ut ad invicem confiteantur, & Conſtitutiones ſacrarum Religionum ita diſponunt, & ordinant; inde etiam fit, quod ſi unus Religioſus tendit ad aliquem locum, vel civitatem, in qua eſt alius Religioſus ejuſdem Ordinis etiam Sacerdos ſimplex, cum eo debet ſua peccata confiteri, ex rationabili facultate præſumpta ſui Prælati: nam illius voluntas eſt, ut ſuus ſubditus non ſit in peccato mortali, ſed ut celebret, ut jam dixi, ergo veriſimilius eſt, quod Prælatus potiùs vult ut ſuus Religioſus confiteatur cum altero ejuſdem Ordinis, quam cum extraneo, ne defectus talis Religioſi ad aliorum notitiam veniat, ſed ut inter privatos parietes contineatur, cum Conſtitutiones uniuſcuiuſque Religionis, maximè intendant ſuorum filiorum defectus abſcondi, & nullo modo propalari. Et confirmatur, quia, ſecundum Navarrum, ac Suarez juxta regulas prudentiæ, quando Prælatus dat licentiam uni Religioſo ſemper intendit, ut ſi adſit Religioſus ejuſdem Ordinis cum eo confiteatur.

102. Portel.

Maximè notandum id, quod advertit Portel. *in dubiis, veri. Confeſſor erga Regulares, num.13.* quod Martinus V. conceſſit Patribus S. Hieronymi in Hiſpania, ut exiſtentes extra Conventum poſſint eligere Confeſſorem Regularem, vel ſæcularem, qui eos abſolvat ab omnibus caſibus, à quibus abſolvi poſſunt exiſtentes in Monaſterio. Ita *Compendium dicti Ordinis, verb. Abſentes à Monaſterio. §.10. & idem Compendium, verb. Abſolvere, §.Secundo.* Illis conceditur, ut abſentes à Conventu poſſint abſolvi per Confeſſorem ſæcularem ab omnibus caſibus, ſive per jus, ſive per conſuetudines reſervatis. Circa hoc nota quod intelligitur dummodo malitiosè non exeat à Conventu ad obtinendam talem abſolutionem Secundò nota, quod non intelligitur de reſervatis in Religione, quia facultas ſolum datur ad abſolvendum à reſervatis ſecundum jus, vel conſuetudines.

RESOLUTIO XXIV.

De Conſervatoribus

QUÆSTIO PRIMA.

Quid intelligitur nomine Conſervatoris, & à quo, & quibus datur?

SUMMARIUM.

1 *Quid intelligitur ſub nomine conſervatoris.*
2 *Conſervatores, etſi Iudices delegati ſe habent tanquam Iudices Ordinarii.*
3 *Inde conſervatores in ſuis litteris, ac citationibus ſe debent habere, ut alii Iudices Ordinarii.*
4 *Solus Papa poteſt inſtituere conſervatores.*
5 *Facultatem ad eligendum conſervatorem habent Prælati Religionum, & Fratres.*

1. NOmine conſervatoris intelligitur Iudex delegatus à Papa ad tuendos Regulares, contra apertas, & manifeſtas injurias illatas ab aliquo, judiciali non utente indagine. Quod apertè conſtat ex *cap. Statuimus, de offic. Iudic. deleg. in 6.* ut explicant Azor. *tom. 2. lib. 5. cap. 35. quæſt. 1.* Sorbus *in Compend. privil. Mendicant. v. Conſervator, §. Sunt autem.* Ex quibus deducitur, quod conſervator ſit Iudex delegatus, cum juriſdictio non competat illi ex officio, ſed ex delegatione, ut bene adnotarunt Molina *de juſtitia, tom. 6. diſp. 29. n. 1.* Barboſa *de poteſt. Epiſcop. 106.* qui etiam bene advertunt, quod licet conſervator ex vi juris communis, ſolum ſit Iudex delegatus ex privilegio multarum Religionum, eſt Iudex Ordinarius, ut bene advertit, & probat Lezana *tom. 2. cap. 10. num. 25.*

Azor. Sorbus. Molina. Barboſa. Lezana.

2. Primò, ex privilegio Bullato Pii V. & Gregorii XIII. (ut habetur *ejus in Compend. fol. 120.* ubi expreſsè conſervatores, vocantur Iudices Ordinarii. Secundò, quia in dictis privilegiis conceditur conſervatoribus facultas ad delegandam ſuam auctoritatem, ut patet ex Bulla Sixti IV. pro Carmelitis qui in ſuo mari magno de conſervatoribus agens ait, *ut per ſe, vel alium, vel alios.* Et in Bulla Clementis VII. pro Minimis, illis verbis: *Per vos, vel alium, vel alios.* Et in conſervatoria Gregorii XIII. pro Patribus Societatis, his verbis: *Per ſe, vel alium, ſeu alios.* Solus autem Iudex Ordinarius, vel quaſi Ordinarius habet poteſtatem ad delegandum. Tertiò, quia aliqui illorum dantur ad univerſitatem cauſarum. Iudex autem datus ad univerſitatem cauſarum, ut Judex Ordinarius habetur Gloſſa *in cap. Cum cauſam, de appellationib.* Sylveſter *verb. Delegatus n. 12.* Rodriguez *tom. 1. quæſt. 51. art. 3. & 4.* Quod autem dentur ad univerſitatem cauſarum conſtat ex citata Bulla Sixti IV. pro Carmelitis. *In quibuſcunque cauſis per eos movendis quacunque ratione, vel cauſa, quæ excogitari poſſet, eis miniſtrent juſtitiæ complementum.* Idémque conſtat ex conſervatoria Clementis VII. pro Minimis, & Pii V. pro Dominicanis, & Gregorii XIII. pro Ieſuitis. Moneta *de conſervatoribus cap. 1. num. 11. & cap. 7. n. 40.* Barboſa *de poteſt. Epiſcopi, allegat. 106. num. 2. & 3.*

Gloſſa. Rodrig. Barboſa.

3. Ex quo bene infertur non eſſe neceſſarium, quod in citationibus circumferantur litteræ conſervatoriæ, ſed ſufficit inſtar aliorum Iudicum Ordinariorum, quod de eis conſtet in actis Notarii Curiæ, ut fieri ſolet, quoad alios Judices Ordinarios. Ita Peirinus *tom. 2. privilegior. Minor. in Conſtit. Gregorii XV. §. 1. num. 2.* Lezana *tom. 2. cap. 10. num. 25.* Pellizar. *tom 2. tract. 8. cap. 8. num. 101.*

Peirin. Lezana. Pellizar.

4. Poteſtas autem ad eligendum conſervatorem, ſolum dari poteſt à Papa, & non à Nuncio, nec à Legato à latere, & maximè poſt Conſtitutionem Gregorii XV. 20. Sept. 1621. & in ordine eſt 9. & inde dicuntur conſervatores Iudices delegati à Papa, & eſt communis Doctorum, Rodriguez *tom. 1. q. 65. art. 1.* Miranda *part. 2. manual. q. 47. art. 1.*

Rodrig. Miranda.

5. Quibus autem datur facultas eligendi conſervatores, ſunt omnes Prælati, & etiam Fratres particulares Regulares, ut nobis Carmelitis conceſſit Sixtus IV. Prædicatoribus, Pius V. Minimis, Iulius II. Clemens VII. & Gregorius XIII. Societati; & etiam aliis Religionibus alii Pontifices, & omnibus ſaltem per communicationem; quæ privilegia conceſſa latè refert Lezana *tom. 2. cap. 10. à num. 4.*

Lezana.

QUÆSTIO II.

Quænam perſonæ eligendæ ſint in Conſervatores?

SUMMARIUM.

6 *Conſervatores eligendi ſunt perſonæ in dignitate conſtitutæ, & num. 7.*
8 *Breve Innocentii nihil obſtat.*
9 *Nec quædam Cardinalium declaratio.*
10 *Decretum Gregorii continet Conſilium, & non præceptum.*
11 *Secundum communem uſum non requiruntur conſervatores electi in Synodo.*
12 *Quolibet tempore eligi poſſunt à Regularibus.*

6. COnveniunt omnes juxta diplomata Apoſtolica, quod qui eligendus eſt in conſervatorem, debet eſſe inſignitus aliqua Eccleſiaſtica dignitate, ut Cardinalis, Epiſcopus, Vicarius Epiſcopi, Abbas, dignitates etiam Canonici Cathedralis, Prior Eccleſiæ ſæcularis Collegiatæ, Vicecancellarius Papæ, Camerarius, Pœnitentiarius, Clericus Curiæ, Auditor Curiæ, Auditor Rotæ, vel etiam obtinens perſonatum, ut ait Gregorius XV. in ſua Conſtitutione edita 20. Septembris 1621. in ordine 9. ait, quod eligendi ſunt conſervatores, vel dignitate Eccleſiaſtica præditi, vel perſonatum obtinentes. Ut, verbi gratiâ, eſt Diffinitor: Perſonatus eſt præeminentia, ſeu præcedentia, ſine juriſdictione, qualis reperitur in aliquibus Clericis, quæ præcedunt Canonicos in Eccleſiis Cathedralibus, ſeu Collegiatis, & in Religionibus. Diffinitores etiam, & alii hujuſmodi, & inde dignitas Diffinitoris reddit perſonam

perſonam habilem, ut eligatur in conſervatorem, ut ex multis probat Lezana *tom. 2. cap. 13. num. 2. & ſæpè in conſiliis, conſil. 40. num. 86.* & deinceps.

Lezana.

7. Poſſunt etiam eligi in conſervatores Prælati Regulares, utpotè Generales, Commiſſarii Generales, Provinciales, & etiam alii inferiores, ut Priores, Guardiani, vicarii, in capite, ſunt enim perſonæ Eccleſiaſticæ in dignitate conſtitutæ. Ita colligitur ex jure communi *cap. finali, in princip. de offic. delegat. in 6.* & docent Moneta *de conſervat. cap. 5. quæſt. 8. num. 79. & 80.* Tambur. *de jure Abbatum tom. 2. diſp. 14. quæſt. 4. num. 1.* Ioan. Nald. *in quæſt. de hac re à §. 80. uſque 87.* M. Lezana *conſult. 40. num. 85.* Portel. *verb. conſervator. num. 2.* & idem docent Rodrig. Peirinus, Fragoſus, Pellizarius, Ventigrila, quos citat, ac ſequitur M. Fr. Anton. ab Spirit. Sancto. *Directo. Regul. tom. 1. tract. 2. diſp. 1. ſect. 4. n. 201.* Quòd confirmant ex quodam privilegio Clementis VII. conceſſo minimis, quòd ad priores dirigitur, quo nomine vocantur Prælati Regulares. Rodriguez *tom. 1. quæſt. 65. articul. 3.*

Moneta. Tambur. Naldus. Lezana. Portel. Rodrig. Peirin. Fragoſus. Pellizar.

8. Nec contra hoc obſtat breve Innocentii X. ſub die 14. Maii 1648. quòd nobis proponit Diana, *part. 9. tract. 9.* in cauſa inter Patres Societatis, & Epiſcopum Angelopolitanum, ubi multa circa conſervatores determinantur; Sed ſi totum dictum Breve attentè legatur, nihil habet contra nos, ac quòd Regulares eligantur in conſervatores.

Diana.

9. Nec etiam obſtat quædam declaratio ſacræ Congregationis Epiſcoporum Regularium in una Turriana pro die 6. Octobr. anno 1617. quam refert Barboſa de poteſtate Epiſcopo. Allegat. 106. quia talis declaratio non oſtenditur authentica, & variè circumfertur, ut ex Gavanto, *in Manual. verb. conſervator. num. 6. teſtatur.* Lezana *in conſil. conſil. 40. num. 85.* Imò ut ipſemet Lezana *in ſumma cap. 10. num. 14. in fine.* Abbati Ordini Olivetani conceſſum eſt à ſacra Congregatione poſſe eligi in conſervatorem. Ita Barboſa *in collect. Bullarii verb.* Abbas Olivetanus: de quo privilegio participant aliæ Religiones, ut tenet Pellizar. *tom. 2. tractatione 8. cap. 7. ſect. 4. num. 90.*

Barboſa. Pellizar.

10. Gregorius XV. in ſua conſtitutione data 16. Octobris 1621. dicitur §. 4. ſanctitas ſua admonitos voluit omnes locorum ordinarios, ut in Synodis Provincialibus, aut Diœceſanis eligant hujuſmodi judices. Dum Pontifex ait. *Admonitos voluit*, ait citatus Lezana *cap. 10. num. 55.* indicare præceptum, quo Pontifex obligat, melius tamen Pellizarius *citatus n. 89.* ait, quòd de obligatione imponenda, ſtricta non debet fieri interpretatio. Verbum autem *Admoneo*, juxta propriam ſignificationem non importat præceptum, ſed conſilium; unde in præſenti non ſignificat præceptum, ſed conſilium.

11. Juxta prædictam conſtitutionem Gregorii XV. eligendi ſunt judices conſervatores ex his, qui ſunt deſignati in Synodo Provinciali, vel Diœceſano ab Epiſcopo deputati, tamen in his Regnis Hiſpaniarum, ac Portugalliæ tales judices non dantur, nec habentur, & ideo Regulares poſſunt eligere illos viros, qui habeant qualitates ex jure communi, & ſint conſtituti in dignitate Eccleſiaſtica, nam cùm Regulares habeant jus eligere conſervatores, & non dentur Synodales deſignati ab Epiſcopo, poſſunt eligere tales, ut dictum eſt, nam ad impoſſibile nemo tenetur, ut patet ex lege, ſi quis in gravi in principio, ut Bartol. & alii, quòd procedit in ſententiis, & præceptis, ut ex multis probat Surd. *deciſ. 289. num. 21.* Flamin. *de reſignat. benefic. lib. 11. quæſt. 13. num. 9.* Belletus *diſquiſit. cleric. part. 2. tit. de cleric. debitore §. 1. n. 4.* Barboſa *in axiomat. Iuris, axioma. 118. num. 7.* Deinde conſtitutio Gregorii XV. quoad hos conſervatores non eſt uſu recepta in Hiſpania, ac Portugallia, & omnes ferè, qui de facto dantur, non ſunt deſignati in tali Concilio, & quòd hoc non ſit neceſſarium, videtur deciſum ab Innocentio X. ann. 1648. die 14. Maii pro Epiſcopo Angelopolitano, & Patribus Societatis *ad ſeptimum.*

Sylveira Opuſcula.

12. Conſervatores tempore aſſignato à Gregorio XV. tali tempore tranſacto, quocumque alio Religioſi quandocumque eis placuerit, eos valent eligere, quòd declaravit ſacra Congregatio apud Barboſam *in collectanea Bullarii verb Regulares primo, & ex ipſo.* Lezana *in ſumma tom. 2. cap. 10. num. 58.* Belaſius *verb. Conſervator. num. 58.*

Barboſa.

QUÆSTIO III.

De obligatione, ac poteſtate Conſervatoris.

SUMMARIUM.

13 *Conſervatores electi à Regularibus tenentur acceptare.*
14 *Ex aliqua juſta cauſa poſſunt ſe excuſare.*
15 *Solent cognoſcere de injuriis, ac violentiis manifeſtis.*
16 *Quid ſit injuria, quid violentia, & quando conſervator dubitat.*
17 *Conſervator poteſt procedere ad tuendos familiares ſyndicos, & alios Conventuum, & num. 18. ſeq.*
18 *Cum Epiſcopis ſe habeat reverenter.*

13. COnſervatores electi à Regularibus tenentur acceptare, non ſolùm ex charitate ad propulſandas injurias, ac violentias, ſed etiam rigido præcepto Summorum Pontificum, quòd non ſolùm obligat ad mortale, ſed etiam ad excommunicationem majorem ipſo facto. Ita præcipit Julius II. pro Fratribus Minoribus, & Leo X. in favorem mendicantium; & rigidius Pius V. pro Dominicanis ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ ac ſuſpenſionis Papæ reſervatæ. Ita Rodrig. Peirinus, quos citat, & ſequitur Lezana *citatus, num. 18.* Pellizar. *tract. 8. cap. 8. num. 97.* M. Fr. Anton. ab Spir. ſancto, *director. Reg. tom. 1. tract. 11. diſp. 1. ſect. 4. num. 208.*

Rodrig. Peirin. Lezana. Pellizar. Fr. Anton.

14. Tamen Conſervator poteſt ex aliqua vera, ac legitima cauſa ſe excuſare, nempe ob ſenectutem, morbum, vel alias occupationes, ob quas impeditur in tanto onere portando, ut

notat Pellizarius *citatus*, *num.*98. aliàs præceptum eſſet nimis rigidum, jugum autem Chriſti eſt ſuave, & onus leve eſt.

15. Poteſtas, & auctoritas horum conſervatorum, etſi antiquitus eſſet valdè ampla juxta diplomata Sixti IV. pro Carmelitis, & Pii V. pro Dominicanis; Clementis VIII. pro Minimis Gregorii XIII. pro Jeſuiſtis. Tamen hæc poteſtas reſtricta eſt per bullam Gregorii XV. & per quandam declarationem ſacræ Congregationis anno 1624. Ubi decernitur, quòd ſolùm conſervatores poſſunt agnoſcere in cauſis, in quibus Religioſi fuerint rei, etſi in aliquibus ſint actores pro injuriis, & violentiis propulſandis, hoc tamen debet eſſe, quando injuriæ, & violentiæ ſunt notæ, & manifeſtæ, ut conſtat ex decreto Bonifac.VIII. quod incipit: *Hac Conſtitut.* & etiam *cap. finali de offic.& poteſt.judicis deleg.* Tamen conſervator generaliter facit illam indaginem, quæ in notis, & manifeſtis adhibere ſolet: Si autem conſervator dubitet, de illa notorii qualitate, ut manifeſtè appareat, tunc ſummariè poterit omnia examinare & inquirere, an illa injuria, ſeu violentia, de qua tractatur, ſit notoria, & ſuper hoc probationes, & documenta recipere ad procedendum in ſua juriſdictione, an injuria, de qua agitur; ſit notoria. Ita Miranda *tom.2.quæſt.47.art.8.* Barboſa *de offic. & poteſt. Epiſcopi. allegat. 106. num. 18.* Cui enim committitur juriſdictio, committitur quoque ſine quo illa exerceri non poteſt. Barboſa *citatus, num. 20.* Moneta *de Conſervatoribus, cap.7. quæſt.3. num.90. & 93.* Molina *tom.6. diſput.29. num.2.*

Sixtus IV. Pius V. Clem.VII. Greg.XIII. Bonif. VIII. Miranda. Barboſa. Moneta. Molina.

16. Si verò quæras quid ſit injuria, vel violentia manifeſta? Reſpondeo ex Tuſcho *verb. manifeſtum concluſ.71. num.7.* Monacho de judice Delegato *cap.1. n.3.* Injuria eſt quando perſona indebitè, & malè afficitur. Violentia verò, eſt injuria cum vi, impetu, & perſonis, vel ejus rebus fit, quid autem ſit manifeſtum, & notorium, ſuperiori numero dixi, ex quibus bene ſequitur, quòd debent conſervatores cognoſcere de injuriis, ac violentiis illatis ipſis Religioſis ipſoſque tueri tam in ſuis privilegiis, quàm in ſuis omnibus rebus, ut declaravit Sacra Congregatio anno 1624. poſt decretum Gregorii XV. quòd debeant defendere Regulares à manifeſtis injuriis, & violentiis, quæ illis de facto inferuntur, dum à ſuis poſſeſſionibus dejiciuntur, & propriis bonis frui, aut uti impediuntur; de quo vterque Rodrig. Portellus, Ioannes à Cruce, quos refert, & ſequitur Diana *3. part. tract. 1. Reſolut.20.* Lezana *tom2.cap.10.num.62.& 67.* Fr.Anton. ab Spiritu ſancto, *num.215.*

Tuſchus. Monach. Sacr. Congr. Ioan. à Cruc. Diana. Lezana. Fr. Anton.

17. Imò etiam & poſſunt dicti conſervatores procedere pro ſervorum & famulorum Religioſorum in manifeſtis injuriis, & violentiis modo ſuperiùs explicato quoad Religioſos, tamen hoc privilegium videtur limitari à Concilio Tridentino *ſeſſ.24.cap.11.* dum ait, quòd dicto privilegio gaudent, qui monaſterio actu ſerviunt, & intrà eorum ſepta, ac domos reſident ſubque eorum obedientiam vivunt, ut notant Rodrig. *tom.1. quæſt.65. art.17.* Lezana *citat. cap.10. n.65.* Villalobos *2. p. tract. 35. diff.6. num 9.* Imò etiam poſſunt prædicti conſervatores procedere ad tuendos ſyndicos, & procuratores Fratrum in caſibus pertinentibus ad ſuum officium non verò quoad ea, quæ ad ipſas perſonas particulares pertinent quoad apertè conſtat ex bulla Clementis VIII. apud Caſarubium *in compendio privileg. Mendic. verb.* Procuratores Fratrum, Rodriguez *tom.3. quæſt.39. art.4.* Portellus *in dub.Regular.verb. Syndicus Minorum*, Lezana *cit. num.66.*

Trident. Rodrig. Lezana. Villalobos. Caſarub. Rodrig. Portel. Lezana.

18. Conſervator ad tuendas perſonas Regulares, & alias eis proximè addictas, poteſt procedere cum cenſuris, & eas aggravando, ut patet ex jure, *cap. ſanè 2.de poteſt. judicis delegati*, & apertè deducitur ex *cap. Auctoritate de privilegijs, in 6.* nam quoties committitur alicui aliquod negotium, etiam ei datur illud ſine quo tale negotium non poteſt impleri, fruſtranea enim eſſet talis juriſdictio, ſi ſecum non involveret viam coactivam. Ita Azor.*tom.2. lib 5. cap.35. quæſt.10.* Moneta *de conſervatoribus, cap.7. num.279.* Et hoc ſpecialiter conceditur Religionibus, ut patet ex ſuis privilegiis, ex Bulla Sixti IV. pro Carmelitis, Clementis VII. pro Minimis Pii V. pro Dominicanis Gregorii XIII. pro Patribus Societatis. Cùm verò conſervatores procedunt contra Epiſcopos, debent cum multa modeſtia, reverentia, ac circumſpectione ſe habere, ut advertit Peirin. *tom. 2. privileg. Minimorum in Conſtit. Gregorii XV. §.6. num.45.* Peirin.

RESOLUTIO XXV.

Declarationes Cardinalium, ac Deciſiones Rotæ.

Quæstio Prima.

An Declarationes Cardinalium habeant vim legis, & quid ad hoc requiratur?

SUMMARIUM.

1 *Facultas data à Sixto V. Cardinalibus.*
2 *Decreta Congregat. conſulto Papa, habent vim legis.*
3 *Quæ fiunt non conſulto Papa non eſſe leges tenet prima ſententia.*
4 *Ejus fundamentum.*
5 *Oppoſita ſententia vera, & ejus fundamentum, & num.6.*
7 *Requiritur ut talis declaratio exhibeatur authentica.*
8 *Requiritur ut de ejus publicatione conſtet, & num.9. & 10.*

1. Voad has Illuſtriſſimorum Cardinalium declarationes extat bulla Sixti IV. edita anno 1588. & in ordine eſt 7. & incipit: *In menſa.* In qua poſtquam Pontifex ſibi reſervavit poteſtatem convocandi Concilium, ac res fidei definiendi, ſubdit. Cardinalibus præfectis interpretationi, & executioni Concilii Tridentini, ſi quando in his, quæ de morum

rum reformatione, diſciplina, ac moderatione, & Eccleſiaſticis judiciis, & aliis, quæ humana ſtatuta ſunt, dubietas, aut difficultas emerſerit interpretandi facultatem (nobis tamen conſultis) impertimur. Ex quibus verbis apertè conſtat huic Sacræ Congregationi, datam eſſe facultatem interpretandi decreta Concilij Tridentini, hac tamen conditione ut Summus Pontifex conſulatur. Ex quo oritur magnum dubium, an prædictæ declarationes habeant vim legis, an ſint tantum quædam declarationes doctrinales magni ponderis, & auctoritatis.

2. Quod verò ad dicta decreta, ac declarationes editas à Sacra Congregatione juſſu Sanctiſſimi Papæ, vel ipſo conſulto, res eſt extra dubium, quod obtineant vim legis, & eſſe ſanctiones deciſivas, & auctoritativas. Et ratio eſt manifeſta, quia factæ ſunt auctoritate Papæ; ergo obtinent eandem auctoritatem, quam haberent, ac ſi immediatè emanaſſent ab eo, in moralibus enim idem eſt facere per alium, ac facere per ſe, Salas *de legib. tract.* 1. *diſp.* 21. *ſect.* 12. Peirinus *tom.* 1. *de ſubdito q.* 1. *de obedientia, cap.* 25. Lezana *tom.* 3. *in ſumma, verb. Sacra Congregatio.*

Salas. Peirin. Lezana.

3. Tota difficultas eſt, quando tales declarationes fiunt à Sacra Congregatione, non conſulto Papa, nec ex ejus mandato. Prima ſententia affirmat, non tenere vim legis. Navar. *lib.* 5. *Conſilior conſil* 15. *de ſentent. excommunic.* Sanchez *lib* 8. *de matrim. diſp.* 2. *nu.* 16. *circa finem.* Vaſquez 1. 2. *diſp.* 177 *cap. ultimo* Veiga *Minim. verb. Deſcommunio caſu* 226. *colum.* 967. Pellizarius *tom.* 1. *tract.* 4. *cap.* 4. *num.* 108. Portel. 2. *tom. Reſpon. caſu* 31. *num.* 3. Bonacina Italus *tom.* 2. *diſput.* 1. *de legibus, quæſt.* 1. *punct.* 8. *num.* 4. & citat Suarez, Salas, & alios.

Navarr. Sanchez. Vaſquez. Veiga. Pellizar. Portel. Bonacina. Suarez.

4. Probatur: quia poteſtas commiſſa eſt conſulto Summo Pontifice, ut patet ex Bulla Sixti V. citata. & tamen Sacra Congregatio, ut notat Salas *diſp.* 21. *de legibus ſect* 12. atqui ex declarationibus, quæ circumferuntur, raro in eis ut patet, conſulitur Summus Pontifex, ſed tantum in caſu raro, & in re valdè difficili; ſi ergo ordinariè loquendo non ſervant conditionem poſitam in ſua delegatione, eorum declaratio non poteſt habere vim legis. Secundò, quia tales declarationes ſæpè inter ſe contrariantur, ut notarunt Suarez *tom.* 4. *in* 3. *part. diſp.* 21. *ſect.* 12. & Portellius *citatus*, ergo nulla eſt authentica, aut aſſignetur, quænam ex illis ſit authentica, non prima, alias non ſuccederet illi ſecunda contraria, non ſecunda, quia illi non habent poteſtatem ad derogandam legem, ſed interpretandam, ergo nulli illarum declarationum eſt ſtandum. Tertiò, ſi habent vim legis, debebant authenticè publicari ſicut & cæteræ leges, ac etiam declarationes authenticæ legum à Principe, ut habet communis uſus in hoc noſtro Regno.

Salas.

5. Tamen oppoſita ſententia, quod nempe prædictæ declarationes habeant vim legis probabilius, & mihi verius videtur duabus poſitis conditionibus ſtatim explicandis. Ita Manoël Rodriguez *tom.* 1. *quæſt.* 11. *artic.* 2. Garcia *de beneficiis in præfatione.* Caſtro Palaus *tomo primo, tractatu* 3. *diſput.* 5. *punct.* 3. §. 1. *num.* 6. *folio mihi* 199. Salas *diſput.* 21. *ſect.* 12. *fol.* 566. ubi alios citat, & Barboſa ſtatim allegandus.

6. Primo probatur, quia Sacra Congregatio ita declaravit ſuas declarationes, ac decreta talem habere auctoritatem. Ut referunt Garcia *citatus proximè*, Zerola *in praxi Epiſcopor. p.* 1. Salas *de legib. diſp.* 21. *ſect.* 12. Barboſa *in Collectanea Bullarij, verb. Congregatio pro interpret. Concilij Trident.* 3. Secundò, quia Sacra Rota huiuſmodi deciſiones, ac decreta inſtar legis veneratur, & eas allegat ut patet ex multis deciſionibus Rotæ, quas adducunt Barboſa *citatus*, Bonacina *tom.* 2. *diſp.* 1. *de legibus, quæſt.* 1. *punct.* 9. *num.* 4. Tertiò, quia licet in Bulla Sixti V. Illuſtriſſimis Cardinalibus detur facultas conſulto Summo Pontifice ad huiuſmodi edenda decreta, tamen cum paſſim, & ferè quotidie huiuſmodi decreta emanent, ſciente, conſentiente, ac præſente Romæ Summo Pontifice, imò & in ſuis Bullis, ut ſtatim dicam de Urbano VIII. earum faciat mentionem, & hoc per ſpatium octoginta annorum, communi uſu, ac univerſali conſuetudine videntur tanquam receptæ, & ut habentes legis vim.

Garcia. Zerola. Salas Barboſa. Barboſa. Bonacina.

7. Ad hoc tamen requiruntur duæ conditiones, & quia multæ declarationes circumferebantur, vel falſæ, vel vitiatæ. Ideo Urbanus VIII. ſuo diplomate die 11. Aug. 1632. præcepit. *Huiuſmodi declarationibus, decretis, ſeu deciſionibus tam impreſſis, quam imprimendis, ac etiam manuſcriptis, nullam fidem in judicio, vel extra eſſe adhibendã, ſed tantum illis, quæ in authentica forma ſolito ſigillo, & ſubſcriptione Eminẽtiſſimi Cardinalis Præfecti, ac Secretarij ejuſdem Congregationis protempore exiſtentium munita fuerint.* Ut referunt Barboſa *ſuprà citatus*, & Lezana *etiam num.* 5. Ex quo manifeſtè conſtat, talibus declarationibus, ac decretis, quæ prædicto modo non fuerint munita, non eſſe plenariam fidem adhibendam, licet ſemper cum probabili fide ſint veneranda.

Decretum. Urbani. VIII. Barboſa. Lezana.

8. At vero tales declarationes quamvis authenticè de illis conſtet, tamen ſi publicatæ non ſint, nec de earum publicatione conſtet, non habent vim legis, ut teneamur illas ſequi. Ita Bonacina *tom.* 2. *diſp.* 1. *quæſt.* 1. *punct.* 8. *num.* 4. § *Secunda pars*, Lorca 1. 2. *diſp.* 18. *Appendice circa finem.* Salas *diſp.* 2. *ſect.* 9. *in fine*, & *diſp.* 12 *ſect.* 1. *num.* 8. & inde indicat eadem *diſp.* 12. *ſect.* 12. *Corillario* 5. *fine* Suarez *generaliter loquẽs de omni declaratione facta à Principe, lib.* 6. *de legib cap.* 1. *num.* 3. Probatur, quia publicatio eſt de eſſentia legis, ſic & ſimiliter declaratio Principis, ad hoc ut vim legis habeat, publicatione indiget.

Bonacina. Lorca. Salas. Suarez.

9. Nec ſatis eſt, quod aliqui dicunt, quia publicatio eſt requiſita ad legis Conſtitutionem, non verò ad illius declarationem, quia declaratio cum ipſa lege à principio ineſt, & ut cum ipſa lege promulgatur, *l. Ita fidei, ff. de jure fiſci.*

10. Sed contra eſt ſolẽnis Principum conſuetudo, ut legum declarationes publicentur in loco conſueto; & multæ declarationes Illuſtriſſimorum Cardinalium publicantur, & ex Bonacina notat Lezana *citatus, verb. Sacra Congregatio, num.* 11. Inde præcipitur, ut talibus declarationibus non adhibeatur fides, niſi

illis, quæ ſupradicto modo ſigillatæ, ſubſcriptæ,& munitæ fuerint,quia illæ ſolum publicantur in Curia & in locis ad id deſignatis, de quarum publicatione fit mentio, ſicut in diplomatibus Apoſtolicis, quæ dicuntur publicata, ad Valvas Divi Petri, & in foro Floræ.

11. Et quamvis in rebus claris, & manifeſtis, declarationes inſitæ ſunt ipſi legi, minimè tamen in rebus dubiis, quæ difficultatem patiuntur, & ideo in illis eſt neceſſaria nova publicatio,ut cum Bonacina, & Peirino citatis tenet Diana *part.1. tract.* 10.*Reſolut.*29.Ex his patet ſolutio ad argumenta adverſariorum. Nec obſtat, quod huiuſmodi declarationes ſint ſibimetipſis contrariæ aliquando, quia cum prudentiſſimè fiant, & prudentia verſetur hic, & nunc,ideo pro variis circunſtantiis variantur, tamen pro ultima ſtandum, ut notant citati Auctores,

Diana.

QUÆSTIO II.

Quam vim habeant Deciſiones Rotæ, ac etiam agitur de ſtylo Curiæ?

SUMMARIUM.

12 *Deciſiones Rotæ,ſententiæ Cancellariæ, ac Regij Senatus non habent vim legis.*
13 *Stylus Curiæ non habet vim legis.*
14 *Conſuetudines locorum ſi bonæ ſint retinendæ, etiamſi Romæ non ſerventur.*

12. DEciſiones Sacræ Rotæ, ſententiæ Cancellariæ, ac Regij Senatus, non habendæ ſunt tanquam leges, procedunt enim à judicibus non habentibus auctoritatem ad leges conſtituendas, ſine qua auctoritate nulla lex poteſt conſiſtere, ut ex multis docent Suarez *lib.*7.*de legibus,cap.*11.*circa finem* Sanchez *lib.*8.*de matrim.diſp.*2.*num.* 10.*ad finem.* Vaſquez 1. 2.*diſput.*177.*cap.ultimo,num.*75. Caſtro Palaus *tract.*3.*diſp.* 3.*punct.* 2.§.3.*nu.*7. Salas alios referens, *diſp.*19.*ſect.*19.*num.*109. Cùm hoc tamen ſtat,quòd prædictæ deciſiones magnam habent auctoritatem, maximèque ſunt venerandæ ac ſequendæ.

Suarez. Sanchez. Vaſquez. Palaus. Salas.

13. Cevallos. Quantum ad ſtylum Curiæ, quòd varius ſit, modò niger,modò albus, ut ait Cevallos, & ideò licèt talis ſtylus ſit maximè venerandus, non habet vim legis, ut probavi ſuprà *Reſol.*19.*quæſt unica, num.*10. deinde ut latè probat Portellius *tom.*1.*reſponſ caſu* 32.*n.* 16. *fol.*170. Conſuetudines Eccleſiarum particularium, ſi bonæ ſint,nec Eccleſiæ decretis repugnantes, etiam ſi tales conſuetudines Romæ non ſerventur, permanere, ac teneri debent, ut patet ex tota *diſtinct.*12. & maximè ex *cap. ſcit Romana*; ubi ex duobus Capitibus in rubrica poſitis ſic habetur: *Nihil obſunt ſaluti credentium diverſa pro loco,& tempore conſuetudines, ſi illis canonica non obſtet auctoritas.* Et idem habetur *ibid.cap.Novit*, ubi Gregorius I. ad Auguſtum Anglorum Epiſcopum, ſic ſcribit: *Placet, ut ſive in Romana ſive in Galliarũ, ſive in qualibet Eccleſia aliquid inveniſti,quòd plus omnipotenti Deo poſſit placere, ſolicite eligas.* Ex quibus duobus Capitibus aperte conſtat permittere Summos Pontifices, ut Eccleſiæ particulares retineant ſuas conſuetudines, cum non repugnant decretis Eccleſiæ Romanæ, etiamſi Romæ non ſerventur,ad quod etiam alludit D.Thomas docens conſuetudines Eccleſiarum, ac peculiarium locorum obſervandas eſſe. Ita Sanctus Doctor 3.*part.quæſt.*66.*art.*8.

Portel. Gregor. I. D.Thom.

RESOLUTIO XVI.

De Diſpenſationibus.

QUÆSTIO PRIMA.

Vtrum ad diſpenſandum validè in lege humana requiratur vera cauſa?

SUMMARIUM.

1 *Dispenſatio facta ab inferiori in lege ſuperioris eſt invalida,& n.*2.
3 *Quid quando Pontifex committit dispenſationem, & non exprimit cauſam.*
4 *Dispenſatio facta à Principe in ſua lege, negat Vaſquez quod ſit valida, affirmat communis ſententia,& num.*5.
6 *Solvuntur argumenta contraria, & n.* 7.

DISPENSATIO,ut ſuppono ex communi ſententia Theologorum, ac Iuriſtarum eſt relaxatio juris humani; nunc inquirimus an ad diſpenſandum validè in lege requiratur vera cauſa, ac idem eſt an diſpenſatio facta abſque ſufficienti cauſa ſit valida. In hac quæſtione certum eſt, & extra controverſiam, invalidam. & nullam eſſe diſpenſationem factam ſine ſufficienti cauſa ab inferiori in legibus ſuperioris. In hoc conveniunt omnes, quos latè citant, ac ſequuntur Sanchez *lib.*8.*de matrim.diſp.*17. *num.*3.& 4. Salas *diſput.*20.*ſect* 4.*num.*31. Vaſquez 1.2.*diſput.*178.*num.*17.Et inde inferunt diſpenſationem factam etiam à Summo Pontifice in jure divino, vel naturali myſtico, ut in voto, juramento, vel matrimonio rato eſſe nullam, ſi fiat ſine cauſa. 1.

Sanchez. Sala. Vaſquez.

Et ratio eſt, quia inferiori non committitur poteſtas ad diſpenſandum in deſtructionem, ſed in ædificationem; atqui diſpenſatio ſine juſta cauſa eſt in deſtructionem; ergo non conceditur illi poteſtas ad diſpenſandum ſine juſta cauſa. Confirmatur, quia diſpenſatio facta ab inferiori, in tantum valet,in quantum ei conceditur facultas à ſuperiori, ſed non eſt veri ſimile ſuperiorem dare facultatem inferiori ad diſpenſandum in ſua lege, ſine juſta cauſa; ergo ſine ea non valet diſpenſatio. 2.

Quando autem Pontifex committit auctoritatem diſpenſandi cum hac, & illa perſona, & non exprimit cauſam, tum ait Sanchez *citatus*, quod poteſt præſumi diſpenſationem eſſe factam, & ſolum ſibi comitti executionem; Salas verò *citatus, num.*33. hoc judicat probabile, licet incertum, tandem inde mihi 3.

Sanchez. Salas.

eſt

eſt certum, quia ſi Pontifex non proponit cauſam, non committit illius examen, ſed tantùm executionem.

4. Tota controverſia eſt de diſpenſatione facta in ſua lege, vel in lege inferioris, utrùm ſcilicet talis diſpenſatio facta ſine cauſa ſit valida? Negat Vaſquez 1. 2. *diſp.* 128. *cap.*4. & *diſp.* 179. *cap.*3. etſi cum formidine propter communem Doctorum conſenſum. Vaſquez.

5. Ideo dicendum eſt, quòd talis diſpenſatio niſi aliunde habeat aliquem defectum, quòd ſit valida. Ita Sanchez *lib.*8. *de Matrim. diſp.*17. *nu.*24. Azor. 1 *part. lib.*5. *cap.*15. *quæſt.* 3. Pontius *de Matrim. lib.*8. *cap.*14. *nu.*7. Lorca 2. 2. *diſp.*27. Villalob. *in ſumma tom* 1. *tract.*2. *dub.*41. *num.*5. Suarez, Valentia, Salas, quos citant, ac ſequuntur Bonacin. *tom.*2. *diſp.*1. *de leg. quæſt.*2. *punct.*3. *nu.*1. Diana *part.*1. *tract.*10. *de legibus Reſol.*32. & ratio eſt, quia lex pendet à voluntate ponentis illam, ergo ſi ipſemet aufert illam reſpectu alicuius, ablata erit, licèt ſuperior male agat, de quo quæſtione ſequenti. Confirmatur exemplo abſolutionis à cenſura, quæ eſt valida, etiamſi à ſuperiori detur iniuſtè, & ſine cauſa, *cap. venerabilis de ſententia excommunicationis, in* 6. Sanchez. Azor. Pontius. Suar. Bonacina. Diana.

6. Argues 1. Legiſlator diſpenſando, non ſe habet ut Dominus, ſed ut diſpenſator, & ut adminiſtrator, ergo ſi diſpenſat ſine cauſa nihil facit. Reſpondeo, Principem quoad poteſtatem, quam habet ad diſpenſandum in ſua lege, potiùs ſe habet ut Dominus, quam ut miniſter, diſpenſat enim in re propria, & in propria voluntate, cujus eſt Dominus, mutando illam, mutata autem voluntate, mutatur lex neceſſario, & inde diſpenſatio facta ſine cauſa valet, ſicut & donatio facta ſine cauſa valet, etſi Dominus prodigere cenſeatur rem ſuam: conceſſio autem indulgentiarum fit ab homine, non tanquam à Domino, ſed tanquam à miniſtro, ac diſpenſatore in theſauro Eccleſiæ ex ſanguine Chriſti comparato.

7. Argues 2. Diſpenſatio ſine cauſa eſt injuſta, de quo quæſtione ſequenti, ergo eſt etiam nulla. Probatur conſequentia, quia ſicut lex iniuſta non eſt lex, ergo nec diſpenſatio iniuſta eſt diſpenſatio, inde merito de ea ait D. Bernardus *lib.*3 *de conſideration. cap.*4. *in fine*, ubi poſtquam enumeravit cauſas diſpenſationis, ait: *Cùm nihil eorum ſit, non eſt plane diſpenſatio, ſed crudelis diſpenſatio.* D. Bernar.

8. Reſpondeo. Concedo antecedens, nego conſequentiam, nam multa iniuſtè fiunt, quæ tamen facta tenent, donec annullentur, ut patet in iniqua abrogatione legis, licet iniuſtè, validè tamen manet abrogata. Item in electione digni prætermiſſo digniori, valida eſt licet iniuſta. Ad probationem conſequentiæ, eſt diſparitas inter legem, & diſpenſationem, nam lex ponit obligationem, ac præcipit ut homo ſubditus det rem ſuam, verbi gratia pecuniam, vel voluntatem, vel perſonam, & nemo poteſt obligari ad dandam rem ſuam ſine iuſta cauſa, aliàs actus erit tyrannicus. At in diſpenſatione Princeps non obligat, ac exigit rem alienam, ſed quòd ſuum eſt dat, nempe ſuam legem, ſuam voluntatem, donans autem poteſt dare ſine cauſa, ut dixi.

QUÆSTO II.

Vtrùm dispenſatio data à ſuperiore ſine iuſta cauſa ſit licita?

SUMMARIUM.

9 *Pauci ſunt, qui dicant ſine cauſa licitè fieri poſſe.*

10 *Legiſlator abſque culpa non diſpenſat ſine cauſa.*

11 *Probatur reſolutio ratione.*

12 *Ponuntur, & ſolvuntur argumenta contraria.*

9. DIximus ſuperiori quæſtione talem diſpenſationem datam ſine juſta cauſa, eſſe validam, nunc videndum eſt, an ſit licita, & fiat ab ipſo Principe, ac ſupremo legiſlatore abſque ullo peccato. Et loquimur de diſpenſatione data ſine cauſa ſecluſo ſcandalo, aut gravi damno, ſeu gravamine alicuius, vel nocumento Reipublicæ, & ita Suar. *6. de legib. cap.*18. *num.*3. *in fine*, ubi dicit quòd pauci, & rari ſunt, qui illam tueantur. Suar.

10. In his ergo terminis, quòd legiſlator abſq; culpa non valeat ſine juſta cauſa diſpenſare in ſua lege, tenent multi Doctores cum D. Thoma 1. 2. *quæſt.* 97. *art.* 4. hos citat, & ſequitur Salas *late diſp.*20. *de leg. ſect.*5. *num.*50. & deſumitur ex *cap. Neceſſaria* 1. *quæſt.*7. & *ex cap. qui contra diſtinct.*8.

11. Probatur ratione, quia diſpenſatio facta ſine juſta cauſa, eſt imprudens, temeraria, & abuſus poteſtatis. Imprudens, quia deviat à fine proprio talis poteſtatis, qui eſt attendere ad bonum commune. Deinde eſt infidelis, illa enim diſpenſatio eſt propter privatum commodum, vel inordinatum affectum alicujus, & ſic eſt abuſus poteſtatis: deinde, quia per talem diſpenſationem vulneratur commune bonum. Temeraria quia præbet anſam confuſionis in ſubditis, quia ſine cauſa jus commune relaxat; nam quamvis legiſlator ſit quodammodo Dominus ſuæ legis, ita tamen eſt ut ſit paſtor, & rector populi, & inde dicuntur ab Apoſtolo Paulo, miniſtri, & diſpenſatores, ut autem ſit bonus, & fidelis paſtor, debet attendere ad bonum commune, & non ad privatum, ac ſuum affectum.

12. Dices primò. Si juſta cauſa requiritur ad diſpenſandum, ſequitur quòd ad hoc non requiritur auctoritas ſuperioris. Probatur, quia juſta cauſa per ſe eſt ſufficiens ad excuſandum ab obligatione legis humanæ. Reſpondetur negando ſequelam, quia ut lex ceſſet requiritur vehementiſſima cauſa, ut infra dicam, at verò ad diſpenſandum, ſufficit quælibet congruentia ut dicam *quæſt.*5.

13. Dices 2. Lex poſita eſt pro voluntate legiſlatoris, ergo pro ſua voluntate poteſt eam auferre. Reſpondeo. Concedo antecedens, nego conſequentiam, quia princeps in abroganda lege debet attendere ad bonum commune, propter quòd lex eſt lata. Deinde. Princeps quamvis tulerit legem, tamen ſubditus legi naturali, quæ præcipit conformitatem inter

membra,

membra, ergo ſine aliqua ratione non poteſt tollere hanc conformitatem.

Quæstio III.

Quale peccatum ſit diſpenſare in lege humana ſine cauſa?

SUMMARIUM.

14 *Prima ſententia, eſſe veniale.*
15 *Secunda, & verior, mortale.*
16 *Probatur ratione.*
17 *Multis aliis confirmatur.*

14. ET eſt duplex ſententia in hac materia. Prima affirmat eſſe tantùm peccatum veniale, ſecluſo ſcandalo, vel notabili aliquorum damno, ſeu gravamine vel Reipublicæ detrimento, in his enim caſibus dicunt eſſe mortale peccatum diſpenſare in lege humana ſine cauſa, ratione circunſtantiæ extrinſecæ actui ſuperadditæ, non verò ex intrinſeco objecto, quatenus præcisè exemptio eſt à lege ſine cauſa. Ita Sanchez *lib.8.de Matrim.diſp. 18.n.7.* & pro ea citat Navarrum, Rodrig. & alios, pro ea etiam ſtant Layman *lib.1.tract. 4.c. 22. num.13.* Tannerus *part.2.diſp.5.quæſt.7.n.29.* Diana *part.1.tract.10.de legibus, Reſol.32.* Fundamentum eſt, quia diſpenſatio legiſlatoris in ſua lege, non videtur res tanti momenti, ut ad peccatum mortale pertineat.

Sanchez. Navarr. Rodrig. Lyman. Tannerus. Diana.

15. Tamen oppoſita ſententia mihi videtur verior, ac probabilior, affirmans ſuperiorem diſpenſare in propria lege ſine juſta cauſa ex genere ſuo eſſe peccatum mortale, niſi quando ex levitate materiæ ſit veniale. Ita Caietanus, Covarru. Sotus, Navarrus, quos citant, ac ſequuntur Suar. *lib.6.de legib cap. 19.num.9.* Vaſquez *1.2.diſp.17.c.* Valentia *tom.2. diſp.7. quæſt.5. punct. 9.* Petrus de Ledeſma *tract. de Matrim.cap.27.poſt.4.concluſ.dub.1.* & Sanch. citatus fatetur hanc ſententiam eſſe probabilem.

Caietan. Covar. Sotus. Navarr. Suar. Vaſquez. Valentia. Sanchez.

16 Probatur hac ratione. Diſpenſare ſine juſta cauſa in lege humana eſt contra juſtitiam, ex qua tenetur princeps ſine cauſa non diſpenſare, ſed peccatum contra juſtitiam ex genere ſuo eſt mortale, ut tenet communis doctrina, ergo talis diſpenſatio eſt peccatum mortale. Major oſtenditur, quia juſtitiæ obligatio eſt triplex, legalis, commutativa, diſtributiva. Primò peccat contra juſtitiam legalem, quæ reſpicit bonum commune, & princeps diſpenſando ſine cauſa, maximè nocet bono communi. Secundò peccat contra juſtitiam commutativam, quæ dat unicuique quòd ſuum eſt. Tertiò, & evidenter peccat contra diſtributivam, quæ ponit æqualitatem, in dividendo bona communia, princeps autem dando diſpenſationem ſine cauſa, committit acceptationem perſonarum, quæ opponitur juſtitiæ diſtributivæ, ut tradunt Theologi 22. *quæſt.63.* & ideo hoc peccatum, ut ait Suar. *citatus num.10.* ex generi ſunt conſtituitur, in hac ſpecie acceptionis perſonarum, præcipuè cum accedat obligatio, quàm ex officio habet princeps non diſpenſandi ſine cauſa.

uar.

Confirmatur primò. Quia omnis acceptio perſonarum, ex genere ſuo eſt peccatum mortale, in tali diſpenſatione ſine cauſa datur acceptio perſonarum, ergo datur peccatum mortale. Confirmatur ſecundò, quia lex ex intrinſeca ſua ratione fertur in bonum commune, ut dicunt Theologi, & Iuriſtæ, ergo diſpenſatio in lege ſine cauſa cedit in magnum damnum boni communis, & inde eſt mortale; illud enim eſt mortale, quòd intra propriam ſpeciem dicit magnam difformitatem cùm lege, ut eſt diſpenſatio ſine cauſa. Quis enim dicet non eſſe mortale diſpenſare in jejunio quadrageſimæ, vel cùm ſacerdote in recitatione divini Officij ſine juſta cauſa. 17.

Quæstio IV.

An Prælatus peccet diſpenſando, quando dubitat de ſufficientia cauſæ. ad diſpenſandum?

SUMMARIUM.

18 *Prima ſententia affirmat non peccare.*
19 *Si probabiliter opinatur non peccat, ſecus ſi dubitat.*

SYlueſter *verb diſpenſare quæſt.14.num.20.* Sanchez *in Decalogum lib 4 cap. 45.n. 10.* & alij, exiſtimant non peccare, quia aliàs daretur via ad multos ſcrupulos, & ad multam inquietitudinem, ac perturbationem conſcientiæ, & ita etiam tenet Diana *tract.10.de legib.Reſol.31.* 18. Sylveſt. Sanchez. Diana.

Tamen mihi cum diſtinctione videtur dicendum cum Medina *tract.de pœniten.quæſt.de diſpenſatione*, Bonacina *diſp.1.de legib.quæſt.1. punct.3.num.7.* Quia ſi legiſlator probabiliter opinetur, an adſit cauſa juſta diſpenſandi, tunc poteſt ſecure diſpenſare, accommodans ſe opinioni probabili, & tunc qui ſecundùm illam operatur, tuta conſcientia agit, at verò ſi dubitat an detur ſufficiens cauſa, tunc cùm peccato diſpenſat, exponit enim ſe periculo diſpenſandi ſine cauſa, & fieri poteſt, ut re ipſa cauſa non ſit ſufficiens. 19.

Quæstio V.

Quæ cauſa ſit ſufficiens ad juſtè diſpenſandum?

SUMMARIUM.

20 *Duplex cauſa ad diſpenſandum, intrinſeca, & extrinſeca.*
21 *Cauſa ad diſpenſandum commune bonum.*
22 *Ad diſpenſandum requiritur cauſa rationalis.*
23 *Hæ autem cauſæ ex multis poſſunt conſiderari.*
24 *Ad diſpenſandum per privilegium ſufficit cauſa remota.*

EX communi placito Theologorum, duplex eſſe poteſt cauſa diſpenſationis, una intrinſeca, 20.

intrinseca, altera extrinseca. Intrinseca est, quando in persona dispensanda inveniunt aliquod impedimentum, ob quod obligatio legis est valdè gravis, & onerosa, ut verbi gratia jejunium ob debilitatem corporis. Extrinseca est, quæ sumitur ad dispensandum ex circunstantiis extrinsecis, verbi gratia ex nobilitate personæ, vel ejus meritis. Hoc posito.

21. Causa generalis in principe ad dispensandum debet esse bonum commune, ut D. Thomas 2. 2. *quæst.* 97. *art.* 4. & est valdè commune, & sequuntur omnes Theologi, quos latè citat Salas, *disp.* 8. *sect.* 8. Quia quemadmodum lex non potest esse justa, nisi bonum commune respiciat, ita nec dispensatio, si verò ad commune bonum tendat, jam incipit esse justa, quia commune bonum melius est, quam privatum; unde Concilium Trid. *sess.* 25. *cap.* 18. dixit, leges tantum debere relaxari, ut communi utilitati satisfiat.

D. Thom. Salas. Trident.

22. Hæc autem rationabilis causa ad dispensandum legitima auctoritate, juxta prudentis viri arbitrium desumenda est, & communiter cum aliis tenent Reginald. *in praxi lib.* 13. *cap.* 19. *n.* 194. Fr. Ioannes à Cruce, *lib.* 2. *cap.* 1. *dub.* 1. Barbos. ad citatum locum Concilii. Hæc autem causæ, ut de sumitur ex *cap. requisitis*, §. *Nisi rigor*, *quæst.* 7.

23. Ad dispensandum multæ, & variæ sunt, juxta varia genera dispensationum, & sunt pietas in Deum, verbi gratia, ad Dei templum ædificandum, necessitas communis, vel privata; utilitas, ac commoditas communis, ac privata, qualitas personæ, ac meritorum, ejus & alia, quæ pro qualitate loci, temporis, ac circunstantiarum prudentiali arbitrio pensanda sunt, ut notant Sylvester verbo dispensatio, *num.* 3. Azor. *tom.* 1. *lib.* 5. *cap.* 15. *quæst.* 8. M. Lezana, *verb. Dispensare*, *num.* 2. His adde, quod maximè ad bonum Reipublicæ pertinet, quod privatæ ejus personæ fruantur salute, divitiis, meritis remuneratis, quietè, & commodè, & pacificè vivant, & inde passim dispensatur in impedimento matrimonii, propter honorem, vel paupertatem mulieris, in voto castitatis propter periculum incontinentiæ, vel in aliis rebus vetitis propter periculum peccandi, & etiam ob Eminentem personam principis, generis nobilitatem, & ob majorem commodum, ac firmitatem regni.

24. Argues. Ad commutandum, ac dispensandum per privilegium, non requiritur causa justa, ergo nec etiam ad dispensandum in propria lege requiritur justa causa; Nam si per privilegium habeo velut jus ad impetrandam rem, tanquam propriam, à fortiori habebit legislator in sua lege, cum sit res propria.

25. Argumentum petit illam quæstionem, an dispensatio, vel commutatio facta per privilegium, vel per Iubilæum, vel bullam cruciatam requirat justam causam? Respondeo propriè nullam aliam causam requiri particularem, præter eam, quæ assignatur in bulla, vel Iubilæo. Ita Suar. *tom.* 2. *de Relig. lib.* 6. *cap.* 19. *num.* 10. Portel. *in Additionibus*, *ad dubia Regularia verb. voti commutatio.* Diana, *tract. de bulla cruciata Resol.* 39. Probatur, quia licet ad commutandum in æquale, vel ad dispensandum ordinariè requiratur justa causa, tamen quando commutatio, vel dispensatio fit per privilegium, non fit absolutè, sed cum aliquo onere, ob bonum publicum, ut fit per bullam cruciatam, vel Iubilæum, ergo nulla alia causa requiritur, quam dare eleemosynam in belli subsidium, vel exequi opera præcepta in Iubilæo, quia ob talem causam Pontifex concedit facultatem dispensandi, ac commutandi, & ut ita loquar, ad dispensandum per privilegium, licet non detur justa causa proxima, & immediata, tamen datur justa causa remota, nempe eleemosyna, vel preces in subsidium, ac ad illius victoriam.

Suar. Portel. Diana.

Ad argumentum concedo antecedens, nego consequentiam. Et major ratio est, quia ad impetrandum privilegium habui justam causam, & sic jam antea justè habeo jus ad dispensationem, quod idem est licet proximè, ac immediatè non habeam justam causam ad dispensationem, habui tamen remotam, quæ dedit occasionem dispensatori, ut justè, ac validè dispenset. 26.

QVÆSTIO VI.

Virum Prælatus possit secum immediatè dispensare?

SVMMARIVM.

27 *Prælatus potest dare potestatem suo Confessori, ut eum absolvat à peccatis, ac censuris.*

28 *Prima, & secunda sententia negat Prælatum posse secum dispensare.*

29 *Tertia sententia, & vera affirmat posse, & probatur, & num.* 30.

31 *Prælatus potest secum dispensare validè, sed non licitè.*

QVærimus in præsenti, an eo casu in quo Prælatus potest dispensare cum aliis, possit etiam secum dispensare; & imprimis certum est, posse Prælatum dare potestatem suo Confessori ad dispensandum cum eo, in omnibus his, quæ potest cum suis subditis dispensare. In quo videtur Suarius, *dubitasse tom.* 2. *de Relig. lib.* 6. *de voto cap.* 15. *num.* 5. *Tamen lib.* 6. *de legibus*, ut statim referam, stat pro communi sententia, quam valdè frequenter tenent Doctores, quos citat, & sequitur Sanchez, *lib.* 8. *de Matrim. disp* 3. *n.* 3. *& sumitur ex cap. finali de Pœnitentia, & remissionibus.* Deinde Prælatus non debet esse deterioris conditionis, quam subditi; unde tradunt Suar. *tom. de censur. disput.* 41. *sect.* 2. Sayro, *tom.* 1. *lib.* 7. *cap.* 14. *n.* 5. esse declaratum per Sacram Congregationem Cardinalium, quod in casibus occultis commissis Episcopo in Tridentino *sess.* 24. *cap.* 6. *de reformatione*, si Episcopus, in eos incidat, potest absolvi, & dispensari ab eis à Confessore à se electo. 27. Suar. Sanchez. Sayro.

Tota difficultas in hac re est, an Prælatus possit directè, & immediate verè, & propriè dispensare secum in irregularitatibus, votis, & præceptis Ecclesiæ, quoties id potest cum suis subditis. In qua re est triplex Sententia. Prima absolutè negat etiam includendo summum Pontificem. Ita Angelus, Imola, Paludanus, & alii apud Sanchez citatum *num.* 4. secunda Sententia 28. Angelus. Immola. Paludan. Sanchez.

tentia. Prima abſolutè negat etiam includendo ſummum Pontificem. Ita Angelus, Imola, Paludanus, & alii apud Sanchez citatum *n.*4. ſecunda ſententia utitur diſtinctione: Concedit ſummo Pontifici, aliis verò Prælatis negat.

Henriq. Azor. Rodrig. Ita Henriquez, *lib.6.de pœnitent. cap.4.num.3. in Commentar. littera I.* & *cap.7.n.5.in Comment. litter.B.* Azor. *lib.5.cap.15. q.6.* Rodriguez, 1. *Regul. quæſt.45. & alii.*

29. Tertia, & vera ſententia, ac probabilior, ait, poſſe Pontificem, Epiſcopum, vel Prælatum Regularem, vel quemcumque alium diſpenſare ſecum immediatè in his, quæ poteſt diſpenſare cum ſuis ſubditis. Ita D. Thomas, 2.3. *q.*85. *art.*8. Corduba, *lib.3. quæſt.*31. Sanchez, *citat. diſp.3. à n.*4. ubi citat Sylveſtrum, Covarr. & alios, Suar. *6. de legibus cap.* 12. *num.*12. Salas, *diſp.20 ſect.3. num.*14. Valentia, *tom.*4. *diſp.7. quæſt.*20. *punct.*3. Bonacin. *tom.*2. *diſp.*1. *de leg. q.*2. *punct.*1. *n.*9. Diana, *p.*10.

D. Thom. Sylveſt. Corduba. Sanchez. Suarez. Salas. Valentia.

30. Pro reſolutione quæſtionis notandum eſt, quod actus juriſdictionis eſt duplex; unus qui eſt per modum coactionis, ſeu judicii, ſeu ſententiæ; alter eſt actus juriſdictionis voluntariæ, & gratuitæ, ut concedere indulgentias.

31. Noſtra reſolutio probatur hoc diſcurſu, quia quod aliquis Prælatus poſſit ſecum diſpenſare, non habet repugnantiam, vel contrarietatem: nec ex jure naturali, ſeu divino, nec ex jure humano, ergo Prælati ordinarii poſſunt erga ſemet ipſos diſpenſare, nam valent agere omne illud, quod nec in ſpecie, nec in genere eis prohibetur. Antecedens probatur. In primis non repugnat ex jure naturæ, vel etiam Divino, quia nullum aſſignabitur, præcipuè cum diſpenſatio non fiat per modum judicii, & Sententiæ, ob quam cauſam nullus poteſt, nec ſacramentaliter, nec à cenſuris ſe ipſum abſolvere, nec ſe ipſum excommunicare. At diſpenſatio fit ex directione voluntaria prudentialis judicii conſiderando juſtam diſpenſationis cauſam, quæ quando eſt notoria, & evidens poteſt Prælatus eam in ſe conſiderare, ut ſecum diſpenſet.

32. Quod verò non repugnet ex jure humano, probatur, quia ſi aliqua eſſet, daretur ex *cap. finali.n.*5. *de Inſtitut.* ubi decernitur quòd Prælatus Collator beneficiorum non poſſit ſe ipſum inſtituere, nec ſibi conferre beneficium; & redditur ratio, quia inter dantem, & accipientem debet dari diſtinctio. Sed hæc ratio, ut ibi bene notant Abbas, & alii in Collectanea apud Barboſam, ſolum militat in citato Textu, ne Prælatus præbeat exemplum ambitionis ſe ipſum inſtituens in beneficium, & non eſt extendenda talis ratio ad alia; ſiquidem in univerſum non requiritur diſtinctio perſonalis inter dantem, & accipientem; nam in naturalibus, verbi gratia, potentia viſiva agit, ſeu producit viſionem, & eam recipit. In Sacramentis idem Sacerdos eſt miniſter Euchariſtiæ, & receptor. Item ſtando in puncto juris, talis diſtinctio non requiritur, quia Rex ut homo fidelis, eſt ſervus Eccleſiæ, ut verò Rex patronus, *cap. ſi Eccleſia in fine* 23. *q.*4. Item Archiepiſcopus, qui ſine Pallio exercet Pontificale, graviter peccat, *cap. quod ſicut de electione.* At verò ſi antea erat Epiſcopus, ſine culpa poteſt exercere, ibi Gloſſa, *verb. Tanquam* ergo ſtando in jure nulla requiritur diſtinctio perſonalis inter agentem, & patientem, ſeclu-ſo ordine judiciario; ergo Prælatus poteſt agere, ſe ipſum diſpenſando.

Abbas. Barboſa. Gloſſa.

Dices Diſpenſatio eſt actus juriſdictionis, atqui nemo habet juriſdictionem in ſe ipſum; ergo nemo poteſt ſecum diſpenſare. Reſpondetur, quod diſpenſatio eſt actus juriſdictionis voluntariæ, & non coactivæ, & quamvis nemo poſſit in ſe exercere actum juriſdictionis coactivæ, ac ordinis judiciarii, optimè tamen actum juriſdictionis voluntariæ, ac beneficæ, ut ſibi concedat indulgentias, ut cum multis tenet Suar. *tom* 4. *ad* 3. *part. diſp.*52. *de Indulgentiis ſect.*1. *num.*22. 33. Suar.

Dices ſecundò. Ex *cap. magnæ, de voto.* Ubi laudatur Epiſcopus Tercenſis, qui noluit ſecum diſpenſare in voto, ſed pro illo habuit recurſum ad ſedem Apoſtolicam. Reſpondetur, quod laudatur, non quia id eſſet neceſſarium, ſed valdè decens, & convenientius, ut eſt ſemper recurrere ad ſuperiorem, at ad eſſe, & validitatem, poterat ſecum diſpenſare. 34.

Quæres tamen, utrum legiſlator poſſit ſecum juſta cauſa, validè, & licitè diſpenſare. Suar. *6. de leg. cap.*18. *num* 11. *& cap.*19. *n.*17. *&* 20. cum aliis tenet, legiſlatorem ſine cauſa non poſſe licitè, ac validè diſpenſare ſecum; & ratio eorum eſt, quia ſuperior ex jure naturali tenetur legem ſuam ſervare, obligatio autem juris naturalis, non poteſt auferri ſine cauſa juſta. 35. Suarez.

Tamen probabilius Navarrus in ſumma præludio, 9. *num.*14. Cajetanus, 1. 2. *quæſt.*96. *art.*5. Bonacin. *tom.*2. *diſput.*1. *quæſt* 2. *punct.*3. *n.*6. docent, quod legiſlator poteſt ſecum ſine juſta cauſa diſpenſare validè, ſed non licitè. Quod poſſit validè inde oſtenditur, quia poteſt cum aliis validè ſine cauſa diſpenſare, ut tenent Sanchez, *lib.*8. *de Matrim. diſp.*18. Sayrus, *de cenſuribus lib.*3. *cap.*10. *num.*11. Suar. Azor. Henriquez, & alii, quos citat, ac ſequitur Bonacina citatus. Et ratio eſt, quia obligatio legis pendet à voluntate legiſlatoris, ipſe enim eſt Dominus legis, ut etiam ipſe Suar. ait *lib.6. de leg. cap.*19. *num.*6. ergo poteſt alios eximere, ab obligatione legis, ergo & ſe ipſum, & in hoc legiſlator non aufert legem naturalem, ſed ſe ipſum eximit ab obligatione legis, quæ ab ipſius voluntate pendet; quam lumine naturali ſervare tenetur, niſi eximatur, quòd verò non licitè inde declaratur, quia ſuperior debet ſe cum ſuis membris conformare, & cum eis quandam æqualitatem habere. 36. Navar. Cajet. Bonac. Sanchez. Sayrus. Azor. Henriq. Bonacina. Suar.

QVÆSTIO VII.

Virum valida ſit diſpenſatio facta à Prælato inferiori in lege ſuperioris, cauſa non juſta, quàm bona fide exiſtimabat juſtam.

SVMMARIVM.

37 *De Prælato inferiori procedit quæſtio. Prima ſententia affirmat validam eſſe diſpenſationem, & num.*38.

39 *Secundus, & verior negat, & rationibus probatur, & num.*40. *&* 41.

42 *Propo*

42 *Proponitur primum argumentum, & reſpondetur ad legem* Barbarius, *num.* 43. & 44.

45 *Ponitur ſecundum argumentum, agitur de alienatione bonorum Eccleſiæ, & num.* 46.

47 *Proponitur tertium argumentum, de poſſeſſore bonæ fidei.*

37. QVando ſupremus legiſlator ſine cauſa in ſua lege diſpenſat, validam eſſe diſpenſationem, patet ex proximè dictis ſuperiori quæſtione, Quæſtio propoſita procedit de Prælato inferiori in lege ſuperioris, dum bona fide exiſtimat ſe habere poteſtatem ad diſpenſandum, cum revera non habeat. In qua re eſt duplex ſententia.

38. Sanch. Azor. Rebellus. Diana. Prima affirmat validam eſſe diſpenſationem. Ita Sanchez *lib.* 8. *de matrimonio, diſput.* 17. *num.* 8. Azor. *part.* 1. *lib.* 7. *cap.* 29. *quæſito* 9. Rebellus 2. *part. lib.* 3. *quæſt.* 5. *num.* 12. Diana 1. *part. tract.* 10. *de legibus, Reſol.* 33. & idem multi dicunt de jure divino, ut in voto, vel juramento,

39. Secunda ſententia eſt mihi verior, ac probabilior, eam tenet Salas *diſput.* 20. *de legibus, ſect.* 4. *num.* 35. citans Navarrum, Lopez, & alios. Bonacina, *tom.* 2. *diſput.* 1. *de legibus, quæſt.* 2. *punct.* 3. *num.* 8. & ait hæc ſententia, quod quamvis in præcitato caſu diſpenſatio ſit nulla, quod ille, cum quo eſt diſpenſatum, ſit in bona conſcientia, donec de inſufficientia cauſæ ei certo conſtet, cognita autem inſufficientia cauſæ, non poteſt amplius uti tali lege.

40. Probatur primò, hæc ſecunda ſententia, & noſtra reſolutio, quia in omni poteſtate, ſeu commiſſione alicui data ad diſpenſandum, quamvis ſit conceſſa à Deo, ſemper ſubintelligitur illa clauſula, juſta ſubſiſtente cauſa, ergo ſi non adſit cauſa juſta, diſpenſatio non eſt valida. Conſequentia eſt bona, antecedens probatur ex illa celebri regula, in dubio tenendum eſt illud, quod legiſlator interrogatus prudentialiter, reſponderet; atqui ſi ipſe legiſlator interrogaretur, prudentialiter reſponderet, non ſtante juſta cauſa, mentem ſuam eſſe non diſpenſare, ergo diſpenſatio eſt invalida. Confirmatur. Prælatus in ſuo facto non præſumitur velle peccare; atqui Prælatus inferior diſpenſando ſine juſta cauſa peccat, ergo præſumitur non ſtante juſta cauſa, mentem ſuam eſſe non diſpenſare.

41. Probatur ſecundò. Bona fides petentis diſpenſationem ſine cauſa, non facit diſpenſationem validam; ergo nec bona fides concedentis, reddit diſpenſationem validam, quando concedens, exiſtimabat juſtam adeſſe cauſam, licet bona fides utrumque excuſet à peccato, donec de ſufficientia cauſæ non conſtat. Confirmatur primò. Quia contractus celebratus bona fide ſine debita ſolemnitate eſt nullus, excepto teſtamento ad pias cauſas: nam bona fides licet excuſet à peccato, non tamen ſupplet defectum juris, ergo & diſpenſatio data bona fide ſine ſufficienti cauſa, eſt nulla. Confirmatur, quia qui contrahunt matrimonium, per diſpenſationem factam à ſuperiore bona fide, ſine juſta cauſa, ubi ipſa cauſa cognoſcitur injuſta, tale matrimonium, judicatur à ſuperiori eſſe nullum; ergo talis diſpenſatio bona fide facta eſt nulla; nam ſi ipſa eſſet valida, matrimonium etiam eſſet validum, & ſic nunquam poſſet annullari ab Eccleſia.

42. Argues primò, quod eſt fundamentum primæ ſententiæ. Prudentialiter non eſt credendum, ſuperiorem, qui dat facultatem inferiori ad diſpenſandum ad conſcientiæ quietem, velle ut diſpenſatio data ſine cauſa, ſit nulla, cum ex hoc darentur multi ſcrupuli; ergo credendum velle, ut diſpenſatio ſit valida; & hæc eſt mens Prælati circa ſuas leges, & etiam Dei circa ſuas, ut ait Sanchez *citatus*. Confirmatur ex *l. Barbarius, de officio Prætoris*, ubi facta à Prætore ex communi errore, titulo colorato, ſunt valida.

43. Reſpondetur, bonam Eccleſiæ gubernationem non poſtulare, ut valida ſint, quæ bona fide ſunt, ut patet in contractu celebrato ſine debita ſolemnitate, licet bona fide, quamvis aliunde revalidari poſſint, ſed ſolum talis recta gubernatio requirit, ut quæ bona fide fiunt, à peccato excuſent operantem, donec de inſufficientia cauſæ certo conſtet; & ſic donec non conſtat, quietus eſt in conſcientia: nam pro diſpenſatione conceſſa ſtat poſſeſſio, cum pro ea ſtet juris præſumptio, *de Regulis juris, in* 6.

44. Ad confirmationem ex *l. Barbarius*, dic per talem legem ſolum validari ea, quæ fiunt à Prælato habente titulum coloratum cum communi errore, quantum ad juriſdictionem, verbi gratiâ, Petrus revera non eſt Prælatus, quia fuit ſimoniacè electus, tamen acta per eum ſunt valida, quia aliunde darentur gravia inconvenientia, ut conſideranti patebit in Prælato Religionis, vel Senatore populi, & idem dicitur de Confeſſario communiter bona fide exiſtimante ſe eſſe approbatum, & ſe habere juriſdictionem, cum revera non habeat. Ita Henriquez, & Sanchez, Suarez, quos citant, ac ſequuntur Ægidius Lovan. *diſput.* 8. *dub.* 3. *num.* 22. Bonacina *de pœnitentia, diſputatione* 5. *quæſtione* 7. *punct.* 5. §. 4. *numero* 4. At verò alia, præter ea, quæ ſunt juriſdictionis non ſupplentur per legem prædictam, ut patet in contractu ſine ſolemnitate juris, vel in teſtamento, ſeu legato ad cauſas prophanas, ſine debita ſolemnitate, quæ omnia ſunt invalida; ſic eſt diſpenſatio ſine juſta cauſa, quia jus ad illam requirit cauſam juſtam, ſine qua dicta diſpenſatio eſt invalida. Henriq. Sanchez. Suar. Lovan. Bonac.

45. Argues ſecundò. Bona Eccleſiaſtica, ſeu Eccleſiæ non poſſunt alienari ſine juſta cauſa *Clement.* 1. *de rebus Eccleſiæ non alienandis*, & *cap. Sine exceptione*, 11. *quæſt.* 2. & aliis multis; & tamen valida eſt alienatio bonorum Eccleſiæ facta bona fide, ſine juſta cauſa à Prælato exiſtimante juſtam cauſam ſubeſſe, quæ revera non ſubſiſtit. Ita Gloſſa *cap. Ad noſtrum, de rebus Eccleſiæ non alienandis*. Molina *tract.* 2. *diſput.* 468. *num.* 14. Vaſquez *in Opuſculis, de redditibus, cap.* 2. §. 2. *dub.* 13. *n.* 39. Covarruvias, & alii, quos citat, ac ſequitur Bonacina Gloſſa. Molin. Vaſquez. Covar. Bonac.

diſp.3. de contract. lib. quæſt.8. punct. 4. num.6. ubi expendit conditiones, quæ ad hanc alienationem requiruntur, ergo etiam diſpenſatio data bona fide in cauſa non juſta erit valida.

46. Reſpondeo. Concedo antecedens, nego conſequentiam, & major ratio eſt, quia ex communi ſententia Doctorum videtur hic caſus exceptus in bonorum Eccleſiæ alienatione, veluti per Epicheiam: exceptio autem ſeu diſpoſitio ſpecialis in uno caſu, non eſt ad alium trahenda. *L. jus irregulare, ff. de legibus.* Deinde aſſigno hanc majorem rationem, quia tam ad alienanda bona Eccleſiaſtica, quam ad diſpenſandum requiritur poteſtas à ſuperiore; ad alienandum à Papa, qui licitè poteſt dare talem poteſtatem, etiam ſine vlla cauſa, & ideo ex communi Doctorum conſenſu judicantur data, quia Eccleſia non vult invalidare talem alienationem legitimam putatam ad evitandas lites; at diſpenſare ſine cauſa eſt peccatum ex genere ſuo mortale, ut eſt communis ſententia, & ideo non præſumitur dare poteſtatem ad diſpenſandum ſine cauſa.

L. Ius irregulare.

47. Argues 3. Poſſeſſor bonæ fidei, qui alienavit, vel conſumpſit rem alienam bona fide credens eſſe ſuam, non tenetur ad reſtitutionem, niſi in aliqua re factus ſit locupletior, ut docet D. Thomas 2.2. *quæſt.62. art.6. ibi.* Cajet. Leſſius *lib.2. cap.14. dub.1. n.7.* Molin. *tom.1. diſp.36.* Clavis Regia *lib.10. cap.2. n.9.* & alii multi, apud ipſos, in quo diſtinguunt poſſeſſorem bonæ fidei à poſſeſſore malæ fidei, quia iſte tenetur ad reſtituendam rem, & damna omnia, ergo ſicut illa alienatio facta bona fide ſine juſto titulo fuit valida, & liberat à reſtitutione, ita & diſpenſatio data bona fide ſine juſta cauſa, erit valida.

D. Thom. Cajetan. Leſſius. Clavis Reg.

48. Reſpondetur, concedendo antecedens, quod verum eſt, ut tenet communis ſententia etiam de ipſo poſſeſſore, quando in manu ejus caſu res perit. Negatur conſequentia, quia nunquam talis alienatio poteſt dici valida, ſiquidem ille, ad quem res eſt alienata, vel vendita à poſſeſſore bonæ fidei, ubi cognoſcit rem eſſe alienam, tenetur ipſam dare domino ſuo. Deinde ſi ipſa res perit in manu poſſeſſoris bonæ fidei, licet non teneatur reſtituere ipſam rem, quia ſolum tenetur ratione rei acceptæ, res verò accepta non extat, ergo non tenetur ad illius reſtitutionem, obligatur tamen ad reſtituendum id, in quo factus eſt locupletior, vel quia tali re aliquid lucravit, vel quia illa evitavit aliquos ſumptus, ergo.

QUÆSTIO VIII.

Vtrùm præcognitio cauſæ neceſſaria ſit ad validè diſpenſandum?

SUMMARIUM.

49 *In notoriis non requiritur probatio juris. Diſpenſatio data à ſuperiore ſine cauſæ cognitione eſt valida, ibid.*

50 *Prima ſententia ait, quòd diſpenſatio data ab inferiori ſine cauſæ cognitione ſit nulla.*

51 *Secunda ſententia, & vera affirmat, & probatur, & n.52.*

53 *Reſpondetur argumento contrariorum, ac confirmationi, & n.54.*

55 *Diſpenſatio facta ſine cauſæ cognitione, præſumitur dolo obtenta.*

QVærimus, an cauſæ præcognitio, & examinatio præmittenda ſit, ad hoc ut valida fiat diſpenſatio, & quantum ad examinationem certum eſt non requiri, quando cauſa eſt notoria, & manifeſta, quia in notoriis non requiritur ordo juris, nec notorium exigit examinationem. *Cap. manifeſta 2. quæſt. 1.* Sed quæſtio eſt, quando cauſa non eſt manifeſta, & notoria, & in hac re eſt certum, quòd ſupremus princeps, diſpenſando ſine cauſæ cognitione, valida eſt diſpenſatio, ſicut valida eſt diſpenſatio ab ipſo data, ſine cauſa, *ut dixi ſupra quæſt. 1. num. 4.* à fortiori ergo erit valida ſine cauſæ cognitione, quæſtio eſt tantùm de inferiori diſpenſante in lege ſuperioris ſine cauſæ cognitione. 49.

In hac re prima ſententia in diſpenſationem datam ſine cauſæ cognitione eſſe nullam. Ita Angelus *in ſumma verb. diſpenſatio. n.12.* Azor. *1. part. lib.5. cap.15. quæſt.9. & 10.* ubi ait, quòd talis diſpenſatio ſit nulla in vtroque foro; nam facultas cenſetur commiſſa cum cauſæ cognitione, ita videtur conſtare *ex cap. neceſſaria, & cap. diſpenſationis 1. quæſt.7.* ubi dicitur temporum varietatem expoſcere aliquando, ut leges relaxentur adhibita diligenti ponderatione: & clarius hoc docet Tridentin. *ſeſſ.25. de reformatione cap.18.* ubi diſponitur, ac præcipitur, quòd ſi urgens ratio poſtulaverit, cum aliquibus diſpenſandum, id tamen fiat, cauſa cognita, ac cum ſumma maturitate, de quo Menochius *conſil.16. num.15.* Guttierrez *Canonic. lib.1. cap.19. num.5.* Barboſa *de poteſtate Epiſcopi allegat. 33. num.4.* & confirmatur, quia ſicut actus juriſdictionis eſt abſolutio à peccatis, & cenſuris, ita & diſpenſatio; ſed abſolutio non poteſt dari, nec à peccatis, nec à cenſuris, niſi cognita cauſa: ergo nec diſpenſatio. 50.

Angelus. Azor. Trident. Menoch. Guttier. Barboſa.

Communis, & vera ſententia eſt, validam eſſe diſpenſationem in foro conſcientiæ, datam ſine cognitione cauſæ, dummodo cauſa diſpenſandi verè ſubſiſtat, quamvis in foro exteriori revocari poſſit. Ita Sanchez *lib. 8. de Matrim. diſput.17. num.11.* Salas *de legibus diſp.20. ſect.9. num.79.* Villalobos *in ſumma tom.1. tract.2. dub.41. num.4.* Bonacina *de leg. diſp.1. quæſt.2. punct.3. num.17.* Diana *1. part. tract.10. de leg. reſol.34.* 51.

Sanchez. Salas. Villalobos. Bonacina. Diana.

Probatur primò, quia nullo jure probatur cognitionem cauſæ requiri ad validitatem diſpenſationis in foro conſcientiæ, dummodo talis cauſa verè adſit in re, ergo talis cognitio non eſt neceſſaria. Probatur ſecundò ex *c. Nihil de elect.* ubi dicitur electum ſine cauſæ examine eſſe ejiciendum, cùm indignus reperiatur, ergo à contrario ſenſu, non eſt ejiciendus, ſi dignus inveniatur, quamvis eligentes prætermiſſo examine defecerint in electionis forma, ergo etiam diſpenſatio data ſine cauſæ cognitione erit valida, ſi verè cauſa ſubſiſtat: & inde ex præcitato textu manet confirmata ſecunda 52.

pars

pars concluſionis, quòd poterit invalidari in foro externo.

53. Salas. Ex quibus benè notat Salas *citatus num.* 81. quòd ſubditus utens tali diſpenſatione nec venialiter peccabit, quamvis ſit etiam in voto, vel juramento. At verò Prælatus diſpenſando ſine cauſæ cognitione, ut benè advertit Sanchez *num.* 11. *in fine*, peccabit mortaliter, exponit enim ſe periculo faciendi diſpenſationem invalidam, & ſine cauſa.

54. Ad argumentum contrariorum deſumptum ex jure, ac ex Tridentino dicimus, quòd loquuntur de foro exteriori, & ideo diſpenſatio data ſine cognitione cauſæ poterit annullari in foro externo, & ideo in tali foro habetur præſumptive pro ſubreptitia. Cujus rei ſignum eſt, quòd Tridentinum indiſtincte loquitur de Summo Pontifice, ac alio quolibet Prælato; & tamen omnes fatentur, quòd diſpenſatio data à Papa ſine cognitione cauſæ eſt valida, ergo etiam quoad alios Prælatos, ac proinde ſolum poterit invalidari, præſumitur enim dolo obtenta. Clauſula autem poſita in Tridentino, *cognita cauſa*; utpotè juſta, non ponitur tanquam quid neceſſarium, ſed ad evitandam temeritatem, & ideo ait Concilium *Cum ſumma maturitate*: Vnde ſi cauſa aliunde cognoſcitur, vel verè præexiſtit in re, valida erit diſpenſatio.

55. Ad confirmationem concedo majorem, & minorem, nego conſequentiam, eſt diſpar ratio, quia abſolutio à peccatis, & cenſuris fit per modum ſententiæ, & ideo requirit cauſæ cognitionem, at diſpenſatio non fit per modum iudicii, ſed juriſdictionis voluntariæ, & gratuitæ, & ideo Prælatus poteſt ſecum diſpenſare, non verò ſe ipſum abſolvere, *ut dixi ſuprà quæſt.* 6.

56. Suar. Pro magis confirmanda hac doctrina nota ex Suario *lib.* 6. *de leg. cap.* 19. *n.* 2. Quòd eſto diſpenſatio fuerit data ſine cauſa juſta, tamen præſumptione ſubreptionis in foro externo notari, probando legitimam cauſam non interfuiſſe ad diſpenſandum, quia tunc per ſufficientem probationem conſtabit in foro externo, legitimam cauſam non dari ad diſpenſandum, & ſic pro tali foro diſpenſatio erit invalida.

QUÆSTIO IX.

Vtrùm ſubditus petendo procurando, acceptando, utendo diſpenſatione injuſta peccet?

SUMMARIUM.

57 *Diſpenſatio obtenta falſa cauſa, nulla eſt.*
58 *Qui inducit poſtulare diſpenſationem injuſtam, peccat.*
59 *Quæſtio eſt de acceptante, ac utente diſpenſatione injuſta,*
60 *Prima ſententia affirmat peccare mortaliter, ſecunda venialiter.*
61 *Tertia ſententia ut vera probatur, ac confirmatur, & n.* 62.
63 *Ponuntur, & ſolvuntur argumenta contraria, & n.* 64. *&* 65.

IN præſenti quæſtione non loquimur de eo, qui falſa cauſa, vel ratione diſpenſationem procurat, quia certum eſt talem peccare mortaliter, & diſpenſationem eſſe nullam, ut notant omnes Doctores, & ratio eſt manifeſta, quia ſuperior quando diſpenſat, ait *ſi ita eſt, ſeu ſi preces veritate nituntur*; & quando hoc non exprimitur, ſemper ſubintelligitur, ut notat Petrus de Ledeſma *in ſumma de ſacram. Matrim. cap.* 27. *difficultate ultima.* 57. Ledeſma.

Quantum verò ſpectat ad petentem procurantem, inducentem ſuperiorem precibus, vel poſtulationibus ad diſpenſandum in lege injuſta, certum eſt peccare eodem peccati genere, quo peccat ſuperior, *de quo dixi ſupra quæſt.* 3. peccare mortaliter, nam iſte inducit ad peccandum, inducens autem ad peccandum, eodem peccati genere peccat, quo peccat inductus, ut cùm multis tenet Sanchez *lib.* 8. *de Matrim. diſp.* 18. *num.* 8. Valentia 1. 2. *diſp.* 7. *quæſt.* 5. *punct.* 9. Bonacin. *diſp.* 1. *de leg. quæſt.* 2. *punct.* 3. *num.* 16. 58. Sanchez. Valentia. Bonac.

Quæſtio autem eſt de utente, ac acceptante talem diſpenſationem injuſtam, an præter peccatum commiſſum in petitione, & procuratione incidat in novam culpam utendo tali diſpenſatione injuſta. In qua re triplex eſt ſententia; prima peccare mortaliter. Ita Cajetan. 1. 2. *q* 96. *art.* 5. *in fine*. Ledeſma *in ſumma tract. de Matrim. cap.* 27. *poſt.* 4. *concluſ. dub.* 1. quia peccat contra conformitatem, quam lex naturalis dictat in membris. 59.

Secunda ſententia affirmat utentem tali diſpenſatione peccare venialiter. Ita Rodriguez, *tom.* 1. *quæſt.* 26. *art.* 7. Valentia, & Bonacina citati. Fundamentum eſt, quia iſte diſpenſatus non peccat contra legem, in qua eſt diſpenſatus, cùm per diſpenſationem ſit exemptus. Deinde in uſu talis diſpenſationis ſolum peccat ex quadam indecentia, quia indecens eſt, ut pars ſit deformis à toto, quòd ceſſante ſcandalo, vel alio damno, non ita eſt grave, ut excedat culpam venialem. 60. Rodrig. Valentia. Bonac.

Tertia ſententia tenet abſolutè utentem tali diſpenſatione nullo modo nec venialiter peccare, ſecluſo ſcandalo, aut malo exemplo, ut excludi poteſt, ſi verbi gratiâ violatio legis fiat occultè, vel ſi alii arbitrentur diſpenſationem eſſe juſtam ex legitima cauſa conceſſam. Ita Aragonius 2. 2. *quæſt.* 89. *art.* 9. *ad finem*. Vaſquez 1. 2. *diſp.* 178 *cap.* 4. Navarrus, Soto, ac Sylveſter, quos citant, ac ſequuntur Suar. *lib.* 6. *de legib. cap.* 19. *num.* 14. Salas *diſput.* 20. *de legibus ſectione* 5. *num.* 60. Azor. *lib.* 5. *inſtitut. Moral cap.* 15. *quæſtione* 3. Probatur, quia utens tali diſpenſatione non peccat contra legem, in qua eſt diſpenſatus, ut probat ratio poſita in 2. ſententia, nec peccat contra legem naturalem de conformitate membrorum inter ſe, & cum capite, quia lex naturalis non obligat valide diſpenſatum, ut ſe conformet cùm aliis membris, nullam habentibus diſpenſationem, ut patet in privilegiatis, qui non tenentur ſe conformare cùm aliis, nec aſſigna- 61. Aragon. Vaſquez. Navarr. Sylveſt. Soto.

bitur alia lex contra quam peccet, ergo in uſu talis diſpenſationis nullum datur peccatum.

62. Confirmatur, quia ſi Princeps abſque juſta cauſa tollat legem omnino, tunc non peccabit eam non obſervans, ergo ſimiliter quando partim tollitur lex, diſpenſando, cùm aliquo, talis utens diſpenſatione non peccabit, nullum enim principium aſſignabitur, ex quo dicatur illum peccare.

Argues primò: qui utitur tali diſpenſatione injuſta cooperatur peccato ſuperioris, ergo peccat eodem genere peccati. Et confirmatur. Quia acceptans, ac utens diſpenſatione injuſta cooperatur peccato concedentis: diſpenſatio enim planè non ſortitur ſuum effectum, donec acceptetur, ac in uſu ponatur.

63. Reſpondeo negando antecedens, quia non cooperatur peccato Principis diſpenſantis, quia ut operarentur cùm Principe, concurreret in diſpenſationem faciendam, quemadmodum cooperatur, qui ſuperiorem inducit, & excitat ad faciendam diſpenſationem, non verò acceptans, vel utens tali diſpenſatione, non concurrit eodem modo ad illam, imò ſupponit factam, ſed utitur effectu diſpenſationis, in quo effectu nulla eſt malitia.

64. Inſtabis. Diſpenſatio fuit injuſta, ergo etiam effectus; nam ſi diſpenſatio eſſet nulla, nullus etiam eſſet ejus effectus. Reſpondeo; quòd quamvis diſpenſatio injuſta ponat aliquem effectum injuſtum, nempe in legiſlatore peccatum, tamen omnis ejus effectus non eſt injuſtus, ut patet in iniqua abrogatione legis, quam licet abrogando Princeps peccet, tamen ſubditus illa utendo non peccat, ita in præſenti, quia imprimis non obligatur à lege cùm ſit in ipſa diſpenſatus, nec alia lex extat, à qua obligetur. Ad id autem quòd dicitur de actu invalido, eſt multum diſpar ratio, quia actus invalidus idem eſt, ac ſi non eſſet, & nihil operatur.

65. Ad confirmationem principalis argumenti dicimus, quòd acceptans diſpenſationem, ac utens non cooperatur peccato concedentis, ergo poſtquam legiſlator concedit diſpenſationem, nihil amplius acquiritur, ex parte ejus, ut diſpenſatio ſuum obtineat effectum, licet ex parte ſubditi executio deſideretur, ac peccatum Prælati ſtat in concedenda diſpenſatione injuſta, in quo nihil facit ſubditus acceptando, & ſic diſpenſatio ex parte concedentis in ipſa diſpenſatione planè ſortitur ſuum effectum.

66. Dices 2. Sicut ſuperior diſpenſando ſine juſta cauſa peccat, & conſentiendo ut ſubditus utatur tali diſpenſatione etiam peccat, & veluti proſequitur in eodem peccato, ita etiam ſubditus petendo diſpenſationem injuſtam etiam peccat, ergo etiam perſeverando in tali uſu etiam peccat, in proſequitur in eodem peccato.

67. Relicta ſolutione Suarii *cap. 19. num. 14.* Tunc verò dic cum diſtinctione, quòd ſi diſpenſatio eſt data ab inferiori ſine cauſa in lege ſuperioris, tunc utens tali diſpenſatione poteſt peccare mortaliter juxta gravitatem materiæ, quia talis diſpenſatio eſt nulla, *ut dixi ſuprà quæſt. 1.* & ſic non eximit diſpenſatum ab obligatione legis, cum diſpenſatio nulla nullum obtineat effectum, quòd agnoſcens diſpenſatus illa non poteſt uti. At verò ſi diſpenſatio facta eſt à proprio legiſlatore, uti ſuperiore illius, tunc diſpenſatio eſt valida, & ideo cum tertia ſententia dicendum exiſtimo, quòd utendo illa nec venialiter peccat.

RESOLUTIO XXVII.

Poteſtas Eccleſiaſtica ad diſpenſandum.

QUÆSTIO PRIMA.

De his, in quibus Summus Pontifex valet diſpenſare.

SUMMARIUM.

1 *Summus Pontifex poteſt diſpenſare in omni jure humano, tam Eccleſiaſtico, quam civili.*

2 *Pontifex non poteſt diſpenſare in his, quæ immediate proveniunt à principiis naturæ, ac voluntate divina, & n. 3.*

4 *Tamen Deus in aliquibus poteſt mutare materiam, tamen talem mutationem non poteſt facere in omnibus.*

5 *Nec Pontifex poteſt diſpenſare in his, quæ immediatè pendent à voluntate divina.*

6 *Poteſt Pontifex diſpenſare in aliquo jure divino, cujus obligatio oritur à voluntate divina.*

7 *Non tamen in matrimonio conſummato.*

1. VAldè ampla, & lata eſt hæc materia; & certum in hac materia Summum Pontificem poſſe diſpenſare in omni jure humano, ſive Eccleſiaſtico, ſive civili, an verò poſſit diſpenſare in jure divino, & naturali, controverſia eſt, & quamvis omnes Catholici conveniant, quòd in aliquibus poſſit diſpenſare, tamen in explicanda hac re varii ſunt dicendi modi, & aliquando valdè confuſi, & multis omiſſis.

2. Dico. Quòd Summus Pontifex non poteſt diſpenſare in his, quæ immediatè proveniunt ab ipſis intrinſecis principii naturæ, vel à voluntate divina immediatè. Ac proinde non poteſt diſpenſare Deum creatorem, & auctorem non eſſe diligendum, ac venerandum, nec parentes honorandos, nec etiam in his, quorum materia, niſi varietur, eſt intrinſecè mala ex ſe; ac proinde licere furari, occidere, adulterari, nec etiam poteſt diſpenſare in his, quæ immediatè pendent à voluntate divina, ut in materia, forma, ac integritate Sacramentorum. Ita Abbas *in cap.* Abbas. *à nobis num. 4. & in cap. quæ in Eccleſiarum de conſtitut. num. 11.* Filinus *ibid. num. 26. ibidem* Filinus.

Inno

Innocent. Panorm. Navarr. Sanchez. Innocentius, Panormitanus, Navarrus, *lib.* 4. *conſilior. tit. de ſponſalibus, & conſil.* 3. *n.* 8. *& tit. qui filii legitimi num.* 2. Sanchez *lib.* 3. *de Matrim. diſp.* 6. *à num.* 5. *uſque* 10. *tom.* 1. *in Decalog. lib.* 4 *cap.* 37. *num.* 14. Azor. *lib.* 6. *cap.* 1. *quæſito* 5. M. Cornejo *tom.* 2. *tract.* 2. *diſ.* 7. *dub. ultimo, num.* 2. Bonac. *tom.* 2. *diſp.* 1. *de leg. quæſt.* 1. *punct.* 2. *num.* 12. Rebellus *lib.* 2. *quæſt.* 16. *ſect.* 7. *num.* 6.

Azor. M. Cornejo. Bonac. Rebellus.

3. Probatur, quia poteſtas Pontificis data eſt à Deo tanquam fidelis diſpenſatoris in ædificationem, & non in deſtructionem, atqui ſi Pontifex diſpenſaret, ut licitum eſſet furari, adulterari, fornicari, & occidere, maximè ejus poteſtas eſſet in deſtructionem totius boni communis, ergo talis poteſtas non ei data. Confirmatur: quia Deus de potentia abſoluta non poteſt diſpenſare, in hujuſmodi jure naturali, divino, ut in primis principiis, ac præceptis Decalogi, quia talia ante omnem prohibitionem, ac voluntatem ſunt intrinſecè mala, & diſconveniunt mortaliter naturæ rationali, ipſamque deordinant à ſuo naturali fine, nam hæc non ſunt mala, quia prohibita, ſed quia mala, ideo prohibita, ergo nullo modo poteſt Deus talia facere. Et confirmatur, quia Deus neceſſariò amat ſuas perfectiones, ergo neceſſario odio habet quidquid illis opponitur; ſed quidquid opponitur præceptis Decalogi, opponitur perfectionibus divinis, ergo neceſſario ſunt in odio Dei, ac proinde non poteſt talia præcipere. Ita D. Thomas 2. 2. *quæſt.* 100. *art.* 8. *ibidem* Cajetan. Conradus, Medina, M. Cornejo *tom.* 2. *tract.* 6 *diſput.* 1. *dub.* 4. *num.* 4. Sotus *lib.* 2. *de juſtitia quæſt.* 3. *art.* 8. & plures alii, quos citant, ac ſequuntur Vaſquez 1. 2. *diſp.* 179 *caſ.* 2. Salas *diſp.* 5. *ſect.* 9. *n.* 51. Lorca *de legib. diſp.* 9. *Membro* 2. & alii.

D. Thom.

4. Qui etiam notant, quòd quamvis præcepta Decalogi ſint indiſpenſabilia, tamen Deus, ut ſupremus Dominus poteſt mutare materiam: propria auctoritate non licet occidere, tamen Deus ut ſupremus Dominus omnium vitæ, poteſt eam auferre, ſic & furari nemini licet, tamen Deus ut omnium Dominus, poteſt huic, vel illi transferre dominium, & quamvis hoc verum ſit in aliquibus præceptis, non tamen in omnibus, ut D. Thoma 1. 2. *quæſt.* 100. *art.* 8. *ad* 3. & cum multis aliis, tenet Suarez *lib.* 2. *de legibus cap.* 15. *num.* 16. quia in aliquibus materia eſt adeò determinata, ut neque de potentia Dei abſoluta, in illis poſſit fieri mutatio, ut in primo præcepto Decalogi, *Non adorabis deos alienos*, impoſſibile eſt, quòd liceat, ut aliquis æquali honore, ut Deus verus honoretur, ſic & de ſecundo præcepto Decalogi, tum quia involvit deformitatem mendacii, tum quia facit Deum auctorem mendacii.

5. Dixi in concluſione, nec etiam in his, quæ immediatè pendente à voluntate divina, ut in materia, & forma Sacramentorum, & ratio eſt, quia Sacramentum totum ſuum eſſe habet à Chriſto, & tale eſſe debet, quale à Chriſto fuit inſtitutum, ſed Chriſtus inſtituit quodlibet Sacramentum cum determinata materia, & forma, ergo in eis non poteſt humana poteſtas aliquid innovare. Ita D. Thomas 3. *part. quæſt.* 30. *art.* 7. Cajetan. M. Cornejo, Coninch. *ibidem art.* 5. An verò circa ipſa Sacramenta poſſit Pontifex per modum interpretationis aliquid declarare; An verbi gratiâ in regione frigidiſſima, ubi nulla conſervatur vini copia, liceat conſecrare ſub una ſpecie tantùm; multi, & graves Theologi affirmant.

D. Thom. Cajetan. Cornejo. Coninch.

Dico 2. Quòd Pontifex poteſt diſpenſare in aliquo jure divino naturalis, cujus obligationis radix eſt à voluntate humana in aliquo ſpeciali caſu, juſta interveniente cauſa, ita Auctores citati in prima concluſione, ac proinde poteſt diſpenſare in voto juramento, matrimonio rato, reſidentia Epiſcoporum, qui voluntate tale onus ſuſceperunt. Probatur, quia Deus poteſt diſpenſare in tali jure divino naturali hoc modo conſiderato; & deinde bene ſequitur quòd etiam Pontifex, quia hoc nullam dicit indecentiam, ſed magnam convenientiam, ac utilitatem boni communis, ac Regni, ergo Pontifex habet ganc auctoritatem ad diſpenſandum, ac relaxandum ipſum jus naturale in tali caſu. Major eſt certa; Minor patet, quia diſpenſatio in aliquo caſu ſpeciali, in voto, matrimonio rato, poteſt conducere ad pacem unius Regni; deinde in hujuſmodi diſpenſatione nulla datur indecentia, cum talis obligatio orta ſit ex voluntate humana. Conſequentia eſt bona, quia conceſſio facta Petro, & ſuis ſucceſſoribus fuit generalis, & ampliſſima; *Quodcumque ſolveris ſuper terram*, &c. Ex quo Eccleſia colligit poteſtatem ad indulgentias, ad cenſuras, ergo etiam ad diſpenſandum in hoc jure. 6.

Nec inde inferas, ergo etiam poterit Papa diſpenſare in matrimonio conſummato, cùm etiam dependeat à voluntate humana, hoc tamen negant omnes Thnologi, & Juriſtæ, & mentio ſanè, quia ejus omnimoda indiſſolubilitas provenit ex ratione ſignificationis, ſignificationem indiſſolubilem Chriſti cum Eccleſia unionem per carnem aſſumptum. Ita Canus, Medina, Azor. Petrus de Ledeſma, Palacius, & multi alii, quos citat, ac ſequitur Sanchez *lib.* 2. *de Matr. diſp.* 13. *n.* 7. *& tom.* 1. *in Decalog. lib.* 4. *cap.* 37. *num.* 14. 7.

Canus. Medina. Azor. Ledeſma. Palacius. Sanchez.

QUÆSTIO II.

De Etymologia nominis Archiepiſcopi, Metropolitani, Epiſcopi, & de Archiepiſcopo, dum viſitat.

SUMMARIUM.

8 *Etymologia nomina Archiepiſcopo, Metropolitani, Epiſcopi.*

9 *Archiepiſcopus dum viſitat, poteſt diſpenſare, in voto, ac juramento ſuffraganei.*

10 *In confeſſionali poteſt diſpenſare in votis, ac juramentis ſubditorum ſuffraganei.*

AB Etymologia nominis incipio. Archiepiſcopus deducitur à verbo Græco Archon, 8.

quòd idem eſt ac Latinè *princeps*, ac proinde idem valet ac princeps inter Epiſcopos, ac Fratres, & deducitur *ex cap. 12. cleros diſt. 21.*

D. Iſidor. Cenedus. Bellarm. Henriq. Hugo. Durand. Cæſar.

Ita D. Iſidorus, Cenedus, Bellarmin. Henriquez, Hugo, Durandus, & alii multi, quos citat, & ſequitur Sebaſtianus Ceſar *in Hierarch. Eccleſ. diſp. 4. §. 1. num. 1.* Metropolitanus verò, ut vult D. Iſidorus, deducitur à numero decem, vel duodecim civitatum; vel ut alii probabilius à verbo Græco *Metros*, quòd ſignificat matricem civitatem vel Matrem civitatum. Ita Gloſſa *in dicto cap. cleros*,

Gloſſa. Budæus. Immola. Zabarella. Panormit. Vitalius. Gomez. Barboſa.

Budæus in prioribus annotationibus ad Pandectas, ex quo Immola, Zabarella, Panormitan. Vitalius, Gomez, & alii, quos citat, ac ſequitur Barboſa de poteſt. Epiſcopi, *part. 1. tit. 1. cap. 6. num. 10.* Dicunt, quòd idem eſt Archiepiſcopus, ac Metropolitanus, ubi etiam notat, quòd ſunt aliqui Archiepiſcopi, qui non dicuntur Metropolitani, quia nullum habent Epiſcopum ſuffraganeum, ut etiam notat Azor. *part. 2. lib. 3. cap 33. quæſito 1.* Epiſcopus autem dicitur à verbo Græco *ſcopein*, quòd ſignificat conſiderare, ſeu inſpicere, quaſi Epiſcopus in Eccleſia Dei ſit ſpeculator conſiderans ſubditorum vitam, & mores. Ita D. Iſidorus, *in citatos cap. cleros verb. Epiſcopus*, Bellarmin. *lib. 3. de Romano Pontifice cap. 24.* Henriquez *lib. 10. cap. 32. in princip.* Durandus *in Rationali Divin. lib. 2. cap. 2. à num. 1. ad quæſtionem.*

Azor.

9. Archiepiſcopus dum viſitat, poteſt diſpenſare in votis, & juramentis Epiſcoporum ſuffraganeorum, ut tenent Paludanus S. Anton. Henriq. Avila, Sayrus, & alii, quos citant, ac ſequuntur, Sanchez, *in præcept. Decalog. tom. 1. lib. 4. cap. 38. num. 36.* Molfeſ. *in ſumma moral. tract. 11. quæſt. 15. num. 111.* Suar. *tamen de relig. lib. 6. de voto, cap. 11. n. 3.* ait in hoc caſu conſulendam eſſe conſuetudinem.

Paludan. S. Anton. Henriq. Avila. Sayrus.

10. Archiepiſcopus dum etiam viſitat diœceſim ſuffraganei, audiendo confeſſiones in pœnitentiali, poteſt diſpenſare in foro conſcientiæ accedentes ad ipſum. Ita Gambar. *de offic. legat. lib. 2. tit. de variis ordinibus.* Abbas *in cap. ad extirpandas, de filiis presbyterorum*, & etiam in foro conſcientiæ de hæreſi occulta, & caſibus conceſſis Epiſcopis in Tridentino *ſeſſ. 24. cap. 6. de reformat.* & cùm eis etiam in irregularitate diſpenſare tenent Suar. *tom. 2. de Relig. tract. de voto lib. 6. cap. 10. num. 9.* Sayro, Sanchez, Henriquez, Anton. Gomez, Avila, quos citat, ac ſequitur Barboſa *de poteſt. Epiſcop. part. 1. tit. 2. num. 32.* & modo omnia, quæ dicimus de Epiſcopis etiam intelligenda ſunt de Archiepiſcopis.

Gambar. Abbas. Trident. Suar. Sayrus.

Quæstio III.

De poteſtate Epiſcopali ad diſpenſandum in votis, ac juramentis quibuſdam exceptis.

SUMMARIUM.

11 *Epiſcopus poteſt diſpenſare in votis ſubditorum exceptis quinque.*

12 *Poteſt Epiſcopus diſpenſare in voto caſtitatis, ac Religionis non abſoluto, nec ex amore Dei, ſed conditionali, & num. 13. & 14.*

15 *Poteſt Epiſcopus diſpenſare in juramento quibuſdam exceptis.*

POteſt ergo Epiſcopus, ſeu Archiepiſcopus diſpenſare in omnibus votis ſuorum ſubditorum, quia Epiſcopus habet ſufficientem juriſdictionem ad rectam ſuæ Eccleſiæ gubernationem, & bonum ſuorum ſubditorum. Excipiuntur tamen quinque vota, quæ reſervata ſunt Summo Pontifici, verbi gratiâ votum perpetuæ caſtitatis, Religionis approbatæ, votum peregrinationis ad limina Apoſtolorum, ad terram ſanctam, & S. Iacobum, ut patet ex extravaganti *Dominici de remiſſionibus, & pœnitentia*, & licet in his tribus vltimis votis juxta Panormitanum *in cap. ex multa de voto*, Tabienam *verbo diſpenſatio. num. 11.* & alios poſſit, Epiſcopus diſpenſare, quando facta ſunt tantùm cauſa devotionis, & non in ſubſidium belli, nihilominus contrarium tenendum eſt, univerſali Eccleſiæ conſuetudine. Ita Sanchez *in Decalog. tom. 1. lib. 4. cap. 40. n. 6.* Leſſius *lib. 2. cap. 40. d. b. 13. num. 104.* Clavis Regia *lib. 6. cap. 11. num. 35.* Bonacin. *tom. 2. diſput. 4. de voto, quæſt. 2. punct. 7. §. 4. num. 4. & 11.* & quamvis hæc reſervatio non ſit expreſſa in jure; tamen ſicut reſervatio poteſt per conſuetudinem auferri, ita etiam induci poteſt, & iſta reſervatio bene colligitur ex citata extravaganti Dominici de remiſſionibus, ubi fertur excommunicatio contra eos, qui prætextu facultatum ſummi Pontificis hæc quinque vota commutant. Ita Clavis Regia *cit. num. 38.* Suar. *lib. de voto c. 21.* qui bene obſervant, quòd in dicta extravaganti ſolùm fit mentio de commutatione, non verò de diſpenſatione, in pœnis autem non eſt facienda extenſio ad diverſa.

11. Panorm. Tabiena. Clavis Reg. Suarez.

Loquimur tamen de voto abſoluto, quia ſi ſit ad tempus, certum eſt poſſe Epiſcopum diſpenſare, imò & poteſt diſpenſare in voto caſtitatis, ſeu Religionis pœnali, ſeu conditionali, etiam adimpleta conditione, verbi gratiâ fecit quis votum caſtitatis, vel Religionis, ſi ab hac infirmitate liberetur, poſtquam evaſit periculum poteſt votum ab Epiſcopo diſpenſari. Ita Sanchez cum multis *lib. 8. de Matrim. diſp. 10. num. 13. & tom. 1. in Decalog. lib. 4. cap. 40. num. 99.* Rodriguez *tom. 1. quæſt. 63. art. 7.* Clavis Regia *lib. 6. citato cap. 11. num 72.* Petrus de Ledeſma *tom. 2. tract. 10. cap. 8. num. 3.* Suar. *tom. 2. de Relig. lib. 6. de voto cap. 23. num. 1. & 6.* & multi alii, quos citat, ac ſequitur Trullench *in bullam cruciatam lib. 1. §. 7. cap. 3. dub. 6. num. 2.* Et idem dicendum eſt etiam de votis juratis, ac etiam de confeſſore electo per Bullam Cruciatam, ſeu Iubilæum, quòd in tali voto poſſit diſpenſare, ut cùm multis tenet Illuſtriſſimus Dominus Acuña in explicatione Iubilæi, in quodam additamento in exordio.

12. Sanchez. Rodrig. Clavis Reg. Ledeſma. Suarez. Trullench.

Ratio hujus rei eſt, quia reſervatio eſt odioſa, ergo eſt reſtringenda ad rem ſimpliciter talem, atqui votum pœnale, ſeu conditionale, etiam adimpleta conditione, non eſt votum abſolutum, & ex perfectò amore

13.

Dei,

Dei, ſed tantum ex amore evadendi periculum, ergo non eſt votum ſimpliciter, cum deficiat à perfecta ratione voti, ergo non venit inter vota reſervata Pontifici.

14. Dices poſita conditione votum manet abſolutum, ergo non poteſt diſpenſari ab Epiſcopo. Reſpondetur, quod quamvis vota, poſita conditione, cenſeantur abſoluta ſecundum ſe, non tamen ſunt abſoluta, quoad radicem, ex qua proceſſerunt, eſt enim in illis imbibita illa radicalis imperfectio, quia non ſunt emiſſa directè ex amore virtutis, ſed tanquam pœna peccati, ac mali præſentis, quæ imperfectio etiam poſita conditione manet.

Quoad Iuramenta.

15. Quantum ad juramenta, poſſunt diſpenſare Epiſcopi, & alij Prælati, quaſi Epiſcopalem juriſdictionem habentes, exceptis juramentis reſervatis Summo Pontifici, ut ſunt juramenta, quibus confirmantur ſtatuta Collegiorum, Academiarum, & bonorum Eccleſiaſticorum. Item juramenta, quibus aſtringuntur Domini temporales, ut Reges, Duces, Marchiones, Comites. Item Prælati Eccleſiaſtici, ut Epiſcopi, & ſuperiores Eccleſiarum. Item juramenta, quæ in rebus arduis interponuntur. Et ratio eſt, ne hujuſmodi bona facile dilapidentur, & optimè tradit Sotus hanc regulam generalem. 8. *de juſtit. quæſt.* 1. *art.* 9. Quoties ſtatum juratum confirmatum à Papa; juramentum eidem Pontifici eſt reſervatum. Ita Sanchez *lib.* 3. *in Decalog. cap.* 19. *num.* 7. Azor, *p.* 1. *lib.* 11. *cap.* 19. *poſt quæſitum.* Reginald. *lib.* 18. *num.* 68. Bonacin. *diſp.* 4. *de leg. quæſt.* 1. *punct.* 17, *& hoc maximè poſtulat commune bonum.*

QUÆSTIO IV.

De poteſtate Epiſcopali ad diſpenſandum quoad irregularitates, & explicatur quid ſit occultum?

SUMMARIUM.

16 *Quot ſint irregularitates.*
17 *Epiſcopus poteſt diſpenſare in omni irregularitate ex delicto occulto, & num.* 18.
19 *Et etiam in irregularitate ex hæreſi occulta, & num.* 20.
21 *Explicatur quid ſit occultum, & num.* 22.
23 *Hæc facultas committenda Vicario ad hoc deputato, & num.* 24.
25 *Eadem poteſtas convenit Archiepiſcopo, dum viſitat.*

16. QUantùm ad irregularitates, nota quod irregularitates ſunt undecim, ſex ex defectu, quinque ex delicto. Irrigularitates ex defectu. Primò, eſt ex defectu rationis, ſcientiæ, & fidei. Secundò, ex defectu corporis, quia caret oculo, vel digito. Tertiò, ex defectu natalium, quia eſt illegitimus. Quartò, ex defectu ætatis, quia non habet requiſitam ad ordines. Quintò, ex defectu Sacramenti, id eſt bigamia, de qua egi *ſupra Reſolut.* 19. *& hæc eſt triplex.* Prima & vera, quæ conſurgit ex duplici matrimonio, quando quis habuit duas uxores. Secunda, & interpretativa, quando quis contraxit cum corrupta, verbi gratia, vidua. Tertia, & ſimilitudinaria, quando quis poſt votum ſolemne, vel ſacrum ordinem contraxit matrimonium cum aliqua. Sexto, defectu lenitatis, verbi gratia, homicidio; dicuntur irregularitates ex defectu, quia deficit homo à Chriſto, qui eſt primum exemplar in ordine Eccleſiaſtico.

Irregularitates ex delicto ſunt quinque. Primò, ex iteratione Baptiſmi. Secundò, ex indebita ſuſceptione & uſu ordinis, ut verbi gratia, ſi excommunicatus ſuſcipiat, vel adminiſtret ordines. Tertiò, ex actu infidelitatis, ſeu hæreſis, nam Hæretici, Apoſtatæ à fide, eorum fautores, & defenſores ſunt irregulares, etiam ſi ſint occulti. Quartò, oritur ex infamia, quæ eſt prava opinio de vita, & moribus alicujus, hæc autem oritur ex ſententia data in crimine Sodomiæ, Hæreſis, & ſimilium. Quintò, ex homicidio, ac mutilatione illicitè facta. 17.

Hoc poſito. Epiſcopi poſſunt diſpenſare in omni irregularitate ex delicto occulto, ſeu non deducta ad forum contentioſum, excepto homicidio voluntario, Ita expreſſe Conſilium Trident. *ſeſſ.* 24. *cap.* 6. *de Reformat.* Vnde Epiſcopus poteſt diſpenſare in ea, quæ conſurgit ex mutilatione occulta. Ita Molina, *diſp.* 70. *num.* 19. *&* 79. Filliucius, *tract.* 120. *cap.* 4. *num.* 9. Suar. *de cenſur. diſp.* 44. *ſect.* 4. *num.* 35. & multi alij, quos citat, ac ſequitur Bonacin. *tom.* 1. *diſp.* 7. *quæſt.* 4. *punct. ultimo, num.* 11. Ratio eſt, quia Tridentinum dat facultatem diſpenſandi in omni irregularitate occulta, excepto homicidio. 18. Trident. Molina. Filliucius. Suar. Bonacina.

De irregularitate ex Hæreſi.

An verò poſſit Epiſcopus diſpenſare in irregularitate contracta ex hæreſi occulta, tam circa uſum ordinum ſuſceptorum, quam circa ſuſceptionem ipſorum ordinum, quandiu delictum eſt occultum? Gravis eſt quæſtio, & ſi multi, & graviſſimi negent, ut retuli *ſupra Reſol.* 20. *quæſt.* 1. *num.* 3. Alij è contra, & magnæ notæ affirmant poſſe diſpenſare, ut Sanchez, *tom.* 1. *in Decalog. lib.* 2. *cap.* 11. *num.* 27. *ait eſſe probabiliſſimum.* Henriquez, *in ſumma lib.* 6. *cap.* 14. *num.* 7. *litter.* M. Avila. *de cenſuris* 2. *p. cap.* 7. *diſp.* 5. *dub.* 6. §. *Prima Concluſio.* Portel, *in Additionibus ad Dubia Regularia verb. Epiſcopus, num.* 1. Filliucius, *tract.* 20. *cap.* 3. *num.* 246. Rodrig. Petrus de Ledeſma, Lorca, Sa, Veiga, quos citat, ac ſequitur Illuſtriſſimus Dominus Bracharens. *in explicat. Iubilæi, cap.* 10. *dub.* 7. *num.* 18. *& ſapientiſſimus*, M. Antonius de Souza, *in expoſit. Bullæ cœnæ, diſp.* 100. *n.* 7. *& alij multi, quos citavi Reſol.* 20. *quæſt.* 1. 19. Sanch. Henriq. Avila. Portel. Filliucius. Rodrig. Ledeſma. Lorca. Sa. Veiga. Brachar. Souza.

Et ratio eſt, quia Tridentinum citato loco dat facultatem Epiſcopis diſpenſandi in omni irregularitate, proveniente ex delicto occulto; atqui irregularitas ex hæreſi occulta provenit ex tali delicto occulto, ergo cum ſit occulta, poterit diſpenſari ab Epiſcopo. Nec obſtat dicere, quod hæc facultas ſit ablata per bullam Cœnæ quæ quotannis legitur; nam præter ea, 20.

quæ dixi, *cit q.* 1. Bulla Cœnæ ſolum derogat facultatem abſolvendi, non vero diſpenſandi, de qua nos hic agimus, ac proinde in pœnis non eſt facienda extenſio ad diverſa. De hac re vide quæ dixi, *ſuprà Reſol.* 20. *quæſt.* 1. Ubi argumenta adverſariorum poſui, ac ſolvi.

21. Portel. Nota circa hanc rem, quid ſit occultum. Portel, *in Additionibus ad Dubia Regul. Verb. Diſpenſare num.* 9. Fagundez, *in præceptis Decalog. tract.* 2. *lib.* 8. *cap.* 8. *num.* 32. 33. Dicunt quod ſi hæreſis ſit nota quinque, vel ſex perſonis, vel ſex complices habeat, adhuc dicetur occulta, & ab illa adhuc Epiſcopi poterunt abſolvere. At Navarr. *in Manual. cap.* 27. *num.* 254. *in fine, verſ. Undecim.* Toletus, *in ſumma lib.* 1. *cap.* 89 *num.* 5. Vivald. *in candelabro tit. de irregularit. num.* 315. Sayrus, *de cenſur. lib.* 4. *cap.* 17. *num.* 315. Suar. *tom.* 4. *de pœnit. diſp.* 3. *ſect.* 2. *num.* 2. & *de cenſur. diſp.* 41. *ſect.* 2. *num.* 6. Veiga, Emmanuel Rodrig. Zerola, Azor, & alij in magno numero, quos refert, & citat Barboſa *in Collectanea*, ad Trident. *ſeſſ.* 24. *cap.* 6. ad Verbum ex occulto, qui omnes dicunt illud reputari occultum, quod non eſt notorium apud omnes, etiam ſi poſſit probari per aliquos teſtes, ſufficit enim non eſſe divulgatum, & quod poſſit aliqua tergiverſatione celari, & eſto, delictum fuiſſet deductum ad forum contentioſum, & vel ex defectu probationis, vel ob inſtantiam partis Iudex abſolvit reum per ſententiam diffinitivam, adhuc res manet intra terminos occulti, ut ex Covarr. ac aliis probat Sanchez, *de matrim. lib.* 8. Imo ſi delictum fuerit publicum in uno loco, in altero occultum, ubi petitur diſpenſatio, & non eſt moraliter ſpes, ut publicetur ibi, reputatur ut occultum, prout opponitur publico. Ita Sanchez, Suarez, Avila, Fagundes, quos citant, ac ſequuntur Vidal. *de caſibus reſervatis. Inquiſit.* 1. *num.* 101. Candid. *cit. dub.* 9. circa occultum vide, *ſuprà Reſolut.* 37. *quæſt.* 2.

Navar. Toletus. Vivald. Sayrus. Suar. Veiga. Rodrig. Zerola. Azor. Barboſa. Vidalius.

22. Circa quod nota primò Epiſcopum in prædicto caſu poſſe committere abſolutionem, non ad ſuum Vicarium abſolutè, ſed ad Vicarium, vel Confeſſorem ſpecialiter ad talem caſum hæreſis deputatum, nam ita requirit Tridentinum, ut contra Suarez, *tom.* 4. *diſp.* 30. *ſect.* 2. *num.* 9. & 25. probat Henriq. *lib.* 6. *cap.* 14. *num.* 7. in Gloſſa, *litter.* O. Garcia, *diſp.* 11. *cap.* 10. *num.* 85. Ugolinus, *de irregularit. cap.* 36. *num.* 5. in principio, & cum aliis multis, Barboſa, *de poteſtate Epiſcopi, p.* 2. *Allegat.* 40. *à principio.*

Suarez. Henriq. Garcia. Vgolin.

22. Henriq. Avila. Nota etiam contra Henriquez, *lib.* 14. *cap.* 20. §. 20. *in fine*, & Avilam *de cenſur. p.* 7. *diſp.* 10. *dub.* 6. Epiſcopum poſſe dictam abſolutionem, & diſpenſationem dare ſuo ſubdito in abſentia, etiam ſi talis ſubditus ſit extra Diœceſim, nam cum Concilium dicat, *ſubditos in ſua diœceſi, hoc eſt ſuæ diœceſis.* Ita Rodriguez, *in ſumma tom.* 3. *cap.* 3. *num.* 3. Salzedo, *in praxi Epiſcoporum p.* 2. *cap.* 6. *num.* 28. Suarez, *de cenſur. diſp.* 41. *ſect.* 2. *num.* 10. & 12. Bonacin. *de cenſur. diſp.* 1. *quæſt.* 3. *punct.* 2. *num.* 1. *verſ.* & *diſp.* 7. *quæſt.* 5. *punct.* 1. *num* 4.

Rodrig. Salzedo. Bonacina.

24. Nota tertiò Epiſcopum dictam abſolutionem, & diſpenſationem poſſe impertiri extra Sacramentum Confeſſionis, nam per illam particulam, *in foro conſcientiæ*, non intelligitur forum Sacramentale, audita confeſſione, ſed tantum denotatur, ut abſolutio in foro externo non proſit, ſi accidat hæreſim ad judicium externum deduci. Ita Homobonus de examine Eccleſiæ, *p.* 1. *tract.* 5. *cap.* 5. *quæſt.* 31. & *alij multi, quos citant, ac ſequuntur*, Sanchez *in Decalog tom.* 1 *lib.* 2. *cap.* 11. *num.* 23. Diana, *p.* 1. *de Abſolut. Hæreſis, Reſol.* 2. *ad finem.*

Homobon. Sanchez. Diana.

Nota quattò, hanc eandem poteſtatem convenire Archiepiſcopo dum viſitat Diœceſim ſuffraganei, ut tenent Sayro, Clau. Regia, *lib.* 6. *cap.* 11. *num.* 79. Henriquez, *in ſumma lib.* 14. *cap.* 18. *num.* 3. Suar. *tom.* 4. *de Pœnit. diſp.* 3. *ſect.* 2. *num.* 8. Avila, Sanchez, & *alij, quos citat, ac ſequitur*, Bonacin. *cita. diſp.* 1. *quæſt.* 3. *punct.* 2. *num.* 3. Barboſa, *de poteſt. Epiſcopus Alleg.* 39. *num.* 19.

25. Clau. Reg. Henriq. Suar. Avila. Bonacina. Dana.

QUÆSTIO V.

Poteſtas Epiſcopalis ad diſpenſandum quoad ea, quæ pertinent ad matrimonium.

SUMMARIUM.

26 *In impedimento occulto quando eſt difficilis recurſus ad Papam, Epiſcopus poteſt diſpenſare.*

27 *An ſi matrimonium fuit celebratum mala fide, an tunc valeat diſpenſare Epiſcopus, aliqui negant.*

28 *Alij probabiliter affirmant.*

29 *Etiam, Epiſcopus in caſu urgente poteſt diſpenſare ante matrimonium contractum.*

30 *Non verò ſi adſit legatus.*

31 *Epiſcopi poſſunt diſpenſare ad petendum debitum.*

26. IN impedimentis dirimentibus ſolus Papa poteſt diſpenſare ante matrimonium celebratum; at poſt celebrationem illius ſaltem bona fide unius publicè factam, ſi impedimentum eſt occultum, & ſeparatio conjugum nequit fieri ſine magnæ famæ jactura, ac ſcandalo, aliove magno detrimento, & non eſt facilis ad Summum Pontificem recurſus, vel ad alium habentem ad id poteſtatem, ſi eſt periculum in mora, tunc bene poteſt Epiſcopus diſpenſare. Ita Sanchez, *de matrim. lib.* 2. *diſp.* 40. *num.* 4. Pontius, *de matrim. lib.* 8. *cap.* 13. *num.* 4. Tannerus, *tom.* 4. *diſp.* 8. *quæſt.* 4. *dub.* 9. *num.* 162. Rebellus, *p.* 2. *lib.* 3. *quæſt.* 5. *num.* 20. Bonacin. *de matrim. quæſt.* 3. *punct.* 15. *num.* 4. Præpoſitus, *in* 3. *p. quæſt.* 8. *de diſpenſationibus matrim dub.* 2. *num.* 12. Ochagavia, *de Sacram. tract.* 5. *de matrim. quæſt.* 2. *num.* 7. Villalobos, *in Summa tom.* 1. *tract.* 14. *difficult.* 25. *num.* 4.

Sanch. Pontius. Tannerus. Rebellus. Bonacina. Præpoſit. Ochagavia. Villalobos.

27. Et addunt citati Auctores, quod ſi Sacramentum celebratum ſit mala fide ex parte unius, quod tunc non poteſt Epiſcopus diſpenſare. Et ratio eſt, quia mala fide contrahens, indignus eſt, cui favor hujuſmodi concedatur, ergo non poteſt præſumi tacita conceſſio ſummi Pontificis, ut Epiſcopus in caſu diſpenſet; quod

Triden. quod confirmatur ex Concilio Trident. *ſeſſ. 24. cap. 5. de reformatione. Matrim. ubi dicitur; ſi quis intra gradus prohibitos ſcienter matrimonium contrahere præſumpſerit, ſeparetur, & ſpe diſpenſationis conſequendæ careat.*

28. Moſcoſus. Henriq. Tamen Moſcoſus *tract. 10. cap. 19. num. 22.* quod etiam antea docuit. Henriquez, *lib. 12. cap. 3. n. 2.* affirmant poſſe diſpenſari ab Epiſcopo, nam Epiſcopus in ſua diœceſi de jure divino poteſt, quidquid poteſt Papa in toto orbe; & quamvis ejus poteſtas poſſit à Papa limitari, & de facto in hoc limitata ſit; non tamen in omnibus caſibus cenſetur limitata, ſed tantum in ordinariis, quando verè datur periculum animarum, præſumitur Papam velle quod Epiſcopus ſuam juriſdictionem exerceat, & diſpenſando remedium adhibeat, ſic enim decet Patrem, Paſtorem, ac bonum diſpenſatorem. Et cum hac limitatione interpretatur Tridentinum, nam etiam Deus (ait ipſe) prohibet homicidium, quod tamen permittit in neceſſariam defenſionem; & quemadmodum Concilium loco citato, prohibens diſpenſationem, cum taliter contrahentibus tamen. Pontifex, quando ſibi videtur congruum, diſpenſare valet, ſic etiam ex ejus benigna pietate, ac clementia, quando urget gravis neceſſitas ad evitandam infamiam, incontinentiam, ac gravè ſcandalum, & non eſt facilis recurſus ad Pontificem, tunc videtur commiſſa Epiſcopo juriſdictio ad diſpenſandum, ne animæ illæ pereant; quod tamen faciendum eſt cum multa diligentia, & magna cautela. Hanc ſententiam Villalobos. judicat Villalobos, citatus probabilem, dum contrariam dicit probabiliorem, & mihi etiam videtur probabilis in aliquo raro, & urgenti caſu. Faventque huic ſententiæ Gloſſa, Cardinalis, Hoſtienſis, Alexander, *in cap. Quia circa de conſanguinitate.* Dicaſtillus, *de Sacram. tom. 3. tract. 10. diſp. 8. d. b. 4.*

Gloſſa. Cardinals. Hoſtienſ. Alexand. Dicaſtillus.

29. Poteſt etiam Epiſcopus diſpenſare in impedimento dirimente ante contractum matrimonium; ut ſi ſponſa mane ad confeſſionem accedens, quando omnia jam parata ſunt ad nuptias publicatas, eadem Veſpera celebrandas, quæ ſine gravi ſcandalo, ac infamia omitti non poſſunt, inveniatur impedimentum dirimēs habere, in hoc caſu diſpenſare poteſt Epiſcopus, quia impedimenta ſunt de jure humano, & eadem ratio, ob quam Epiſcopus diſpenſare poteſt poſt matrimonium, militat etiam Sanchez. antea, Ita cum multis Sanchez, *de matrimon. lib. 2. cap. 10.*

30. Diana. Dicaſtillus. Difficultas eſt ſi adſit Legatus, vel Nuntius, an tunc poſſit Epiſcopus diſpenſare: utramque ſententiam jam probabilem dicit Diana, *p. 11. tract. 8. Reſol. 3. §. ſed difficultas eſt*; tamen negativam partem tutiorem dicit. ut tenet Dicaſtillus, *de Sacram. tom. 3. tract. 10. diſp. 8. dub. 4. num. 53.* Quia Epiſcopus ſolum poteſt in tali caſu diſpenſare ratione neceſſitatis urgentis. Sed quando adeſt alius, qui poteſt diſpenſare, ceſſat neceſſitas; ergo pro tunc dum adeſt Legatus Pontificis, non cenſetur quod ipſe, alteri, ſeu Epiſcopo concedat talem facultatem, ſed tantum ſuo Delegato, qui ex vi ſuæ delegationis habet, ut vices teneat Pontificis, & tunc ceſſat omne animarum detrimentum.

Quoad debitum. 31.

Quantùm ad petendum debitum; pro quo nota, quod ex copula licita oritur impedimentum dirimens matrimonium uſque ad 4. gradum; unde per copulam licitam habitam cum propria conjuge, contrahitur impedimentum, ut alter poſt illius obitum nequeat contrahere matrimonium, cum conſanguineo, vel conſanguinea uſque ad quartum gradum? ex copula verò illicita oritur impedimentum uſque ad ſecundum gradum ex Trident. *ſeſſ. 24. cap. 4. de matrim.* Vnde qui poſt contractum matrimonium fornicatus eſt cum conſanguineo in tertio, vel quarto gradu; & ſimiliter qui poſt contractum matrimonium cognoſcit conſanguineam uxoris in tertio, vel quarto gradu, ſine ullo impedimento poteſt petere debitum. Ita Henriquez, *lib. 12. cap. 10.* Petrus de Ledeſma, *de matrim. quæſt. 55. art. 3.* Sanchez, *lib. 7. diſp. 67. num. 8.* Bonacin. *de matrim. quæſt. 3. punct. 12. num. 6. & 19.* Henriq. Ledeſma. Sanchez. Bonacina.

32. Quando verò cognoſcitur conſanguinea uxoris in primo, vel ſecundo gradu datur impedimentum petendi debitum. Dubitatur tamen an Epiſcopus poſſit in hoc diſpenſare? Aliqui negarunt ducti *ex cap. Tranſmiſſa*, de eo, qui cognoſcit conſanguineam, ubi tale jus petendi debitum reſervatur, & in nullo alio loco conceditur Epiſcopo, ergo nequit Epiſcopus diſpenſare, cum inferior non poſſit mutare legem ſuperioris.

33. Nihilominus contraria ſententia eſt, & habetur in praxi, Epiſcopi paſſim diſpenſant ad petendum debitum; ita cum multis tenet, ac teſtatur, Sanchez, *lib. 8. de matrim. diſp. 12. num. 13.* ubi pluſquam viginti quatuor Auctores citat. Item tenent Toletus, *lib. 5. ſumme cap. 12. num. 6.* Rodriguez, *tom. 1. ſummæ, edit. 2. cap. 243. num. 12.* M. Cornejo, *de matrim. diſp. 7. dub. 16. num. 3.* & ratio eſt univerſalis Eccleſiæ conſuetudo, quæ poteſt, & eſt ſufficiens ad introducendum ius. Sanchez. Toletus. Rodrig. Cornejo.

QUÆSTIO VI.

De multis aliis rebus eſto ſuperveniat dubium, in quibus Epiſcopus valet diſpenſare.

SUMMARIUM.

34 *Multa ſunt in quibus Epiſcopus valet diſpenſare.*

35 *In dubio an quis indigeat diſpenſatione. Bonacinæ utitur diſtinctione.*

36 *Si homo dubitat an egeat diſpenſatione, poteſt deponere dubium, poſſeſſio ſtat pro libertate.*

37 *In dubio an res egeat diſpenſatione, tenendum non indigere.*

34. COnueniunt Doctores, quod multi ſunt caſus, in quibus poteſt Epiſcopus diſpenſare in lege ſuperioris ex jure, vel ex eius poteſtate. Primò in diebus feſtis, in jeiunio, in recitatio-

recitatione horarum, idque poteſt etiam Prælatus Religionis cum ſuis ſubditis. Secundò in re levis momenti non obligantis ad mortalia. Tertiò, quando lex eſt particularis ſuis ſubditis, tam Epiſcopo, quam Regularibus. Quartò, quando non poteſt adiri Pontifex, & neceſſitate urgente, periculum eſt in mora. Quintò, Poteſt Epiſcopus diſpenſare pro ſua diœceſi in legibus Concilij Provincialis, & multa alia, quæ jure non prohibentur, & conſuetudine introducta ſunt. Conſuetudo enim vim legis habet. De quibus latè Barboſa.

Barboſa, *de poteſtate Epiſcopi, p. 2. in Compendio, ſtatim in exordio à num. 74.*

35. Sed quæſtio eſt, quando Epiſcopus dubitat, an res egeat diſpenſatione, poſſit ipſe in lege ſuperioris diſpenſare, vel etiam quando ipſe dubitat, an ipſe poſſit diſpenſare, Bonacina, *tom. 2. diſput. 1. de legibus quæſt. 2. punct. 1. num. 18.* Vtitur diſtinctione ait, ſi probabiliter opinamur rem non indigere diſpenſatione, tunc non eſt neceſſe illam petere à Summo Pontifice, vel Epiſcopo, quia licitum eſt ſequi opinionem probabilem, depoſito practicè dubio: vel non probabiliter opinatur, ſed practicè dubitatur, opus eſſe diſpenſatione; & tunc dicit ipſe petendam à ſede Apoſtolica diſpenſationem. Et ratio eſt, tum quia non debemus exponere nos periculo delinquendi contra legem ſuperioris, in qua Epiſcopus exceptis quibuſdam caſibus diſpenſare non poteſt: tum quia praxis in oppoſitum extare videtur. Ita Bonacin.

Bonac.

36. Contraria tamen ſententia, ut probabilior, ac verior tenenda eſt, quam tenent, Barboſa, *de poteſtate Epiſcopi, p. 2. Allegat. 35. num 19.* Emmanuel Sa, *verb. Diſpenſatio num. 1.* Layman, *lib. 1. tract. 4 cap. 22. num. 4* Caſtrus Palaus, *tom. 1. tract. 3. diſp. 6. punct. 5. num. 10. & alij apud ipſos.* Ratio eſt, quia in tali caſu datur præſumptio pro libertate: neque alicui morali periculo faciendi contra legem exponitur, etiam ſi inclines te indigere diſpenſatione, ac exiſtimo te reputari poſſe, non indigere illa, quia non debes cenſeri lege adſtrictus, quouſque de lege tibi certo moraliter conſtet. Conceſſo tamen gratis in illo dubio tibi eſſe neceſſariam diſpenſationem, exiſtimo Epiſcopalem ſufficere. Tum quia non videtur Pontifici reſervatus caſus dubius, ſed certus; Tum quia poteſtas diſpenſandi latè eſt interpretanda. Ita Caſtrus Palaus.

Barboſa. Sa. Layman. Palaus.

37. Quando ergo res verſatur in dubio, an egeat diſpenſatione Papæ, non ſolum ut diximus quod Epiſcopus poteſt diſpenſare, ſed etiam quod in tali caſu nulla ſit neceſſaria diſpenſatio: tenet, Diana, *part. 3. tract. 6. Reſol. 82.* Quia in dubio melior eſt conditio poſſidentis, qua homo eſt dominus, & poſſeſſor ſuæ libertatis.

Diana.

RESOLUTIO XXVIII.

Poteſtas Religioſa ad diſpenſandum.

QUÆSTIO PRIMA.

Quænam vota ſuorum ſubditorum poſſint Prælati Regulares. diſpenſare?

SUMMARIUM.

1 *Omnia vota ſive realia, ſivè perſonalia per profeſſionem tolluntur.*
2 *Quæſtio procedit de Veris Prælatis, & quinam ſint.*
3 *Prælatus poteſt diſpenſare, ac irritare omnia vota ſuorum ſubditorum.*
4 *Loquimur de diſpenſatione utili, & non impertinente.*
5 *Votum peregrinationis non poteſt fieri ſine licentia Prælati.*
6 *Votum de tranſitu ad arctiorem Religionem poteſt diſpenſari à Prælato*

QUOAD vota. Et imprimis non agimus de votis emiſſis in ſæculo antè profeſſionem, quia omnia illa vota, ſive realia, ſive perſonalia commutantur, ſeu extinguntur per Religionis profeſſionem. Hanc ſententiam expreſſe docet D. Thomas, *quæſt. 88. art. 12. ad 1.* Vbi ait profeſſum non teneri ad vota in ſæculo emiſſa, ſed per profeſſionem tolli, eo quod Priori viræ moriatur. Idem docent, Gloſſa, *cap. Monach. verſ. Voverit. 20. quæſt. 4.* ſequuntur multi alij Doctores quos citat, ac ſequitur Sanchez, *tom. 2. in Decalog. lib. 5. cap. 5. num. 38 & 43.* 1.

D. Thom. Gloſſa. Sanchez.

Tota quæſtio eſt de votis factis poſt profeſſionem, an poſſint irritari, vel diſpenſari à Prælato, & nomine Prælatorum intelligitur hic Generalis, Provincialis, Prior, Rector Collegij, & etiam Vicarius in capite; nam omnes poteſtate ſpirituali gaudent erga ſuos ſubditos; alij verò, qui Prælati verè non ſunt, quamvis latè ſuperiores dicantur, ut Superiores Conventus, vel Vicarij conſtituti à Priore, etiam in ejus abſentia per breve tempus, cum non habeant poteſtatem ſpititualem non veniunt hic nomine Prælatorum, nec poterunt diſpenſare. Ita cum multis aliis, Sanchez *lib. 4 de vot cap 33. num. 16.* Suarez, *lib 6. de voto cap. 7. num. 17.* 2.

Sanchez. Suar.

Dico ergo. Prælatus Regularis poteſt irritare, ac diſpenſare omnia vota ſuorum ſubditorum, exceptis his, quæ pertinent ad conſtitutionē ſtatus Religioſi, & talis Religionis. Ita D. Thomas, 2. 2. *quæſt. 88. art. 8. ad 3. & 4.* Navarrus, *in Summa cap. 12. num. 65.* Clavis Regia, *lib. 6. cap. 10. num. 9.* Azor, Valentia, Leſſius, Layman, Bonacina, & alij multi, apud ipſos, quos citat, ac ſequitur Caſtrus Palaus, 3.

D. Thom. Navarr. Clavis Reg. Azor. Valentia. Leſſius. Layman. Bonacina. Palaus.

laus, *tom.*3. *tract.*15. *diſp.*2. *punct.*8. *num.*2. Et probatur, quia Religioſus ratione ſuæ profeſſionis nec habet velle, vel nolle, nec voluntatem; deinde Prælati ex commiſſione data à Pontifice, *cap ſi Religioſus de Electione in* 6. & *cap. Non dicatis.* 12. *quæſt.*1. habet plenariam poteſtatem ſpiritualem in ſuos ſubditos, eos regendi, ac gubernandi. Et confirmatur. Quia Prælati Regulares habent poteſtatem, quaſi Epiſcopalem in ſuos ſubditos, ſed Epiſcopi poſſunt diſpenſare in voto ſimplici, ergo & Prælati Regulares. Pro majori explicatione hujus rei.

4. Nota primò, quod loquimur de diſpenſatione utili, & convenienti; nam ſi Prælatus diſpenſet in voto caſtitatis, paupertatis, obedientiæ, diſpenſatio eſt inutilis, quia vota illa ſunt ſolemnia, & reſervata Pontifici, & hoc eſſet deſtruere ſtatũ Religioſum, ſimiliter eſſet inutilis diſpenſatio in Religione Minimorum in voto abſtinendi à carnibus, quia tale votum auctoritate Pontificia eſt annexum Regulæ.

5. Etiam erit impertinens diſpenſatio reſpectu voti peregrinationis ad limina Apoſtolorum, vel Ieruſalem, vel ad D. Iacobum, cum tale votum non poſſit fieri, niſi in ordine ad licentiam Prælati, unde ſi ipſe annuat, tenet votum, ſi abneget facultatem, non tenet: ſi autem annuat, jam obligat votum, & tale votum jam non poteſt diſpenſari, niſi in caſu urgenti denuo ſupervenienti, & in quo poteſt Epiſcopus diſpenſare, poteſt tamen Prælatus illud irritare. Ita M. Lezana, *tom.* 1. *Summæ cap.* 08. *num.*49. Fr. Anton. ab Spir. S. *in Directorio Regularium tom.*1. *tract.*2. *diſp.*2. *ſect.* 2. *num.*99.

Lezana. Fr. Antab. Spir. S.

6. Palaus. Navar. Sayrus. Sayrns. Leſſius. Suar. Bonacina. Villalobos. Hier. Rod. Diana.

Nota ſecundò, contra Caſtrum Palaum citatum, *num.*4. *Votum de tranſitu ad arctiorem Religionẽ poſſe diſpenſari à Prælato Regulari.* Ita Navarrus, Sayrus, Leſſius, Suarius, & alii, quos citant Bonacina, *tom.*2. *diſp.* 4. *quæſt.*2. *punct.*7. §.2. *num.* 27. Villalobos, *tom.*2. *tract.* 35. *diffic* 13. *num.* 19. Hieronym. Rodrig. *Reſolut.*123. *num.* 8. Diana, 3. *p. tract.* 2. *de dub. Regular. Reſol.*91. Probatur, quia votum Monachi de tranſitu ad arctiorem Religionem non eſt ſimpliciter votum Religionis, ſed tantum votum de tranſitu; ergo non venit ſub reſervatione voti Religionis. Adverte tamen cum Rodriguez, & Diana citato, quod licet tale votum poſſit diſpenſari à Prælato, non tamen poteſt irritari, ex defectu poteſtatis dominativæ, cum non poſſit impediri à Prælato, ſicut non poteſt impediri à Patre votum filij ſui.

QUÆSTIO II.

Poteſtas Prælatorum quoad vota Novitiorum.

SUMMARIUM.

7 *Prælatus poteſt diſpenſare, & commutare ſuorum Novitiorum vota.*

8 *Non poteſt irritare illa vota directè, ſed indirectè.*

9 *Quid ſit votum reale, quid perſonale*

10 *Prælatus poteſt ſuſpendere vota perſonalia in Novitij, & realia in raro caſu.*

11 *Si egrediatur è Religione tenetur ad vota antea facta in ſæculo.*

QUoad Novitiorum vota Dicimus, quod poſſunt Prælati diſpenſare, & commutare ſuorum Novitiorum vota; nam Novitius quamdiu eſt in Religione gaudet profeſſorum privilegiis. Ita Navarr. *in Summa cap.*12. *num.* 65. Rodriguez, *tom.*1. *quæſt.* 28. *art.* 8. Molina, *tom.*1. *de Iuſtitia, diſp.*139. *col.*3. Miranda, *quæſt.*33. *art.*6. Portel. *in Additionibus ad dubia, verb. voti diſpenſatio, num.*74. Et ad tollendam omnem difficultatem hoc conceſſit Eugenius IV. in ſua bulla 21. quam refert Ioannes à Cruce, *in Epitome lib.*1. *dub* 6. *concluſ.*2. Henriquez, Navarrus, quos citat, & ſequitur Fr. Martin. à S. Ioſeph, *fol.* 537. *n.*7. Quod etiam Auctores communiter extendunt ad Magiſtrum Novitiorum. 7. Navarr. Rodrig. Molina. Miranda. Portel. Eugen. IV. Ioã. à Cruce Henriq. Martin.

Quoad irritationem vero, dicimus; Novitiorum vota directè non poſſunt irritari à Prælato, eo quod in illis deficit ſubjectio ex voto obedientiæ, in quo fundatur hæc directa irritatio, indirectè tamen irritari poſſunt illa vota, prout indirectè, convenienti ordinis regimini obviant, vel debilem, ac impeditum reddunt Novitium. Suarez, *tom.* 2. *de Relig. lib.* 6. *de voto, cap.* 7. *num.*12. 8. Suar.

Cum autem duplex ſit votum, perſonale, & reale; Perſonale, quod tangit perſonam, vel aliquam ejus actionem, vel omiſſionem, verbi gratia orare, non ambulare. Reale, quo res aliqua externa promittitur, verbi gratia, in refectorio relinquere aliquid de ſua pitantia pro pauperibus alendis. 9.

Tunc dicunt communiter Doctores, Navarr. citato, *cap.* 12. *num.* 65. Azor, 1. *part. lib.*1. *cap.*17. *quæſt.*20. & *ultima.* Sayrus Clavis Reg. *lib.*6. *cap.* 10. *num.*15. Bonacin, *diſp.* 4. *quæſt.* 2. *punct.*7. §.2. *num.* 52. & alij multi, quos adducit Caſtrus Palaus citatis *num.* 11. Dicunt, quod etiam Prælatus poteſt ſuſpendere vota perſonalia Novitij, quia talia opera poterunt inſervire ad difficiliorem, ac graviorem reddendam probationem Novitiatus, & eſſe impedimenta ad majus bonum, profeſſionem nempe Religionis; non verò vota realia poterunt ſuſpendi, quia hæc rariſſimè poterunt eſſe impedimentum ad profeſſionem, niſi ex illis novitius fiat debilior, & ejus vires deficiant, & tunc dicunt citati Auctores, quod ipſe Novitius poterit commutare in alia pia opera. 10. Navarr. Azor. Sayrus. Bonacina. Palaus.

Benè tamen notat Leſſius, *lib.* 2. *cap.* 40. *dub.*13. *num.*80. §. *Quando votum.* Si contingat, quod homo ante ingreſſum Religionis habuerit aliquod votum, vel in ipſo Novitiatu emiſerit quod pro tunc fuit diſpenſatum, vel ſuſpenſum, & ipſe egreſſus fuerit è Religione ante profeſſionem, tunc omnia illa vota reviviſcunt, quia ſolum fuerunt ſuſpenſa pro tempore Novitiatus. Si verò profeſſionem emiſerit, omnia ex diſpoſitione juris commutantur in votum profeſſionis, ut communiter Doctores colligunt ex *cap. Scripturæ, de voto*, ubi Alexander III. ait: *Reus fracti voti laiqua-tenus non habetur, qui temporale obſequium in perpetuã Religionis obſervantiã noſcitur commutare.* Ex vi juris & diſpoſitione, cum quis in perpetuu 11. Leſſius. Alexand. III

perpetuum alterius directioni ſe ſubiicit, omnes privatas obligationes à ſe dimittere cenſetur; ita citatus Leſſius, *num.*106.

Quæstio III.

An Prælatus Regularis poſſit irritare, ſeu diſpenſare votum Religioſi creati Epiſcopi?

SUMMARIUM.

12 *Etſi aliqui affirment, tamen communis ſententia negat.*
13 *Quod dicimus de Prælatis Religioſorum, negamus de Prioriſſis Monialium.*

12. Ex his bene infertur, quid dicendum ſit de votis Religioſi creati Epiſcopi, an valeant irritari à Prælato Regulari? Affirmat Emmanuel Sa, *verb. Votum, ubi de votorum irritatione, num.* 5. Sa. Tamen ſimpliciter dicendum eſt, quod talia vota nequeant irritari à Prælato Regulari, quia talis electio Epiſcopi eximitur à ſubjectione omnium Prælatorum Regularium, ergo Prælatus Regularis in eum non poteſt exercere ſuam juriſdictionem cum jam non ſit illius ſubditus, ac proinde irritari tantum poſſunt à Summo Pontifice, qui omnium Religioſorum eſt ſupremus Prælatus. Ita Suar. *tom.*2. *de Relig. lib.*6. *de voto, cap.* 7. *num.* 10. Suarez. Sanchez, *tom.*1. *in Decalog. lib.*4. *cap.*30. *num.* 21. & idem dicendum eſt de Religioſo juſte ejecto, quia per ejectionem excluſus eſt ille à regimine Religionis, ac poteſtate Prælatorum. Ita Sanchez, *citato cap.*30. *num.*26. Sanchez.

13. Hæc, quæ diximus de Prælatis Religioſorum, negamus tamen de Abbatiſſa, ſeu Prioriſſa Monialium; nam ut jam dixi, hæ poterunt irritare vota Monialium ratione poteſtatis dominativæ, qua pollent, non tamen cum eis poterunt diſpenſare, cum ſint expertes juriſdictionis ſpiritualis.

Quæstio IV.

Prælati Regulares habent poteſtatem ad diſpenſandum in irregularitatibus, ſicut & Epiſcopi.

SUMMARIUM.

14 *Explicatur nominis etymologia.*
15 *Vndecim ſunt irregularitates.*
16 *Prælati Regulares poſſunt diſpenſare in omnibus irregularitatibus in quibus poſſunt Epiſcopi cum ſuis ſubditis.*

14. A Nominis Etymologia incipiamus. Irregularitas deducitur à Regula adjuncta præpoſitione *in*, quæ ſignificat privationem; Irregularitas ergo idem eſt, ac privatio Regulæ, ſeu extra Regulam juris Pontificij, quod omnes habiles, & ſine defectu admittit ad ſtatum Clericalem, qui ergo à tali recta regula deficit, irregularis dicitur, ut patet ex text. *cap.* 1. *de ſententia & re judicata lib.*6. *cap. cum Medicinalis* §. *final.* & *cap.* 15. *qui de ſententia excommunic. eodem libro.*

Undecim ſunt irregularitates, ſex ex defectu, quinque ex delicto; quas ſuperiori *Reſolut. quæſt.* 2. *num.* 16. & 17. enumeravi, & ideo pro his diſcendis videndæ ſunt: & antequam ad ſingularum diſpenſationem veniamus, propono hanc regulam generalem. 15.

Prælati Regulares poſſunt diſpenſare cum ſuis ſubditis in omnibus irregularitatibus, in quibus poſſunt Epiſcopi diſpenſare cum ſibi ſubjectis, ac proinde in hac poteſtate diſpenſandi æquiparantur cum Epiſcopis; Ita conceſſit Dominicanis Pius V. *in Conſtitut. Romani Pontificis* 132. & Gregorius XIII. in ſua bulla conceſſa Fratribus D. Bernardi, & refertur in eorum Compendio, verb. Abſolutio quoad Fratres. *num.* 11. Ita Rodriguez, Miranda, Portel. quos citant, ac ſequuntur Candidus, *tom.*2. *diſp.*24. *art.*59. *dub.* 3. Bordon, *tom.*1. *Reſolut.* 10. *num.* 6. 16. Compend. D. Bernardi. Rodrig. Miranda. Portel. Candidus. Bordon.

Quæstio V.

Irregularitas ex defectu animæ triplex eſt in qua non poteſt Prælatus Regul. diſpenſare.

SUMMARIUM.

17 *Prima irregularitas eſt ex defectu uſus rationis, & hæc eſt indiſpenſabilis.*
Secunda eſt ex defectu ſcientia, ſi neſciat quæ requiruntur eſt inhabilis, at in Religioſo non requiritur tanta ſcientia, ibidem.
Tertia eſt ex defectu fidei, at recenter baptizati, ſi bene inſtructi fuerint judicio Epiſcopi poterunt ordinari, ibidem.

17. PRima Irregularitas provenit ex animæ defectu, & hæc eſt triplex, ex defectu uſus rationis, ex defectu litterarum, ex defectu fidei. Prima ex defectu uſus rationis, qui tali defectu laborat, & mente captus, jure divino, & naturali, ad ordines non poteſt promoveri, quia eos non valet exercere, Ita M. Cornejo, *quæſt.* 5. *de Irreguiaritate, diſp.*3. *dub. unico*, Bonacina *de Cenſuris, diſp.*7. *de Irregular. quæſt.*1. *punct.* 1. *num* 1. & in hac Irregularitate nec Papa poteſt diſpenſare. Secunda eſt, ex defectu ſcientiæ. *cap. Illiteratos, diſt.*36. Concil. Trident. *ſeſſ.*22. *cap.*2. *& ſeſſ.*23. *cap.*4. 11. *&c.* Si autem tanta ſit hæc inſcientia, ut neſciat, quæ neceſſaria ſunt ad uſum Ordinis, eſt inhabilis ex jure Divino, juxta illud Oſeæ, *quia ſcientiam repuliſti, repellam te, ne Sacerdotio fungaris mihi.* Ita Suarez, *de Cenſur. diſp.* 51. *ſect.*1. Cornejo, *proximè citatus.* Quod vero ad Regulares, etſi non bene calleant linguam latinam bene poſſunt ordinari ab Epiſcopo, de quo Lezana, *tom.*1. *cap.*14. *n.*24. Vt latius, cum de ordine fuerit ſermo, dicam. Per defectum fidei intelligitur Neophytus, qui in adulta ætate recenter eſt baptizatus, *Diſt.* 48. *cap.* 1. veniens ex Iudaiſmo, Mahometiſmo, vel Gentiliſmo. Poſtquam autem per aliquod tempus bene inſtructi Cornejo. Bonacina. Suar. Cornejo.

inſtructi fuerint in fide viri huiuſmodi non ſunt jam irregulares, & bene poterunt arbitrio Epiſcopi ordinari, *cap. Eam. de reſcriptis.* Ita ex Navarro, Toleto, Sayro, Lezana, *verb. Irregularitas, num.* 11.

Navar. Toletus. Sayrus. Lezana.

QUÆSTIO VI.

Quid poſſint Prælati circa irregularitatem ex corporis defectu?

SUMMARIUM.

18 *De corporis defectu quoad ſaculares pertinet ad Epiſcopum judicare; quoad Regularem, ad illius Prælatum.*
19 *Prælati Regulares poſſunt cum ſuo ſubdito diſpenſare in defectu corporis.*
20 *Prælati ſint valdè cauti in tali diſpenſatione, ne defectus ſint multum difformes, etſi non poſſent tegi, & abſcondi.*

18. SEcunda irregularitatis ſpecies oritur ex defectu corporis, ſicut enim de ea judicare quoad clericos ſæculares pertinet ad Epiſcopum, ſic quoad Regulares pertinet ad Prælatum Regularem, ut tenent M. Petrus Cornejo Peirinus, Miranda, Suar. Bartholomæus de Vecchis, Layman, quos citat, ac ſequitur Diana 4. *p. tract.* 2. *Reſol.* 73. Qui tamen advertunt, quod liberum erit Epiſcopo, qui daturus eſt Ordines, Religioſum cum tali corporis defectu admittere, vel non admittere ad Ordines.

Cornejo. Peirin. Miranda. Suar. Vecchis. Layman. Diana.

19. Poterunt ergo Prælati Regulares ex vi ſuorum privilegiorum cum ſubdito corporis defectum patiente, v.g. ſi in facie, vel oculo habeat maculam, vel ſi ei deſit unus digitus, dummodo non ſit pollex, vel pes, ut ligneo utatur, & ſi ei deſit unus oculus, etiam ſiniſter, ita ut cum apta Miſſalis diſpoſitione non multum faciem vertat, ita ex privilegio Sixto IV. & aliis, in quibus datur ampliſſima poteſtas ad diſpenſandum in omni irregularitate, excepto homicidio voluntario, mutilatione, vel bigamia, ut patet ex multis privilegiis aliorum Pontificum, ut referunt Vecchis *in pravi Novitiorum, diſp.* 9. *d. b.* 21. *num.* 3. M. Lezana, Peirin. *in mari magno Minorum, n.* 144. Bordonius *Reſol.* 11. *num.* 10. Imò infra referam *in hac quæſt.* Paulum Tertium dantem facultatem ad diſpenſandum in omni irregularitate, nulla excepta.

Vecchis. Lezana. Peirin. Bordon.

20. Notandum eſt tamen, quod Prælati valdè cauti ſe habent in his defectibus diſpenſandis, quod non ſint valdè deformes, & ſcandaloſi, quod non ſit ille caducus, magnopere balbutiens, ut non poſſit bene, & integrè proferre verba, nec totaliter Surdus, ut notant Avila, Layman, apud Lezanam *citatum*; in his enim non ſolet Summus Pontifex diſpenſare, ut notant Candidus *tom.* 2. *diſquiſ.* 24. *art.* 61. *tom.* 7. Ex quo bene deducitur contra Navarrum, *cap.* 27. *num.* 223. non eſſe irregularem, qui aures non habet, ſi eas crinibus, vel alium corporis defectum bene tegere valet, ita Henriquez, Avila, Coninch, quos citat Diana *allegatus, Reſolut.* 73.

Avila. Layman. Candidus. Navar. Henriq. Avila. Coninch. Diana.

QUÆSTIO VII.

An illegitimi in Religione ſint habiles ad Ordines; & an cum eis poſſint Prælati diſpenſare ad dignitates?

SUMMARIUM.

21 *Quinam reputandi ſunt illegitimi.*
22 *Illegitimi ſecundum ius ſunt irregulares ad Ordines: per profeſſionem in Religione approbata tollitur impedimentum ad ordines.*
23 *Quoad honores, & dignitates diſpenſatur cum eis* in cap. Generali, *vel* Provinciali.
24 *Imò ex multis privilegiis, Generalis, vel Provincialis, ſeu Prior localis cum eis diſpenſat ad honores, & dignitates.*

TErtia irregularitatis ſpecies eſt ex defectu natalium, unde illegitimi ſunt irregulares, & non poſſunt aſſumi ad ordines; pro illegitimis autem non reputantur expoſiti, nec ſunt irregulares, ut decrevit, ac declaravit Gregorius XIV. in gratiam confraternitatis pro expoſitis, ut refert M. Cornejo *tom* 2. *tract.* 5. *diſp.* 15. *dub.* 1. *num.* 4. Nec eſt illegitimus, qui naſcitur ex parentibus legitimè conjugatis, etſi tempore conceptionis non eſſent conjugati interveniente impedimento dirimente. Ita Sanch. *lib.* 8. *de matrim. diſp.* 7. *num.* 19. Nec cenſentur illegitimi filii nati ex matrimonio invalido bona fide contracto, ut cum multis Doctoribus tenet Diana 1. *part. tract.* 2. *Reſol.* 59. §. *Nota quarto.* Nec filius tenetur credere matri in articulo mortis affirmanti ipſum eſſe illegitimum. Ita Diana *eod. tract. Reſol.* 50. §. *Notandum.* 21.

Cornejo. Sanchez. Diana.

Illegitimi ergo ſecundum jus ſunt inhabiles, & irregulares ad Ordines ſacros. Hæc irregularitas tollitur per profeſſionem in Religione approbata, per eámque fit homo expeditus, & habilis ad omnes Ordines, ex multis privilegiis. Suar. *tom.* 5. *in* 3. *diſp.* 41. *ſect.* 1. ex Navarro, & multis aliis M. Cornejo *tom.* 2. *diſp.* 15. *de irregularitate, dub.* 2. Sanch. *lib.* 5. *de præceptis Decalogi, cap.* 5 *num.* 10. M. Lezana *tom.* 1. *cap.* 3. *num.* 2. Hoc etiam extendunt ad vſum Ordinum ſuſceptorum in novitiatu ante profeſſionem. 22.

Suarez. Navar. Cornejo. Sanchez. Lezana.

Hæc tamen irregularitas non tollitur in illegitimo, quoad prælaturas, ac honores in Religione, ut patet ex *c.* 1. *de filiis Presbyterorum.* Et ita communiter Doctores, tamen juxta conceſſionem Gregorii XIV. poſſunt Prælati *in cap. Generali,* vel *Provinciali*, cum eis diſpenſare, ut ad præfecturas admittantur; & poſtea idem conceſſit Gregorius XIV. Societati in Bulla, quæ incipit, *Exponi nobis.* Et Congregationi Clericorum miniſtrantium in infirmis, in Bulla, quæ incipit, *Illis qui*; qua facultate gaudent cum illis communicantes. Ita Bordon. *Reſol.* 12. *n.* 3. & *n.* 48. M. Lezana *tom.* 1. *c.* 18. *n.* 6. Candid. *diſquiſ.* 24. *art.* 61. *dub.* 23. 23.

Bordon. Lezana. Candidus.

Imò maximè nota ex Portel. *tom.* 1. *Reſponſ. part.* 3. *caſu* 25. *num.* 2. ubi adducit quoddam privilegium Leonis X. conceſſum Patribus Congregationis Sancti Joannis Evangeliſtæ 24.

Portel.

in Portugallia, ut habetur in eorum Compendio; *fol.*9. concedit Pontifex. *Vt admiſſus ad profeſſionem, inter illos, ſi habet defectum natalium, ipſo facto ſit diſpenſatus non ſolum ad ordines, ſed etiam ad omnia ſolita gubernari per Fratres illius Ordinis, Prioratus Rectorias*, &c. Quo privilegio gaudent omnes aliæ Religiones cum eis communicantes. Pellizar. *tom.*2. *tract.*9. *cap.*3. *ſect.*4. *n.*131. tenet quod Generalis, vel Provincialis, ſeu Prior localis poſſit diſpenſare cum illegitimis, ut ad honores, & dignitates aſſumantur ex privilegio Gregorii XIV. Pro Regularibus miniſtrantibus infirmis, quod refert Caſarrubias *in Bullario tom.*2. *Conſtitut. Gregorii XIV.* Aliud privilegium ex Sixto IV. conceſſum Prædicatoribus refert Bordonius *Reſol.*10. *n.*1. §. *Secundum ſit.* Ubi Pontifex concedit facultatem tam Generali, quam Provinciali, ac Priori locali, diſpenſandi, *Vt tam inſi Regulares, quam defectum natalium patientes prædicti, ad quaſcunque adminiſtrationes, & officia eligi, recipi, & aſſumi, illáque gerere, & exercere liberè, & licitè valeant motu proprio, & ex certa ſcientia concedimus.*

Pellizar. Caſarrub. Bordon.

QUÆSTIO VIII.

An in foro conſcientiæ Regulares poſſint uti privilegiis antiquis ad Ordines ſuſcipiendos ante ætatem deſignatam à Tridentino?

SUMMARIUM.

25 *Privilegia antiqua ad ordines ſuſcipiendos minori ætate à Tridentino determinata ſunt revocata.*
26 *Quidam graves Doctores negant alii affirmant, & num.*27.
28 *Fundamenta affirmantium proponuntur.*
29 *Sententia negativa vera, & tenenda.*
30 *Etſi Regulares non diſpenſant ad ſuſcipiendos Ordines, diſpenſant, ut miniſtrentur.*

25. QVarta ſpecies irregularitatis provenit ex defectu ætatis, quam determinavit Sacrum Concilium Tridentinum *ſeſſ* 23. *cap.*12. Unde quamvis olim Regulares habuiſſent multa privilegia, ut ad Sacros Ordines promoverentur ætatis anno 22. ut Benedictus III. conceſſit Benedictinis Vallisoleti. Innoc. VIII. Minoribus. Julius II. Minimis, ut referunt Vaſquez *ad* 3. *part. diſp.* 246. *cap.*4. Ioannes de la Cruz *lib.*2. *cap.*3. *dub.*6. Peirin. *de Conſtitut.* 1. *Iulii II. n.*20. Hæc omnia privilegia revocata ſunt per Concilium Tridentinum *citato loco*, ſicut & alia, quod eodem die poſſent ſuſcipere omnes ſacros Ordines.

Trident. Vaſquez. Ioan. à Cruce. Peirin.

26. Magna tamen quæſtio, an ſaltem in foro conſcientiæ poſſint Regulares hodie ordinari ante ætatem determinatam à Concilio Tridentino, & an cum eis valeant Prælati diſpenſare; negativa ſententia eſt communis: eam tenent Miranda *tom.*1. *q.*39. *art.*1. Vaſquez 3. *p. diſp.*246. *cap.*4. *in fin. n.*43. Portel. *in Dubiis Regul. verb. Privileg. n.*64. Miranda *in ſumma tom.*1. *q.*39. *art.*1. *concl. unica.* Sà *verb. Relig. n.*56. Amicus *diſp.*2. *de Ordin. ſect.*4. *n.*2. Caſtro Palaus *tom.*4. *tract.*27. *diſp. unica. de Ordin. punct.*7. *n.*9. Rodrig. *tom.*3. *q.*23. *art.*6. Villalobos *tom.*1. *tract.*11. *de Ordine, diff.*11. *n.*8.

Vaſquez. Ioan. à Cruce. Portel. Miranda. Sà. Amicus. Palaus.

Alii verò è contra affirmant, quod Religioſi hodie poſſunt uti ſuis privilegiis antiquis etiam contrariis Concil. Trident. Ita Henriq. *lib.*7. *cap.*24. *in Gloſſa litt. K.* Sanchez *tom.*2. *in Decalog. lib.*5. *cap.*4. *n.*16. Beja, Compendium Societatis, Veiga, quos citat Diana *tom.*3. *tract.*2. *de Dubiis Regular. Reſol.*59. M. Fr. Anton. de Spiritu Sancto, *in Direct. tom.*1. *tract.*2. *diſp.*1. *ſect.*2. *num.*64. & M. Fr. Franciſcus de Fonſeca ex Illuſtri familia Eremitarum Sancti Auguſtini publicus veſperarius Lector in Academia Conimbric. vir magnæ virtutis, Religionis, ac ſapientiæ in lectura Sacramenti Ordinis. 27.

Henriq. Sanchez. Beja. Compend. Veiga. Diana. Fr. Anton. à Fonſeca.

Probant hanc ſententiam. Quia Pius V. vivæ vocis oraculo conceſſit privilegium Regularium Miniſtris, etiam contrarium Concilio Trident. pro foro tantum conſcientiæ, & licet Gregorius XIII. poſtea revocaverit ea, quæ Pius V. conceſſerat contraria Concilio Tridentino, fuit tantum in foro externo pro evitandis controverſiis. 28.

Nec obſtat id, quod ait Dicaſtillus *tract* 6. *de Ordine, dub.*11. *diſp.* 40. Quod Regulares nunquam poſſunt ordinari contra Trid. in foro interno abſque eo quod exeat in externum, quia Provincialis debet dare literas teſtimoniales ordinandum habere omnes qualitates juxta Conc. Trid. ad Presbyteratum, v. g. Ad hoc facilè reſpondet Amicus *citatus*, quod Provinciali ſat eſt, ut dicat ordinandum habere omnes qualitates requiſitas ad talem ordinem. Nec obſtat ſecundo id, quod objicit Amicus, quia privilegia Gregorii XIII. ſunt oracula, quæ per Gregorium XV. & Urbanum VIII. ſunt revocata, & annullata. Reſpondetur, quod licet omnia oracula fuiſſent per Gregorium XV. revocata, tamen poſtea ab eodem Gregorio XV. fuerunt confirmata ex certa ſcientia per Bullam authenticam, ut teſtatur Peirinus *tom.* 3. *privileg. cap.*12. & ideo illa jam non ſunt oracula, ſed Bullæ, & ideo non comprehenduntur in revocatione Gregorii ipſius XV. nec Urbani VIII. & ideo ob hæc fundamenta, & alia ait Portel. *citatus* quod hanc ſententiam non audet condemnare, nec ego eam condemno. Dicaſtillus. Amicus.

Tamen prima ſententia mihi ſimpliciter vera videtur, quod hodie Regulares non poſſunt ordinari, niſi juxta ætatem præſcriptam in Concil. Trid. nec in hoc Prælati Regulares audent aliquid diſpenſare. Quia Sixtus V. in ſua Bulla contra malè promotos, revocavit omnia privilegia Pii V. ſtatuens ſub graviſſimis pœnis Concilium Trident. obſervari in iis, quæ ad ſuſceptionem Ordinum maximè pertinent, ut apertè conſtat ex illis verbis: *Aut ante per ætatem, per ſacri Generalis Concilii Tridentini decreta primæ tonſuræ, aut cuique Ordini præſcriptum.* Et ſubdit: Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis. Et licèt Clem. VIII. de anno 1595. prædictum decretum Sixti V. revocaverit, id ſolum fuit prout derogabat terminos juris communis, ac Conc. Trid. quatenus verò 29.

juri

juri communi, ac Concilio Tridentino conformis erat, illud confirmavit, ac revalidavit; & ideo conceſſio Pij V. per Sixtum V. ac Clementem VIII. eſt revocata, & annullata.

30. Advertendum eſt, quod quamvis Regulares non valeant diſpenſare cum ſuo ſubdito Religioſo, ut ante ætatem Concilij ordines ſuſcipiat, poterunt tamen cum eo diſpenſare in ſuſpenſione contracta ex mala ſuſceptione Ordinum ante legitimam ætatem ex privilegio Sixti IV. & Pij II. in Bulla *cum ex ſacrarum*, quam refert Bordonius *reſol.11.n.26.* & adducens pro hac ſententia Peregrin. Portel. & alios, ut etiam habet in eadem ſententia Dicaſtill. *tract.6.de Ordine, diſquiſit. 1.dub.2. num.305.*

Bordon. Peregrin. Portel. Dicaſtillus.

QUÆSTIO IX.

Explicantur irregularitates ex defectu Sacramenti, id eſt Bigamia, ex defectu lenitatis, libertatis, ac bonorum temporalium.

SUMMARIUM.

De Bigamia egi Reſol.27.ſupra.
Ex defectu lenitatis dicam quæſt.ſequenti.

32 *Servi ſunt irregulares, ſi ordines ſuſcipiant annuente Domino ſunt liberi, ſi neſciente, ſunt ſervi, in his quæ non repugnant ſacerdotali dignitati.*

33 *Ex Tridentino requiritur patrimonium ad Ordines ſacros.*

32. ALiæ ſunt duæ irregularitates ex defectu, quæ ad has reducuntur, una ex defectu libertatis; ſervi enim ſunt irregulares *diſt.54. per totam*, de quo latè noſter Bacconius *in 4. diſtinct. 25.q.5.* Et meritò hæc irregularitas ab Eccleſia eſt inductanam ſervitus maximè repugnat cum ſuprema dignitate ſacerdotali. Si autem ſervus ordinetur, aut profeſſionem emittat, ſciente Domino, manet liber, ſi autem initietur in minoribus non conſentiente Domino, manet ſervus; ſi verò in majoribus, tunc adquiret libertatem ſolvendo pretium Domino, vel alium ſervum in ſui locum tradendo, alioquin adhuc tenetur ſervire in iis rebus, quæ non dedecent ſtatum clericalem. Ita Navar. Toletus, Sayrus quos citant, ac ſequuntur M. Cornejo *diſp.6.de irregul. dub.1.* Bonacina *de irregul. punct.4.n.2.* M.Lezena *de irregular. n.18.*

Bacon. Navar. Tolet. Cornejo. Bonacina. Lezana.

33. Alia etiam irregularitas communiter aſſignatur ex defectu bonorum temporalium, quæ ſcilicet provenit ex paupertate, carentes enim titulo, vel patrimonio ordinari non poſſunt propter Decretum Concil. Trid. *ſeſſ. 21.cap.2. de Reformatione.* Quod minimé ſpectat ad Regulares, quia ipſi ordinantur ſine titulo, & patrimonio, imò potius ad titulum: quoad ſæculares dicam cum de Ordine fuerit ſermo, interim vide Suar. *tom.5.ad 3.p.diſp.51. ſect.3. in fine*, M.Cornejo *ſuprà, diſp. ultima.*

Trident. Suar. Cornejo.

QUÆSTIO X.

An Prælati Regulares valeant diſpenſare in irregularitate ex homicidio voluntario, vel mutilatione?

SUMMARIUM.

34 *Ex homicidio voluntario, ſeu mutilatione etiam juſtè facta contrahitur irregularitas.*

35 *Prælati Regulares in homicidio voluntario, ac mutilatione diſpenſant.*

36 *Et hoc tam in homicidio prohibito in quinto Decalogi præcepto, quam non prohibito.*

37 *Poſſunt diſpenſare in irregularitate ex aborſu.*

38 *Ob homicidium in propriam defenſionem non datur irregularitas.*

39 *Loquimur de homicidio occulto.*

SEptima ſpecies irregularitatis, & eſt prima ex delicto, eſt ex defectu lenitatis, cum homo præ ſe non præfert manſuetudinem, ac ſimilitudinem Chriſti Domini, qui erat valdè mitis, & humilis corde; hæc autem irregularitas incurritur propter homicidium, vel mutilationem etiam juſtè factam, vel cooperationem, & etiam notabiliter acceleranrem; unde Iudex ſæcularis cum ſuo aſſeſſore, ſcribâ, ſeu tabellione, & etiam accuſator, ac teſtis in cauſa mortis, ſeu mutilationis omnes fiunt irregulares, de quibus multa tractant M. Cornejo *de irregularitate, diſp.11.n.1.* M.Lezana *verb. Irregularitas, à num.21.22. & ſeqq.* 34. Cornejo. Lezana.

Prælati Regulares poſſunt diſpenſare cum ſuis ſubditis in irregularitate contracta ex homicidio voluntario, vel mutilatione. Ita conſtat ex Bulla Pauli III. pro Benedictinis, de qua egi citatâ *reſol.27.* In qua Pontifex concedit facultatem Prælato ad abſolvendum ab omnibus caſibus etiam reſervatis, exceptis contentis in Bulla Cœnæ, & ad diſpenſandum irregularitatibus, quavis cauſa, vel occaſione contractis; unde in caſibus exceptavit contenta in Bulla Cœnæ, in irregularitatibus nullam fecit exceptionem; ergo poſſunt diſpenſare in omni irregularitate, ac proinde in homicidio, ac mutilatione. Idem conceſſit Matinus V. vivæ vocis oraculo, & Sixtus IV. Prædicatoribus. M. Lezana *tom.5. in mari magno Prædicatorum, num.128.* Ita Filliucius, Vecchius, Barboſa, quos referunt, ac ſequuntur Bordon. *tom.1.reſolut. 13.num.14.* Candidus *tom.2.diſquiſit. 24.art.61.dub.13.* M.Fr.Anton. ab Spiritu Sancto *tom.1.tractatu 2. diſput. 1. ſect.2.n.7.* 35. Lezana. Filliucius. Vecchius. Barboſa. Bordon. Candidus Fr. Anton.

Limitat tamen hanc doctrinam Bordon. *citatus*, cum Fr.Anton. *ad homicidium peccaminoſum prohibitum in quinto Decalogi præcepto*, quia ſimpliciter hoc tantum venit nomine homicidij. Quæ doctrina mihi non placet, quia ex conceſſionibus Pontificiis colligitur facultas ad diſpenſandum in omni homicidio voluntario, & ubi lex non diſtinguit, nec nos diſtinguere debemus; deinde ſi colligitur poteſtas ad diſpenſandum in homicidio peccaminoſo, 36. Bordon. Fr. Anton.

minoſo, ergo etiam in eo, quod non eſt peccaminoſum.

37. Limitat ſecundò, Rodrig. *tom. 2. quæſtion. q. 33. art. 4. ad fin.* In homicidio ex abortu, quia non ſolum eſt homicidium corporis, ſed etiam animæ, & inde dicit illud homicidium qualificatum. Tamen hæc doctrina non eſt admittenda; & Prælati poſſunt diſpenſare in tali irregularitate & in fœtu animato: de quo latè egi *Reſol. 3. quæſt. 16. & 17.*

38. Limita tertiò, quia occidens, vel mutilans aliquem ob defenſionem ſui cum moderamine inculpatæ tutelæ, nullam incurrit irregularitatem, ita definitum eſt ab Eccleſia, *Clementina ſi furioſus, de homicidio*, quia non ſponte, ſed neceſſitate propriæ defenſionis juſtæ, id fecit homo. Ita communiter Doctores. Noſter Bacconius *in 4. diſt. 25. quæſt. 7. art. 2.* Michaël de Bononia *ibidem quæſt. 2. art. 3.* M. Cornejo *de irregularitate, diſput. 4. dub. 1.* & multa *ſupra dixi, verb. Accuſatio*, vel *Bannitus*, vel *Bellum*. Bacconius. Bononia. Cornejo.

39. Maximè nota, quod tam hic de homicidio, quam de hæreſi, ac aliis criminibus, loquitur de delicto occulto; quid autem ſit occultum, vide quæ dixi *ſuperiori Reſolut. 2. n. 21.* Deinde notorium ut opponitur occulto, non ſufficit, quod ſit divulgatum per unum teſtem aliàs non multum fide dignum, ut notat Peirin. *de Prælat. q. 2. c. 5. §. 4. n. 52.* Deinde non ſufficit, quod crimen ſciatur tantum per famam, niſi fama procedat ab illis, qui crimen viderunt. Ita Sotus, Tabiena, Angelus, & alii, quos citat, ac ſequitur Sanchez *in Conſiliis, lib. 6. cap. 5. dub. 42. num. 2.* Sotus. Tabiena. Angelus. Sanch.

QUÆSTIO XI.

Quis poteſt diſpenſare in irregularitate proveniente ex rebaptizatione?

SUMMARIUM.

40 *Quando quis ſcienter rebaptizatur, incurrit irregularitatem.*

41 *Qui in adulta ætate, non in infantili baptizatur ab hæretico, fit irregularis.*

42 *In hac irregularitate diſpenſat Papa, Epiſcopus, & Prælatus Regularis reſpectu ſuorum ſubditorum.*

40. SEcunda ſpecies irregularitatis ex delicto provenit ex rebaptizatione, ſeu iteratione baptiſmi ſcienter, ſive publica, ſive occulta *cap. Eos de conſecrat. diſtinct. 4.* & *cap. Confirmand. diſtinct. 50.* Dixi ſcienter, quia ſi quis in infantia, ebrietate, vel ſomno rebaptizetur, non fit irregularis ob defectum uſus rationis, etiamſi poſtea ratam habeat illam rebaptizationem. Ita communiter Sayrus *lib. 7. cap. 8.* M. Cornejo *de irregul. diſput. 5. dub. 1.* Deinde etiam ſi quis ex ignorantia facti permitteret ſe rebaptizari, non incurrit in dictam irregularitatem: nam hæc irregularitas provenit ex delicto, à quo ignorantia excuſat. Sotus *in 4. diſt. 3. quæſt. unica, art. 9.* M Cornejo *citatus*, Bonacina *de irregularitate, diſput. 7. quæſt. 3. punct. 3. num. 3.* Sayrus. Sotus. Cornejo. Bonacina.

41. Hanc tamen irregularitatem incurrit ille, qui in adulta ætate ſe finit ab hæretico baptizari *cap. Si in qualibet, 1. quæſt. 7.* ſecus ſi quis in infantili ætate baptizetur *cap. Placuit*, & *cap. Qui apud 1. quæſt. 4.* ex Suario, Filliucio, Reginald. Bonac. *citatis, num. 53.* Filliuc. Reginald. Bonac.

Ab hac irregularitate non ſolum diſpenſat Papa, ſed etiam Epiſcopus, ex Trident. *ſeſſ. 24. cap. 6.* Per profeſſionem autem in Religione non tollitur, cum ad hoc nullum videatur dari fundamentum, ut notat M. Lezana, *verb. Irregul. num. 44.* In ea tamen poſſunt diſpenſare Prælati Regulares per privilegia, quæ habent ad diſpenſandum in omni irregularitate, ut notat idem Lezana, Bordon. *reſol. 11. num. 3.* & loquitur non ſolum de rebaptizatione occulta, ſed etiam de publica. 42. Trident. Lezana. Bordon.

QUÆSTIO XII.

Per malam ſuſceptionem, & adminiſtrationem ordinis incurritur irregularitas, & quis in ea diſpenſet.

SUMMARIUM.

43 *Suſcipiens ordines furtivè, & ſtante matrimonio incurrit irregularitatem.*

44 *Baptizans ſolemniter, vel Miſſam celebrans ſine ordine, vel excommunicatus confeſſiones excipiens, vel Euchariſtiam miniſtrans fit irregularis.*

45 *Ab hac irregularitate non ſolum diſpenſat Papa, ſed etiam Epiſcopus in caſibus occultis, Prælatus in utroque caſu.*

TErtia ſpecies irregularitatis ex delicto contrahitur per indebitam ſuſceptionem Ordinis, ac malam illius adminiſtrationem; & quantum ad ſuſceptionem, juxta communem ſententiam, in duobus tantum caſibus incurritur irregularitas, ut notarunt Hurtado *de cenſur. diſput. 2. diſſic. 3.* Diana 4. *part. tract 2. Reſol. 55. §. Nota etiam.* Præpoſit. 3. *part. q. 5. de irregul. dub. 5.* Primò, quando quis ordinatur furtivè, hoc eſt non examinatus, vel non admiſſus ſuſcipit Ordines, vel alium loco ſui facit examinare; & ipſe loco illius ſuſcipit ordines, *cap. de eo qui furtivè.* Bonacina *de cenſur. diſp. 7. quæſt. 3. punct. 4. num. 6.* Cum formidine tenet contrarium. Secundò, ſi durante matrimonio etiam non conſummato præſumit ſacros Ordines ſuſcipere; vnde in aliis caſibus in quibus multi Doctores aſſerunt incurri irregularitatem, tenendum eſt contrarium, ſed ſolum ſuſpenſionem, cum non exprimantur in jure; quod tenendum eſt memoria pro multis caſibus reſolvendis, de quo *de Sacram. Ordin.* 43. Hurtado. Diana. Præpoſit. Bonac.

Per exercitium Ordinis etiam multis caſibus incurritur irregularitas, ut ſi quis ſine ordine ſolemniter baptizet, Miſſam celebret; itémque excommunicatus confeſſiones excipiat, ſacrámque Euchariſtiam miniſtret, etiamſi miſſam non celebret, de quibus, & multis aliis dicendum eſt infra. Ex his, & aliis irregularitatibus diſpenſationem concedit, non ſolum Summus Pontifex, ſed etiam Epiſcopus in caſibus occultis ex Concilio Trid. *ſeſſ. 24. cap. 6.* Quoad Regulares: eorum Prælati in multis privilegiis 44. Trident.

Eugenii

Eugenii I V. Sixti I V. Pii V. quæ adducunt,
Lezana. & referunt Lezana *tom.1. ſumma, cap.18.n.40.*
Bordon. Bordonius *Reſol.11. num.3. & 41.*

QUÆSTIO XIII.

An Epiſcopi, & Prælati Regulares poſſint diſpenſare in irregularitate ex hæreſi occulta?

SUMMARIUM.

45 *Sub nomine hæreſis, intelligitur Hæreticus occultus, illius fautores, conſilium, & favorem dantes.*
46 *In hac irregularitate occulta poſſunt diſpenſare Epiſcopi, & Prælati Regulares.*
47 *Cum hac doctrina ſtat, quod non poſſunt abſolvere ab hæreſi occulta.*

45. QVarta ſpecies irregularitatis ex delicto, incurritur per hæreſim; hæretici enim ſunt irregulares, *cap. Presbyteri, diſt.50. cap. Qui in qualibet*; quod intelligitur de hæretico occulto, ut patet ex *Clement.7.* quæ refertur *in*
Director. *Directorio Inquiſitor.* Majolus *lib.de irregular.*
Cornejo. *cap.46.* M. Cornejo *diſp.8. dub. unico*, quod etiam intelligitur de fautoribus, receptoribus eorum, conſilium, favorem, auxiliúmque ipſis præbentibus: nam iſti cum ipſis hæreticis
Suar. æquiparantur, *cap.2. de hæreticis, in 6.* Suar.
Hurtad. *diſp.43. ſect.2.* Hurtadus *diſput. de irregular. diſſic.3.n.9.* Cum hæreticis computantur etiam
Sanchez. Apoſtatæ, ac Schiſmatici. Ita Sanch. Navar. ac multi alii apud Bonacinam *de irregularitate, diſp.7. punct.6. num.5.*

46. Si hæreſis ſit occulta, quod Epiſcopus poteſt diſpenſare ex Trident. *ſeſſ.24.c.6.* Henriq.
Trident. *lib.14. de irregularitate, cap.4. n.6.* Sanchez
Henriq. *in Decalog. lib.2. cap.25. num.18.* Toletus *in*
Sanchez. *Additionibus, lib.1. cap.69.* referens Sà, Co-
Toletus. mitolum, Sayrum. Prælati Regulares poſſunt
Sà etiam diſpenſare in hac irregularitate orta ex
Comitol. delicto infidelitatis, vel hæreſi occultæ ex pri-
Sayrus. vilegio Pii V. Bulla 13. Et confirmatur ex multis aliis privilegiis, in quibus eis datur poteſtas ad diſpenſandum in omni irregularitate, excepto homicidio, ac bigamia, Layman *lib.1.*
Layman. *tract.5.part.5. cap.4. in fine.* M. Lezana *verb.*
Lezana. *Irregul. num.62. ad finem.* Belaſius *v. Irregu-*
Belaſius *laritas, num.17.* Bordon. *tom.11. Reſol.11.n.43.*
Bordon. ubi cum Boſſio *de Jubilæo*, affirmat poſſe Prælatos Regulares diſpenſare cum hæretico pu-
Boſſius. blico, dummodo non ſit relapſus, quæ doctrina mihi nullo modo placet utpote contra communem conſenſum Theologorum. Quid autem ſit occultum, jam dixi *ſuperiori Reſolut. num.21. quæſt.4.*

47. Nec cum his pugnat id, quod dixi *Reſol.20. q.3.* Non poſſe Prælatos Regulares à crimine hæreſis occulto abſolvere; ergo cum eis nec diſpenſare, juxta *c. Cum illorum, de ſent. excommunicationis.* Cui negatur poteſtas abſolvendi, negatur poteſtas diſpenſandi. Reſp. cum San-
Sanch. chez *lib.2. in Decalog. c.25. n.18.* Lezana *verb.*
Lezana. *Irregularitas, num.62.* & Bordonio *proximè*
Bordon. *citato.* Quia textus intelligendus eſt regulariter loquendo: nam in crimine hæreſis ſtrictior eſt poteſtas abſolvendi, quam diſpenſandi: nam Concil. Trid. *citata, ſeſſ.24. c.6.* dans amplam facultatem Epiſcopis diſpenſandi in caſibus occultis, etiam Pontifici reſervatis, non expreſſit hæreſim, tanquam illam comprehendens ſub illa generali diſpenſandi conceſſione facta Epiſcopo, vel ejus Vicario, facta delegatione; at Concilium in poſteriori parte, ut notat Sanch. *citatus num.16.* agens de abſolutione ab hæreſi, ſtrictiùs loquitur, ut abſolutio ſolum impendatur per ipſum Epiſcopum, & non per ejus Vicarium. Deinde reſponderi poterit, quod in hæreſi ſtrictior eſt facultas abſolvendi, quam diſpenſandi, eo quod excommunicatio pro hæreſi occulta eſt certiſſima, non ſic autem irregularitas: nam quod hæc per hæreſim occultam contrahatur, negant multi Auctores, Henriquez, Emmanuel
Henriq. Sà, Sayrus, Avila, quos allegat, ac refert San-
Sà. Sayrus. Avila. chez *citatus num.1. & 2.*

QUÆSTIO XIV.

Quid ſit irregularitas ex infamia, & quis in ea valeat diſpenſare?

SUMMARIUM.

48 *Quid ſit infamia, & ob quot crimina contrahatur.*
49 *Infamia eſt duplex juris, vel facti.*
50 *Infamia facti tollitur per pœnitentiam, & emendationem.*
51 *In infamia facti, & juris diſpenſat Papa, & Epiſcopus.*
52 *In utraque infamia etiam publica diſpenſant Prælati Regulares.*

48. QVinta ſpecies irregularitatis ex delicto, oritur ex infamia, quæ ut ſumitur apud circunſtantes, *eſt prava exiſtimatio de vita, & moribus alicujus.* Ex parte ipſius infamis, *eſt læſa dignitatis qualitas, legibus, aut moribus reprobata.* Noſter Michaël de Bononia *in* Bononia.
4. diſt.25. quæſt.5. art.1. Sylveſter, & alii cum Layman, *lib.1. tract.5. part.5. cap.4. n.1.* Hæc autem contrahitur, poſt vel ante ingreſſum Religionis; & oritur ex multis, & variis criminibus, ex Apoſtaſia à fide, hæreſi, ex furto, raptu, perjurio, falſario, cum Moneta falſa, Sodomia, ex proſtitutione propriæ filiæ, vel neptis, matrimonio cum meretrice, vili, vel abjecta, ex arte magica. Hæc, & alia multa crimina circa infamiam congerunt Azorius *tom.2. lib.6. c.7.* Azor.
quæſt 3. M Cornejo *tom.2. tract.5. de irregu-* Cornejo.
laritate, diſput.8. dub. unico, §. Ex quibus infero. Barboſa *de poteſt. Epiſcopi, allegat.43.* Barboſa.
à num.25.

49. Infamia duplex eſt, una juris, altera facti. Infamia juris contrahitur poſt publicam judicis ſententiam; infamia autem facti contrahitur, ut explicat Caſtro Palaus *1.p. diſp.6. de cenſur.* Palaus.
punct.20. n.7. per aliquod factum deteſtabile, & infamatorium notum apud viros probos; bonos, & prudentes, cum per talia crimina homines excludantur ab officiis, ac muneribus publicis, ac honorificis, ut advertit Molina Molina.
tract.1. de juſtit. diſp.7. num.6.

51. Infamia facti tollitur per juſtam pœnitentiam, ac rectam emendationem vitæ, cum res, per quas cauſas naſcitur, per eaſdem diſſolvatur, ita communiter omnes cum Navarro *c.25. num.75.76.* Infamia autem facti, vel juris poteſt tolli à Summo Pontifice, an etiam ab Epiſcopis, negat Caſtro Palaus *citatus, num. 13.* dicens quod Epiſcopus non poteſt diſpenſare cum infami, ut ad ordines aſcendat, ſed ut in ſuſceptione miniſtret. Tamen, quod in vtroque poſſit Epiſcopus diſpenſare, communis eſt ſententia ex *cap. At ſi Clerus, §. de adulterio. de judic.* Navar. *in manuali, cap.27. num.204.* Toletus *in ſumma, lib.1. cap.62. n.5.* Lezana *verb. Infamia, num. 16.* Infamia autem orta ex jure civili tollitur à Rege, Principe, ac Imperatore.

Navar. Palaus. Toletus.

52. Prælati Regulares poſſunt diſpenſare cum ſuis ſubditis ratione ſuorum privilegiorum in omni irregularitate infamiæ ſive juris, ſive facti qualitercumque contracta ſit, ſive occulta, ſive publica ſit, poſt & ante ingreſſum Religionis. Ita Peregrin. *in ſuo Compendio, verb. Diſpenſat.* Naldus, *verb. Infamia, num.1. §. Hic autem.* Bordon. *Reſol.11. num.50.* M. Lezana, *verb. Infamia, n.17.18.* Theſaur. *p.1. cap.34.* Diana *part.5. tract.14. Reſol.91.* Et probabilem videtur ſentire Pellizar. *tract.9. c.3 ſect.4. n.134.* Et probatur ex multis privilegiis, quæ conceſſa ſunt Prælatis Regularium; quæ refert Lezana *tom.1. cap.18. num.4.* ad diſpenſandum cum ſuis ſubditis in omni irregularitate, exceptis tribus, homicidio voluntario, mutilatione, bigamia; ergo manet integra facultas ad diſpenſandum in omni alia irregularitate, & inde etiam ab infamia.

Peregrin. Naldus. Bordon. Lezana. Diana.

53. Probatur etiam ſecundò, ex privilegio Gregorii XIV. Bulla 17. pro Clericis miniſtrantibus infirmis, ut eorum Generalis, & idem eſt per conſequens aliorum Ordinum, qui cum ipſis communicant in privilegiis, poſſit diſpenſare cum ſuis ſubditis in infamiæ macula; & idem conceſſit Pius V. *in Bulla 129.* in novo Bullario, Abbatibus, & Prælatis Congregationis Caſſinenſis diſpenſandi in quavis macula infamiæ, qualiter cumque contractæ, ſive ante, ſive poſt ingreſſum Religionis.

Greg. XIV.

54. Nec contra hoc faciunt Rodriguez *tom.1. quæſt.24. art.6.* Portel. *in dubiis Regular. v. Diſpenſat. num.6.* Lavot. *tit.14. cap.16. num.7.* aſſerentes Prælatos Regulares non poſſe diſpenſare in infamia juris; maximè in crimine Sodomiæ, quia talis diſpenſatio generat ſcandalum. Reſpondemus quod diſpenſatio datur ſuppoſita pœnitentia, ac emendatione criminis, & per pœnitentiam, ac emendationem deletur omne quodcunque crimen.

Rodrig. Portel. Lavor.

Quæstio XV.

Prælatus, in quocunque loco ſit, poteſt diſpenſare cum ſuo ſubdito etiam à ſe abſenti.

SUMMARIUM.

55 *Prælatus extra Conventum in quocunque loco ſit, poteſt diſpenſare cum ſuo ſubdito.*

56 *Prælatus poteſt diſpenſare cum ſuo ſubdito etiam abſenti à ſe.*

PRimò Prælati Regulares poſſunt diſpenſare cum ſuo ſubdito, ſive ſit in Conventu, ſive extra illum, quia poteſtas diſpenſandi non alligatur loco, & privilegia Pontificum indiſtinctè loquuntur ſine determinatione loci. Ita Portel. *verb. Diſpenſare, in Addition.* 10. ex doctrina Sanchez *lib.1. diſp 9. num.7.* Suar. *de cenſur. diſp.41. ſect.2. num.10.* 55.

Portel. Sanchez. Suar.

Secundò, tenendum eſt, quod Prælatus poteſt diſpenſare ſubditum abſentem à ſe ipſo. Primò, quia in hoc nulla aſſignabitur repugnantia, nec difficultas, quia non eſt abſolutio ſacramentalis, quæ requirat ſubditum præſentem; deinde quia major difficultas poteſt conſiderari in abſolutione cenſurarum, quæ tamen confertur ſubdito abſenti. Bonac. *diſp.1. de cenſur. quæſt.3. punct.4. n.4.* cum communi ſententia; ergo multo magis diſpenſatio, cum nullum contineat veſtigium abſolutionis. Ita multi Auctores cum Boſſio *de Iubilæo caſu 10. num.166.* Portel. *verb. Diſpenſatio, n.10.* 56.

Bonacina. Boſſius. Portel.

Quæstio XVI.

An valeat diſpenſatio à ſuperiori data ſubdito ignoranti, non petenti, & etiam nolens?

SUMMARIUM.

57 *Valet diſpenſatio taliter data. Diſpenſatio data ſubdito ignoranti valet. Ibid.*

58 *Prodeſt diſpenſatio ſubdito non petenti. Prodeſt diſpenſatio facta nolenti. Ibid.*

REſpondeo, quòd maximè valet, ac tenet diſpenſatio data à ſuperiore ſubdito ignoranti, vel non petenti, vel nolenti diſpenſari. Probatur univerſaliter, quia ex parte diſpenſantis dantur omnia requiſita ad valorem dipenſationis poteſtas, & voluntas; ergo bona eſt diſpenſatio: ex parte etiam diſpenſati adſunt omnia requiſita, ſubjectio nempe, & juſta cauſa, ut ſuppono, ratione cujus ſuperior diſpenſat. Et probatur per ſingulas partes. Prodeſt ignoranti, ſi eam per tertium procuravit, aliter verò à die ſcientiæ acceptæ, ut volunt Suar. *lib.8. de legib. cap.25. n.15.* Menoch. *lib.2. de arbitrar. centur.2. caſu 185. n.31.* cum ipſis, ac aliis Bonac. *diſp.3. n.5. de privil.* Aliter tamen Sanch. *lib.8. de matrim. diſput.26. num.5.* Bordon. *reſol.10.* quod mihi eſt verius; prodeſt enim diſpenſatio facta ignoranti à die diſpenſationis ad collationem beneficii, quia ſtante diſpenſatione jam ipſe revera eſt habilis ad beneficium, & ipſa ſcientia eſt per accidens. 57.

Suarez. Menoch. Bonac. Sanchez. Bordon.

Prodeſt etiam diſpenſatio non petenti data à ſuperiore, quia valor illius pendet à voluntate concedentis, & non à ſupplicatione petentis, tum quia beneficium datum à ſuperiore ſine petitione alicujus valet, & ſortitur effectum, *cap. Si motu proprio de præbendis, in 6.* ergo & diſpenſatio, militat enim eadem ratio. Navar. *conſ.2. & 3. de reſcriptis.* Sà *verb. Gratia, n.23.* Portel. *verb. Diſpenſatio, num.11.* Suar. *lib.6.* 58.

Navar. Sà. Portel. Suarez.

lib. 6. de legibus, cap. 13. n. 8. Diſpenſatio facta in nolentem, habet ſuum effectum; nam diſpenſatio eſt beneficium ſuperioris, ac proinde juſta interveniente cauſa poteſt diſpenſare, maximè quando hoc confert ad bonum commune, vel commendationem virtutis, in ordine ad officia, tunc enim beneficium, & gratia confertur invito Thomazer *regula 151.*

Thomazer.

QUÆSTIO XVII.

An Prælatus non ſolùm per tertium, ſed etiam immediatè per ſemetipſum poſſit ſecum diſpenſare?

SUMMARIUM.

59 *Poteſt per tertium à ſe electum ſecum diſpenſare.*

60 *Poteſt etiam ſecum immediatè diſpenſare.*

59. REſpondeo Prælatus Regularis utpote Generalis, Provincialis, Prior localis non ſolùm per alium à ſe electum, ſed etiam immediatè per ſemetipſum ſecum diſpenſare poteſt in omni irregularitate, in qua poteſt cum ſuis ſubditis diſpenſare. Prima pars probatur ex privilegio Sixti IV. Gregorii XI. quæ refert Bordon. *Reſol 10. quæſt. 1. §. Secundum ſit.* Deinde Prælati, & Epiſcopi poſſunt eligere confeſſorem, ad eos abſolvendos, ergo etiam ad diſpenſandum cum eis. Henriquez *lib. 6. de Pœnitentia cap. 4. num. 3. & lib. 7. de indulg. cap. 28.* Emmanuel Sà, *verb. Religio. n. 47.*

Bordon. Henriq. Emman. Sà.

60. Secunda pars de diſpenſatione immediata in ſe ipſum, probatur, quia hoc nulli juri, tam divino, quam humano repugnat, ut probat Bordinus *Reſol. 10. num. 13. §. Secundum* Quia idem reſpectu diverſarum actionum, poteſt exercere vicem duorum. Abbas *in cap. ex literis de probationibus, num. 12.* Deinde non eſt univerſaliter verum illud axioma, quòd inter dantem, & accipientem debet dari diſtinctio, ut ex multis oſtendit Sanch. *lib 8. de Matrim. diſp. 3. num. 6.* Deinde illud axioma nemo ſui ipſius eſt judex, non habet locum in diſpenſationibus, nam diſpenſatio exercetur juriſdictione voluntaria, & gratuita, valdè diverſa ab abſolutione Sacramentali, quæ ſit per modum judicii. Gloſſa *final. cap. Nunc autem 7. diſt. 21.* Thomazer. *Reg. 25.* Armilla, *verſ. Monachus, n. 9.* Molin. *tom. 1. de juſtitia tract. 2. diſp. 247. §. Religioſus tamen.* Azor. *lib. 7. c. 29.* & ſicut Prælatus poteſt ſibimet ipſi concedere indulgentiam, ſicut aliis per ſuam juriſdictionem voluntariam, & gratuitam, ita & ſibimet ipſam diſpenſationem.

Bordon. Abbas. Sanch. Gloſſa. Thomazer. Armilla. Molina. Azor.

QUÆSTIO XVIII.

An diſpenſatio negata à majori, poſſit concedi à minori, & an diſpenſatus ad majus ſit diſpenſatus ad minus?

SUMMARIUM.

61 *Negata diſpenſatione à ſuperiori poteſt inferior diſpenſare, dummodo non ſit denegata diſpenſatio ob cauſam injuſtam, & n. 62. & 63.*

64 *Diſpenſatus ad majus non eſt diſpenſatus ad minus, & n. 65.*

PRima quæſtio eſt. Negat ſuperior, verbi gratiâ, Papa diſpenſationem alicui, an talem diſpenſationem poſſit concedere inferior, ſuppoſito quòd aliàs habeat poteſtatem, cognita negativa ſuperioris. Reſpondeo quòd inferior poteſt dare talem diſpenſationem, dummodo diſpenſatio non ſit denegata à ſuperiori, eo quòd judicaverit non adeſſe cauſam juſtam, & ſufficientem. Ita Sanchez *lib. 8. de matrim. diſp. 14. num. 5. 6. & 7.* Portel. *in additionibus ad dubia, verb. Diſpenſare, n. 18.* 61.

Sanch. Portel.

Probatur prima pars; quia denegatio ſuperioris, verbi gratia, Papæ, non abſtulit poteſtatem, quam habet inferior ex vi ſui officii. Deinde illa denegatio non facit caſum indiſpenſabilem, ſed denotat arbitrium ſuperioris, qui non tenebatur diſpenſare. Tandem ſubditus relicto inferiori, accedendo ad ſuperiorem, non ceſſit juri ſuo, cum in ejus optione ſit accedere ad hunc, vel illum. 62.

Altera pass concluſionis probatur, quia ſi ſuperior, verbi gratia Papa, negat diſpenſationem, quia judicat cauſam injuſtam, & inſufficientem, tunc inferior non poteſt diſpenſare; nam in re tam gravi tenetur ſe conformare cum judicio ſuperioris, & ideò reſpectu illius cauſæ indiſpenſabilis eſt caſus. At verò ſi aliæ cauſæ proponantur, quas inferior judicet ſufficientes, vel aliæ circumſtantiæ ad eundem caſum, tunc inferior poterit diſpenſare, non enim ipſe conſtringitur ad unam cauſam, cum aliæ intervenire poſſint. 63.

Secudò petit quæſtio, an diſpenſatus ad majus officium, verbi gratiâ ad generalatum cenſeatur diſpenſatus ad minus, verbi gratiâ ad Provincialatum, vel Prioratum, ſeu diffinitoratum. Reſpondeo, quòd non cenſetur diſpenſatus; ita Sanchez *lib. 8. de Matrim. diſp. 1. n. 32.* Sigiſmund. *dub. 30. n. 3. §. Manet ergo.* Vbi *num. 5.* expreſſis verbis hunc noſtrum caſum tractat. Bordonius *Reſol. 10. n. 19.* 64.

Sanch. Sigiſmond. Bordon.

Ratio eſt, quia diſpenſatio ſtrictè eſt interpretanda, & maximè reſtringenda, cùm ſit juris communis vulneratio, quòd eſt maximè odioſum, *cap. 1. de filiis Presbyterorum in 6. & facit Regula, quæ à jure exorbitant non ſunt habenda in conſequensiam in 6.* Confirmatur ex paritate rationis. Quia diſpenſatus ad Archiepiſcopatum, non poteſt eligi in Epiſcopum, *cap. finali de tranſlatione Epiſcoporum.* Neque enim in his valet argumentum à minori ad majus, ut aliis citatis probat Sanchez. 65.

QUÆSTIO XIX.

Vtrùm diſpenſatio facta in ſolemni viſitatione non ſolùm comprehendat profeſſos, ſed etiam novitios.

SUMMARIUM.

60 *Diſpenſatio facta in viſitatione prodeſt etiamſi de irregularitate non recordetur, ſed poſtea.*

67 *Prima ſententia negat, quod Prælatus nõ poteſt diſpenſare in irregularitate novitiorũ.*
68 *Secunda affirmat, & fundatur, & n.* 69.
70 *Solvitur fundamentum adverſariorum, & quod novitius poteſt adire Epiſcopum.*

66. COnveniunt, quòd diſpenſatio facta à Prælato, ſeu viſitatore in ſolemni viſitatione, ſeu reconciliatione comprehendat ipſos Religioſos profeſſos, ut abſoluti, & diſpenſati maneant à quacumque irregularitate, ſi illa erant innodati, ad quam ſe extendat poteſtas ipſius viſitatoris, ita ut hæc diſpenſatio in tantum eis proſit, quòd ſi poſtea ſubditus meminerit ſe eſſe aliqua irregularitate affectum verbi gratiâ, non egeat nova diſpenſatione, cùm jam per illam generalem diſpenſationem, fuerit irregularitas ablata. Ita Peyrinus *tom.* 1. *Privilegiorum conſtitut.* 1. Iulij II. adducens Navarrum *in ſumma cap.* 26. *num.* 13. Sylveſt. *verb. confeſſio* 1. *quæſt.* 4.

Peirin. Sylveſt. Navarr.

67. Major difficultas eſt, an Prælatus Regularis poſſit diſpenſare cùm novitiis ſuper omni irregularitate ex delicto occulto provenienti, juxta conceſſiones Apoſtolicas. Negant Suar. *tom.* 2. *de Relig. lib.* 6. *cap.* 11. Azor. *part.* 1. *lib.* 11. *cap.* 19. Sayrus *Clavi Reg. lib.* 6. *cap.* 11. *num.* 92. Quia licet Regularis habeat juriſdictionem quaſi Epiſcopalem, non tamen in novitium, cùm non ſit ſimpliciter, & abſolute verus Religioſus.

Suar. Azor. Sayrus.

68. Tamen ſimpliciter oppoſita ſententia tenenda eſt, quam tenent Sanchez *in Decalog. tom.* 1. *lib.* 4. *cap.* 39. *num.* 17. Tamburin. *de jure Abbat. tom.* 2. *diſp.* 18. *quæſt.* 3. *num.* 2. Henriquez, Leſſius, Fauſtus, Miranda, Barthomolæus de Vecchis. Portel, quos citat, ac ſequitur Diana 3. *part. tract.* 2. *reſol.* 71. *quibus adhæret* Pellizar. *tom.* 2. *tract.* 9. *cap.* 3. *ſect.* 4. *num.* 129. & in hac ſententia ſunt Auctores, quos ſuprà citavi, *quæſt.* 2. *num.* 7.

Sanchez. Tambur. Henriq. Leſſius. Fauſtus. Miranda. Vecchis. Portel. Diana. Pellizar.

69. Probatur primò, quia novitij gaudent privilegiis ſui ordinis, ut eſt commune, & conceſſit Gregorius XIII. Novitiis Societatis, ut ipſius Societatis gaudeant privilegiis. De quo communicant aliæ Religiones. Secundò. Quia etſi Prælatus Regularis non habeat poteſtatem dominativam in novitios, habet tamen poteſtatem ſpiritualem Eccleſiaſticam in eos, ut ex Navarro cum communi ſententia tenet Sanchez *lib.* 4. *in Decalog. c.* 39. *num.* 17. & inde fit, quòd novitius valet confiteri cum confeſſore approbato à Prælato ordinis, & quod novitius quamdiu perſeverat in Religione, exemptus eſt à juriſdictione Epiſcopi, qui non poteſt cognoſcere de delicto ejus, ac aliis illius cauſis, niſi forte novitius ſe illi ſubdat, ut late probat Sanchez citatus cum Henriquez, Rodriguez, Leſſio, Angelo, Sylveſtro, & aliis.

Navarr. Sanchez. Sanch. Henriq. Rodrig. Leſſius. Angelus. Sylveſt.

70. Nec obſtat fundamentum Suaris, quia Novitius non habet ſtatum perpetuum, ſed veluti ita dicam habet ſtatum mutabilem, & annualem, diſpenſatio autem fit ad rem perpetuam. Quæ ratio non multum urget, quia, v. g. quis virtute Iubilæi, vel ſacræ pœnitentiariæ poteſt diſpenſari, & tamen poſtea ex negligentia non exequitur opera adjuncta; ſic & Novitius accedens ad Religionem, ex ejus privilegiis obtinet aliquod beneficium, & favorem, licèt poſtea in ea non perſeveret, & ſicut Novitius quamdiu eſt in Religione, ſuſtinet illius onera, ſic æquum eſt, ut favoribus illius gaudeat.

Suar.

Dixi; quòd ſi Novitius velit, poteſt adire Epiſcopum ad obtinendum aliquam diſpenſationem, poteſt illum adire, cum nondum plenam exemptionem, ac ſubjectionem Prælato Regulari adeptus ſit, ideoque poteſt ſe ſubiicere Epiſcopo, ut probat Sanchez *citatus, num.* 18 & 20. addens, quòd debet adire ad Epiſcopum ſui domicilij. Oppoſitum mihi videtur verius, quia ex eo quod Novitius ingreſſus eſt Religionem, jam non habet animum perpetuo habitandi in priori domicilio, ſed ſe transferendi ad hunc, & illum locum, prout obedientia ordinaverit, ac proinde ſi vult adire ordinarium, debet adire illum, in cujus diœceſi ſe habet in præſentiarum. 71.

RESOLUTIO XXIX.

Explicatur poteſtas, quam habent Confeſſores Regulares ad diſpenſandum cum ſæcularibus.

QUÆSTIO PRIMA.

De poteſtate conceſſa Confeſſoribus Regularibus ad diſpenſanda vota, & juramenta.

SUMMARIUM.

1 *Non agimus de ipſis confeſſoribus, quantum ad ipſos Fratres, quia eſt res valdè dubia.*
2 *Confeſſores Regulares poſſunt diſpenſare in votis ſæcularium, quinque exceptis.*
3 *Privilegia Apoſtolica.*
4 *Votum conditionale caſtitatis, vel alia, quæ non ſunt directe vota caſtitatis, non ſunt reſervata.*
5 *Votum caſtitatis in conjugatis eſt diſpenſabile.*
6 *Votum peregrinationis ad loca ſancta, ſi non eſt ex devotione, ſed aliò fine non eſt reſervatum.*
7 *Religioſi poſſunt commutare vota.*

1. NOn agimus in præſenti de poteſtate, quam habent Confeſſores Regulares erga ipſos Fratres, & Religioſos, quia res eſt ſatis dubia, & multas patitur difficultates, quoad diſpenſanda eorum vota, & juramenta, & ideò pro hac re via certa, & ſecura eſt recurrere ad Religionis Prælatum, ut notat Portel. *verb. Confeſſor. quoad Fratres, num.* 21. Sed loquimur tantùm de Confeſſoribus Regularibus quoad vota, & juramenta fæcularium accedentium ad eos ad confeſſiones.

2. Dico Primò. Confeſſores Regulares poſſunt diſpenſare in omnibus votis fæcularium

venientium ad confeſſiones, exceptis quinque Papæ reſervatis, ſcilicet caſtitatis, Religionis, ac triplicis peregrinationis, de quibus jam egi in præcedentibus, *Reſolutionibus* 28. & 27. *Sententia eſt communis.* M. Lezana, *tom.*1. *cap.*19. *num.*23. Lopez, Navar. Valentia, Sayrus, Aragonius, quos refert, & ſequitur Candidus, *tom* 2. *diſquiſit.*27. *art.vnico, dub.*1. Vivald. *tit. de votis inquiſit.*3.*num.*77. Pellizar. *tom.*2. *tract.*8. *cap.*3. *ſect.*2.*num* 141. Vrbanus *tract.*2. *part.*2. *diſt.*1. *cap.*4. *Regul.*1. *fol. mihi* 249. M. Fr. Anton. ab Spir. Sanct. *director. Reg.tom.*1.*tractatu* 2.*diſput.*3.*ſect.*2. *num.* 80.

Lezana. Lopez. Navarr. Valentia. Sayrus. Aragon Candidus. Vivald. Pellizar. Urban. Fr. Anton.

3. Ad fundamentum hujus veritatis ſtabiliendum multa privilegia ad ducit Bordon. *tom.*1. *Reſol.*15. *num.*2. quæ partim ſunt vivæ vocis oracula, vel pro certo, & determinato tempore, duo, vel tria bullata, & pro omni tempore. Primum & bullatum, Eugenius IV. conceſſit Monachis S. Juſtinæ Ordinis S. Benedicti, *conſtitut. Et ſi quaſlibet* apud Confetium *pag.* 39. & apud Caſarrubium in compendio privilegiorum Mendicant. *verb. Abſolutio quoad ſæculares* 2. *num.* 16. Inter cætera ait Pontifex: *inſuper & vota omnia permutare, ac in omnibus, & ſingulis caſibus, & cum eis diſpenſare præter cenſuras, pœnas, & vota, & caſus, de quibus eſſet meritoſedes Apoſtolica conſulenda.* Ubi ut bene advertit Miranda *tom.*1. *quæſt.*48. *art.*3. *verb. diſpenſandi, etiam referendum eſſe ad vota.* Aliud privilegium conceſſit Paulus III. Patribus Societatis Ieſu in ſua conſtitut. *Cum inter cuncta.* referunt Confetius, *pag.*184. & Caſarrubius, *in citato compend. ubi ſuprà num.* 19. ubi ait citatus Paulus III. quòd concedit liberam facultatem, *vota quacumque per eos pro tempore emiſſa (vltra marinis, viſitationis B. Petri, & Pauli Apoſtol. de vrbe, ac Sancti Iacobi in Compoſtella, nec non Religionis, & caſtitatis votis dumtaxat exceptis) in alia pietatis opera commutandi.* Iulius II. conceſſit Patribus Benedictinis facultatem diſpenſandi in omnibus votis, in quibus poſſunt diſpenſare Epiſcopi. Refert Sorbo *verb. diſpenſatio.* Peregrin. *verb. diſpenſatio.* §. 10. licèt alia privilegia poſſint referri, hæc ſufficiant.

Bordon. Confet. Caſarrub. Miranda. Confetius. Caſarrub. Sorbo. Peregrin.

4. Ex his colliges. Primò, quod Confeſſores Regulares poſſunt diſpenſare in votis caſtitatis, ac Religionis, & triplicis peregrinationis, quando hæc vota non ſunt abſoluta, & ex perfecto amore Dei, ſed conditionalia, & pœnalia, ut ſuprà dixi de Epiſcopis, *Reſolut.*27. *quæſt.*3.*n.*12. & 13. Ex his etiam colliges Confeſſores Regulares poſſe diſpenſare in votis, quæ non ſunt ſimpliciter, & abſolutè caſtitatis vota; ut ſi quis faciat votum aſſumendi ordines ſacros, non nubendi, non fornicandi, non polluendi, mulierem non luxuriosè tangendi; imò ſi faciat votum caſtitatis per quatuor, vel ſex annos, hæc vota non ſunt ſimpliciter caſtitatis vota, & ideò non ſunt reſervata, Sanchez *lib.* 8. *diſput.* 9. *num.* 11. & *in Decalog. lib.*4. *c.*40. & alii apud ipſum, Diana *tom.*1. *in Cruciatam, Reſol.* 59. Portel. *verb. Diſpenſatio de Confeſſario Regulari, n.*19.

Sanchez. Diana. Portel.

5. Colliges tertiò; quod etiam eſt diſpenſabile, & non reſervatum, quòd matrimonio conjuncti votum injerunt ex communi conſenſu ſervandi caſtitatem; nam hoc in conjugatis non eſt perfectum, & abſolutum integræ caſtitatis votum, ſed tantùm non petendi debitum, & ex una parte poteſt deficere, & ideò non eſt votum perpetuum, & abſolutum, ac per conſequens non eſt Papæ reſervatum. Ita Rodrig. *tom.*1. *quæſt.*73. *art.*2. Baſilius Legionenſis *lib.*8. *de matrim. cap.*10. *in fine*, Caſtro Palaus *tom.*3. *tract.*15. *diſp.*2. *punct.*13. *num.*9. Trullench. *in Decalog. lib.*2. *cap.*2. *dub.*4.4. *n.*3.

Rodrig Baſilius. Leogionen. Palaus. Trullench.

6. Colliges quartò, quid dicendum ſit de voto triplicis peregrinationis in loca ſancta, vel Romam, Compoſtellam: ſi tale votum fiat, non ob venerationem, nec devotionem illorum locorum, ſed ob curioſitatem ad videnda mirabilia Romæ, non eſt votum reſervatum, cum non ſit emiſſum ob cultum Dei, & venerationem illorum locorum, quia hac de cauſa vota illa reſervantur, Bordonius *tom.*1. *Reſol.*15. *num.*20. vnde docet Sanchez *in Decalog. lib.*4. *cap.*40. *num.*77. Votum ejus, qui promiſit ire Romam ad viſitandam imaginem Virginis, aut ad oſculandos pedes Sanctiſſimi Domini Papæ, non eſt reſervatum; nam reſervatio tunc datur, quando votum ſit ad veneranda ea, quæ ſunt in illa civitate, non verò ad unum, vel alterum determinatè. Si tamen ſimpliciter vovit ire ad ea loca, tunc eſt reſervatum, quia tunc directè tendit ad venerationem illorum locorum.

Bordon. Sanchez.

7. Dico; Secundò. Religioſi habentes communicationem cum Religioſis D. Benedicti, ac Societatis Ieſu, poſſunt commutare omnia vota, exceptis illis quinque, ſæcularium ad ſe venientium, ita conſtat ex privilegiis relatis Eugenii IV. pro Benedictinis, & Pauli III. pro Patribus Societatis Ieſu, ut refert Lezana *tom.*1. *cap.*19. *num.*23. Et patet ex privilegiis relatis ſuprà in hac quæſtione *concluſ.* 1. Gregor. XIII. extendit hoc privilegium, ut notat idem Lezana ad vota etiam jurata. Dummodo talis commutatio in alterius præjudicium non fiat. In commutatione autem horum votorum, idem ſentiendum eſt, ac in eorum diſpenſatione, ut ex multis obſervat Bordonius *tom.*1. *Reſol.*15. *num.*29.

Lezana. Bordon.

QUÆSTIO II.

An Confeſſarii Regulares poſſint diſpenſare in quinque votis Papæ reſervatis, quando ratione neceſſitatis Epiſcopi poſſunt diſpenſare?

SUMMARIUM.

8 *Epiſcopi in caſu neceſſitatis, quando recurſus ad Papam eſt difficilis, poſſunt diſpenſare.*
9 *Proponitur caſus ex Sanchez.*
10 *Affirmant aliqui.*
11 *Negat communis ſententia.*
12 *Ejus fundamentalis ratio.*

8. QVæſtio ſatis curioſa, & difficilis; communis ſententia tenet, quòd quando vrget neceſſitas, & non eſt aditus facilis ad Papam ſine mora, quòd tunc ex benigna mente

Summi

Summi Pontificis, in votis reſervatis poſſit Epiſcopus diſpenſare, quia tunc credendum eſt ex benigna Pontificis mente nolle eum ſibi talem caſum reſervare, ſed potius Prælatis inferioribus concedere facultatem diſpenſandi, & hæc communis eſt ſententia. Ita Sylveſter, Navarrus, Palacius, Henriquez, Sà, Valentia, Aragonius, & multi alij, quos citant, ac ſequuntur Barboſa *de poteſtate Epiſcopi, 2. part. allegat. 37. num. 8.* Diana *p. 6 tract. 6. Reſol. 50.*

Sylveſt. Navarr. Palaus. Henriq. Sà. Valentia. Aragonius. Barboſa. Diana.

9. Sanchez.

Unde Sanchez *lib. 8. de matrim. diſp. 9. n. 22.* poſt medium refert, quod ipſe de hac re fuiſſet conſultus, ac conſuluiſſet, quòd poterat Epiſcopus diſpenſare cum juvene, qui voto Religionis aſtrictus, virginem defloraverat, ac gravidam effecerat, volebátque ejus famæ conſulere, eam ducens, eratque periculum in mora, quia ſi diſpenſatio Pontificia expectaretur, impediretur matrimonium à conſanguineis juvenis, qui illi repugnabant, ac mutaretur juvenis voluntas, quæ non tam firma erat, quin facilè mutari poſſet, & ita diſpenſaſſe Epiſcopum, ut refert Sanch. *citatus.*

10. Quæſtio præſens, an cum Mendicantes habeant facultatem ad diſpenſandum in votis, in quibus Epiſcopi valent diſpenſare; & ratione neceſſitatis urgentis Epiſcopi valeant diſpenſare in quinque votis reſervatis, an etiam ratione ipſius neceſſitatis, valeant in eis Mendicantes diſpenſare; ſententiam affirmativam tenent Murcia apud Dianam *p. 9. tract. 6. Reſolut. 50.* & Paſcalig. apud ipſum eadem *part. 9. tract. 9. Reſol. 6.* Vidal. *tit. de voto, inquiſit. 3. n. 77.* Crouſeres. *in Regulam S. Francijci, cap. 7. lect. 29. fol. 785.* & probabilem dicit M. Fr. Antonius ab Spiritu. ſanct. *director. Regul. tract. 2. diſp. 3. ſect. 2. n. 82.*

Murcia. Diana. Paſcalig. Vidalius. Crouſeres. Fr. Anton.

11. Tamen in tali caſu neceſſitatis, quòd Religioſi non valeant diſpenſare in votis reſervatis, eſt communis, & vera. Ita Rodrig. *tom. 1. quæſt. 63. art. 3. & 6.* Miranda *tom. 1. quæſt. 48. art. 4.* Suar. *tom. 2. lib. 6. de voto, cap. 26. num. 16.* Barboſa *citatus, num. 14.* Henriquez, Sanchez, Layman, Baſilius, Legionen. & alij, quos citant, ac ſequuntur Diana *part. 6. tract. 6. Reſolut. 50.* Caſtro Palaus *tom. 3 tract. 15. de voto, diſp. 2. punct. 12. num. 7.* Fagundez *in præcepta Decalog. tom. 1. lib. 2. cap. 45. num. 15.*

Rodrig. Miranda. Suarez. Barboſa. Henriq. Sanchez. Layman. Baſilius. Diana. Palaus. Fagundez.

12. Probatur, quia tales caſus, non jure ordinario, ſed extraordinario, ac per accidens ratione urgentis neceſſitatis competunt Epiſcopis, ex quadam benigna juris interpretatione, ac voluntate Pontificis, tanquam Paſtoribus, ac Prælatis ordinariis ſuarum ovium, ne pereant, ſed earum bono conſulant; ergo cum hi caſus jure ordinario, non ſint caſus Epiſcopales, ſed ex peculiari delegatione, non competunt Regularibus: quæ enim ex delegatione competunt uni, non competunt omnibus. Aliam rationem adducit Caſtro Palaus *citatus*, quæ non multum firma videtur, & inde eam omitto.

QUÆSTIO. III.

An Epiſcopi, vel Regulares confeſſarii, vel quilibet confeſſarius virtute Iubilæi, vel Bullæ Cruciatæ poſſit commutare iuramentum, vel vota iurata?

SUMMARIUM.

13 *Quilibet ex ſupradictis poteſt diſpenſare, ſeu relaxare juramentũ, ſeu vota jurata.*

14 *Poſſunt prædicti in voto jurato jejunandi tali die, vel dandi Calicem Eccleſiæ, &c.*

15 *Poſſunt prædicti confeſſarij in voto & juramento facto in favorem alicujus tertij, dummodo non ſit acceptatum.*

16 *Poſſunt etiam diſpenſare in ipſo voto, vel juramento, quamvis non detur ſpecialis promiſſio.*

13. DIco, quòd Epiſcopi, confeſſores Regulares per ſua privilegia, ac quilibet confeſſor ſæcularis virtute Iubilæi, aut Bullæ Cruciatæ poſſunt diſpenſare, ſeu relaxare juramentum, aut vota jurata. Ita Rodrig. *in compendio*, Boſſius, & alij, quos citat, ac ſequitur Bordonius *tom. 1. Reſol. 15. num. 25.* Portel. *verb. Confeſſor erga ſaculares, num. 26. & verb. Diſpenſat. num. 18. & 26.* & Tabiena, Navar. Petrus de Ledeſma, quos citat, & cum eis conſentit Diana 4. *part. tract. 4. Reſol. 69. & part. 5. tract. 12. Reſol. 69.* & Candidus, *diſquiſitione 27. art. unico, dub. 3. & 4.* cum Sanchez, & aliis. Et hæc concluſio eſt communis: Probatur, quia hoc conceſſit de votis juratis Gregorius XIII. Patribus Societatis Ieſu. Probatur deinde, quia prædicti poſſunt diſpenſare in juramentis, ut communiter fatentur omnes, & dicam ſtatim; ergo benè poſſunt diſpenſare in votis cum juramento. Confirmatur, quia ipſi ut ſupra dictum eſt ſuperiori reſolutione, poſſunt diſpenſare in voto, adjectum autem juramentum non variat ſubſtantiam voti, non enim de non reſervato facit reſervatum.

Rodrig. Bordon. Portel. Tabiena. Navarr. Ledeſma. Diana. Candidus.

14. Ex his colliges primò, poſſe prædictos confeſſarios diſpenſare in juramento, ſeu voto juramentato jejunãdi omnibus ſextis feriis in honorẽ Paſſionis Chriſti; ita colligitur ex proximè citato privilegio Gregorij XIII. & tenent Portel. Boſſius, & alij cum Bordonio *Reſol. 15. num 26.* Et probatur etiam ratione, quia prædicti confeſſarij valent diſpenſare in voto, ut dixi ſuperiori reſolutione. Deinde poſſunt diſpenſare in juramento, ut cum multis Doctoribus probant Sanchez *lib. 8. de matrim. diſp. 2 num. 18.* referens ſe ipſum *in Decalog. lib. 4. cap. 53. num. 8.* ergo poſſunt diſpenſare in voto jurato.

Portel. Boſſius. Bordon. Sanchez.

15. Colliges ſecundò. Poſſunt prædicti confeſſarij Regulares, vel ſæculares ex Iubilæo, vel ex Cruciata diſpenſare in votis, vel juramentis factis in favorem alicujus tertij, ut ſi quis vovit Eccleſiæ dare candelabra aurea, vel tali pauperi eleemoſynam, dummodo non ab eis, vel ab aliquo acceptata ſint; nam promiſſione acta

facta nemo dicitur jus acquirere, nisi per humanam acceptationem, vt planum est apud omnes; ergo confessarius vi suorum privilegiorum dispensando, nulli tertio præjudicium infert, cum per votum, aut juramentum factum, nullum jus, aut emolumentum amittat, cum nondum acquisisset, quia hoc debebat dare acceptatio, quæ non est facta, vt suppono. Ita Sanchez *lib.4.in Decalog cap.41.n.7. & cap. 53.num. 2.* Portel. *verb. Confessor.erga sæculares,n. 26. & 27.& verb.Votum.n.97.*

Sanchez. Portel.

16. Navarrus, quem sequitur Trullench *lib. 2. in Decalog.cap. 2. dub.4.num.31.* Sylvester, Angelus, Caietanus, quos refert Raphaël de la Torre, *quæst.88.art. 12. disp. 2.num.2.* Quòd licet votum sit acceptatum ab aliquo tertio, dum modo non sit illi facta specialis promissio, quòd adhuc est dispensabile à prædicto confessario, quia cùm promissio cum voto, vel juramento facta sit soli Deo, per accidens est, quòd sit in favorem tertij, & hominis acceptatio sine speciali promissione non tribuit jus justitiæ, tamen opposita sententia est verior cum Sanchez, ac M. Lezana, *tom. 1. cap.18. num. 53.* quia illa specialis promissio non requiritur, sed est imbibita in ipso voto, vel juramento facto, quæ cùm sit emissa in favorem Ecclesiæ, vel pauperis, sat est, quòd minister Ecclesiæ, vel pauper nomine Dei, vel Ecclesiæ acceptet.

Navar. Trullench. Sylvest. Angelus. de la Torre.

Lezana.

17. Excipiuntur tamen statuta jurata confirmata à Papa, Academiarum, Colegiorum, & Regnorum, in quibus Episcopi non possunt dispensare, ut postulat bonum commune, *vt dixi suprà Resol.27.quæst.3.num.15.*

Quæstio IV.

An Episcopi, vel confessores Regulares, seu sæculares, virtute Bullæ, seu Iubilæi valeant dispensare vota jurata castitatis, vel Religionis?

SUMMARIUM.

17 *Prima sententia affirmat, & est probabile.*
19 *Secunda sententia negat, & est vera.*
20 *Proponitur sententia negantis fundamentum.*

18. Affirmativam sententiam tenent Tabiena, Navarrus, quos adducit Diana statim citandus, Petrus de Ledesma *in summa tom.2. tract, 11.cap.4. dub.2.* ubi sic ait: Quia in jure nullum reperitur juramentum reservatum Pontifici, non sequitur, illa quinque vota sunt Pontifici reservata; ergo etiam juramenta de illa materia: nam obligatio voti major est juramenti obligatione, ut docet D. Thom. 2.2. *quæst 89. art. 8.* Et ex alia parte, cum reservatio sit odiosa, restringenda est, & non ampliandà. Deinde cum Pontifices per aliquod indultum facultatem dant relaxandi, seu commutandi omnia juramenta, sine partis tamen præjudicio; non solent excipere aliqua juramenta, sicut excipiunt aliqua vota: ergo signum est non esse usu receptum, aliqua juramenta, & etiam illa quinque esse Pontifici reservata, & ideo quando Pontifex in aliquo indulto concedit facultatem relaxandi juramenta, possunt sine scrupulo à confessariis illa quinque relaxari. Ita Ledesma, & ideo ob prædicta fundamenta, hanc sententiam probabilem dicunt Diana 4.*part.tract.4. Resol.69.* Trullench. *in Bullam Cruciatam, lib.5.§.7.c.5. dub.5.num.5.* Alphonsus de Leone *de potest. Confessor. pari.2.Resol.20.recollect.20.n.181.* Pellizarius *tom.2.tract.8.cap.3. sect.2.n.158.* Fr. Anton. ab Spir. *in director.Regular.tom.1.tract.2. disp.3 sect.2 num.87.* Et hanc sententiam probabilem esse dico.

Diana. Trhllenth. Alp. de Leo. Pellizar. Fr. Anton.

19. Tamen simpliciter mihi videtur dicendum, quòd tales confessores sive Regulares per sua privilegia, sive sæculares, ratione Jubilæi, vel Cruciatæ, non possunt dispensare in illis quinque votis juratis, verbi gratiâ castitatis, Religionis, & hanc sententiam ut probabiliorem tenent Doctores proximè citati, & etiam Caietan. Sotus, Valentia, Azor. Layman, Aragon, Basilius Pontius, citata à Diana prædicta *Resolutione 69* eandemque sententiam tenet Sanchez, *lib.8.de Matrim.disp.13.num.7. & in Decalogum lib.4.cap.54.num.21.* Bordon. *tom. 1.Resol.15.n.28.* Turrian. *in disput.selectis, centur.2.dub.92.* & multos alios Doctores citat Bossius *sect.1.casu.5.num. 13.*

Caietan. Sotus. Valentia. Azor. Layman. Aragon. Poueius. Diana. Sanch. Bordon. Turrian. Bossius.

20. Probatur. Quia omne juramentum Deo factum, includit votum, juramentum autem, quo aliquid Deo promittitur, nihil aliud est, quam votum jurejurando firmatum, ergo si votum est Papæ reservatum, similiter erit & juramentum. Et confirmatur, quia vinculum, aut vis voti non diminuitur, aut deperditur per adiunctum juramentum, nam ut docet D. Thomas 2.2. *quæst 89.art.8.* Major est obligatio voti obligatione juramenti, ut etiam explicat Castro Palaus *tom. 3.tract. 14.disp.2. punct. 1. num. 5.* ergo cùm obligatio voti sit major, non potest minui per id, quod est minus, nempe per juramentum; semper enim accessorium sequitur principale; principale autem est id, quod est majus, & inde votum est principale, & tanquam accessorium est juramentum. Id autem quòd dicitur, nullum juramentum inveniri reservatum in jure, id verum est de juramento secundùm se, sed juramentum junctum voto ratione voti fit reservatum.

D. Tom. Palaus.

Quæstio V.

In quibus irregularitatibus sæcularium confessores Regulares valent dispensare?

SUMMARIUM.

21 *Irregularitas triplici modo consideratur.*
22 *Possunt confessores Regulares dispensare cum Clericis sæcularibus ex mala susceptione, ac administratione Sacramentorum.*
23 *Nec obstat quòd in privilegio sit facultas absolvendi à censuris.*
24 *Præditi confessores possunt dispensare cum sæcularibus, in irregularitatibus, in quibus possunt Episcopi, & n. 25. & 26.*

27. *Irregu-*

27 *Irregularitates, in quibus poſſunt Epiſcopi diſpenſa e, & n.* 28.

21. Fragoſus. IN limine quæſtionis notandum eſt ex Fragoſo *tom.*2.*d.*b.11.*diſp.*24.§.7.*num.*18. Irregularitatem in triplici modo poſſe conſiderari. Primò, illa, quæ contrahitur, ex homicidio, ſeu mutilatione culpabili. Secundò illa, quæ contrahitur abſque culpa, ut ex bigamia, morte, ſeu mutilatione juſta, ut inflicta à judice. Tertiò illa, quæ provenit ex mala ſuſceptione, ſeu adminiſtratione Sacramentorum.

22. Dico; Primò. Confeſſores Regulares poſſe toties quoties cum ſæcularibus diſpenſare in irregularitate, quæ provenit ex mala ſuſceptione, & adminiſtratione Sacramentorum, ut quando quis excommunicatus, vel ſuſpenſus, ordines ſuſcipit, miniſtrat, ac celebrat. Concluſio eſt communis, eamque cum multis tenet Fragoſus *citatus num* 18. Et pro ea ſtant omnes Auctores ſtatim citandi concluſione ſequenti, ut Peyrinus *ad Conſtit.*1.*Iulij II.n.*67. Probatur ex indulto Pauli III. in quo nobis dat facultatem abſolvendi à quibuſcumque peccatis, cenſuris, & pœnis Eccleſiaſticis provenientibus ex indebita Sacramentorum adminiſtratione, & ſi contrahatur irregularitas, manet certum ab ea poſſe diſpenſari, & abſolvi per citatum privilegium Mendicantium.

Fragoſus.

23. Nec obſtat contra concluſionem, quia Pontifex in dicto privilegio, concedit facultatem abſolvendi ab omnibus caſibus, & cenſuris: Irregularitates autem nec ſunt caſus, nec cenſuræ. Tamen Sotus, Bartholomæus Medina, Corduba, Salon, M. Cornejo, quos citant, & eorum ſententiam ut probabilem tenent Pellizar. *tom.*2.*tract.* 8.*cap.*3.*ſect.*2. *n.*90. Diana *tom.*1.*tract.* 11.*Reſol.*27. Et multi alii Doctiſſimi recentiores, nempe ex multis fundamentis, irregularitatem, quæ oritur ex delicto, eſſe veram cenſuram, & conſequenter ex præfato privilegio poteſt abſolvi, & diſpenſari; unde Rodrig. ait *in Bullam Crucia. tam* §.9. *num.* 29. quòd hæc ſententia ſecure ſine ſcrupulo poteſt teneri in conſcientia.

Sotus. Medina. Corduba. Salon. Cornejo. Pelizar. Diana.

Rodrig.

24. Dico ſecundò. Confeſſores Regulares poſſunt diſpenſare cum ſæcularibus in omni irregularitate, in qua Epiſcopus jure ordinario cum eis diſpenſare valet. Hanc ſententiam tenent Henriquez, Rodriguez, Veiga, quos citat, & ſequitur Portel. *tom.* 1. *reſponſionum Moralium, part.* 1. *caſu* 3. *num.*1. 2. & deinceps multis probat Murcia *in quæſtionib. Regularibus, cap.*7.*Reg.* 98.*num.*62. citans pro hac ſententia Sanch. Trullench. Dianan, Belaſium, *verb. Irregularitas. num.*12. M. Lezana *tom.*3. *verb. Confeſſor. Regularis, num.* 10. licèt dubitet an ſit in uſu, quam dubitationem excludit Bauny *tom.*2.*tract.* 11.*quæſt.* 58.*diſt.*4. ubi affirmat eſſe in uſu in Roma, In hac etiam ſententia eſt Pellizarius *citatus*, & P. Urbanus *ab Aſcenſione in ſuo tract.*2. *diſtinct.*1. *cap.*1. *Regula* 13. *ad medium.*

Henriq. Rodrig. Veiga. Portel. Murcia. Sanchez. Trullench. Belaſius. Diana. Lezana. Bauny.

Pellizar. Urbanus.

25. Probatur; quia ita conceſſit Sixtus IV. Minimis Bulla 9. poſſe eos diſpenſare in omni irregularitate ordinario reſervata, quod privilegium eſt bullatum, ut patet ex compendio privilegiorum Mendicantium, *verb. Abſolutio quoad ſæculares, n.*20. Prædictam autem conceſſionem Sixti IV. Confirmavit Iulius II. *in ſua conſtitutione*, quæ incipit: *Dum ad ſacrum Ordinem Minimorum*, §. 32. quam refert Peirinus *ad Conſtit. I. Iulij II.*

Peirin.

26. Atqui juxta privilegium Sixti IV. Iulij II. Regulares poſſunt diſpenſare in omnibus irregularitatibus, in quibus poſſunt Epiſcopi jure ordinario, ſed facultates ad diſpenſandum conceſſæ Epiſcopis in Tridentino *ſeſſ.* 24. *cap. liceat*, eis ex jure ordinario competunt, ut tenent Panormit. Felinus, Sanchez, Fagundez, Bauny, & alii, quos citat, & ſequitur Diana *part.*7.*tract.*2. *Reſol.*3. ſiquidem talis facultas lege Pontificia perpetuo competit Epiſcopis.

Trident. Panormit. Felinus. Sanchez. Fagundez. Bauny. Diana.

27. Irregularitates autem, in quibus Epiſcopi poſſunt diſpenſare, ſunt multæ. Primò contracta ex homicidio caſuali occulto, tale committitur in ſui defenſionem ſine debito cautelæ moderamine. Secundò, ſi Clericus exercens chirurgiam, aliquem interficiat ex negligentia, vel imperitia. Tertiò, ſi dominus mandet famulo, ut inimicum percutiat, non lethaliter, & tamen famulus occidat. *Quartò* homicidium ex ſubita ira commiſſum, quia non cenſetur voluntarium, cùm non ſit factum per inſidias; quòd tamen videtur conſilium requirere, ut dicatur voluntarium. Ita ex Leſſio, Avila, Diana, *part.* 9. *tract.* 8. *Reſolut.* 22. §. *Notandum eſt.* Quintò, poſſunt etiam diſpenſare in irregularitate orta ex mala ſuſceptione, ſeu adminiſtratione Sacramentorum, ut quando quis excommunicatus, vel ſuſpenſus, vel non debita ætate ſuſcipit ordines, ita ex Fragoſo, & Leandro de Murcia, quos refert & ſequitur Diana *part.* 9. *tract.* 8. *Reſol.*50. & præditus Leandrus de Murcia *citatus in concluſ.* adducit pro hac ſententia Sanchez, Trullench dicens expreſsè, quòd confeſſores regulares poſſunt in tali irregularitate diſpenſare cum clericis ſæcularibus.

Leſſius. Avila. Diana.

Fagoſus. Leand. de Murcia. Sanchez. Trullench.

28. Sextò; poſſunt Epiſcopi diſpenſare in quacunque mutilatione membrorum occulta. Septimò, poſſunt etiam Epiſcopi diſpenſare in irregularitate ex defectu lenitatis. Ita Covar. Rodrig. Campanil. Vivaldus, Medina, Barboſa, Emmanuel Sà, Pellizar. quos citat Diana 4. *part. tract.* 2. *Reſol.*69. Octavò; poſſunt diſpenſare in irregularitate orta ex homicidio juſto, quia quando Concilium excipit homicidium voluntarium, intelligitur homicidium prohibitum in quinto Decalogi præcepto. Ita Barboſa, Bañez, Campanillus, Novarius, Cruz, & alii, quos refert & ſequitur citatus Diana *Reſol.*7. M. Fr. Anton. ab Spiritu ſancto *director. Regular. tom.*1. *tract.*2. *diſput.*3. *ſect.*2. *num.*67. §. *Secundò diſpenſare.*

Covar. Rodrig. Campanil. Vivald. Medina. Barboſa. Sa. Pellizar. Diana Barboſa. Bannez. Campanil. Novar. Cruz. Diana Fr. Anton.

QUÆSTIO. VI.

Quam poteſtatem habeant Confeſſores Regulares ad diſpenſandum circa debitum conjugale.

SUMMARIUM.

29 *Hoc impedimẽtum ex triplici capite provenit, & non datur in his, qui ignorãt legem.*

30 *Hæc facultas conceditur non Confeſſoribus tantum, ſed deputatis à Prælato.*

31 *Tales*

31. *Tales Confessores possunt dispensare ad petendum debitum cum conjugibus incestuosis, vel qui votum simplex castitatis fecerunt.*

32 *Possunt dispensare cum his, qui cognationem spiritualem contraxerunt.*

33 *Facultas data à Prælato non exspirat, ipso mortuo, vel amoto.*

34 *Hæc dispensatio potest fieri inter absentes.*

29. IN limine hujus quæstionis tria notanda sunt. Primò, quod hoc impedimentum inter conjuges potest provenire ex triplici capite. Primò, ex incestu. Secundò, ex voto. Tertiò, ex cognatione spirituali. Secundò, notandum, hoc impedimentum petendi debitum non contrahi à conjugibus, qui de tali pœna habebant ignorantiam, sive fuerit ignorantia juris, sive facti; ut docent Sanchez, Barbosa, Diana, & alii, quos citant, ac sequuntur Quintanad. *tract. 9. sig. 6. num. 5.* Pellizarius *tom. 2. tractatu 8. §. 2. num 174.* Quod idem dicunt, de vno conjuge per vim ab aliquo consanguineo violato.

Sanchez. Barbosa. Diana. Quintan. Pellizar.

30. Tertiò, notandum cum communi sententia, privilegia concessa à Romanis Pontificibus ad dispensandum ad debitum petendum, non sunt data ipsis tantum Confessoribus Regularibus, sed Confessoribus à Prælato, Provinciali, vel Priore deputatis ad talem dispensationem concedendam, ut constat ex Bulla Julij II. quæ est 23. quam referunt Cruz *lib. 2. cap. 6. dub. 9. num. 1.* Lezana *tom. 3. verb. affinit. n. 4.* Diana *tom. 3. tract. 2. de Dub. Regular. Resol. 14.*

Ioan. à Cruce. Diana. Lezana.

31. Dico primò. Confessores Regulares deputati à suis Prælatis possunt dispensare cum conjugatis ad petendum debitum, qui post contractum matrimonium, incestum commiserunt, & etiam cum illis, qui post contractum matrimonium, simplex votum castitatis emiserunt. Ita concessit Martinus V. Benedictini, & confirmavit Julius II. ut habetur *in Compendio Societatis, tit. Dispensatio. §. Minorum, & Capucin. eodem titul. §. Julius II.* Refertur etiam aliud privilegium Pij V. quod est vivæ vocis oraculum, at cum talia privilegia sint revocata ab Urbano VIII. pro privilegio Martini, & Julij est standum. Conclusio est valdè communis, eam tenent Naldus, Rodriguez, Bariola, Sanchez, Portel, quos citat, ac sequitur Bordonius *tom 1. Resolut. 6. num. 23. 24.* M. Lezana *tom. 1. cap. 19. num 25.* Candidus *tom. 2. disquisitione 27. artic. vnico, dubio 9.* Pellizarius *tom 2. tract. 8. cap. 3. sect. 2. num. 274.*

Naldus. Rodrig. Bariola. Sanchez. Portel. Bordon. Lezana. Candidus. Pellizar.

32. Dico secundò. Tales Confessores Regulares deputati à suis Prælatis ad dispensandum cum incestuosis, possunt etiam dispensare, cum his, qui cognationem spiritualem contraxerunt, vel quia proprium filium baptizarunt, vel filium suæ vxoris ex alio matrimonio, vel illos de fonte susceperunt, tanquam patrini officium gerentes. Ita docent Villalob. Bordon. quos refert, & sequitur Fr. Martinus à S. Joseph *fol. 559. n. 14.* Castro Palaus *tom. 5. disp. 4. de sponsalibus punct. vlt. vltimo §. 1. n. 18. in fine.*

Villalobos. Bordon. Fr. Martin. Palaus.

33. Ad calcem quæstionis tria etiam adverte. Primò, quod data licentia Confessori à Provinciali ad dispensãdum, non exspirat mortuo, vel amoto Provinciali ab officio, Ita Lezana *verb. affinitas, tom. 3. n. 5.* Secundò, notandum licentiam dispensandi datam à Provinciali Confessoribus, cum impeditis ad debitum petendum ex quocumque ex prædictis impedimentis absque justa causa non posse revocari, ut notant Lezana *proximè citatus*, & Diana *tom. 2. tr. 2. resol. 14.* Nota tertiò, cum eisdem Doctoribus, talem dispensationem posse fieri extra Sacramentum in absentia vrgente necessitate.

Lezana. Diana.

RESOLUTIO XXX.

De Notis Ecclesiæ Dei.

QUÆSTIO PRIMA.

Ecclesia Christi valdè excelsa, & sublimis in omnium oculis.

SUMMARIUM.

1 *Etymologia nominis Ecclesiæ.*
2 *Sublimitas, ac soliditas Ecclesiæ in Isaia explicatur.*
3 *Ecclesiæ doctrina vna, & super omnia excelsa.*
4 *Gratia Christi sursum mentem elevat.*
5 *Lex scripta in vno populo coarctabatur, lex gratiæ ad omnes gentes.*
6 *Ecclesia Dei est in manifesto, & non in occulto.*
7 *Argumenta Hæreticorum.*
8 *Facilè solvuntur.*

ECCLESIA dicitur à verbo Græco, quod significat convocationem, seu Congregationem convocatorum, ut notat Franciscus Carrire *tom. 1. fidei digestum ad art. 9. q. 1.* & rectè cœtus vocatorum, quia ad hanc Ecclesiam nemo venit, nisi sit vocatus Dei gratia, juxta illud Actorum 2. num. 39. *Quoscunque advocaverit Dominus Deus noster.* Et Paulus Rom. 8. *Quos vocavit, hos justificavit.* Hinc idem Apostolus Christianos sæpè appellat vocatos. 1.

Carrire. Roman.

Quanta verò sit sublimitas, ac celsitudo hujus sanctæ Ecclesiæ Dei larga, & ampla materia, de qua aliqua dixi *ad cap. 1. Apocalypseos*; breviter eam nobis proponit Isaias 2. cum ait: *Erit in novissimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium, & elevabitur super omnes colles, & venient ad eum omnes gentes, &c. Quia de Sion exhibit lex, & Verbum Domini de Ierusalem.* Ubi apertè est sermo de Ecclesia Christi, & ideo ait Propheta, *Erit in novissimis diebus*, ut notant Procopius, Rupertus, & alii. Et dicitur *Mons*, ut ait noster D. Cyrillus ob firmitatem, & stabilitatem, ac ob inexpugnabilitatem; quemadmodum enim, ut explanat ibi D. Chrysost. si quis arcus intorqueat, vel hastas vibret, aut sagittas jaculet, tormenta ænea explodat, nil noxæ, aut detrimenti soliditati montis infert, sed in vanum laborat, sic & contingit omnibus, qui suis erroribus, falsis dogmatibus, aut perversitatibus Ecclesiam impugnant, in vanum enim laborant, 2. Isai. 2.

Procop. Rupert. D. Cyrill. D. Chrys.

laborant, & hæc ipſa ſua firmitate, ac ſtabilitate immobilis, ſalva, & integra perſeverat: *Portæ inferi non prævalebunt adverſus eam.* Hinc dicitur *Præparatus mons.* Cum dicitur *Præparatus*, idem eſt ex radice Hebraï a, ac fundatus, firmatus, ac inſtructus. Proverb. 8. num. 27. *Quando præparabat*, id eſt fundabat *cœlos aderam.* Pſalm. 23. n. 2. *Super flumina præparavit*, id eſt firmavit, ſtabilivit eam, ſcilicet terram.

Proverb. 8.

Pſalm. 23.

3. *In vertice montium*, quia ejus doctrina tam ad fidem, quam ad mores ſpectans, ſua ſublimitate, integritate, ac ſanctitate ſuperat omnia templa, & ſacra, tam Iudæorum, quam Gentium, omnémque Philoſophiam, omnéque, quod apud homines altum videtur, erigitur, & extollitur. Ita noſter D. Cyrill. D Baſil. D. Bernardus, vel aliter D. Auguſt. Procop. Origenes *lib. 5. contra Celſum*, per verticem montium interpretantur Patriarchæ, Prophetæ, Evangeliſtæ, & Apoſtoli, quia licet corpore degerent in terra, mente tamen, converſatione, ac virtutibus in altum efferebantur, colles verò ſunt minores Sancti, ut explicat Cornelius, ſuper quorum doctrinam, virtus, ac ſanctitas Eccleſiæ eſt fundata; & nota quod dicitur *in vertice montium*: non in plurali, ſed in ſingulari, quia licet montes, & colles, nempe Patriarchæ, ac Prophetæ, Apoſtoli, Evangeliſtæ, & Sancti multi ſunt, eorum tamen vertex, ſeu unitas in fide, doctrina, ac aſcenſus, unus uniformis, ac ſingularis eſt.

D. Cyrill. D. Baſil. D. Bernard. D. Auguſt. Procop. Origenes. Cornelius.

4. Deinde additur, *& fluent ad eum omnes gentes, & populi multi*, ſignificatur, quod ad morem fluminis, gratia Chriſti excitante, rapidus, erit ac vehemens omnium gentium curſus, venientium ad Eccleſiam: *fluent*, ait, non trahentur, quia ad Eccleſiam Chriſti liberè, ac ſpontaneè venitur. Sed quomodo fluent ad verticem montium? Flumina deorſum fluunt, hi vero fluunt ſurſum in altiſſimum montem, quod totum facit Chriſti gratia, quæ ſurſum corda noſtra elevat, & rapit.

5. *Quia de Sion exibit lex*, nempe Evangelica, & gratiæ, *& verbum Domini de Ieruſalem*, Evangelium nempe, ac prædicatio Evangelica; dat Propheta rationem, cur ad eam tanta feſtinatione fluent gentes, dum ait: *De Sion exibit lex*; nam in die Pentecoſtes à Sion, & Ieruſalem exivit lex Evangelica, non tamen ibi ſe continuit, ac coarctavit, ut lex Moſaïca, quæ uni tantum populo Judaïco data eſt. Unde ait David Pſal. 147. *Qui annuntiat verbum ſuum Iacob, & judicia ſua Iſrael; non fecit taliter omni nationi, & judicia ſua non manifeſtavit eis.* At lex gratiæ ad omnes gentes diffuſa, ac dilatata eſt; quod in die Pentecoſtes evidenter eſt inchoatum, dum ad prædicationem Apoſtolicam concurrerunt multi viri, *ex omni natione, quæ ſub cœlo eſt.* Actor. 2. & dixit Chriſtus diſcipulis euntibus in Emaus, Luc. 24. *Quoniam ſic oportebat pati Chriſtum, & reſurgere, & prædicari in nomine ejus pœnitentiam, & remiſſionem peccatorum in omnes gentes, incipientibus ab Ieroſolyma.* Sic & Chriſtus mittens ſuos Apoſtolos ad prædicandum, dixit: *Euntes in mundum univerſum prædicate Evangelium omni creaturæ.* Marc. vlt.

Pſalm 147. Actor. 2. Luc. 24. Marc vlt.

6. Ait Propheta: *Mons Domus Domini in vertice montium.* Quia valdè viſibilis, & manifeſta eſt eis, qui puris, & ſanis oculis in eam tendunt, *nunquid poteſt civitas abſcondi ſuper montem poſita.* Et ideo in exordio militantis Eccleſiæ, venit S. Spiritus vehementi ſono apparentibus diſpertitis linguis tanquam ignis, Actor. 2. Ignis ardet, & lucet, quia virtus divini Spiritus ardet in corde, lucet in opere per totum orbem: ait Regius Vates Pſal. 18. *In ſole poſuit tabernaculum ſuum* D. Auguſt. ibi, *In manifeſtatione Eccleſiam tuam poſuit, non in occulto.* D. Chryſ. in Iſaiam: *Facilius*, ait, *eſt Solem extingui, quam Eccleſiam obſcurari.* Et ſic communiter omnes Sancti Patres multi in locis.

Actor. 2. Pſalm 18. D. Auguſt. D. Chryſ.

7. Contra hanc viſibilitatem Eccleſiæ ſe opponunt Hæretici, & nos arguunt tanquam contraria tenentes. Dicimus in ſymbolo fidei, *Credo unam ſanctam Catholicam, & Apoſtolicam Eccleſiam.* Tunc ſic contra nos argumentatur Lutherus lib. de abroganda Miſſa privata, part. 1. *Quis Eccleſiam nobis monſtrabit? Cum ſit occulta in Spiritu, & ſolum credatur? Sicut dicitur Credo Eccleſiam ſanctam.* Et diſcipulus ejus Brentius *in Confeſſione Vitenberg.* ait: *Vide, quod Papiſtæ faciant Eccleſiam viſibilem, & ſenſibus corporeis perſpectam, delendus ergo erit ille articulus ſymboli Apoſtolici: Credo Eccleſiam ſanctam Catholicam, & erit ſic reponendus; Video, & ſentio Eccleſiam Catholicam.* Fides eſt de re quæ non apparet, nec videtur, juxta Apoſtolum, *Fides eſt argumentum rerum non apparentium.*

Lutherus. Brentius.

8. Facilè ſolvitur argumentum, quia de Eccleſia ſancta Militante in terris, ſic philoſophandum, ac de aliis myſteriis noſtræ fidei, in quibus aliud videmus, aliud credimus, v. g. Apoſtoli videbant in Chriſto humanitatem, & credebant Divinitatem. In Baptiſmo videmus aquam externam, & ablutionem, trinámque merſionem, & credimus internam vim regenerandi in Chriſto, & extinguendi peccata, ſic & in Eccleſia videmus externam Congregationem fidelium, gubernatam per multos miniſtros, ac Epiſcopos, *quos Spiritus ſanctus poſuit regere Eccleſiã Dei.* Actor. 20. ſub vno Principe, ac capite Romano Pontifice, cui Deus tradidit claves Regni cœlorum. *Matth. 16.* & hoc videmus; tamen firmiter credimus in hac ſancta Eccleſia Chriſti, & in nulla alia, eſſe veram gratiam, ſalutem, ac remiſſionem peccatorum, hæc autem cum ſint ſpiritualia exterius non apparent, nec videntur, ſed tantum creduntur; vnde rectè dicimus, *Credo Eccleſiam ſanctam*, &c.

Actor. 20. Matth 16.

QUÆSTIO II.

Eccleſia Sancta Dei vna eſt.

SUMMARIUM.

9 *Eccleſia Dei vna ab exordio mundi habens diverſos ſtatus.*

10 *Exemplo explicantur ſtatus Eccleſiæ.*

11 *Vnitas Eccleſiæ maximè viſitur in Eccleſia Evangelica Chriſti.*

12 *Ex multiplici capite oſtenditur hæc vnitas Eccleſiæ.*

13 *Hæc vnitas Eccleſiæ eſt ſub uno capite Romano Pontifice.*

Etſi multi Pontifices pro tempore, in eis ſemper fuit vna doctrina, vna lingua. Ibid.

14 *Apud Hæreticos cum non ſit unum Caput ſunt multæ Sectæ, quæ pugnant inter ſe.*

15 *Et ſi multæ Eccleſiæ ſub una Matrice tantum.*

9. RECTÈ dicimus in ſymbolo ; *Credo unam Sanctam Eccleſiam Catholicam.* Dicitur *una Eccleſia* loquendo de ea, etiam à principio mundi vſque modo. In eadem ſemper fuit una divina fides, ante legem nempe, ſub lege, ac in Evangelio, intendens in Deum ut Auctorem ſupernaturalem, reſpiciens Chriſtum in lege ſub umbra, in Evangelio ut realiter præſentem, *Vidimus gloriam ejus, gloriam quaſi unigeniti à Patre.* Tamen ſemper fuit eadem fides, eadémque Eccleſia habens diverſos ſtatus, diverſaſque ætates, quod exemplo declaratur.

Ioan. 1.

10. Idem homo, qui fuit infans, poſtea fit puer, tandem vir perfectus ; infans lacte nutritur. Puer regitur à Pædagogo. Vir perfectè intelligit, loquitur, & docet. Sic & Eccleſia ante legem velut infans, divinis inſpirationibus, velut lacte alebatur. Sub lege, erat velut ſub pædagogio legis, & Prophetarum. Sic ait Apoſtolus ad Galatas 3. num. 24. *Lex Pædagogus noſter fuit in Chriſto, at ubi venit fides tam non ſumus ſub pædagogo.* At in lege gratiæ Apoſtoli induti virtute ex alto repleti ſunt omnes Spiritu ſancto, & *loquebantur magnalia Dei.* Actor. 2. & inde ut viri in perfecta ætate conſtituuntur à Chriſto Domino Magiſtri, ac Doctores totius univerſi, cum eis ait: *Euntes docete omnes gentes, docentes eos ſervare omnia quæcunque mandavi vobis.* Matth. 28.

Galat. 3

Actor. 2.

Matth. 28.

11. Hæc autem unitas maximè viſitur in Eccleſia Evangelica Chriſti, ſic ipſe dixit Petro Matth. 16. *Super hanc petram ædificabo Eccleſiam meam*, non ait Eccleſias meas, quia hæc una eſt, tam ratione fundamenti, quam ratione lapidis angularis, in qua tota coadunatur, ac copulatur ; inde ait Apoſtolus 2. ad Epheſ. *Ædificati ſuper fundamentum Apoſtolorum, & Prophetarum, ipſo ſummo angulari lapide Chriſto Ieſu.* Fundamentum unum, & unicum eſt Prophetarum, ac Apoſtolorum, quorum doctrina unanimis, conformis, ac cohærens eſt, quæ coadunatur, ac copulatur in uno Chriſto Ieſu lapide angulari.

Matth. 16.

Epheſ. 2.

12. Hæc unitas in Eccleſia oſtenditur ex unitate Sacramentorum, quæ ad hoc inſtituta ſunt, ut in unam fidem colligamur, ideo ait Apoſtolus 1. Cor. 12. *Omnes nos baptizati ſumus in uno Spiritu, ut ſimus unum corpus, ſive Iudæi, ſive Gentiles, ſive ſervi, ſive liberi, omnes in uno Spiritu potati ſumus.* Ad hoc tendunt, ut uniãt omnia Eccleſiæ membra in unam fidem. Hæc etiam unitas ex charitate oſtenditur, per quam Eccleſia una eſt unitate voluntatis, juxta quod Chriſtus à Patre petebat, Ioan. 17. *Pater ſancte conſerva eos in nomine tuo, quos dediſti mihi, ut ſint unum, ſicut & nos.* Hæc unitas apparuit in exordio Eccleſiæ. Actor. 4. *Multitudinis credentium erat cor unum, & anima una.* Unitate etiam unius : ſpei ait Apoſt. ad Epheſ. 4. *Obſecro vos, ut digne ambuletis in una ſpe vocationis veſtræ.* Maximéque ib unitate fidei, ac credibilium, ut ait idem Apoſtolus citato loco. *Unus Deus, una fides, unũ baptiſma, unus pater omnium* : quod magis ſequenti numero explico.

1 Cor. 12.

Ioan. 17.

Actor. 4.

Ephes. 4

Maximè oſtenditur hæc unitas ab uno capite viſibili Chriſti Vicario in terris, ac Petri ſucceſſore Romano Pontifice : nam ſicut Regnum ab uno Rege dicitur, & Civitas ab uno Gubernatore, familia ab uno Patre, grex ab uno Paſtore ; ſic Eccleſia una dicitur ab uno Principe, Gubernatore, Patre, ac Paſtore, de qua unitate ait Dominus per Ezechiel. 37. *Faciam eos in gentem unam, & Rex unus erit omnibus imperans. Paſtor erit unus eorum.* Et tanta unitate, ac uniformitate in rebus fidei definiens, ut cum à D. Petro uſque ad Sanctiſſ. D. noſtrum Clem. X. extent 243. Pontifices, tamen ſemper in eis fuit unus Spiritus, vnaque cohærentia in dogmatibus fidei declarandis, ut nulla ſit contrarietas, nec diſcrepantia, ſed ſumma conſonantia, ac cohærentia, tanquam ſi uno ore, ac lingua loquerentur. Rectè D. Auguſt. in Pſalm. 74. ait : *Qui volunt unam linguam, veneunt ad Eccleſiam quia in diverſitate linguarum carnis, una eſt lingua in fide cordis.* Unde rectè ait D. Cyprian. de fide. *Neque enim aliunde hæreſes ortæ ſunt ; aut nata ſchiſmata, quam quod Sacerdoti Dei non obtemperatur, nec unus in Eccleſia Sacerdos, vel Iudex vice Chriſti cogitatur.*

13.

Ezech. 37.

D. Auguſt.

D. Cyprian.

Cum ergo apud Hæreticos non ſit unum caput ; nec apud eos eſt una Eccleſia, ſed multiplices, & diverſæ Sectæ, quas unuſquiſque pro ſuo capite cogitat, & format, ita ut teſtantur Florimundus Remundus *lib. 2. de ortu Hæreticorum*, & Iacobus Marchantius *in Horto Paſtorum, lib. 1. tract. 4. lect. 5. Propoſit. 3.* à tempore Lutheri pluſquam centum diverſæ Sectæ exortæ ſint, & totidem ferè ſub Calvino, inde quidam dicuntur rigidi Calviniſtæ, alij Molles, alij Puritani, alij Anglo-Calviniſtæ, alii Papiſtæ, alij Gommatiſtæ, alij Ariminiſtæ, qui omnes maximè inter ſe pugnant, & adverſantur. De his ait Iſaias 19. *Concurrere faciam Ægyptios adverſus Ægyptios, & pugnabit vir contra fratrem ſuum, & Civitas adverſus Civitatem, & regnum adverſus regnum, & dirumpetur Spiritus Ægypti in viſceribus ejus, & Concilium ejus præcipitabo.* Rectè per Ægyptios, qui tenebras important, & dicunt, Hæretici interpretantur, qui in denſiſſimis errorum, ac perverſitatum tenebris verſantur, de quo aliquid *quæſt. ſequenti.*

14.

Florimund. Hortus Paſtorum.

Iſai. 19.

Nec contra ea, quæ dicimus de unitate Eccleſiæ pugnat, quòd ſæpè Scriptura plures Eccleſias nominat, ſic Ioan. Apocalypſeos 1. Septem Eccleſias nominat. *Ioannes ſeptem Eccleſiis, quæ ſunt in Aſia.* Sic & Apoſtolus ſalutat Eccleſiam, quæ eſt Corinthi, non tamen ſunt plures Eccleſiæ, ſed una in ſe, tanquam multa membra ſub uno capite, à quo reguntur, & tanquam multi rami ab una radice, à qua ſuſtentantur, ac aluntur, & tanquam multi fluvij ab una ſcaturigine ; ſic omnes Eccleſiæ fidem, Sacramenta, doctrinam ; ac omnia documenta ab una Eccleſia Chriſti participant, hauriunt, & firmiter tenent, itaut in omnibus ſit eadem fides, eadem Sacramenta, eadem doctrina, eadem documenta cum ſumma uniformitate abſque ulla diſcrepantia.

15.

Apoc. 1.

QUÆSTIO III.

Eccleſia Dei dicitur Sancta.

SUMMARIUM.

16 *Scriptura Eccleſiam ſæpè Sanctã appellat.*
17 *Aſſignantur ſex rationes, ob quas Eccleſia dicitur Sancta.*

16. DIvino Spiritu afflante in ſacris Conciliis Nicæno, & Conſtantinopolitano in ſymbolo dicta eſt Eccleſia ſancta, paſſimque eam Sanctam Sacra Scriptura appellat Pſal. 92. *Domum tuam decet ſanctitudo Domine.* Pſal. 45. *Sanctificavit tabernaculum ſuum Altiſſimus.* Pſalm. 2. Introducitur Chriſtus loquens: *Ego autem conſtitutus ſum Rex ab eo ſuper Sion montem Sanctum ejus.* Apoſtolus ad Epheſ. 5. *Chriſtus dilexit Eccleſiam, & ſe ipſum tradidit pro ea, mundans eam lavacro aquæ in verbo vitæ, ut ſit ſancta, & immaculata.*

Pſalm 92. Pſalm. 45. Pſalm. 2. Epheſ. 5.

17. Rectè in ſymbolo dicimus, *Credo Eccleſiam ſanctam Catholicam.* Et primò rectè dicitur *Sancta*, quia caput ejus *Sanctus Sanctorum eſt.* Dan. 9. Secundò, *Sancta* quia tota Deo dedicata, ac conſecrata eſt, ſerviens in omni juſtitia, ac puritate. Apoc. 21. *Vidi civitatem novam Ieruſalem deſcendentem de cœlo*; totum quod in ea eſt, de cœlo eſt, de cœlo deſcendens in novitate Spiritus. Tertiò, *Sancta*, quia continet ſanctitatem doctrinæ, tam quoad fidem, quam quoad mores, utpote edocta, ac illuſtrata à divino Spiritu, *Ipſe vos docebit omnia, & ſugeret vobis omnia.* Ioan. 14. Quartò, *Sancta*, quia in ea ſunt media, & inſtrumenta ſanctitatis, nempe Sacramenta, per quæ ſanctificamur. Unde Apoſtolus ait Epheſ. 5. *Chriſtus dilexit Eccleſiam, & ſe ipſum tradidit pro ea, mundans eam lavacro aquæ in verbo vitæ, ut ſit ſancta, & immaculata.* Quintò dicitur *Sancta*, quia in ea nihil aliud eſt, ac invenitur, niſi vera ſanctitas, quæ nos ducit ad conſummatam ſanctitatem in cœlis. Unde poſſumus dicere cum Iacob. Gen. 27. *Non eſt hic aliud, niſi Domus Dei, & porta cœli.* Sextò, *Sancta* dicitur, quia tanquam mater, magnam, ac innumerabilem multitudinem Sanctorum, Martyrum, Confeſſorum, ac Virginum generat, de quo *quæſt. ſequenti* aliqua dicam, & de hac Eccleſiæ ſanctitate multa ſcribunt Auctores, quæ ſunt valdè manifeſta.

Daniel. 9 Apoc. 21. Ioan. 14. Epheſ. 5.

QUÆSTIO IV.

Rectè Sancta Eccleſia dicitur Catholica.

SUMMARIUM.

18 *Quædam pictura pro univerſitate, ac unitate Eccleſiæ.*
19 *Eccleſia dicitur Catholica, quia per omnia tempora ſe extendit. & n. 20.*
21 *Secundò dicitur Catholica, quia recipit omnes homines cujuſcunque conditionis.*
22 *Tertiò dicitur Catholica, quia per omnes terras, & imperia dilatatur, ac ſe extendit.*
23 *Univerſalitas Eccleſiæ juxta D. Auguſtinum figuratur in Chriſti veſte.*
24 *Fides Chriſti Romana prædicatur per omnes remotiſſimas nationes.*
25 *Cum fides Romana teneat omnes partes orbis rectè ſola dicitur Catholica. & n. 26.*
27 *Hæc univerſalitas veræ fidei Chriſti evidens ſignum.*

18. NVlla ſanè validior machina ad omnes hæreſes evertendas, ac deſtruendas, quã quod noſtra fides Eccleſiæ Romanæ dicatur *Catholica*; nam hiç titulus datus eſt in formula fidei in Concil. Nicæno, ut Eccleſia dicatur *Catholica*, id eſt, univerſalis, ut ſcribit D. Athanaſ. *epiſt. ad Iovinianum.* Hinc quidam ſatis curiosè depinxerunt Eccleſiam habentem in una manu *globum mundi* cum hoc ſcripto *Catholica*, ut ſignificarent ejus univerſalitatem. In altera manu erat *Phœnix*, ut ſignificarent ejus ſingularitatem, ac unitatem, hoc ſcripto *unica ſemper.*

Nicænum. D. Athanaſ. Pictura quædam.

19. Dicitur ergo Eccleſia *Catholica*, quia per omnia tempora extendit palmites ſuos, quia per omne tempus ſemper Eccleſia inter multas perſecutiones perſeveravit, ac ſtetit ſub uno Romano Pontifice, multis Epiſcopis, miniſtris, ac operariis per tot millia annorum, ut anno per annum conſtat ex Actis Pontificum, ac multis aliis hiſtoriis. Hinc bene dicitur Eccleſia fundata ſuper firmam petram, ob ejus firmitatẽ, & conſtantiam, *& ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam.* Matth. 16. ut ibi ex Sancto Patribus explicavi, & hanc perſeverantiam per tot tempora vaticinatur David Pſal. 92. *Domum tuam Domine decet ſanctitudo in longitudinem dierum.* Unde rectè ait D. Parianus Barcionenſis *epiſt. ad Simproniam*, quæ eſt de nomine Catholico. *Certè non eſt ab homine inventum, quod per ſæcula tanta non cecidit.*

Matth. 16. D. Parianus.

20. Et per hanc proprietatem maximè diſtinguitur noſtra Eccleſia ſancta, ac Romana, ab Eccleſia, ſeu cœtu Hæreticorum, quia hæredes, quæ ſub uno ſæculo ſunt natæ, ſtatim poſt aliquod tempus deſierunt, & exterminatæ ſunt, ac in infernũ demerſæ: nam à Chriſto D. ferè pluſquam mille, & ſeptingentæ hæreſes prodierũt, de quo Florimundus Remundus *lib. 1. de ortu hæretico-* & omnes ferè abolitæ, ac ſuffocatæ ſunt. Undè rectè D. Aug. eas comparat torrentibus hyemali tẽpore cum ſtrepitu currentibus, ſed paulo poſt nil niſi arenam, & ſordes relinquentibus. Illud Pſal. 57. *Ad nihilum devenient tanquam aqua decurrens.* Sic ibi explicat D. Auguſt. *Non vos torreant fratres, quidam fluvii, qui dicuntur torrentes, hyemalibus aquis impleantur, aqua ad tempus perſtrepit, mox ceſsat, diu ſtare non poſſunt: multæ hæreſes jam mortuæ ſunt; cucurrerunt rivis ſuis, quantam potuerunt: ſiccati ſunt rivi, vix eorum memoria reperitur, ad nihilum devenerunt, tanquam aqua decurrens.*

Florimond. Pſalm. 57. D. Auguſt.

21. Secundò, dicitur *Catholica*, quia recipit homines cujuſcunque conditionis, ac ſtatus, nec eſt uni familiæ alligata, ſicut lex antiqua; modo Eccleſia Catholica: nam ut ait. Apoſtol. Rom. 10. num. 12. *Nam jam non eſt diſtinctio Iudæi, & Græci idem Dominus omnium, qui invocant illum.* Sive ſint Indii, Perſæ, Æthiopes, & ideo quando lex Evangelica promulgata eſt, aderant

Rom. 10.

aderant in Ieruſalem viri *ex omni natione,*
Actor. 2. *quæ ſub cœlo eſt.* Actor. 2. & ideo vi lit Ioan.
Apoc. 7. Apoc. 7. *Turbam magnam ex omnibus gentibus, populis, ac linguis ſtantes ante thronum.*

22. Tertiò. *Catholica*, id eſt univerſalis, quia per totum orbem omnéſque gentes diffuſa eſt, hoc eſt magnum, & fortiſſimum argumentum noſtræ Sanctæ fidei Catholicæ Romanæ, quia in die Pentecoſtes juxta vaticinium Iſaiæ, de quo
Iſaias. quæſt. 1. *De Sion exibit lex, & verbum Domini de Ieruſalem.* Et inde ſacri Apoſtoli eeuntes totum orbem ſua doctrina impleverunt, juxta
Pſalm. 18. quod de illis ſcriptum eſt Pſalm. 18. *In omnem terrã exivit ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum*, adimplentes Chriſti præceptum
Matth. 28. Matth ultimo: *Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, &*
Marc. 16. *Spiritus ſancti, docentes eos ſervare omnia quæcunque mandavi vobis.* Marc. ultimo: *Prædicate*
Luc. 24. *Evangelium omni creaturæ.* Luc. ultimo: *Oportebat ſic, &c. Prædicari pœnitentiam, & remiſſionem peccatorum in omnes gentes, incipientibus ab Ieruſalem.* Malach. 1. *Ab ortu ſolis uſque*
Malach. 1. *ad occaſum, magnũ eſt nomen meũ in gentibus.*

23. Hanc Eccleſiæ univerſalitatem per totum orbem ſignificatam eſſe in Chriſti veſte, quæ in quatuor partibus diviſa eſt à militibus
Ioan. 19. Ioan. 19. n. 23 ait D. Auguſtinus tract. 118. in
D. Auguſt. Ioan. *Quadripartita veſtis Domini noſtri Ieſu Chriſti quadripartitam figuravit Eccleſiã toto ſcilicet, qui quatuor partibus cõſtat, orbe diffuſam, & omnibus ejuſdem partibus æqualiter, id eſt concorditer diffuſam propter quod dicit alibi miſſurum ſe Angelos ſuos, ut colligant electos ejus à quatuor ventis, quod quid eſt, niſi à quatuor partibus mundi Oriente, Occidente, Aquilone, & Meridie.*

24. Conveniant nunc hic omnes Hæretici. Quænam Eccleſia, quænam fides, ac doctrina, totum adimplet orbem per omnes mundi partes apud remotiſſimas nationes, Græcos, Armenios, Sinas, Indos, Tartaros, Perſas, Æthiopes, Turcas, Braſilios, Mexicanos, &c. Quænam doctrina prædicatur, & colitur, ac obſervatur, niſi tantum fides Catholica Romana, omnibus in his locis reperiuntur Templa more Romano, Alteria, Imagines Chriſti, ac Sanctorum, quæ mirificè coluntur, ac venerantur, celebratur Miſſa, adminiſtrantur Sacramẽta, & doctrina Eccleſiæ Romanæ obſervatur. Nunquid apud has remotas nationes auditur Lutherus, Calvinus, & eorum ſectatores, minimè ſanè; ergo ſolum fides, quã profitetur Eccleſia Romana eſt vera & Catholica: Hæreticorum autem in uno angulo terræ falſa, & diabolica.

25. Solum ergo Eccleſia Romana cum totum orbem adimpleat, ut ſibi proprium, retinet hoc nomen *Catholica*, quia ut vera Eccleſia Chriſti tenet quatuor orbis partes, quod eſt validum argumentum illius veritatis, ac veræ
D. Auguſt. Chriſti fidei. D. Auguſt. *in cap. 9. Ioannis* ait: *Multa ſunt, quæ in gremio Eccleſiæ Catholicæ me tenent, tenet me conſenſus populorum, tenet auctoritas miraculis inchoata, ſpe nutrita, charitate aucta, vetuſtate firmata. Tenet ab ipſo Petro Sacerdotum ſucceſſio. Tenet poſtremo ipſum Catholicæ nomen, quod inter tot hæreſes Eccleſia ſola obtinuit, ut cum omnes Hæretici Catholici ſe dici velint, quærenti tamen peregrino alicui, ubi ad Catholicam conveniatur, nullus Hæreticorum Baſilicam ſuam audet oſtendere.* Cum aperte eorum initia agnoſcamus, ut in Luthero, Calvino, ac aliis, qui pro ſuo cerebro novas ſectas inveniunt, quæ tantùm in uno, vel altero loco breviter naſcuntur, & ſtatim decidunt, ac minimè per quatuor orbis partes diffunduntur.

Eodem modo D. Cyrill. Jeroſol. *Catecheſi* 18. 26.
ait: *Si jveris in aliquam urbem, non petas ubi* D. Cyrill.
ſit Eccleſia, vel domus Dei: nam Hæretici dicent ſe habere domum Dei, & Eccleſiam, ſed petas ubi ſit Catholica Eccleſia. Id enim nomen proprium eſt hujus Sanctæ Eccleſiæ matris omnium noſtrũm, quaſi dicat, ſi hoc petas, nullus Hæreticus ſuam Eccleſiam oſtendet. Similiter
D. Hieron. *in cap. 24. Matth.* ad illa verba, D. Hic.
ſicut fulgur.

Hæc eſt maxima nota, ac evidens ſignum 27.
fidei Divinæ, ac Eccleſiæ Sanctæ Dei, quod ſit vniverſalis, ac per totum orbem evulgata. Hinc ait Iſaias 49. n. 12. *Ecce iſti de longè ve-* Iſai. 49.
nient, & ecce illi ab Aquilone, & mari, & iſti de terra Auſtrali. Oſorius, & Arias Montanus, Oſorius.
Cornelius, *& iſti de terra Synarum*; & hos po- Arias.
nunt, quia Synæ longiſſimè diſtant, ſunt in Cornelius.
extremo Oriente juxta Japonem, proxi- Maffeus.
mam habent Tartariam, vel etiam hos po- Botterus.
ſuit, quia ut tradunt Maffeus *lib. 6.* Botte- Ortellius.
rus Ortelius de Sinis, eorum Imperium ampliſſimum eſt, habens Civitates vulgares 1150. majores vero 247. Per has omnes nationes fides Chriſti Catholica Romana. Quid ſtultius, ac inſipidius, quam fides Chriſti, quæ data eſt pro toto orbe, quod velit eam Hæreticus pro ſuo cerebro, in uno angulo continere, ac habere. Vnde ait D. Hieron. citatus D. Hieron.
in cap. 24. Matth. *Stultum eſt eum in parvo loco, vel abſcondito quærere, qui totius mundi lumen ſit.*

QUÆSTIO V.

Optimo jure Eccleſia Sancta dicitur Apoſtolica.

SUMMARIUM.

28. *Vt vera fides Chriſti diſtinguatur à ſecta Hæreticorum, dicitur Apoſtolica.*
29. *Apoſtoli fundarunt Eccleſiam ſua prædicatione, ac ſanguine.*
30. *Eccleſia dicitur Apoſtolica, quia doctrinam datam ab Apoſtolis ſemper puram retinet*
31. *Doctrina Apoſtolica per bona opera certam facit vocationem.*
32. *Dicitur Eccleſia Apoſtolica ob conſervatam ſucceſſionem ab Apoſtolis.*
33. *Explicatur hæc ſucceſſio exemplo.*
34. *Hæc ſucceſſio oſtenditur in Eccleſia Romana, & n. 35.*

VT Eccleſia Sancta Dei diſtingueretur à 28.
Sectis, ac Conventiculis Hæreticorum, dicta eſt Apoſtolica à Concil. Conſtantinop. 1. Conc. Conſtantinop.
in cujus ſymbolo exprimitur, *Vna Sancta, & Apoſtolica Eccleſia*, quæ appellatio ei antea erat data à Concilio Nycæno, ut teſtatur Theodor. Theodor.
lib. 1. Hiſt. c. 19. & 2. & eodem modo loquuti ſunt Patres in ſequentibus Concilijs Epheſino, Conſtantienſi, ſexta Synodo, &c.

29. Primò. Apoſtolica, quia Eccleſia ab Apoſtolis fundata eſt ſua doctrina, ac ſanguine *ſuperdificati ſuper fundamentum Apoſtolorum.* Ad Epheſ. 2. Hinc Ioannes ait Apoc. 21. num. 2. *Vidi ſanctam Civitatem Ieruſalem novam deſcendentem de cœlo.* Et ſtatim num. 14. ſubdit, *Et murus Civitatis habens fundamenta duodecim, & in ipſis duodecim nomina duodecim Apoſtolorum Agni*; fundamenta autem hæc poſuerunt Apoſtoli ſua doctrina, ac prædicatione. Ait Iſaias 60. *Qui ſunt iſti, qui ut nubes volant, & quaſi columbæ ad feneſtras ſuas.* Volant, ait ob ſuam celeritatem, qua ſacri Apoſtoli exierunt in omnem terram, & peragrarunt univerſum orbem, ut nubes ſalutiferum rorem effundentes ſuæ doctrinæ, miraculorum, ac divinorum operum. *pluviam voluntariam ſegregabit Deus hæreditati tuæ.* Pſalm. 67. *Et tanquam columbæ*, ob puritatem, & ſinceritatem, manſuetudinem, ac fœcunditatem, vt per eas paſſim ſignificantur in Scriptura, *Ad feneſtras ſuas*, nempe rapido impetu, quo columbæ cum ſuis pullis volitant ad ſuum nidum, ac feneſtras ſui columbarii; ſic & citiſſimè Apoſtoli, ut explicat noſter D. Cyrillus, volant cum ſuis filiis ſpiritualibus, ut eos per fidem adducerent ad ingreſſum Eccleſiæ, ac cœleſtem patriam.

Epheſ. 2. Apoc. 21. Iſai. 60. Pſalm. 67. D. Cyrill.

30. Secundò, dicitur *Apoſtolica*, quia doctrinam datam à Sanctis Apoſtolis, ſemper tetinuit, retinet, ac retinebit puram, & illibatam, ut ab eis eſt tradita. Et ſic adimpletum eſt illud, quod de Eccleſia nova vaticinatum eſt ab Iſaia 59. *Spiritus meus, qui eſt in te, & verba, quæ poſui in ore tuo, non recedent de ore tuo, nec de ore ſeminis tui, amodo vſque in ſempiternum.* Et quia illam doctrinam ab Apoſtolis derivatam ad ſe, ſemper puram, & integram per ſucceſſionem ſuorum filiorum ſpiritualium incorruptam conſervat, à S. Paulo dicitur 1. ad Timoh. 3. n. 15. *Eccleſia columna, & firmamentum veritatis*, quia doctrinæ veritatem traditam ab Apoſtolis firmiter tenet, in quo juxta aliquos Doctores alludit Apoſtolus ad duas columnas, quas Salomon poſuit in veſtibulo Templi. 3. *Reg.* 7. *n.* 15. & 21. firmitatem templi optans; quarum dexteram vocavit *Iachin*, id eſt, *Directio.* Siniſtram verò dixit *Booz*, hoc eſt, *Fortitudo.* Utraque columna erat coronata. In his denotabatur Eccleſia ſancta, quia ipſa eſt columna directa, cum multa directione doctrinæ, ac virtutum, cum multa conſtantia, perſeverantia, ac fortitudine, & inde coronatur ſempiterna gloria.

Iſai. 59. 1 Tim. 3. 3. Reg. 7.

31. Doctrina Apoſtolica ea eſt; quam tradit Petrus epiſt. 2. cap. 1. *Vt per bona opera certam veſtram vocationem faciatis.* Ab his maximè diſcedunt Hæretici, ut Lutherus, & Calvinus, quorum prior, ut teſtatur Hortus Paſtorum *lib. 1. tract. 4. lect. 8.* Sacerdos, & Religioſus profeſſione, Monialem profeſſam fœdo ſacrilegio ſibi matrimonio copulavit, & cum dæmone plus quam modium ſalis ſe comediſſe faſſus eſt. Poſterior Novioduni de Sodomitico crimine, & aliis infamibus convictus eſt, hi ſunt fundatores, & capita Hæreticorum, non Apoſtolorum ſectatores, ſed potius eorum adverſarii, ac impugnatores.

2. Petr. 1. Hortus Paſtorum.

32. Tertiò dicitur, *Apoſtolica*, ratione ſucceſſionis continuæ, quam obtinet ad Apoſtolis, non ſolùm doctrina, ſed etiam auctoritate, & juriſdictione. Nam omnes Catholicæ Eccleſiæ miniſtri ab Apoſtolis deſcendunt, Apoſtolorúmque ſucceſſores ſunt, & ab eorum ſucceſſoribus poteſtatem & juriſdictionem acceperunt. Quia Presbyteri ab Epiſcopis ordinationem acceperunt, Epiſcopi ab aliis Epiſcopis, & hi iterum ab aliis, & ſic deinceps ſurſum verſus vſque ad Apoſtolos, qui hanc poteſtatem proximè à Chriſto Domino acceperunt.

33. Sicut homines longo hominum tractu deſcendunt ab Adam: ita ſecundum vim, & potentiam ſupernaturalem, omnes Eccleſiæ miniſtri longa ordinationum ſerie deſcendunt à Chriſto, qui eſt ſecundus Adam.

34. Rectè ergo dicitur Eccleſia Apoſtolica, quæ eandem auctoritatem, juriſdictionem, ac functionem habet, quam Chriſtus tradidit Collegio Apoſtolorum, & quam habet Eccleſia ab Apoſtolis inſtituta: habet enim modo eundem ordinem, quem tunc habuit ſub Apoſtolis. In ipſa ſunt Apoſtoli, Prophetæ, Evangeliſtæ, Doctores, ut Apoſtolus Paulus ad Epheſ. 4. & ſubdit: *Ad conſummationem Sanctorum, in opus miniſterii ad ædificationem corporis Chriſti*, ad ædificationem corporis Chriſti myſtici, quod eſt Eccleſia, & hoc ad conſummationem Sanctorum, hoc eſt donec compleatur numerus prædeſtinatorum, ac electorum, quod erit in fine ſæculi, hic ordo in Eccleſia ſucceſſivè perſeverabit.

Epheſ. 4.

35. Ad veritatem Eccleſiæ Apoſtolicæ oſtendendam efficaciter, & hoc argumento utitur Tertullianus *lib. de Præſcriptis contra Hæreticos*, & ait: *Evolvunt ordinem Epiſcoporum ſuorum, ita per ſucceſſionem ab initio decurrentem, ut primus ille Epiſcopus, aliquem ex Apoſtolicis viris habuerit auctorem, & anteceſſorem.* Dicant nobis Hæretici? Quis ante Lutherum, Lutheranæ Sectæ fuit ejus Antiſtes? & quis ante Calvinum Calvinianæ Sectæ, oſtendant, ſi poſſint ſuos Epiſcopos vſque ad Apoſtolos, ut inde dicant ſuam Eccleſiam eſſe Apoſtolicam. Hoc facit, & oſtendit manifeſtè Eccleſia Romana: nam ab Apoſtolo Petro uſque ad Dominum Clement. X. ducenti, & quadraginta tres ſunt Epiſcopi, ſeu Summi Pontifices, ut anno per annum, die per diem ex eorum actis conſtat. Hoc argumentum ſucceſſionis maximè faciunt Sancti Patres contra Hæreticos. Propter quod ait D. Auguſt. ſupra citatus: *Tenet me in Eccleſia, ab ipſa Sede Petri Apoſtoli, cui paſcendas oves ſuas Dominus commendavit, vſque ad præſentem Epiſcopum, ſucceſſio Sacerdotum.*

Tertull. *Quot Pontifices.* D. Auguſt.

QUÆSTIO VI.

Optimo jure Eccleſia Dei dicitur Romana.

SUMMARIUM.

36 *Romana Eccleſia inter principales Eccleſias principaliſſima.*

37 *Fides Romana diffunditur in alias Eccleſias.*

38 *Divina Ordinatione Petrus ſuam Cathedram conſtituit in Roma.*

39 *Omnia Concilia generalia à Romanis Pontificibus congregata ſunt.*

40 *In*

40 *In Romana Eccleſia ſemper fides illæſa conſervata eſt.*

41 *In Eccleſiis Patriarchalibus aliquando ſederunt Hæretici, & n. 42.*

43 *Roma civitas ſpargens radios per univerſum orbem.*

44 *Aliqui Antipapa fuerunt reclamante Eccleſia.*

36. D. Irinæus. D. Irinæus *lib.* 3. adverſus Hæreſ. de Romana Eccleſia ait; *Ad Romanam Eccleſiam propter potentiorem principalitatem, neceſſe eſt cõvenire omnem Eccleſiam, hoc eſt, eos, qui ſunt undique fideles, in qua ſemper eſt conſervata ea, quæ ab Apoſtolis eſt traditio.* In quo conſidera, quòd inter alias Eccleſias principales Romana habet potiorem principalitatem; & ut clarius dicam, ſola Romana eſt principaliſſima, & inter alias prima. Eodem ferè modo loquuntur cæteri Patres, D. Cyprianus *lib.* 4 *epiſt.* 8. D Auguſtin.. *lib.* 1. *in Iulian. optatus Milevitan. lib.* 2. Adverſus Parm. D. Hieron. in Apologia adverſus Ruffin. S. Leo Papa in Natali Apoſtolor. Petri, & Pauli, de quo late videndus eſt Gregor. Turonen. *lib.* 1. *de gloria Martyrum cap.* 28. & 30. & 70.

D Cyprian. D. Auguſt. Optatus. D Hieron. D. Leo. Greg. Turo.

37. Romana Eccleſia Mater utique eſt omnium Eccleſiarum, cui Chriſtus D. primatum dedit, Petri ſedem ibi conſtituens, ex qua infallibilis doctrina profluit in cæteras Eccleſias, & fides indefectibilis, de qua ait Apoſtolus ſcribens ad Romanos 1. *Fides veſtra annunciatur in univerſo mundo.* Hoc non dixit Apoſtolus ſcribens ad Corinthios, Galatas, Epheſios, ſed tantùm ad Romanos *Fides veſtra*, quia Eccleſia Romana conſtituebatur caput univerſi, ut inde defluerent dogmata fidei in omnes Eccleſias, ex ipſaque Roma denuncianda erat vera fides. *Fides veſtra annunciatur in univerſo mundo.* D. Auguſtin. *lib.* 1. in Iulian. Catholicam. S. Ambroſij fidem ex Pelagio collaudans ait: *Hic eſt Mediolanenſis Ambroſius, quem Magiſter tuus Pelagius tanta laudavit prædicatione, ut diceret in libris ejus præcipuè fidem lucere Romanam.*

Rom. 1. D. Auguſt.

38. Hinc divina diſpoſitione factum eſt, ut Petrus, ſuper quem, tanquam firmam petram Chriſtus Eccleſiam ſuam ædificaverat, ſuam ſedem conſtitueret ibi ipſe Apoſtolus, ut ibi firmiter permaneret. Optatus Milevitan. *lib.* 2. *adverſus Parm.* ait: *Negari non poſſe, quin in urbe Roma à Petro ſit collocata cathedra Epiſcopalis, in qua una cathedra unitas ab omnibus ſervetur.* S. Leo in Natali Sanctorum Petri, & Pauli loquens cum Roma ait: *Per ſacra B. Petri ſedem, caput orbis effecta.* & Sanctus Proſper cecinit.

Optatus. S. Leo. D. Proſper.

Sedes Roma Petri, quæ Paſtoralis honoris.
Facta caput mundi, quidquid non poſſidet armis
Religione tenet.

39. Probatur etiam optima ratione. Soli Romani Pontifices congregaverunt Concilia generalia ab ipſis approbata, ad quæ convenerunt Epiſcopi Orientales, & Occidentales, quia unanimes conſpiraverunt in unitatem ejuſdem fidei, & damnarunt alias ſectas diſſeminantes dogmata contraria Decretis Eccleſiæ Romanæ.

Primum Generale Cõcilium celebratum eſt *Nicææ* ſub Sylveſtro Papa anno Chriſti 327. & trium annorum ſpatio confectum, ad quod 318. Epiſcopi convenerunt, ſuo hoc numero teſtantes, quam latè diffundetetur Eccleſia, quamvis hactenus imperatores ethnici in eam multo Chriſtianorum effuſo ſanguine deſæviſſent, ut rectè dicatur, *Sanguis Martyrum ſemen Chriſtianorum.*

Secundum Generale Concilium, celebratum eſt conſtantinopoli anno 383. annis à Nicæno, 58. convocavit quidem Damaſus Papa ad Romam, & convocati fuerunt 150. Epiſcopi, & in eis multi magnæ notæ, & advenerunt Epiſcopi Occidentales, & permiſſum eſt Occidentalibus coire Conſtantinopolim, inde Conſtantinopolitanum dictum eſt. 40.

Tertium Concilium Generale, habitum eſt Epheſi ſub Cœleſtino Primo præſidente noſtro D. Cyrillo Alexandrino anno 430. ex delegatione ipſius Summi Pontificis, & peſtiferum dogma Neſtorii damnatum eſt.

Quartum Concilium Generale, fuit Chalcedonenſe ſub Leone Primò Pontifice Maximo anno 451. & juxta eandem formam. 14. Concilia generalia congregata ſunt, ab ipſiſque Romanis Pontificibus approbata, ad quorum nutum dumtaxat coierunt Epiſcopi toto orbe diſperſi nemine reclamante, omnes profitentes Eccleſiam Romanam eſſe Eccleſiam Catholicam, quæ ut caput Eccleſiarum influit in omnes alias Eccleſias tanquam caput in membra. 41.

Et merito ſane, quia in Romana Eccleſia, tanquam in cathedra Petri conſervatur fides integra, & illæſa. Unde ait D. Bernard. *lib.* 1. ad Eugeniũ, *Cui enim alteri dictum eſt, ego rogavi pro te Petre, ut non deficiat fides tua,* Matth. 26. Hoc non eſt dictum nec Thomæ, nec alteri diſcipulorum, niſi tantum Petro, quia in ipſo, ac ejus ſucceſſoribus fides ſemper conſtans, ac firma perſeverat, & inde eleganter ait D. Cyprianus. *Ad Romanam fidem perfidia non habet acceſſum.* Et D. Auguſtin. Epiſt. 162. Decret. diſt. 24. ait: *Cùm aliæ omnes Eccleſiæ, quibus Apoſtoli præfuerunt, à fide defecerint, ſola hæc ſancta Apoſtolica Mater omnium Eccleſiarum Chriſti, per Omnipotentis Dei gratiam à tramite Apoſtolicæ traditionis nunquam erraſſe, nec hæreticis pravitatibus unquam depravanda decubuiſſe probatur, ſed quam ab exordio fi-Chriſtianæ normam ab ipſis Apoſtolis accepit, in ea ſemper illibata permanſit.* Quòd deinde ſic oſtenditur. 42. D. Bernard. Matth. 26. D. Cyprian. D. Auguſt.

In quatuor Patriarchalibus Eccleſiis orientis ſederunt Hæretici. 43.

In Eccleſia Conſtantinopopolitana Macedonius, Neſtorius Anthimus, Sergius, & alii plures, quos Iconomachi Imperatores conſtituerunt. 1.

In Antiochena Hæreſiarcha ſedit Paulus Samaſatenus, Eulalius, Petrus Kenaphæus, & alii. 2.

In Alexandria Georgius Cappadox, Lucius Dioſcorus, & alii. 3.

In Hieroſolymitana, Saluſtius, Arſenius, Heraclius, & alii. 4.

Per varias Dei Eccleſias multi hæretici inſurrexerunt, & ideo Apoſtolus Paulus commendans Prælatis Dei Eccleſiam, ait: *Attendite* 5.

dite vobis,& univerſo gregi,in quo vos Spiri-
Auctor.20. *tus Sanctus poſuit regere Eccleſiã Dei* Act.20. num.28.& ſtatim ſubdit, n.29 *Ego ſcio, quoniam intrabunt poſt diſceſſionem meam lupi rapaces in vos, non parcentes gregi.* Nam adhuc vivente Paulo contra eum inſurrexerunt in Aſia Hymenæus , Alexander , Phygellus , & Hermogenes, ut ipſe teſtatur, 1.*Timoth.*1.*n.*20. & *Epiſt.*2.*cap.*1.*num.*15.

1.Tim.1. & 2.c 1.

44. In Roma verò nullus unquam ſedit hæreticus , aliæ defecerunt , illa nunquam ; & ita hic verificari poteſt , illud Iſaiæ 19. dicens: *In die illo erunt quinque civitates,jurantes per Dominum Deum exercituum: Verumtamen civitas Solis una vocabitur.* Etſi illæ Patriarchales Eccleſiæ , quæ olim in cultu Chriſti fuerunt florentiſſimæ,paulatim defecerunt ad hæreſes , & impios cultus. Unica tamen illa Romana, ſtabilis,ac firma ſtetit , tanquam mater omnium Eccleſiarum,ac magiſtra totius Chriſtianæ Religionis , à qua lux fidei per totum orbem diffunditur ; & ſicut Sol ſuis radiis totum orbem illuminat , ſic Eccleſia Romana ſplendore ſpiritualis doctrinæ omnes Eccleſias illuſtrat , divino fulgore itradiat.

Iſai.19.

Nec contra hæc tibi faciat difficultatem, quod in Eccleſia aliqui fuerunt Antipapæ, ſed tales non fuerunt recepti à tota Eccleſia , ſed potiùs ipſa reclamante , & parvo , & exiguo tempore duraruntur.

RESOLUTIO XXXI.

De Eccleſia materiali , ſeu in particulari ad Sacramenta miniſtranda.

Quæstio Prima.

Quid ſit Eccleſia , & quomodo ædificanda, ac benedicenda , ſeu conſecranda?

SUMMARIUM.

1 *Quid ſit Eccleſia,& quomodo definiatur.*
2 *Eccleſia non poteſt ædificari ſine dote , ſecus dicendum de Eccleſiis Mendicantium.*
3 *Requiritur quod Epiſcopus ponat primum lapidem ; non verò in Eccleſiis Mendicantium.*
4 *Eccleſia debet eſſe benedicta , vel conſecrata , ut in ea celebretur.*
5 *Conceſſum eſt Regularibus ut valeant ſuas Eccleſias benedicere.*

1. Eccleſia materialis, in particulari prout eſt ad adminiſtranda Sacramenta fidelibus , ſic definitur : *Eſt locus publicus Epiſcopali auctoritate conſtitutus,& conſecratus,ad quem fideles conveniunt,*
Sylveſt. *ad percipienda fidei Sacramenta.* Ita Sylveſter *in ſumma,verb.Eccleſia,*2.*num.*1.Quàm definitionem ſequuntur omnes Summiſtæ, qui etiam dicunt,quod ad ædificationem Eccleſiæ requiritur etiam auctoritas , & licentia Epiſcopi.

2. De jure tamen communi ad ædificationem Eccleſiæ duo requiruntur ; primò ut Eccleſia non poſſit ædificari ſine dote competenti ,ut colligitur *cap.Nemo de Conſecratione , diſt.* 1. ad ſui nempe fabricam , & paramenta ; tamen ex antiqua conſuetudine datum eſt Mendicantibus ædificare ſine dote , vel ſic eorum privilegia ſunt intellecta. Ita citatus Sylveſter *n.*4. Sylveſt. Lezana *tom.*3.*verb.Eccleſia,n.*8. Lezana.

3. Secundò ex jure communi pro ædificanda Eccleſia requiritur , quòd Epiſcopus conveniat , & ponat ibi primum lapidem , & Crucem ibi figat , ut colligitur ex citato , *cap. Nemo,* & docent Azor.*tom.*2.*lib.*9.*cap.*3.*q.*4. Azor. Tamburin.*de jure Abbatum, tom.*1.*diſput.* 22. *quæſt.*9. Tambur. Imò hoc videtur pertinere ad Epiſcopum Diœceſanum , ut conſtat ex quadam bulla Leonis X. in Concil. Lateran. pro Mendicantibus. Tamen ex privilegio Cæleſtini V. cõfirmato ab Eugenio IV.in bulla *ad decorem* in Bullario Rodrig. inter bullas Eugenij 18. Rodrig. conceſſum eſt Priori ſancti Spiritus de Sulmona Ordinis Cœleſtinorum , ut in ædificandis Eccleſiis , vel Capellis , aut Hoſpitalibus primum lapidem , & fundamenta ponere &.Pontificali ritu valeat benedicere , Tamburinus Tambur. citatus refert hoc privilegium, & ipſum vocat Generalem Piorem totius Ordinis Cœleſtinorum , de quibus omnibus Barboſa *de officio* Barboſa. *Epiſcopi.allegat.* 26.*num.*2.

4. Ædificata Eccleſia non licèt in ea celebrare , niſi ſit conſecrata , vel benedicta , ut habetur, ex *cap.Nullus de conſecr.diſt.*1.D.Thomas 3.*part. quæſt.* 83.*art.*1.& ibi expoſitores omnes , ſicut & Canoniſtæ , *in cap. ultimò de Conſecratione Eccleſiæ.* D. Thom.

5. Quamvis maximè pertineant ad Epiſcopos Eccleſias ſolemniter benedicere , hoc tamen ex multis privilegiis conceſſum eſt Regularibus Mendicantibus, ut eorum Generales , Provinciales , Priores, ac Vicarij poſſint ſuas Eccleſias, Cæmeteria , Oratoria , ac capitula ſolemniter benedicere , ita conceſſit Iulius II. Iulius II. Minimis in Bulla *dudum ad ſacrum* , Leo X. in Concil. Lateran. pro Mendicantibus , *Religionis ſuadet honeſtas.* Tertium privilegium, Sixtus IV.apud Sorbum,*verb. Benedicere,* §.4. Sorbus. concedit Minoribus de Obſervantia , his verbis:*Veſtri Ordinis Generalibus , & Provincialibus , Vicarijs , Cuſtodibus , ac Guardianis pro tempore exiſtentibus, ut omnia , & ſingula ejuſdem Ordinis Obſervantiæ, Eccleſias,Cæmeteria, & Capitula, & Oratoria ubicumque exiſtentia, receptas, & recepta , recipiendas, ſeu recipienda ſolemniter benedicere* , ſcilicet conceſſum ſit. Conſetius. Agunt de his privilegiis Conſetius , *pag.* 140. Caſarrubius *in compendio Privileg. Mendicantium , verb. Benedicere Eccleſias,* §. 12. & 14. Caſarrub. Peregrinus *verb. Benedicere* , Miranda *tom.* 2. *quæſt.*39.*art.* 1 *concluſ.*3. vide que dixi ſuprà Pere r in. *Reſol.*14.*num.* 17. Adverte tamen quod Prælati Regulares ſolùm poſſunt benedicere ſuas Eccleſias , & non alterius. Miranda.

6. Eccleſiam conſecrare ſecundum jus commune ſolùm ad Epiſcopum pertinet , c. *Nemo de conſecrat. diſt.* 1. Et hoc tantùm ad Epiſcopum proprium , *cap. Tua fraternias de conſecrat. Eccleſiæ.* Et Epiſcopus proprius non poteſt hoc delegare ſimplici ſacerdoti , ſed tantùm

tùm alteri Epiſcopo, *cap. Aqua eod. tit.* non obſtante quacumque patriæ conſuetudine.

QUÆSTIO II.

In quibus caſibus polluitur Eccleſia.

SUMMARIUM.

7 *Homicidium polluit Eccleſiam factum intra illam, non verò ſuper tectum, nec ſubtus Eccleſiam.*
8 *Homicidium debet eſſe voluntarium, & non ex caſu.*
9 *Sanguis humanus injuriosè effuſus polluit Eccleſiam.*
10 *Vulnus in Eccleſia, eam polluit, quando ex illo ſequitur mors, vel notabile damnum.*
12 *Si ipſa percuſſio ſit ex joco, tunc conſiderandum an voluntarium fuerit & præviſum vulnus.*
12 *Ex infuſione ſeminis voluntaria polluitur Eccleſia.*
13 *Etiam ex copula conjugali extra neceſſitatem, affirmat una ſententia.*
14 *Alia probabilius negat, & n.* 15.
16 *Polluitur Eccleſia, ſi in ea ſepeliatur excommunicatus nominatim.*
17 *Polluitur Eccleſia in ea ſepeliatur infidelis non baptizatus.*
18 *Eccleſia conſecrata per Epiſcopum excommunicatum non polluitur.*

7. IN quinque caſibus polluitur Eccleſia, & etiam graves Doctores addunt ſextum. Primus, quando intra Eccleſiam commiſſum eſt homicidium voluntarium injurioſum, *ex cap. Propoſuiſti de conſecrat. Eccleſia, & cap. ſi notum de conſecrat. diſt.* 1. Dixi *intra Eccleſiam*, Quia ſi homicidium fiat ſupra tectum, vel ſubtus Eccleſiam, aut in parietibus, non violatur Eccleſia; nam ad hoc ut polluta maneat, vulnus, & cauſa phyſica mortis debet eſſe intra Eccleſiam: unde ad polluendam Eccleſiam non ſufficit, quòd quis vulnus læthale extra Eccleſiam accipiat, & intra illam moriatur, ut obſervat Cardinalis Lugo *de Euchar. diſp.* 20. *num.* 53. Vnde infertur contra Suar. *diſp.* 81. *de Euchar. ſect.* 4. Quòd quando quis in Eccleſia vulneratur, & poſtea domi moritur, Eccleſia eſt polluta. Vnde etiam colligo; quòd ſi quis alteri det potionem venenoſam mortiferam in Eccleſia, & poſtea domi moriatur, Eccleſia polluitur, quia cauſa phyſica mortis violentæ data eſt in Eccleſia; ſic ſi de foris emittitur ſagitta, quæ intra Eccleſiam occidat.

Lugo
Suar.

8. Dixi *voluntarium*, quia homicidium caſuale, vel factum in amentia, & ebrietate non eſt voluntarium, & non ſufficit ad hunc effectum, ut notat Lezana *verb. Eccleſia.* Vnde etiam inferes, quòd intendens vulnerare, aut occidere unum, & per errorem, alterum vulneret, & occidat, tunc non polluitur Eccleſia, quia talis occiſio, ac vulneratio eſt omnino involuntaria. Dixi *injurioſum*, quia factum ob propriam defenſionem, non ſufficit ad hunc effectum: ſecus tamen dicendum exiſtimo, ſi auctoritate judicis ſuſpendatur reus in Eccleſia, quia licet alias talis occiſio ſit juſta, & non ſit injurioſa delinquenti tamen videtur injurioſa loco ſacro, ejuſque auctoritati, ac reverentiæ multum adversatur.

Lezana.

9. *Secundus caſus*, quando in Eccleſia ſanguis humanus injuriosè effunditur, *cap. ſi Eccleſia de conſecrat. cap. Eccleſiis de conſecrat. diſt.* 1. intelligitur autem de effuſione notabili non proveniente à naribus, nec de effuſione naturali medicinali licita, aut caſuali, nec de effuſione in quantitate parva, nec de ea, quæ non eſt facta in ipſa Eccleſia. Tamen ſi vulneratus in Eccleſia, effundat ſanguinem extra illam, aut intra illam, ſeu intra aliquod vas, adhuc Eccleſia polluitur; teſte Fagundez. *Præcepto* 2. *Eccleſiæ, lib.* 4. *cap.* 4. *num.* 16. *qui etiam ſubdit num.* 17. id etiam procedere, ſi Martyr cauſa Chriſti in loco ſacro occidatur, aut ſuſpendatur juxta illud, *Actio diſplicuit, paſſio grata fuit.*

Fagundez.

10. Advertit tamen Pellizar. *tom.* 2. *tract.* 8. *c.* 5. *ſect.* 2. *n.* 70. Quòd ad hoc ut Eccleſia polluatur, non ſufficit quæcumque percuſſio, ut ſi aliquid de carnibus contundatur, vel de oſſibus confringatur, nec quodcumque vulnus, ex quo ſanguis non effunditur; ſed hæc debent eſſe talia, ut inde mors probabiliter ſequatur, vel inde grande damnum, vel membri claudicatio ſequatur: Tamen ex hoc inferendum Eccleſiam pollui, ſi alicui digitus cædatur; ſed non omnino cum notabili ſanguinis effuſione. Quia licèt digitus non ſit membrum, ſed pars membri, & non ſit toraliter reciſus, tamen multa ſanguinis copia, cum non ſit ex naribus, facit Eccleſiam pollutam, ut docent communiter Doctores, qui dicunt Eccleſiam non pollui, quando ſanguis eſt in parva quantitate.

Pellizar.

11. At verò ſi ipſa effuſio ſanguinis in Eccleſia fiat ex joco, tunc maximè dubitatur, & hæc inter caſuales debet computari, aliàs non erit jocoſa: maximè ſi ſanguis effuſus ſit in parva quantitate quæ non ſufficit ad Eccleſiæ violationem, ut Sylveſter cum Panormitano, & alij notant. Si autem per ipſam actionem jocoſam, magna ſanguinis copia effundatur, tunc diſtinguendum dicit Suar. *tom.* 3. *ad* 3. *p. diſp.* 81. *ſect.* 4. §. *ſecundo violatur*; & ait: Quòd tunc attendenda eſt ratio voluntarij; nam ſi omnino involuntariè accidat, non violat, ſi verò ita imprudens, & periculoſa extitit actio, ut ex ea benè potuerit ſequi magna copia ſanguinis effuſi, tunc moraliter benè ſequitur effectus in cauſa voluntarius, & tunc Eccleſia violabitur, quia iam actio eſt injurioſa.

Sylveſt.
Panorm.
Suar.

12. *Tertius caſus*, quando humanum ſemen viri, ſive fœminæ, ſive fidelis, ſive infidelis in Eccleſia, quocumque modo peccaminosè effunditur, ut conſtat ex *can. vnico de conſecrat. Eccleſia, in* 6. & *ex cap. Eccleſiis de conſecrat. diſt.* 1. Dixi *voluntariè*, quia non ſufficit, quòd fiat in ſomnis. Dixi *quomodocumque*, ad denotandum id eſſe, ſive fiat per mollitiem ſive per ſornicationem, adulterium, ſodomiam, &c. Dixi *peccanominosè*, ad excludendam copulam matrimonialem, in qua eſt magna difficultas.

13. Circa copulam conjugalem magna eſt difficultas, & conveniunt Doctores, quod talis copula, quando conjuges coguntur diu commorari in Eccleſia ad evitandum periculum incontinentiæ, ſit licita, & per illam non violari

lari Eccleſiam, & ad hoc multos Doctores citat Leandrus *de Sacram. tom. 2. tract. 9. diſp. 25. quæſt. 3.* Tota controverſia eſt, an ſecluſa diuturna mora, & ſecluſo periculo incontinentiæ licita ſit talis copula, ut eſt licita in omnibus aliis caſibus extra locum ſacrum. Sententiam affirmativam, talem copulam conjugalem ſine neceſſitate in loco ſacro eſſe mortale, & per eam violari Eccleſiam, tenent multi Doctores, quos in magno numero citat, ac ſequitur Sanchez *lib. 9. de matrim. diſputatione 15. num. 8.*

Leandr.

Sanch.

14. Oppoſita ſententia; quòd talis copula ſit licita, & non polluat Eccleſiam, tenet Hurtado *de matrim. diſp. 10. diff. 4. num. 16.* Baſilius Pontius *lib. 10. cap. 10. num. 13.* Fr. Martin. à S. Joſeph. *in Mon. Confeſſor. tom. 1. lib. 1. tract. 50. de matrim. n. 2.* Dicaſtillus *de Sacram. tom. 3. tract. 10. diſp. 9. dub. 5. num. 57.* Martin. Perez *de matrim. diſp. 49. ſect. 4. num. 7.* Diana *part. 11. tr. 8. Miſcel. 1. Reſol. 34.* Nam talis copula nullo jure eſt prohibibita, non divino, nec naturali, nec Canonico; nam Textus vnicus adducitur ex *cap. finali de conſecrat. Eccleſiæ*, ubi dicitur, quod Eccleſia eſt polluta ſemine, aut ſanguinis effuſione; ubi Textus æqualiter loquitur de ſanguinis effuſione, ac ſeminis, ſed ſanguinis effuſio, verbi gratiâ, ob propriam defenſionem eſt licita, & non violat Eccleſiam; ergo etiam licita copula, ut pote conjugalis. Nam illa copula ſecundum ſe eſt licita, & conjuges ſunt in mutua poſſeſſione ad debitum; ergo ab illa non ſunt ſpoliandi, niſi per Textum expreſſum, qui non datur.

14. Hurtadus. Pontius. Martin. Dicaſtill. Perez. Diana.

15. Imò ſatis communis eſt ſententia. quòd ſolum illa effuſio ſeminis ex ſe illicita, quæ eſt cum peccato mortali, polluit Eccleſiam, imò nec ipſa effuſio ſeminis peccaminoſa violat Eccleſiam, niſi ſit publica, & manifeſta, de quo dicam, *quæſt. ſequenti.*

15.

16. *Quartus caſus eſt*, Quando in Eccleſia ſepultus eſt aliquis excommunicatus vitandus, *cap. conſuluiſti, de conſecratione Eccleſiæ*, quando ſcilicet talis excommunicatus eſt, ſive ſit publice denuntiatus, ſive notorius percuſſor clerici; non ſi ſit tantùm nominatim interdictus, ut notat Layman, *lib. 5. tract. 5. cap. 5. n. 8.* ex quo bene colligit Cardinalis Lugo *de Euchariſtia diſp. 20. ſect. 2. num 56.* Eccleſiam non pollui apud ſeptentrionales per ſepulturam hæreticorum, cùm non ſint nominatim denuntiati.

16. Layman. Lugo.

17. *Quintus caſus eſt*, quando in Eccleſia ſepelitur aliquis infidelis, vel non baptizatus, *cap. Eccleſiam 1. & 2. diſp. 1. de conſecrat.* Sub quo venit intelligendus infans non baptizatus, etiam fidelium filius, ſi ſeorſim à matre ſepeliatur: non ita verò ſi in utero matris gravidæ, jam mortuus ſepeliatur, ita notat Cardinalis Lugo, *citatus num. 57.* & ex eo Pellizar. *tom. 2. tract. 8. cap. 5. ſect. 2. num. 72. §. Noto 11. Eccleſiam non pollui per ſepulturam hæretici baptizati.*

17. Lugo Pellizar.

18. *Sextus caſus*, additur ab aliquibus, quando nempe Eccleſia per Epiſcopum publicè excommunicatum eſt conſecrata, vel benedicta. Argumento deducto ex *cap. Conſuluſti, de conſecrat.* ſed ut benè notat Lezana *tom. 3. verb. Eccleſia, num. 12.* non apparet, unde illud ex citato cap. colligatur, quia ſolùm ibi eſt ſermo de Eccleſia, in qua excommunicatus eſt ſepultus, ut etiam advertit Layman *citatus, n. 9.*

18. Lezana.

Quæstio III.

Quænam partes ſub nomine Eccleſiæ intelliguntur, ut inde ipſa inviolata intelligatur?

SUMMARIUM.

19 *Nomine Eccleſiæ venit totum corpus illus cum ſepulturis, & capellis.*

20 *Si effuſio ſanguinis fiat in tecto, in turri, ſacriſtia, tribunis, non polluitur Eccleſia.*

21 *Si in caveis ſubtus Eccleſiam non polluitur Eccleſia.*

22 *Idem dicendum de confeſſionarijs, ſi dividantur pariete.*

13 *Si fiat effuſio in choro, vel tribuna organorum, polluitur Eccleſia.*

24 *Si in Cœmeterio, vel clauſtro, hæc ſunt polluta, non verò Eccleſia.*

25 *Si homicidium contingat in gradibus, vel portaria, Eccleſia non polluitur.*

PEr Eccleſiam intelligimus totum illius corpus interius; à tecto nempe interiori uſque ad pavimentum illius, incluſis ſepulturis, ut ſtatim dicam, & ab uno pariete uſque ad alterum oppoſitum, incluſis etiam capellis, quæ unum corpus efficiunt cum ipſa Eccleſia, ut cum communi ſententia tenet Veiga *in ſumma tom. 2. cap. 94. caſu. 5.* & à porta Eccleſiæ interiori uſque ad ipſum altare; unde notat Caſtro Palaus *tract. 22. diſp. vnic. punct. 9. num. 9.* Polluto altari per effuſionem ſanguinis pollui totam Eccleſiam, & è contra, polluta Eccleſia, polluta ſunt omnia altaria ibi fixa.

19. Veiga. Palaus.

Ex his colliges primò, quòd ſi talis effuſio fiat in tecto ſuperiori, vel in turri ubi cymbala collocantur; vel etiam in domo, vel cubiculo, ſuprà tectum fabricato non polluitur Eccleſia, ut cum multis tenet Sanchez *lib. 9. de matrim. diſp. 15. num. 26.* Deinde ſi in parietibus ſint aliquæ januæ, ſeu tribunæ, ædificatæ ad ſacum audiendum, ex ipſa effuſione ibi facta non polluitur Eccleſia, quia non deputantur ad divina celebranda, ſed ſunt tanquam Cameræ adhærentes Eccleſiæ. Ita cum multis Fagundez *de 2. præcepto lib. 4. c. 4. n. 35.* & Martinus Perez *de matrim. diſput. 49. ſect. 4. num. 7.* Diana *part. 11 tract. 8. Miſcel. 1. num. 34.* & idem dicunt de ſacriſtia. Tamen ſi tribunæ ſunt ſupereminentes intra corpus Eccleſiæ, ex ipſis polluitur Eccleſia, ut notat Caſtro Palaus.

20. Sanchez. Fagundez. Perez. Diana.

Colliges ſecundò: Si polluantur ſpeluncæ, aut cellulæ, quæ ſunt ſubter Eccleſiam, non polluitur Eccleſia, quia ſunt partes diſtinctæ ab ipſa Eccleſia, Suar. *de Euchariſt. diſput. 81. ſect. 4.* Fagundez *citatus, num. 33.* Aliter tamen dicendum de ſepultura, ſeu pars concava, ſeu fornix illius polluatur, quia ſepultura pars illius reputatur, ut advertit Sanchez *citatus, num. 27. in fine.*

21. Suar. Fagundez. Sanchez.

Colliges tertiò: Quòd idem dicendum eſt de cellulis ad mulierum confeſſiones audiendas,

das, ſi ſint in Eccleſia, ut intra concavum parietis à parte interna Eccleſiæ Sanchez *citatus*, *num.*34. & Fagundez *num.*35. Qui etiam advertunt, quòd ſi confeſſionarium dividatur pariete, & ſolum per foramina in feneſtella, vel panno cerrato fixo, & confeſſor eſt extra parietem, eſt etiam extra Eccleſiam, ac proinde ex parte illius non polluitur Eccleſia, ſecus dicendum, ſi tale fiat ex parte mulieris, cùm ſit intra Eccleſiam.

23. Colliges quartò: Quòd chorus quamvis ſit in loco edito, & à terra prominente, ſicut & tribuna, ſeu locus organorum, maximè ſpectant ad Eccleſiam, cùm illorum cantus, ac ſonus ſit pars cultus divini, ac proinde ex illis pollutis polluitur Eccleſia, ita ex D. Antonio Sanchez *citatus*, *num.*33. Et inde etiam Cameræ inſtar odæi ex adverſo aræ maximè ad miſſam audiendam conſtructæ, cùm non ſint deputatæ ad divina celebranda, non ſunt partes Eccleſiæ, ac proinde illis pollutis non polluitur Eccleſia.

D. Anton. Sanchez.

25. Colliges quintò: Quòd ſi talis actus polluens Eccleſiam contingat in porta à parte interiori, tunc polluit Eccleſiam, ſi verò à parte exteriori, tunc cum illa pars pertineat ad Cæmeterium tunc ſolum Cæmeterium violatur, polluto enim Cæmeterio, non polluitur Eccleſia, cum minus nobile non trahat ad ſe nobilius; ſicut è contra polluta Eccleſia, pollutum cenſetur Cæmeterium, cum acceſſorium ſequatur principale, & nobilius ad ſe trahat minus nobile, ut ex Sayro, Henriquez, Suario, Coninch tradit Bonac. *de matrim diſp. unica. quæſt.2. punct. ultimo, n.*20. Quòd idem dicendum exiſtimo de clauſtro, quòd reputatur tanquam Cæmeterium ad ſepulturas.

Si verò quæras quid dicendum ſit de gradibus tendentibus ad Eccleſiam, vel Cæmeterium, ſi in eis homicidium, v. g. fieri contingat, exiſtimo quòd nec Eccleſia, nec Cæmeterium polluitur, quia ſunt à parte exteriori, & tanquam viæ ad Eccleſiam. Et idem dic de portaria Conventus, in qua facto quodam homicidio, ita conſultum fiat, quia portaria nec eſt Eccleſia, nec Cæmeterium.

QUÆSTIO IV.

Quæ notorietas, ſeu publicatio requiratur, ut ex illis caſibus Eccleſia habeatur ut polluta?

SUMMARIUM.

26 *Eccleſia judicatur polluta per delictum publicum.*

27 *Quod ad hoc ſufficit notorietas facti, affirmat prima ſententia.*

28 *Oppoſita requirit ſententiam judicis.*

29 *Prima communis in praxi, ſecunda probabilior in jure, & benè poteſt tute ſequi in conſcientia.*

26. NOtant communiter Doctores, ut videre eſt apud Lugo *diſput* 20. *de Euchariſtia*, *num.*55. & Caſtro Palaum *part.* 2. *tract.*11. *de reverentia debita locis, diſp. unica, punct.*1. *n.*2. Quòd prædictæ actiones, ut Eccleſia ſit polluta, non ſufficiunt, quòd ſint occultæ, ſed requiritur, quòd ſint publicæ, & notoriæ, ut colligitur ex *cap. Significaſti de adulterio.* Et ratio eſt manifeſta, quia conſecratio, ſeu benedictio Eccleſiæ eſt publica; ergo publico delicto debet tolli.

Lugo Caſtro Pal.

27. Difficultas tamen eſt, ut Eccleſia habeatur tanquam polluta, an ſufficiat notorietas per evidentiam facti, an adhuc requiratur ſententia judicis declarativa de facto? Prima ſententia, & ſatis communis, eſt, quòd ut Eccleſia habeatur ut polluta, ſufficit quòd ipſum crimen, ſeu effuſio ſanguinis, vel ſeminis ſit manifeſta per evidentiam facti; ita ex Navarro, Rebello, Suar. *diſp.* 82. *de Euchariſtia*, *ſect. Dubitari ſolet*, Baſilius Pont. *lib.*10. *cap.*20. *in fine*, Fagundez *de ſecundo præcepto*, *lib.*4. *cap.*4. *num.*24. Et ratio eſt, quia per evidentiam facti ſatisfit manifectum, & publicum ipſum factum, ac proinde videtur non plus amplius requiri.

Navar. Rebellus. Suar. Balſil. Fagundez.

28. Ac inde inferunt, quòd quando crimen eſt occultum per decem vel viginti dies, Eccleſia non indiget recõciliatione, ſecus verò ſi cœperit publicari, ac publicè de eo conſtiterit: publicum verò dici inquiunt, quod eſt notum majori parti Parrochiæ, aut viciniæ, vel ſi in judicio conſtiterit, & ita poteſt contingere, quod quando crimen commiſſum eſt, tribus, vel quatuor ſcientibus, ac tacentibus, Eccleſia non reputetur ut polluta, nec divina officia in ea ceſſent: At verò quando crimen divulgatum fama eſt, & majori parti innoteſcit, tunc Eccleſia habetur, ac reputatur ut polluta.

29. Oppoſita ſententia tenet, quòd non ſolùm requiritur notorietas facti, ſed etiam quod requiritur ſententia declaratoria judicis. Et hanc ſententiam probabilem dicunt Suarez, & Fagundez citati; & etiam probabile dicit Paulus *citatus*, *num.*4. *in fine*; eamque tenet Diana *part.*6. *tract.* 6. *Reſol.* 27. Et ratio eſt, quia pœna pollutionis Eccleſiæ, ſe habet veluti quædam cenſura; cenſura autem requirit ſententiam judicis, juxta *Extravagantem ad evitanda ſcandala*: Nullus enim excommunicatus vitandus eſt, donec per ſententiam judicis declaretur cenſuram incurriſſe, quod autem hujuſmodi pœna pollutionis inſtar cenſuræ, ſeu pœnæ interdicti prohibentis ingreſſum Eccleſiæ, tenent Paludanus Sylveſter, Sayrus, Avila, apud citatum Dianam. Et Avila ſubdit ad interdictum locale reduci quodammodo Eccleſiæ violationem.

Diana. Palaus. Paludan. Sylveſt. Sayrus. Avila.

30. Verùm eſt quod prima ſententia eſt in praxi, quia ut evidenter conſtat de effuſione ſanguinis in Eccleſia, ſtatim Eccleſia habetur ut violata; tamen ſecunda ſententia in jure mihi videtur verior, & probabilior, & ſecurè poteſt benè ſequi in conſcientia, quia ille, qui effudit ſanguinem, poteſt dicere illud feciſſe in ſui defenſionem naturalem, vel illud feciſſe cum ebrietate, & amentia, vel fuiſſe in quodam motu primo, & his de cauſis hodie notorius percuſſor clerici, communis ſententia tenet, quod non ſtatim ſit vitandus, & ita in aliquibus caſibus ego vidi judicare, & reſolvi.

Quæstio V.

Quomodo Eccleſia violata reconcilianda ſit?

SUMMARIUM.

31 *Si Eccleſia eſt benedicta à ſacerdote ſimplici, vel Prælato Regulari, poteſt reconciliari, & idem dic de Cæmeterio.*

32 *Si conſecrata ſolum ab Epiſcopo poteſt reconciliari.*

33 *Si Epiſcopus eſt abſens per duas dietas à Prælato Regulari cum aqua benedicta ab Epiſcopo poteſt reconciliari.*

34 *Quid ſit vna dieta.*

35 *Rejicitur opinio Novarini.*

36 *Prædicto privilegio uti poſſunt Prælati Regulares, etiam præſente Epiſcopo.*

37 *Si Epiſcopus nec vult reconciliare, nec benedicere aquam, poteſt Prælatus Regularis, & n. 38.*

39 *Si violatio fiat, dum ſacerdos celebrat.*

31. PRo reſolutione hujus quæſtionis, quæ ſæpe contingit in praxi, notandum an Eccleſia ſit benedicta, vel conſecrata, ſi Eccleſia ſit benedicta, bene poteſt reconciliari per quemcumque ſacerdotem ſimplicem aqua benedicta communi, ut communiter colligunt Doctores, *ex cap. ſi Eccleſia de conſecrat.* adjuncta Gloſſa contra Toletum, & hoc etiam poſſunt Prælati Regulares quo ad ſuas Eccleſias: ſi hoc conceditur ſimplici ſacerdoti ſæculari ſine licentia Epiſcopi, nullo modo negari poteſt Prælato Regulari. Deinde Prælati Regulares ad hoc habent multa privilegia ad reconciliandas ſuas Eccleſias ex Julio II. in Bulla, *Dudum ad ſacrum* & ex Leone X. *Bulla Religionis honeſtas.* Ita Henriquez, Tamburinus, Præpoſitus, Barboſa *de poteſtate Epiſcopi.* Quos citat, & ſequitur Diana 4. *part. tract.* 4. *reſol.* 91. Quibus adde ex Navarro, Soto, Suar. 3. *part. diſp.* 181. *ſect.* 4. Avila *de cenſur. n.* 5. *diſp.* 7. *dub.* 4. Portelium *in additionibus ad dubia, verb Eccleſia, num.* 1. & idem dicunt de Cæmeterio polluto ad ejus reconciliationem.

Iulius II. Leo X. Henriq. Tamburin. Præpoſit. Barboſa. Diana. Navar. Soto. Suar. Avila. Portel.

32. Si verò Eccleſiæ ſint conſecratæ, opus habent reconciliatione per Epiſcopum, qui non poteſt alteri etiam vicario ſuo hanc facultatem delegare. Reconciliatio autem Eccleſiæ conſecratæ eſt proprium munus epiſcopale: Solus ſummus Pontifex id poteſt committere ſimplici ſacerdoti. Cardinalis Lugo *de Sacram. Euchariſtiæ diſp.* 20. *ſect.* 12. *num.* 62. Franciſc. Lugo *de Sacram lib.* 5. *cap.* 5. *quæſt.* 12. *num.* 95. Et patet *ex cap. aqua de conſecrat. diſt.* Et idem dicendum de Cæmeterio conſecrato juxta declarationes Cardinalium, quas refert Barboſa *in collectanea Bullar. verb. Eccleſia,* & refert M. Lezana *tom* 3. *verb. Cæmeterium ad initium.*

33. Si autem Eccleſia mendicantium conſecrata polluta fuerit reverenter vocandus eſt Epiſcopus ad reconciliandum, quòd ſi Epiſcopus per duas dietas longe abſens ſit, tunc ex conceſſione Leonis X. facta Mendicantibus, poterunt ſuperiores illius Religionis, & reliqui communicantes in eorum privilegiis, prædictam Eccleſiam pollutam, cùm aqua grogolena hoc eſt facta ex vino, & cinere per ipſoſmet Prælatos benedicta reconciliare. Ita Conferius Vgolinus, Sayrus, Barboſa, Henriquez, Avila, quos citant, ac ſequuntur, Marchinus *de Sacram. Ordinis tract.* 3. *part.* 3. *cap.* 11. *num* 14. Megala *in promp. tom.* 2. *verb. Eccleſia, num.* 21. *in fine*, Layman *lib.* 5. *tract.* 5. *cap.* 5. *num.* 12. Miranda *tom.* 2. *quæſt.* 39. *art. vltimo concluſ.* 3. Bordonus *tom.* 1 *Reſol.* 17. *n.* 7. Dicaſtill. *de Euchariſt tract.* 5. *diſp.* 4. *dub.* 6. *numero.* 109. Pellizar. *tom.* 2. *tract.* 8. *cap.* 5. *ſect n.* 69.

Card. Lugo. Franc Lugo. Barboſa. Lezana. Conferius. Vgolinus. Sayrus. Barboſa. Henriq. Avila. Megala. Layman. Miranda. Bordon. Pellizar.

Vna dieta continet ſeptem Lucas, duæ dietæ quatuordecim, ut tenet Henriquez cum Rodriguez, *tom.* 1. *quæſt.* 15. *art.* 2 Joan. à Cruce *epitome lib.* 2. *c.* 5. *dub.* 5. *compendium Tiatiorum verb Eccleſia n.* 2. Portellius *citatus.*

34. Henriq. Rodrig. A Cruce. Compend. Portel.

Referam etiam hic opinionem quandam Antonij Novarini *in ſumma Bullarij, titulo de pollutione Eccleſiarum num.* 7. ubi ait ſuperiores Regulares ex privilegio poſſe reconciliare Eccleſias conſecratas, & citat Graſſium, *conſil.* 2. *de conſecrat. Eccleſia num.* 18. Tamen hæc ſententia videtur facere multam vim diſpoſitioni juris *cap. Aqua, & cap. Propoſiſti de conſecrat.*

35. Ant. Novar

Maximè notandum eſt, quòd prædicto privilegio ad reconciliandas Eccleſias ſuas conſecratas uti poſſunt Regulares, non ſolùm quando Epiſcopus diſtat per duas dietas, ſed etiam quando defunctus eſt imò quocumque modo abſit Epiſcopus, morte, renuntiatione, ac depoſitione. Ita Rodriguez *tom.* 2. *quæſt.* 19. *art.* 3. *& poſt illum Perſicus de officio ſacerdotis dubio* 13. *num* 110.

36.

Imò maximè nota caſum. Cum in toto Regno Portugalliæ tantùm eſſet vnus Epiſcopus, & exiſtens in hac civitate Olyſipponenſi, in eademmet civitate Olyſipponenſi contigit, quòd quædam Eccleſia Regularium conſecrata violaretur ex quodam homicidio. humiliter poſtulatum eſt ab Epiſcopo, ut dignaretur Eccleſiam reconciliare, quòd ipſe firmiter negavit; deinde poſtulatum eſt ab eo, ut aquam ex vino, & cinere benediceret, quòd ipſe eadem conſtantia negavit, & nullo modo nec voluit ad Eccleſiam accedere, nec aquam benedicere, tunc à viris doctiſſimis me præſente reſolutum eſt, quòd Prælatus Regularis poterat illam aquam ex vino & cinere benedicere, & illam Eccleſiam conſecratam reconciliare, quia ad illum effectum præſentem idem erat Epiſcopus nolens, ac abſens, & ſic factum eſt, & Eccleſia reconciliata eſt à Prælato Regulari.

37.

38. D. Thom.

D. Thom. 4. *part. quæſt.* 83. *ad* 2. docet Epiſcopum poſſe concedere facultatem, ut in Eccleſia violata celebretur ante reconciliationem, nam, *cap Miſſorum, & cap. Hic ergo de conſecrat. diſt.* 1. Simpliciter decernitur fieri poſſe ſacrum, ubi juſſerit, vel permiſerit Epiſcopus, qui ſubinde ſicut poteſt concedere licentiam faciendi ſacrum in loco non ſacro, ſic & in templo violato, quamvis ad hoc graviorem cauſam requirat Avila, vnde Cardinalis Lugo *ſuprà citatus* optime in grandi neceſſitate hoc concedit, v. g. ſi in die feſto populus non habet templum ubi audiat ſacrum. Ita etiam Diana *part.* 11. *tract.* 8. *Reſol.* 23.

Lugo. Diana.

Pro caſu occurrenti, ſi dum ſacerdos celebrat, homici

homicidium, v. g. contigit,& hoc accidit post cœptum Canonem, tunc tenetur Missam prosequi,ut sacrificium perficiat;si autem ante Canonem violatio fiat, vel Ecclesiam ingrediatur excommunicatus nominatim declaratus per sententiam judicis,aut publicus Clerici percussor, tunc celebrans debet à Missa desistere.

QUÆSTIO VI.

An si Sacerdos celebret in Ecclesia polluta ipsa maneat reconciliata?

SUMMARIUM.

40 *Partem affirmantem tenent multi Auctores.*
41 *Sententia negativa est vera,& certa.*
42 *Ponuntur illius fundamenta.*
43 *Sacerdos celebrans in Ecclesia polluta ante reconciliationem non fit irregularis, nec suspensus ab ingressu Ecclesiæ.*

QUæstio procedit de Sacerdote celebrante bona fide. Partem affirmantem tenent
40. Sà. Henriq. Perficus. Naldus. Zerola. Avila. Dicastill. Tambur. Diana.
Emman. Sà, Henriq.P.Perficus, Naldus, Zerola, Avila, Dicastill. Thom. Tambur. quos citat, & constanter sequitur Diana *part. 6. tract. 6. Resol.* 28.&*p.* 11. *tract.* 2. *Resol.* 59.& Emmanuel Sà *verb. Ecclesia, num.* 19. ait quod hæc opinio procedit etiamsi Sacerdos celebret mala fide, & Perficus *de Officio Sacerdotis, lib.* 1. *dub.* 6. *n.* 61. ait quod hæc opinio sit valdè probabilis & tuta in conscientia in praxi, propter Doctorum auctoritatem, & quia præsentia corporis Christi dum in Ecclesia Missa celebratur, reputanda est pro sufficienti reconciliatione.

41. Oppositasententia mihi vera, & certa videtur, quod per talem Missæ celebrationem Ecclesia non sit reconciliata, eam fortiter tenet Cardinalis Lugo 3. *part. tom.* 2. *de Eucharistia, disp.* 20. *sect.* 4. *n.* 91.& ejus Fr.Franciscus *de Sacram. lib.* 5. *cap.* 5. *q.* 12. *n.* 99. Sayrus *de censuris, lib.* 5. *cap.* 16. *n.* 11. Layman *lib.* 5. *tract.* 5. *cap.* 5. *num.* 13. Amicus *in cursu Theologico, disput.* 33. *sect.* 12. *n.* 345.
Lugo. Francisc. Sayrus. Layman. Amicus.

42. Probatur primò, quia ut notat Franciscus Lugo *citatus*, oppositasententia nullum pro se habet fundamentum intrinsecum ex ratione, sed tantum extrinsecum ex auctoritate Doctorum. Secundò, sic arguo, in re gravissima, ut est reconciliatio Ecclesiæ, forma, & dispositio data ab Ecclesia, non est mutanda; atqui Ecclesia assignat formam, & modum reconciliandi Ecclesiam, sive benedictam; sive consecratam ut patet ex Rituali Romano; ergo talis forma sine auctoritate Ecclesiæ non est mutanda. Tertiò. Si celebratio Missæ à Sacerdote bona fide, est instar reconciliationis Ecclesiæ, idem ergo erit de Missa celebrata à Sacerdote mala fide: nam bona, vel mala fides Sacerdotis celebrantis, non reconciliat Ecclesiam, sed ipsa præsentia corporis Christi in Missa dum celebratur,& tantum adest, quando Sacerdos celebrat, bona fide, ac mala; ergo si Auctores contrarii præter Emmanuelem Sà negant talem reconciliationem in Missa celebrata à Sacerdote mala fide, debent etiam negare, in Missa celebrata bona fide.
Franc Lug.

Ex quo obiter nota, quod Sacerdos celebrans in Ecclesia polluta ante reconciliationem, non fit irregularis, ut expresse determinatur *in cap. Is qui, de sententia excommunicationis*, nec incurrit suspensionem ab ingressu Ecclesiæ, nec fit irregularis, etiamsi celebret in eodem loco. Ita ex Paludano, Suarez *tom.* 3. *ad* 3. *part. disp.* 81. *sect.* 4. §. *penultimo*,& ex Sà, Layman, Avila, Fagundez, Diana *part.* 6. *tract.* 6. *Resol.* 28.
43
Paludan. Henriq. Suar. Sà. Layman. Avila. Fagundez. Diana.

QUÆSTIO VII.

De aliquibus privilegiis, quibus gaudent Ecclesiæ Regularium.

SUMMARIUM.

44 *Ecclesiæ,& Monasteria Regularium exemptorum sunt libera à jurisdictione, ac potestate cujusvis Ordinarii.*
45 *Bulla Sixti IV. maximè de hac re.*
46 *Expenditur prædicta Bulla Sixti.*
47 *Ordinarii non possunt præcipere,ut in Ecclesia Regular. confessionarii sint in tali loco, necne Eucharisticum Sacramentum exponatur, & num.* 48.
49 *Ordinarii non possunt visitare Ecclesias Regularium, sed Parochiales solum, quæ pertinent ad Officium Parochi, n.* 50.
51 *In occurrentia in Ecclesiis Collegiatis, & Cathedralibus dicendæ sunt duæ Missæ, hoc non procedit in Ecclesiis Regular. & num.* 52.
53 *In Ecclesiis Regularium ipsis invitis non possunt Episcopi actus jurisdictionis exercere. Affirmant aliqui, negat communis sententia,& n.* 54.& 55.
56 *An in Eccl. Regular. Parochiali possint visitare tabernaculum Sacræ Eucharistiæ?*

ECclesiæ Regularium, ac eorum Monasteria, & cætera, quæ ad eos spectant, sunt omnino libera, & exempta à jurisdictione, ac potestate D D. Episcoporum, itaut in eis non valeant aliquid ordinare, ac præcipere ut concessum à multis Summis Pontificibus per suas authenticas Bullas, referam unam tantum Ioannis 22. concessam Patribus Carmelitanis, & refertur *in eorum mari magno Sixti IV. Bulla* 37. apud Bullar. Rodriguez & *in Compendio Carmelitar. Discalceator. fol.* 22. Bulla incipit, *Dum attenta meditatione, num.* 5. ita ait:
44. Rodrig. Compend. Carmel.

Ea propter, dilecti in Domino filii devotionis vestræ precibus favorabiliter annuentes, vos, & prædictum ordinem, personas, & Ecclesias, Oratoria, domos, res alias, & loca vestra, ac spectantia ad eadem, in quibus inhabitatis ad præsens, vel habitabitis in futurum, cum omnibus ruribus, & pertinentib suis, ac personis degentibus in eisdem, in jus, & proprietatem Beati Petri, & Apostolicæ Sedis assuminus, illâque à cujuscunque Diœcesani, & cujuslibet alterius potestate, & dominio omnimodè in perpetuum prorsus eximimus, & de gratia speciali decernimus ex nunc vos, & ordinem vestrum per-
45. Bulla.

perſonas, Eccleſias, Oratoria, domos, & loca præfata ac pertinentia ad eadem, ſoli Romano Pontifici, & dictæ ſedi tam in ſpiritualibus, quam temporalibus, abſque ullo medio ſubiacere, ita quod, nec locorum Ordinarij, nec alia quævis perſona Eccleſiaſtica in vos, & Ordinem veſtrum, perſonas, Eccleſias, & Oratoria, domos, loca præfata, utpote prorſus exempta poſſunt excommunicationis, ſuſpenſionis, aut interdicti promulgare ſententias, aut aliàs poteſtatẽ juriſdictionis aliquam exercere, quod ſi forſitan quidquam in contrarium à quocunque fuerit attentatum, illud omninò ſit irritum, & inane. Similia privilegia habentur *in mari magno ejuſdem Sixti Quarti* conceſſa Patribus Dominicanis, & Franciſcanis, & Auguſtinianis, ac Patribus Societatis per Bullam Gregor. XIII. de quo latè Rodrig. *tom.2. quæſt.2.art.17.in fine, & 63.* Maranta *de Ordine judiciario, part.6.membr.1.n.63.* & citat multos alios. Bondon. *Reſol.32.n.367.*

Rodrig. Maranta. Bordon.

46. Ex quibus verbis aperte conſtat, quod Religioſi ſunt de familia Papæ *utpote in jus, ac proprietatem Beati Petri.* Et quod Domini Epiſcopi nullam habent juriſdictionem in eos, nec in ſuas Eccleſias, nec quæ ad eos pertinent, ut conſtat ex verbis expreſſis Pontificis: *Acujuſvis Diœceſani, & cujuſlibet alterius poteſtate, juriſdictione, ac dominio prorſus eximimus.* Et ſic Domini Epiſcopi nullã habent poteſtatem, ac juriſdictionem in Eccleſias, ac loca Regularium *utpote in jus, ac proprietatem B. Petri aſſumimus*; ac proinde, ſi Domini Epiſcopi in hoc ſe volunt intromittere, erit falcem mittere in ſegetem alienam; & addit Summus Pontifex, *Quidquid in contrarium à quocunque fuerit attentatum, illud omninò ſit irritum, & inane.*

47. Ex quibus multa deducuntur. Primò, non poſſunt præcipere Domini Ordinarij, ut in Eccleſia Regularium Confeſſionarij ſint in tali, & tali loco, ut in controverſia fuit deciſum in hac Curia Olyſſiponenſi, quia Eccleſiæ Regularium ſunt omnino exemptæ ab eorum juriſdictione.

48. Secundò. Colligendum eſt, quod Domini Ordinarij non poſſunt præcipere, ut Sacroſanctum Euchariſtiæ Sacramentum, etiam à Regularibus, non exponatur abſque eorum licentia, niſi aliquibus Illuſtriſſ. Cardinalium declarationibus, quas adducunt Barboſa, & Gavantus, de quibus dicam ſuo loco, quæ cauſa multories eſt agitata in hoc Regno; tamen omnis difficultas excluditur, quia Clemens VIII. conceſſit Reverend. admodum Patribus Sancti Ioannis Evangeliſtæ in hoc Regno, ut liberè, & licitè valeant exponere Sacram Euchariſtiam quoties ei bene viſum fuerit, quod Breve authenticum ego vidi, & ad longum referam infra, cum de Sacra Euchariſtia fuerit ſermo.

Barboſa. Gavant.

49. Tertiò, colligendum eſt, quod Domini Ordinarij non poſſunt viſitare Eccleſias Regularium. Ita apertè cõſtat ex quadam declaratione Cardin. relata à Rodrig. *tom.1.q.36.art.4.* & à Quaranta *in ſuma Bullarij, verb. Privilegium, fol.514.* & ita habet, *Cõgregatio Concilij cẽſuit Epiſcopos, aut alios cujuſvis loci Ordinarios vigore cujuſvis Decreti ejuſdẽ Cõcilij, nullam habere facultatẽ quovis tempore in Eccleſiis, Monaſteriis, domibus Regulariũ exemptorum, quibus non imminet cura animarũ perſonarum ſæculariũ, viſitandi Sacriſtias, paramenta, vaſa ſacra, Altaria, & cætera hujuſmodi, aut etiam tabernaculum, ſeu pixidem, in qua Sãctiſſimum Sacramentum aſſervatur.* In quo maximè annotanda ſunt illa verba, *quibus non imminet cura animarum perſouarum ſæcularium.* Si ergo Regulares habent aliquas Eccleſias Parochiales, cum cura animarum ſæcularium, ſubſunt viſitationi quoad ea, quæ pertinent ad curam Parochianorum, & Sacramentorum conſervationem, ac adminiſtrationem, & ſi in præfatis delinquant puniri poterunt ab Ordinario intra ſepta Regularis loci, ut notat Lezana *tom.1. cap.11.num.7. ex Concilio Lateranenſi in Bulla Leonis X. quæ habetur in Bullario, tom.1. conſtit.10. ipſius Leonis.*

Rodrig. Quarant. Lezana.

50. Et ita etiam deciſum eſt à Concilio Tridẽtino *ſeſſione 7. de Reformatione, c.7.* dicente: *Beneficia Eccleſiaſtica curata, quæ Cathedralibus, Collegiatis, ſeu aliis Eccleſiis, vel Monaſteriis, Beneficiis, ſeu Collegiis, aut piis locis quibuſcunque perpetuo unita, & annexa reperiuntur, ab Ordinariis locorum ſingulis annis viſitentur.* Inquiſitioni ſolum ſubiacent Parochiales Regulares ad ea, quæ ſpectant ad Officium Parochiale, quoad alia ſubiiciuntur ſuis Prælatis Regularibus, ut patet ex Tridentino *ſeſſione 25. cap.11. de Regularibus, & ex quadam Bulla Gregorij XV. in ordine 18.* ſi verò aliam facultatem habeant Epiſcopi, hanc debent oſtendere, ut notat Peirinus *tom. 3. privileg cap.2.n.6.*

Tridentin. Trident. Peirin.

51. Colligendum quartò. Quod quamvis Eccleſiæ Cathedrales, & Collegiatæ juxta quandam declarationem Sacræ Congregationis Rituum, quam refert Gavantus *in Rubrica Miſſalis, tom.1.part.3.tract.10.num.8.* teneantur in occurrentia duas Miſſas cantare, unam de Feſto poſt tertiam, & alteram de feria poſt nonam, quod dicendum etiam de Eccleſiis Regularium tenet Portel. *verb. Miſſa, n.7. in dubiis Regularium.*

Gavant. Portel.

52. Tamen talis obligatio non militat in Eccleſiis Regularium, quæ ſub Eccleſiis Collegiatis non intelliguntur, nec veniunt, ut probat Rodriguez *tom.1.quæſt.43.art.12.* & in terminis noſtræ reſolutionis tenet Villalobos *tom.1.tract.8. diffic.19.n.4.*

Rodrig.

53. Colliges quintò. An in Eccleſiis Regularium ipſis invitis poſſit Epiſcopus actus juriſdictionis exercere, ut chriſmare, ordinare, confirmare, degradare, faceréque proceſſiones ſolemnes ac generales. Epiſcopis favet, quod poſſint talia facere M. Lezana *in mari magno Carmelitar. §.77. num.122.* & Bordonius etiam *tom.1. in Conſil. Regular. Reſolut.7.n.132.* & ratio eſt, quia talia facere ſunt honorifica, & quando privilegia, ait Lezana, prohibent Epiſcopo Conventus publicos in domibus Regularium convocare, intelligi debet de Conventibus odioſis, contumelioſis, ac præjudicialibus, non verò de his, qui cedunt in honorem, & æſtimationem Religionis.

Lezana. Bordon.

54. Negativa tamen ſententia, quod non poteſt Epiſcopus talia exercere in domibus Regularium ipſis invitis, eſt communis, quia talia ſunt actus juriſdictionis, qui nequeunt fieri in loco exempto, ab Epiſcopo. Ita Tamburin. *de jure Abbatum, tom.1. diſput.15 quæſt.16.num.10.* & Bordon. *tom.2. Concil. Reſol.68. quæſt.6 num.21.*

Tambur. Bordon.

Unde

Vnde melius re considerata retractat sententiam, quam dedi *priori tomo supra citato*, & in hæc sententia est Diana *p. 9. tract. 5. & Miscell. 1. Resol. 47. alias* 48.

55. Imprimis in tali loco exempto non potest ordines celebrare, quia actus est jurisdictionis Ancharan, *in Clementina Archiepiscopo, num. 8.* Cardinalis. *ibidem, n. 3. in principio*, & *num. 5.* Immola. *n. 4.* Abbas *n. 3* Vitalin. *n. 20.* nec etiam potest Sacramentum Confirmationis ministrare, quia habet mixturam juridictionis, & Officij Episcopali Anchar. Cardinalis Imola, Abbas, & Vitalinus *in locis proximè citatis*, neque degradare Anchar. *ibidem n. 21.* neque facere processiones solemnes, & generales, quia hoc potius est Officij, quam honoris Episcopalis Vitalinus *ibidem n. 55.*

Ancharan. Cardinalis. Immola. Abbas. Vitalinus.

56. Colliges sextò, resolutionem cujusdam casus, quod annis elapsis contigit in hoc Regno Portugalliæ, D. quidam Episcopus Conimbr. voluit Sacrarium, seu tabernaculum Sanctissimæ Eucharistiæ in Conventu Monial. *de Lorvam* Ord. S. Benedicti visitare, Religiosi, qui aderant, restiterunt. Resolutum fuit à Doctoribus Conimbricensibus, quod si Sacrarium erat separatum, vnum Monasterij, alterum Parochiæ, quod poterat Episcopus visitare illud, quod erat Parochiæ, utpote quia ad ipsum spectabat. Si autem unum, & idem erat sacrarium, seu tabernaculum Sacræ Eucharistiæ, quod tunc non poterat, quia revera erat in Ecclesia, à Capella Monasterij quod principaliter, & ab antiquo ita reputabatur; & postea accessorium fuit, ut fieret Parochiale, & principale semper trahit ad se accessorium.

RESOLUTIO XXXII.

De Ecclesiasticis quoad eleemosynam.

Quæstio Prima.

Quonam jure teneatur Ecclesiasticus eleemosynas facere?

SUMMARIUM.

1 *Prima opinio affirmat teneri Ecclesiasticos ex decentia, secunda vero ex jure Ecclesiastico & n. 2.*
3 *Diana ait hanc obligationem provenire ex ipsa rei constitutione.*
4 *Hæc obligatio immediatè oritur à jure Ecclesiastico, radicaliter à divino.*
5 *Ad illa admonet Apostolus.*

1. Sæpe à magnis Viris, ac Prælatis de materia hujus resolutionis sum interrogatus; ut quæstionem à primis fundamentis explicemus, inquirendum est à quo jure talis obligatio oriatur. Et primo Petrus de Lorca 2. 2. *D. Thomæ, quæst. 38. art. 9. sect.... disp. 40. memb. 2. n. 44.* ubi intendit probare hoc ex quadam convenientia emanasse, non jure positivo

Lorca.

introductum, ut aliqui Doctores dicunt apud Navar. *q 1. n. 22.* E contra Vasq. *Opusculo de eleemosyna, cap. 4. n. 15.* se nullum legisse, qui asserat, jure tantum humano teneri Ecclesiasticos superflua in vsus pios expendere.

Navar. Vasquez.

Secunda tamen sententia affirmat hanc obligationem in Ecclesiasticis provenire ex jure Ecclesiastico, ex Concilio Carthaginensi, & ex Concilio Tridentino *sessione 25. cap. 1. de Reformatione*, ubi juxta Canones Apostolorum, præcipit Sacrum Concilium, quod hujusmodi bona distribuantur in pauperes. Ita Sotus *de justitia, lib 10. quæst. 4. artic. 3.* Lessius *lib. 2. cap. 4. dub. 6. num. 47.* Banius *in Theologia Morali, tom. 3. lib. 2. tractatu 9. quæstione 4.* Escobar *in Theologia Morali, tractatu 5. examen. 5 cap. 4. num 45.* Machado *in summa, tomo 1. lib. 3. part. 3. documento. 9. num. 8.* citant Toletum, Sanchez, Trullench, & alios.

2. Sotus. Lessius. Banius. Escobar. Machado. Toletus. Sanchez. Trullench. Trident.

Tertiò. Diana *coordinatus tom. 4. tract. 9. Resolut. 20. num, 4 alias part. 10. tractatu 11. Resolut. 35.* ait, quod ex communi sententia talis obligatio provenit ex natura rei, ac ex eorum constitutione, quia sunt bona Christo consecrata, & inde convertenda in pium & charitativum obsequium, & non in usus profanos, ac impios, quod erit grande peccatum, & ait ipse Diana esse speciem sacrilegi, ea profane expendere, quia ut Divus Thomas *secunda secundæ, quæst. 99. artic. 3.* Sacra sunt, & ideo quemadmodum fit illis injuria, si furto rapiantur, ita etiam si profanè insumantur, & utrumque est sacrilegium.

3. Diana. D. Thom.

Dicendum existimo quod hæc obligatio, ne consumantur in usus profanos, sed pios, ac eleemosynas pauperum formaliter, ac immediatè provenit à jure Canonico, ut ait secunda sententia radicaliter, ac fundamentaliter ex natura ipsorum bonorum, seu ut clarius dicam à jure divino. Quod hæc obligatio formaliter proveniat à jure Ecclesiastico probat secunda sententia ex Concilio Carthaginensi, Tridentino, ac multis aliis juribus: quod autem hæc obligatio radicaliter ac fundamentaliter proveniat ex jure divino patet ex ipso Concilio Tridentino *sess. 25. cap. 1. de reformatione*, de bonis Ecclesiasticis dicitur, *quæ sunt Dei*; sunt enim res Dei ut probant Tiraquell. *de Constitut. limit. 16. num. 3.* Navar. *Commentat. 2. de Regularibus, num. 3.* & *de reddit. Ecclesiastic. quæst. 1. num. 40. & 4.* Joannes Valer. *de differentia utriusque fori, verb. Munera, diffic. 1. num. 5.* & ratio est manifesta, quia hujusmodi bona sunt comparata ex decimis, quæ ex jure divino debentur. Jus autem divinum ea Ecclesiis applicat ad fabricam, & sustentationem ipsius Ecclesiæ, ac Ministrorum ejus, & etiam ad opera pia, & honesta, & non ad vsus illicitos, & prophanos, sed in pauperes, & egenos.

4. Tiraquell. Navar. Valerius.

Hinc Apostolus Paulus 1. ad Tim. 3. n. 2. ait, *Oportet Episcopum esse ornatum, pudicum hospitalem*, id est, ut pauperes egenos, debiles, ac peregrinos recipiat ad alimoniam, ita ut domus Episcopi sit hospitium egenorum, ita D. Hieron. *in epistola ad Joannem Episcopum*. Et idem S. Doctor. *ad Oceanum*; & idem ipse Apostolus scribens ad Titum c. 1. n. 7. ait: *Oportet Episcopũ esse non turpis lucri cupidum*,

5. 1. Tim. 3. D. Hieron. Ad Tit. 1.

ſed hospitalem, benignum. Id eſt, ne ſit cupidus ad augendos ex multis redditus ad negotiationes faciendas, ad ditandos conſanguineos, & amicos. Ita exponunt *Patres Concilij Antiocheni*, apud Euſeb. *lib.* 8. *Hiſtoriarũ, c.* 23. & 24. Quod graviter eſt damnatum per Sacros Canones 3. *q.* 2. *cap. Si quis*, & 17. *q.* 4. *cap. Alius.*

Conc. Antiochenum. Euſebius.

QUÆSTIO II.

De quibus bonis teneantur Eccleſiaſtici eleemoſynas facere.

SUMMARIUM.

6 *Bona Eccleſiaſtica in triplici differentia.*
7 *De bonis tantum Eccleſiaſticis eſt quæſtio.*
8 *In dubio nullus præſumitur ſe velle privare jure ſuo.*
9 *Si Eccleſiaſticus ſubſtraxit de ſua ſuſtentatione poterit expendere.*
10 *Epiſcopus, & Eccleſiaſticus, quæ ſuperſunt ex ſua congrua, tenentur expendere in eleemoſynas, & pia opera, & n.* 11. 12.
13 *Inde patet quod magis obligantur Eccleſiaſtici ad eleemoſynas, quam laici.*

6. BOna Eccleſiaſticorum poſſunt conſiderari in triplici differentia. Primò, quædam ſunt bona patrimonialia, quæ ſucceſſione ſanguinis à ſuis majoribus accepta, vel ex donatione alicujus benevoli amici obveniunt. Secundò, ſunt quædam quaſi patrimonialia, quæ comparantur tanquam ſtipendia propriæ actionis, ac induſtriæ, ut pro celebratione Miſſarum, vel habenda concione, vel pro funere defunctorum comitando, vel proceſſione peragenda, vel viſitando Epiſcopatu, ferendi ſententias, & cauſis audiendis, pro agendo aliquo negotio Eccleſiæ, vel aliorum, vel pro lectione publica in univerſitate, vel pro canendo in choro, vel pro organis pulſandis, pro tibiis inſufflandis, audiendis confeſſionibus, denique pro quocunque alio titulo diſtincto à titulo beneficii, reputantur bona quaſi patrimonialia. Tertiò, ſunt quædam alia bona merè Eccleſiaſtica ex beneficiis comparata, ut ſunt fructus ex decimis, ex aliis piis legatis Eccleſiæ ac beneficio annexis. Ita Navar. *tr. de Reddit ib. q.* 1. *n.* 4. Leſſ. *lib.* 2. 4. *dub.* 6. *in princ. n.* 35. Corduba *lib.* 1. *q.* 18. *in princ.* Molina *tract.* 2. *diſp.* 142. *in princ.* Vaſq. *Opuſculo de Reddit ib. cap.* 1. §. 2. *dub.* 1. *num.* 16.

Navar. Leſſius. Corduba. Molina. Vaſquez.

7. Secundò, certum quod ex bonis primo. & ſecundo modo acceptis non obligantur Clerici ad eleemoſynas faciendas, ſiquidem illa tenent, ac poſſident, ſicut alij laici, de illiſque habent plenum dominium, illáque poſſunt dare pro ſua libertate, de eiſque conſanguineos ditare, ad majora promovere, ſicut & cæteri ſæculares, ut notant proximé citati Auctores, hoc enim tantum, ut notat Caſtro Palaus *p.* 1. *tract.* 6. *diſp.* 2. *punct.* 5. *n.* 3. eſt illis prohibitum de bonis tantum Eccleſiaſticis, quæ illis veniunt ex redditibus ſui beneficij: hoc enim eſt eis prohibitum ex Conc. Trid. *ſeſſ.* 52. 1 *de reform.* unde magno Conſilio Illuſtr. Dom. D. Veriſſimus ab Alencaſtro aſſumptus ad Archiepiſcopatum Brachatenſem, & Illuſtriſſ. D. Antonius de Saldaña ad Epiſcopatum Vianenſem, & Illuſtr. D. Franciſcus Barretto ad Epiſcopatum Algarbiorum, omnes fecerunt inventaria de bonis, quæ habebant patrimonialia, vel quaſi patrimonialia, antequam ad ſuos Epiſcopatus tranſirent, ut ſcirent quæ bona patrimonialia, vel quaſi patrimoniala habebant, ut de illis diſponerent ſecundum jura.

Caſtr. Pal. Trident.

8. Ex quo maximè notandum ſecundò, quod beneficiato integra ſuſtentatio debetur ex beneficio, unde ſi ipſe ex ſuis bonis patrimonialibus emat unam villam, agrum fertilem tritici, vel vineam, ex quibus bona pars, ſeu aliqua inſervit ad ejus ſuſtentationem, tunc poterit ex fructibus beneficij recompenſationem facere proportione ſervata, & ex eis tantum inſumere in his, quæ voluerit, quantum accepit ex patrimonialibus, niſi ipſe habuiſſet expreſſam voluntatem nullam recompenſationem faciendi; ſi autem dubitet, poterit judicare, quod nullam talem intentionem habuit: nam in caſu dubio nemo præſumendus eſt ſe velle jure ſuo privare. Ita cum Navarro, Molina, Leſſio, Caſtro Palaus *citatus, n.* 4.

Navar. Molina. Leſſius. Caſtr. Pal.

9. Notandum eſt tertiò, contra Panormitanum *in cap. Cum omnes, de reſtibus, num.* 27. & Sarmientum *de Redditibus, part.* 3. *cap.* 5. *n.* 1. & *ſeqq.* ac Granado 1. 2. *D. Thomæ Comment.* 3. *tract.* 11. *diſp.* 3. *num* 221. quod de ſua congrua ſuſtentatione, quam unuſquiſque Clericus poteſt licitè de pingui, ſeu groſſo beneficij accipere, ejúſque redditibus: ſi velit, aliquid ſibi ſubtrahere, valde parcè vivendo poterit quidquid ſubtraxerit expendere pro libito, abſque peccato mortali, non tamen ad uſus profanos. Ita Sanchez *in Opuſculis, tom.* 1. *lib.* 2. *c.* 2. *dub.* 45. Molina *de Primog. Hiſpan. lib.* 2. *cap.* 10. *n.* 50. Avendañus *Reſp.* 19. *n.* 12. Hurtadus §. 113. Diana *coordin. tom.* 4. *tract.* 7. *Reſol.* 24. *n.* 4. *alias part.* 5. *tract.* 8. *Reſol.* 27. cum Navarro, Ledeſma *citatis ab ipſis.*

Panormit. Sarmient. Granado. Sanchez. Molina. Aſcud. Hurtad. Diana. Navar. Ledeſma.

10. Dicendum eſt ergo, certum, & indubitatum eſſe teneri Epiſcopos, vel Beneficiatos, ea omnia, quæ ſuperſunt ſuæ congruæ ſuſtentationi ex fructibus ſuorum beneficiorum, in eleemoſynas, ac pia opera expendere ſub peccato mortali. Hæc eſt omnium ſententia Auctorum tam qui citati ſunt in hac quæſtione, quam ſuperiori, quos etiam in magno numero citat Barboſa *de poteſtate Epiſcopi. p.* 1. *tit.* 2. *Gloſſa* 9. *n.* 30. & ſequentia, & in Collectanea ad Trid. *ſeſſ.* 25. *cap.* 1. *de reform.*

Barboſa.

11. Probatur ex fundamentis datis ſuperiori quæſtione. Deinde quia Concilium Tridentinum *ſeſſ.* 25. *cap.* 1. *de Reformatione*, diſtrictè, ac rigoroſè præcipit Epiſcopis, ut bona Eccleſiaſtica, *quæ Dei ſunt*, in pauperes diſtribuant juxta Canones Apoſtolorum, ne pravo affectu in fratres, ac conſanguineos, & familiares diſtrahant, & conſumant, & hos expreſſit Sancta Synodus apertè, *fratres, nepotes, propinquòſque carnis affectu.* Circa hos enim ſolent Epiſcopi eſſe cæci. Baldus *in Authent. quicunque, C. de Sacroſanct. Eccleſ.* Franciſcus Lucas *in Theſauro fori Eccleſiaſtic. p.* 1. *c.* 3. *n.* 37. & eandem doctrinam, quam Sacrum Concilium dat ad Epiſcopos, extendit ipſe etiam ad omnes beneficiatos, & etiam uſque ad Illuſtriſſimos Dominos Cardinales.

Trident. Baldus. Franc. Luc.

12. Probatur etiam ſecundò. Quia bona beneficij

ficij cum sint ex decimis, ut superiori quæstione dixi, & applicata ab Ecclesia, vel data à fidelibus ad sustentationem tantum ministrorum, vel ad pauperum miseriam sublevandam, vel ad pia opera exhibenda, ergo absque gravi peccato non possunt in alios vsus consumi, ac erogari, cum agatur contra intentionem applicantis, ac dantis talia bona.

13. Ex quo inferes majorem obligationem esse in viro Ecclesiastico ad dandam eleemosynam, quam in laico: nam Ecclesiasticus maximè Episcopus ut Pastor tenetur inquirere necessitate oppressos, ne fortè ratione illius à recta via declinent, quæ obligatio non datur in laicis, ut docent Valentia 2.2. *disp.* 10. *quæst.* 3. *punct.* 7. *vers. Sexto certum est.* Vasquez *de eleemosyna, cap.* 4. *n.* 14. Deinde quia Ecclesiasticus obligatur ad ea, quæ suo præsenti statui supersunt in eleemosynas, aliave pia opera expendere, nisi aliàs prudentialiter occasio occurrens seu necessitas postulet: laicus, quæ sibi supersunt ex suo præsenti statu, potest apud se retinere, vel ad aliorum statum, & pompam dare, quod non potest facere beneficiatus.

Valentia. Vasquez.

Quæstio III.

Præbendatus Ecclesiasticus qualem partem ex beneficio debet sibi assumere ad sui sustentationem, & qualem tenetur in pauperes erogare?

Summarium.

14 *Loquimur in hac quæstione de necessitate communi.*

15 *Vna sententia affirmat, quod tenetur dare quartam partem.*

16 *Altera sententia, quod tenentur ad tertiam partem.*

17 *Probabilior quod prudentialiter res sit judicanda.*

18 *Diversa ratio in beneficio pingui, ac tenui secundum tempus & loca.*

19 *Attendenda qualitas personæ, & ut viri timorati ejusdem qualitatis vivunt, & num.* 20.

21 *Varij casus, si habeant cognatos pauperes, vel filios spurios, & n.* 22. 23.

14. DUrus est hic sermo, sed verus, ait Granado *In exordio istius quæstionis*, statim citandus, & conveniunt omnes Doctores, quos vidi teneri Ecclesiasticos ex redditibus suorum beneficiorum, quæ supersunt ab eorum sustentatione expendere in eleemosynis, & piis operibus in necessitate communi: nam in gravissima, ac vrgentissima tenentur etiam, & maximè Episcopi etiam multa de sua ampla sustentatione subtrahere, imò & vendere vasa argentea, ac suppellectilem ad alendos pauperes. Ita Bañez, Granado, Hurtadus, & statim citandi. In necessitate communi quantum sit dandum, ac largiendum in eleemosynas est tota difficultas.

Bannez. Granado. Hurtadus.

15. Primò, tenet Azor. *tom.* 2. *lib.* 12. *cap.* 11. *quæst.* 1. *in fin.* quod beneficiatus obligatur ut expendat in pauperes quidquid illi supereat ex sua sustentatione. Secunda sententia, & satis communis tenet Episcopum, vel Clericum præbendatum teneri dare quartam partem suorum fructuum in pauperes, & opera pia. Ita ex Navarro, Sotus *lib.* 4. *de justitia, quæst.* 4. *art.* 4. *vers. quamvis documentum.* Toletus *lib.* 8. *cap.* 38. cum Tabiena, Molina *tract.* 2. *disp.* 146. § *contrarium* cum Majori. Lorca 2.2. *disp.* 40. *num.* 43. Granadus 2.2. *controvers.* 3. *tract.* 11. *disp.* 3. *num.* 21. Hurtadus de Mendoça 2.2. *volum.* 2. *disp.* 160. *sect.* 15. §. 105. *vsque ad* §. 110. Trullench. *in Decalog. tom.* 1. *lib.* 1. *cap.* 5. *dub.* 9. *num.* 1. Machadus *de Præfecto, tom.* 2. *lib.* 4. *part.* 1. *tract.* 6. *docum.* 6. Bañez 2. 2. *quæst.* 38. *art.* 6. *dub. vlt.* §. *Ex dictis omnibus*, & subdit, Ego sanè nullum Episcopum Hispaniæ absolverem, nisi saltem quartam partem reddituum in eleemosynas expenderet, & hæc sententia est probabilis.

Azor. Navar. Sotus. Toletus. Tabiena. Molina. Lorca. Granado. Hurtadus. Trullench. Machad. Bannez.

16. Lorca, Hurtado, & etiam Sotus *proximè citati*, docent quod Episcopus & Beneficiati satisfaciant, si ex suis redditibus dent tertiam partem. Et ratio est, quia Ecclesiastici habent verum dominium, in ipsa bona Ecclesiastica, ergo ex justitia bene legi misericordiæ, ac pietati, & præcepto Ecclesiastico planè satisfaciunt, si dent bonam partem, quia Clerici in Choro, in residentia, in cœlibatu, & aliis, habent suos labores: unde abundanter satisfaciunt, si dant tertiam partem, v. g. Episcopus habens triginta mille aureos in suis redditibus, satisfacit, si det decem millia pauperibus, ac piis locis; ex viginti verò quæ potest habere pro sua sustentatione, potest etiam ex illis adjuvare consanguineos, & familiares; & hæc sententia etiam est probabilis.

Lorca. Hurtado Sotus.

Tamen probabilior, ac verior mihi videtur 17.
sententia, quod hæc res determinanda est judicio viri prudentis, ac timorati, ut docent Cardinalis Lugo *tom.* 1. *de justitia, disput.* 4. *sect.* 3. *n.* 40. 41. Castro Palaus *tom.* 1. *tract.* 4. *disp.* 2. *punct.* 5. *num.* 8. pro quo meo videri multa consideranda sunt, qualitas locorum, ac temporum, nam pro ratione locorum, ac temporis res habet majus vel minus pretium, & plura requiruntur in uno loco, ac tempore, quam in alio. Deinde maximè considerandæ qualitas beneficij ac personarum.

Vel beneficium tam mediocres habet pro- 18.
ventus, quod tantum sufficiunt ad mediocrem sustentationem beneficiati, vel ad etiam Episcopatus, vel beneficium adeo tenue, ut non sufficiat per se solum ad sustentationem. Si habet Ecclesiasticus redditus valdè pingues, tenetur dare in eleemosynas tertiam, vel quartam partem, ut inquiunt Auctores secundæ, & tertiæ sententiæ, & ex superfluis tenetur dare medietatem, ut exprimunt Hurtado, Lorca, Machadus *citatus*; quia talia bona sunt dona Dei, & patrimonium pauperum, ut inquiunt Concilia, & Patres. Si verò Ecclesiasticus habet mediocres proventus ad suam mediocrem sustentationem, vel valdè exiguos, qui non sufficiunt ad sui sustentationem, parum, aut nihil, tenetur dare. Huc venit, quod Sanctus Senior Tobias dicebat filio suo cap. 4. num. 4. *Quomodo poterit sita esto misericors: si multum tibi fuerit, abundanter tribue: si exiguum tibi fuerit, etiam exiguum libenter impartire.* Dixi per se solum ad sui sustentationem, quia si bona habet

Hurtado. Lorca. Machado. Tobiæ 4.

patrimònialia,vel quaſi patrimonialia , quæ de illis aſſumit ad ſui ſuſtentationem poteſt illa recompenſare ex fructibus beneficij, ut jam dixi *ſuperiori quæſtione.*

19. Etiam de qualitate beneficii , ac perſonæ, maximè conſideranda res, quod ille, qui habet magnam dignitatem , v. g. Archiepiſcopatum, vel Epiſcopatum valdè pinguem , majorem menſam , familiam , ac ſupellectilem debet habere quam Decanus, vel alius Clericus, & ſub his veniunt etiam moderata convivia , liberales , & remuneratoriæ donationes ; hæc enim expediunt, & conveniunt tali ſtatui, ob ſui amplitudinem ad animos reconciliandos , ut notant Molina *citat. diſp.* 145. §. *Tertium eſt*, & Valentia 2. 2. *diſp* 10. *quæſt.* 3. *punct.* 4. §. *Itaque*. Nec enim Eccleſia vult ſuos miniſtros auſteros , & inurbanos , ſed ut honeſto , ac urbano modo vivant.

Molina. Valentia.

20. Unde regula generalis in hac re eſſe poteſt, ut taliter vivat Eccleſiaſticus , qualiter alii viri timorati habuerùt vivendi modum: nam Eminentiſſ. D. Cardinales , qui ſunt primi Principes totius Eccleſiæ modo decenti, urbano , ac convenienti tantæ dignitati vivunt , ad majorem auctoritatem , & venerationem recõciliandam ; ſic & Eccleſiaſtici debent decentem , & convenientem vivendi modum habere , ut alii viri in eadem dignitate , & ſicut illis expedit ſuos cõſanguineos,ac propinquos in neceſſitatibus ſublevare,ita & illi facere poſſunt,ne dedecus ſit beneficiatos in multa egeſtate ſuos cõſanguineos habere. Ita Navar. *q.* 1. *de Redditib. Monaſt.* 77. *n.* 5. Molina *diſp.* 146. §. *Dubium eſt.* Sotus *lib.* 10. *q.* 4. *art.* 4. §. *Quamvis documentum.* Toletan. *lib.* 8. *n.* 38. cum Tabiena , Coninch *de charitate, diſp.* 27. *dub.* 11. *num.* 185. & alios citat Diana *coordin. tom.* 4. *tract.* 7. *Reſolut.* 23. *alias p.* 5. *tract.* 8. *Reſol.* 27.

Navarr. Molina. Sotus. Toletus. Tabiena. Coninch. Diana.

21. Ex quibus inferunt Caſtro Palaus *citat. n.* 9. *circa finem*, & Diana *coordinatus citato tract.* 7. *Reſol.* 21. *alias p.* 10. *tract.* 11. *Reſol.* 36. *n.* 3. poſſe Eccleſiaſticos ex fructibus beneficii alere filios ſpurios,ſi dentur , quod abſit , quia poſito dicto jure naturæ debetur illis ſuſtentatio , & ſuſtentatio illis debetur juxta qualitatem beneficiati,unde major dos debetur filiæ ſpuriæ Sacerdotis nobilis,quam filiæ alterius Sacerdotis pauperis,& inferioris conditionis intra limites tamen filiæ ſpuriæ , quæ eſt multo inferioris conditionis , ac ſi eſſet legitima , ita Molina *diſp.* 246. *in fine* , qui verſiculo antecedenti addit,doctrinam eſſe limitandã , ut intelligatur in eo caſu , quo beneficiatus non habeat alia bona , quibus valeat dare filio ſpurio alimenta, quia ſi habet ad illa filius habet jus,ac proinde videtur quod Sacerdos ex illis tenetur filium alimentare , & quamvis hoc revera ita ſit conſulendum , tamen inquiunt Palaus , & Diana *citati*, cum valentia 2. 2. *diſp.* 10. *q.* 3. *punct.* 7. §. *Neque ſolum.* Quod quamvis ita ſit conſulendum,tamen videtur durum,ita affirmare, ut ex obligatione ſic faciendum eſſet , quia filius etiam ſpurius habet jus non ſolùm in perſonam patris , ſed etiam ad omnia illius bona , ut ex eis ſuſtentetur ; & pater habet obligationem ad ſuſtentandos filios , ergo etiam ex fructibus beneficii , quia illorum pater eſt Dominus , & ſicut ex eiſdem fructibus poteſt donationes gratuitas facere , ſic & jus naturæ , ac obligationes naturales adimplere.

Palaus. Diana.

Molina.

Palaus. Diana. Valentia.

Ex his infert etiam ipſe Diana *citata Reſolutione, num.* 2. *ad finem*, poſſe Epiſcopos abſque præjudicio pauperum Diœceſis præbere Regi , ac Principi extremis neceſſitatibus, oppreſſo in adjutorium bellorum contra Hæreticos aliquam ſummam denariorum ex fructibus bonorum Epiſcopalium, quod bis cum Viris Doctiſſimis de hac quæſtione vidi conſuli,quod nempe in magna Regni neceſſitate, ac pro illius defenſione poterant Eccleſiaſtici dare de fructibus beneficiorum Regi ad juvamen juxta *cap. Sancta Maria, cap. Adverſus, de immunitate Eccleſiæ.* 22. Diana. Cap. Sancta Maria. C. Adverſus.

Circa qualitatem perſonæ etiam maximè conſiderandum , an Eccleſiaſticus ſit perſona valdè illuſtris , ac nobilis , & Vir maximè doctus,ac literatus: ut inde plus illi pro ſua ſuſtentatione aſſignandum ſit , negat Lorca 2. 2. *diſp.* 40 *ſect.* 39. quia beneficiarii fructus dantur pro congrua beneficiali ſuſtentatione, ergo parum prodeſt , quod ſit Vir apprimè nobilis, vel doctus. 23. Lorca.

Contraria tamen ſententia tenet , communis,& deſumitur ex *cap. De multa, de præbendis*, ubi in Concilio Lateranenſi Innocentius III. ſtatuit,quod in pluralitate beneficiorum poſſit cum valdè nobilibus,ac notabiliter doctis diſpenſari ; valdè infructifera eſſet diſpenſatio , ſi non poſſent pluſquam alii in ſua ſuſtentatione inſumere. Confirmatur, quia ſatis communis eſt ſententia , quod Vir magnus nobilitate , ac literis, quando non poteſt reſtituere , niſi cum magna jactura honoris,ac auctoritatis, & cum indecentia ſuæ perſonæ , non tenetur reſtituere, ut docent uterque Navarrus, Leſſius, Azorius, Sayrus, Molina, Valentia , quos citat,ac ſequitur Bonacina *diſp.* 1. *de reſtit. quæſt. ultima, punct.* 1. *n.* 13. ergo ſi tales perſonæ pro ſua congrua ſuſtentatione ratione ſui ſtatus liberantur à reſtitutione in præſenti, etiam liberantur ab ordinaria ſuſtentatione communi cum aliis. Deinde quia maximè decet ad honorem , ac auctoritatem Eccleſiæ habere miniſtros valde nobiles, & maximè doctos. 24. Navarr. Sayrus. Molina. Valentia. Bonacina.

Confirmatur ex Apoſtolo Paulo 1. *ad Tim. c.* 5. *n.* 17 dicente: *Qui bene præſunt Presbyteri, duplici honore digni habentur.* uxta D. Chryſ. D. Ambroſ. Theoph. Theodoret. Haymon , explicant duplici honore , non ſolùm reverentia, ſed, etiam ſubſidio , ac alimonia ad vitam ſuſtentandam. Inde Apoſtolus,verſu ſequenti,immediatè ſubdit: *Scriptum eſt non alligabis os bovis triturantis , dignus eſt mercenarius mercede ſua.* Sic & explicatur illud Proverb. 31. num. 5. *Omnes domeſtici ejus veſtiti ſunt duplicibus.* Id eſt,veſtibus pretioſis,ac magnificis , pro eorum dignitate , cum eſſent domeſtici tantæ Reginæ, ac Dominæ. 25. 1. Tim. 5. D. Chryſ. D. Ambr. Theophy. Theodor. Haymon. Prov. 31.

Cum his omnibus,quæ diximus,quod magna pars ex fructibus beneficii expendenda ſit in pauperes ,& etiam ex his , quæ ſuperflua ſunt ; cum hoc tamen maximè ſtat , quod multum incumbit Epiſcopis , & Prælatis , ſuarum Eccleſiarum fabrica , bona ſtructura , decentia , ac convenientia in apparatu , veſtibus, ac ornamentis , cum omni affectu ad illa habent intendere , ac hæc procurare. In quo conveniunt omnes Doctores.

Quæstio IV.

An Pensionarii sicut & cæteri beneficiarii teneantur ad eleemosynas?

SUMMARIUM.

27 *Prima sententia affirmat absolutè eos teneri.*
28 *Secunda absolutè negat.*
29 *Tertia & vera distinguit inter pensiones datas titulo sæculari, vel clericali seu. In primo negat, in secundo vero concedit, & num. 30.*

27. In hac re est triplex sententia. Prima absolutè affirmat eos teneri. Ita Navar. *opusculo de spoliis Clericorum, §. 1. num. 6. & §. 7. num. 7.* Sarmientus *de redditibus, part. 3. cap. 5. num. 7.* Quia cum talia dona sint Ecclesiastica tale onus affixum secum asportant.

28. Secunda sententia absolutè negat hanc obligationem in pensionariis; illam tenet Gigans *tract. de Pensionibus, quæst. 52.* Covar. *cap. Cum in officiis de testamentis, num. 6.* Azor. *2. tom. lib. 7. quæst. 12.* Et dicit hanc sententiam esse communem, & multi alij Doctores, quos citat, ac sequitur Cardinalis Lugo *tom. 1. de justitia, disp. 4. sect. 3. num. 3.* & Vasquez ita ei adhæret *tract. de elemosyna, cap. 4. dub. vltimo in fine.* Ut dicat se neminem vidisse, qui contrarium sentiat. In hoc tamen excessit, ut notat Lugo *citatus*, cum sint multi, & gravissimi Auctores pro contraria sententia. Probatur; Primò, quia Concilium Tridentinum *sess. 25. cap. 1. de reformat.* Agens de obligationibus ad eleemosynas solùm loquitur de Episcopis, ac Beneficiatis; ergo non est extendendum ad plura. Et ratio est, quia ex eo quod Pontifex imponit pensionem alicui beneficio, jam extrahit partem illam ab eo beneficio; & hæc sententia est probabilis.

29. Tertia sententia, quæ mihi simpliciter est vera, distinguit in pensiones, quæ dantur titulo sæculari ac quæ dantur titulo Clericali, ac spirituali, illas immunes se dicit ab hoc onere, non verò istas. Ita Sotus, Corduba, quos citat, ac sequitur Sanch. *lib. 2. consil. c. 2. dub. 47.* Molina *tom. 1. tr. 2. disp. 145. n. 5.* Hurtad. de Mẽdoça *in 2. 2. disp. 160. sect. 7. §. 117.* Castro Palaus *tom. 1. tract. 6. disp. 2. punct. 7. num. 5. & 6.* Diana *tom. 4. tract. 7. Resolut. 29.* Coordinatus aliàs *part. 5. tract. 8. Resolut. 29.* Unde inquiunt Auctores citati, quod pensio, quæ datur Clerico ad sui sustentationem, affert secum illud onus; quæ verò conferuntur Principibus sæcularibus, dantur propter multa merita, obsequia, vel labores perpessos ob bonum, vel defensionem fidei, ac Ecclesiæ, vel ob bonum commune, ac Reipublicæ, quod maximè spectat ad conservationem ipsorum fructuum.

30. At verò valde diversimodè se habet pensio, quæ datur Clerico, ut multis probat Navar. *varijs in locis, & præcipuè de redditibus, quæst. 1. num. 32.* Primò, quia talis obligatio est annexa redditibus beneficiorum; ergo ad quoscumque transit cum suo onere, Argum. *cap. Litteris de pignoribus, & cap. Pastoralis de decimis.* C. Pastoral

Secundò, non potest pensionarius in pensione aliter disponere, quàm vult Papa, qui concedit solùm pro alimonia; ergo implicitè insinuat, nolle eos prodigere, *cap. 1. 42. dist. & §. 1. 44 dist.* ergo ex superfluis tenetur dare mediam partem in eleemosynam. Tertiò, ei qui minus præmii meretur non debet plus præmii dari, Argumento §. 1. *Instituta de justitia, & jure, & l. Justitia, ff. eodem titulo;* L. Iustitia, Minus autem meretur pensionarius, qui non tenetur dicere officium divinum, neque servire, ad utrumque autem Beneficiatus cum onere simul dandi eleemosinam, ergo ad hanc etiam tenetur pensionarius: ex his manent soluta argumenta secundæ sententiæ. & Tridentinum ponit id, quòd magis est in usu, ac frequentia, ut sunt Beneficiati, ac Episcopi. Trident.

Quæstio V.

An Beneficiati ex distributionibus teneantur ad eleemosinas.

SUMMARIUM.

31 *Prima sententia affirmat eos teneri.*
32 *Secunda vera, ac communis negat.*
33 *Multiplici ratione probatur secunda sententia, & num. 34.*

31. Quæstio præsens est, quid judicandum sit de distributionibus, quæ dantur Canonicis, vel Beneficiariis, ob assistentiam in choro, an teneantur scilicet dare ex superfluis eleemosinas, sicut ex fructibus beneficii. Prima sententia, quam tenent Navarrus, ac multi alii, quos citant, ac sequuntur Sanchez, *tom. 1. Concil. lib. 2. cap. 2. dub. 46.* & Molina *tract. 2. disp. 143. §. secundo probat*, affirmat eos teneri. Navar. Sanch. Molina.

32. Secunda sententia, & satis communis, quam tenent Sylvester, Covar. Decius, Palatius, Iulius Clarus, & alii multi, quos citant, ac sequuntur Bonacina, *tom. 1. tract. 4. de obligation. insumendi fructus beneficij in pios usus. punct. 2. num. 18.* & multis relatis Azor. *tom. 2. lib. 7. cap. 9. quæst. 1.* Filliucius etiam *in Appendice, tract. 43. cap. 3. quæst. 11.* Cardinalis Lugo *tom. 1. de justit. disp. 4. sect. 3. num. 23.* affirmat eos non teneri. Sylvest. Covar. Decius. Palatius. Clarus. Bonac. Azor. Filliuc. Lugo.

33. Ratio est, quia licèt illæ distributiones ex ipsius beneficij fructibus proveniant, jam tamen ab Ecclesia non consignantur tanquam in sustentatione Canonici, sed ad alium finem, ut studium, ac assistentia frequentandi chorum foveatur, & tanquam stipendium, ac merces illius laboris, quare sicut portio, quæ extrahitur ex aliqua præbenda, ut merces cantoris, ac Magistri Grammaticæ transit sub ejus libero dominio, ac dispositione, quia datur ut merces talis laboris, quamvis ex fructibus Canonicatus desumatur, sic & de distributionibus videtur dicendum, quia dantur in stipendium, ac præmium illius laboris, & assistentiæ, & ut etiam alii stimulentur ad chori frequentationem.

34. Et confirmatur, qui habet dignitatem, & Canonicatum, vel duos Canonicatus in eadem

Eccleſia, licèt percipiat duplices fructus, tamen non recipit duplices diſtributiones, quia hæ dantur propter aſſiſtentiam, quia hæc eſt vna, & non duplex, & ideò portio diſtributionis non debet multiplicari, niſi alicubi legitima conſuetudine contrarium habeatur, ut docent Francus, Ludovicus Gomez, Rochus de Curte, quos refert Covar. *lib. 3. variar. quæſt.* 13. & alij, quos refert, & ſequitur Bonac. *diſputatione 2. de horis Canonic. quæſt. 4. punct. 3.* quia diſtributiones ſunt ſtipendia perſonalia, pro opere, præſentia, quæ eſt una, & non duplex.

Francus. Gomez. Rochus. Covar. Bonacina.

QUÆSTIO VI.

An Eccleſiaſticus ex ſuperfluis ſui beneficij poſſit theſaurizare ad faciendum unum hoſpitale, vel collegium?

SUMMARIUM.

35 *Prima ſententia arguit thezaurizantes.*
36 *Alij dicunt, quod quando, non eſt neceſſitas præſens, ex his quæ ſuperſunt, poſſunt emi poſſeſſiones, vel poni in theſauro.*
37 *Ponuntur varij caſus, qui ſi non dentur, benè poſſunt Eccleſiaſtici congregare pecunias ad opus pium faciendum.*

35. VAldè ſeverè multi Doctores agunt contra theſaurizantes de bonis Eccleſiaſticis, quæ ſuperſunt, & ſuperflua ſunt, dicuntque ſubveniendum neceſſitatibus præſentibus, vel etiam his, quæ de proximo imminent, Ita. Gerſon, Dionyſius Carthuſianus. Abulenſis, Navarrus, Soto, quos refert Sanch. *tom. 1. conſil. lib. 2. cap. 2. dub. 28. num. 12.*

Gerſon. Carthuſian. Abulenſis. Navarr. Soto. Sanchez.

36. Alij verò duce D. Thoma. 2. 2. *quæſt.* 185. *art. 7. ad 4. ibi*, Caietan. & etiam D. Anton. Navar. Abulenſ. Onchagavia, Petrus Soto apud eundem Sanchez dicunt, quòd quando non eſt neceſſitas præſens, licèt ex redditibus emere poſſeſſiones, vel exponere in theſauro pro futuris neceſſitatibus, & ita ait Vaſquez *tract. de eleemoſyna, cap. 4. dub. vltimò, num. 16. §. Ad hunc finem*, ſcilicet: *Monaſterium conſtruendum, quando neceſſitas in præſenti non vrget ſervare aliqua in futurum bona laudabile eſt.*

D. Thom. Caietan. D. Anton. Navarr. Abulenſ. Onchag. Soto. Sanchez. Vaſquez.

37. Juxta mentem Doctorum D. Thomas, Soti, Cajetani, Sanchez, Vaſquez, quos proximè citavi, & etiam Molinæ *diſput. 145. §. Dubium etiam*, Cardinalis Lugo *tom. 1. de juſtitia, diſp. 4. ſect. 3. num. 41.* Eccleſiaſticus ſe debet habere in hoc negotio tanquam bonus œconomicus, ac Paterfamilias. Primò ſi graves neceſſitates in præſenti urgent, non poteſt pecunias recondere, nec theſaurizare, cum alij pereant. Secundò, ſi timetur neceſſitas, ſeu paupertas imminens, & non eſt facilè, vnde illi valeat ſubveniri, vel timetur rerum defectus benè poteſt aliquid recondere pro futuro caſu, ut ſibi provideat. Tertiò, ſi animo fixo intendit facere aliquod opus bonum, & pium, verbi gratiâ Collegium Religioſorum, etiam poteſt recondere, quia ad tale opus incipiendum requiritur bona pecuniarum copia, hoc tamen debet fieri multa cautione, inquiunt Molina, & Lugo citati, vel donatione facta, vel teſtamento condito, vel emptis poſſeſſionibus ad tale, vel tale opus, vel facta firma declaratione talis pecuniæ ac ſi jam eſſet applicata ad tale opus; nam quæ jam in pium finem congregantur, ſi in eorum poteſtatem deveniunt, qui profanè, ac perdite illa inſumant, peccant; vnde ſanè & prudentiſſimè ait Eccleſiaſt. 9. *Quodcumque facere poteſt manus tua inſtanter operare: quia nec opus, nec ratio, nec ſapientia, nec ſcientia erunt apud inferos, quo tu properas.* Eccleſiaſt. 9.

QUÆSTIO VII.

An fructus Eccleſiæ expendendi ſint in pauperes illius loci, an etiam poſſint extra illum?

SUMMARIUM.

38 *Prima ſententia negat teneri in eodem loco.*
39 *In eadem ſententia Molina, Navarrus, niſi aliud poſtulet bonum commune.*
40 *Quinam veniant ſub nomine pauperum, & quibus prius ſubveniendum.*
41 *Quotuplex ſit neceſſitas.*
42 *Si pauperes tuæ Diœceſis, vel alterius ſunt in communi tuis pauperibus ſubveniendum.*
43 *Si pauperes hujus Diœceſis ſunt in communi neceſſitate, alterius in extrema iſtis ſubveniendum.*
44 *An verò prius Eccleſiæ, deinde pauperibus ſit ſubveniendum.*

QVæſtio præſens, an Epiſcopus teneatur expendere fructus in pauperes ſuæ Diœceſis, an etiam in alios extra illam. Primam ſententiam tenet Azor. *lib. 7. cap. 11. quæſito ſecundo*, cum Navarro, cui etiam adhæret Bonacina *tract. 4. de obligatione inſumendi fructus, punct. 2. num. 3.* Dicunt enim jure communi non eſſe obligationem diſtribuendi, vel expendendi in eo loco, cum ſacri Canones ſanxerint, decimas eſſe ſolùm ad vſus Clericorum, Eccleſiarum pauperum, & peregrinorum, atque advenarum. 38. Azor. Bonacina. Navar.

A qua non diſtat multum Molina *tom. 1. de juſtitia. diſp. 145. §. Illud verò.* Vbi etiam cum Navarro ait, non eſſe neceſſarium, ut ea pia opera fiant in loco beneficij, quando illud non poſtulat bonum commune Diœceſis, regni, aut totius Eccleſiæ, v. g. quod Collegium in tali vniverſitate ad alendos miniſtros Eccleſiæ, quia ſi non occurrat peculiaris ratio, talia opera pia debent fieri in utilitatem loci, vel Diœceſis, ex qua percipiuntur redditus. 39. Molina. Navarr.

Lorca 2. 2. *diſp. 40. membr. 2. num. 40.* & Garcia *in ſumma Theologiæ Moralis, tract. 1. diſſic. 4. dub. 2. num. 10.* inquiunt quod in fructibus Eccleſiaſticis diſpenſandis, ſervandus eſt ordo, ut primo occurratur pauperibus loci, aut Provinciæ ex quibus deſumuntur fructus beneficij, & hoc opus reliquis præferendum: ſub nomine pauperum veniunt Conventus Monialium, ac Religioſorum, & deinde viri nobiles, Comi- 40. Lorca. Garcia.

tes,

tes, Duces, ac etiam conſanguinei. Deinde alijs, & exteris ſubveniendum; vnde ait Diana. Diana. *Coordinatus, tom. 4. tract. 7. Reſolut. 21.* aliàs *p. 10. tract. 11. Reſol. 36.* Ex his ergo olim reſpondi non poſſe Cardinalem ex fructibus ſui Epiſcopatus fabricare Eccleſiam Romæ ſi pauperes ſuæ Diœceſis graviter egebant.

41 Pro reſolutione quæſtionis notandum eſt, quòd triplex eſt neceſſitas, communis, extrema, & gravis. Communis eſt illa, quam patiuntur communiter pauperes, qui oſtiatim petunt: nomine autem neceſſitatis extremæ intelligimus illam, quando aliquis indiget neceſſarijs naturæ ad vitam conſervandam; nomine verò gravis dicitur illa, ut explicat Coninch. Coninch. *diſput. 27. de charitate, dub. 8. num. 114. & 115.* Cardinalis Lugo *tom. 1. de juſtitia, diſput. 4. ſect. 3. num. 38. §. Hæc doctrina*, qualis ex defectu rerum neceſſariarum, & in periculo certo incidendi in gravem miſeriam, verbi gratiâ, morbum gravem, longam incarcerationem, & in periculo probabili incidendi in extremam neceſſitatem, & ex his reſolvenda eſt quæſtio. Lugo.

42. Quando ergo pauperes tuæ Diœceſis, & alterius proximæ ſunt in eadem communi neceſſitate, ſubveniendum eſt pauperibus tuæ Diœceſis, quia tales pauperes ſunt tanquam membra illius Eccleſiæ, tanquam ſub ſuo capite. Eccleſia illa habet jus ad illos redditus, cum ſint illi applicati ex decimis; ergo eleemoſynæ ex illis fructibus primò, & maximè ſunt faciendæ pauperibus illius loci, cum pertineant ad illam Eccleſiam, & illis pauperibus indigentibus potiùs ſubveniendum eſt quam ædificare unam Eccleſiam Romæ.

43. Si verò pauperes hujus Epiſcopatus, cui præeſt, ſunt in neceſſitate communi, alterius verò in extrema, his qui in extrema ſubveniendum, hoc poſtulat rectus charitatis ordo, cum etiam laici teneantur ſubvenire proximo in extremo laboranti, ait Sapiens Proverb. 25. Proverb. 25. num. 21. *Si eſurierit inimicus tuus, ciba illum, ſi ſitierit, da ei aquam bibere;* quòd non ſolùm de extrema neceſſitate, ſed etiam de gravi, communiter interpretantur Expoſitores; nam in gravi neceſſitate conſtituitur homo in magna miſeria, & oppreſſione, ex quo paratur oſtium ad multa mala. Inde inſita eſt nobis obligatio ex charitate ſubveniendi homini conſtituto in gravi neceſſitate, ut docet Divus Thomas 2. 2. *quæſt 66. art. 1.* & alij multi, quos citat, ac ſequitur Caſtro Palaus *tom. 1. tract. 6. de Charit. diſp. 2. punct. 9. num. 5.* Nam licèt pauper hujus Diœceſis habeat veluti quoddam jus, ut ex redditibus illius Eccleſiæ, ſeu ex dicimis, illi ſubveniatur; At ille, qui eſt in extrema, au gravi neceſſitate, habet ſuperius jus ex naturali lege inſitum. D Thom. Palaus.

44. Divallius. Divallius 2. 2. *tract. de Charitate, quæſt. 3. de de eleemoſyna, fol...* ait quòd Eccleſiaſticus præbendatus debet expendere non ſolùm unam partem, ſed etiam ſuperflua in pauperes; Deinde in Eccleſiam, quem ordinem non approbo, ſed prudentialiter pro majori, expendenda ſunt illa in Eccleſiam, vel in pauperes pro ut gravior, ac vehementior exigentiæ occaſio poſtulaverit; eo maximè, quia ſecundum juris diſpoſitionem neceſſitas Eccleſiarum præfertur exigentiæ pauperum, nam cum olim Clerici in communi viverent, & nullarum rerum haberent dominium, ſed tantùm Epiſcopus omnia diſtribuebat *cauſa 12. quæſt. 1.* tamen cùm ex tali rerum partitione multæ querimoniæ eſſent exortæ, Summus Pontifex Simplicius anno 471. in quatuor partes fructus diviſit. Primam aſſignavit Pontifici, ſecundam Clericis pro meritorum qualitate diſtribuendam: Tertiam Eccleſiæ fabricæ, quartam pauperibus, *cap. de redditibus 12. quæſt. 2.* Idemque confirmavit Gelaſius I. *in cap. vobis enim, & 4. quæſt 12. qua. 2.* & Gregorius Magnus *cap. cognovimus eadem cauſa, & quæſtione*, tamen communiter portio Eccleſiæ prælata eſt pauperibus. Pontifex. Gelaſius. Gregor.

Quæstio VIII.

An Eccleſiaſtici, ſi eleemoſynas debitas non præbeant, non ſolum mortaliter peccent, ſed etiam ad reſtitutionem teneantur?

SUMMARIUM.

45 *Quod Eccleſiaſtici non ſunt domini ſuorum reddituum eſt prima ſententia.*
46. *Secunda & communis affirmat, eos acquirere dominium.*
47 *Probatur ex Concilio Trid. & ratione.*
48 *Vnde ſi bona beneficiorum non expendant in pauperes, peccant, ſed non tenentur ad reſtitutionem.*
49 *Quod rationibus probatur.*
50 *Et nullum fundamentum efficax aſſignatur in contrarium.*

Reſolutio quæſtionis dependet ex alia gravi quæſtione; an nempe Eccleſiaſtici ſint domini, ac retineant dominum Eccleſiaſticorum reddituum. Negativam ſententiam tenent multi graves Auctores Antiqui, Alenſis Richardus, Paludanus, D. Antonin. Major, Petrus Sotus. quos citant, ac ſequuntur Michaël Medina *de recta fide, lib. 7. c. 21.* & fortiter Navar. *tr. de redditibus quæſt. 1. n. 21.* & ut probabiliorem Tannerus *tom. 3. diſput. 4. quæſt. 6. dub. 8. n. 215.* 45. Alenſis. Richard. Paludan. D. Anton. Major. Sotus. Medina. Navart. Tannet.

Secunda ſententia, & valdè communis tenet Clericos acquirere verum dominium fructuum ſuorum beneficiorum, Sotus, Bordonus, Reginaldus, Sanchez, Hurtado de Mendoça, Molina, Valentia, Azorius, Turrianus, Vaſquez, Coninch, Sarmiento, quos citant, ac ſequuntur Leſſius *lib. 2. cap. 4. dub. 6. num. 43.* Caſtro Palaus *tom. 1. tract. 6. diſp. 2. punct. 6. n. 5.* Diana *Coordinatus, tom. 4. tract. 7. Reſol. 26. n. 2.* aliàs *part. 5. tract. 8. Reſol. 31.* qui conſtanter docent Clericos habere dominium ſuorum fructuum. 46. Sotus. Bordon. Reginald. Sanchez. Molina. Valentia. Leſſius. Palaus. Diana.

Probatur: Primò ex Concilio Trid. *ſeſſ. 22. c. 3. de reformat.* ubi expreſsè dicitur *Abſentes fructus ſuos non facere, nec de eis acquirere dominium.* Ergo reſidentes fructus ſuos faciunt, & de eis acquirunt dominium. Secundò ut patet ex calce ſuperioris quæſtionis *num. 44.* ſacrâ Canones dividunt ipſos fructus inter Clericum, Eccleſiam, ac pauperes, fruſtra autem 49. Trident.

talis diviſio fieret, niſi Clerici dominium compararent, quia divitio rerum communium, & illarum aſſignatio cuilibet facta dominium confert juxta *l. 1. C. communia utriuſque judicij*, ait ibi lex: *Diviſionem prædiorum vicem exemptionis obtinere placuit.* Tertiò, quia illa pars fructuum aſſignata eſt Clericis in præmium ſui laboris reſidentiæ; nam *dignus eſt mercenarius mercede ſua.*

L. 1. C. Communia.

48. Unde docent Auctores noſtræ ſecundæ ſententiæ, Clericos acquirere dominium fructuum beneficiorum ſuorum; vnde ſi ea, quæ eis ſuperſunt pro ſua ſuſtentatione, in alios vſus etiam profanos expendunt, & non in eleemoſynas, & in alia opera pia, ad quæ tenentur, peccant quidem mortaliter, ſed minimè ad reſtitutionem tenentur.

49. Quòd citatis multis Auctoribus probat Caſtro Palaus *citato, num* 5. quia rigida juſtitiæ obligatio non eſt imponenda ſine manifeſto Textu, ac aperta ratione; atqui nullus eſt Textus, nec aperta ratio ad talem obligationem perſuadendam; ergo non eſt imponenda, imprimis nec eſt Textus apertus, quia ſi in aliquibus decretis vocantur Clerici, qui non ſunt eleemoſynarij, raptores pauperum, homicidæ, hoc dictum eſt per exaggerationem, vel ad excitandum ad eleemoſynas faciendas, vel ſermo eſt de illis Clericis, qui non contenti ſua tertia parte, ſed etiam de illa, quæ eſt pauperum defraudant, vel eſt ſermo de ſæcularibus avaris, de quibus Patres frequenter loquuntur, vt dicit D. Thomas 2. 2. *quæſt.* 18. *art.* 7. *ad primum.*

Palaus.

D. Thom.

50. Quòd autem nulla ſit efficax ratio contrarium perſuadens; inde probatur: Quia fructus beneficij præcipuè conſiſtunt in decimis, primitiis, & oblationibus, quæ non liberaliter, ſed titulo juſtitiæ dantur à populo Dei miniſtris, ut inſerviant, nempe Eccleſiæ, & populo; ergo in his non poteſt populus aliquam juſtitiæ obligationem imponere, ab Eccleſia autem non conſtat ſub tali onere datos fuiſſe fructus, imò potius bono fundamento oppoſitum colligitur, ex eo quòd Eccleſia non reſcindat, nec annullet donationes profanas, & exceſſivas factas à Clericis in detrimentum pauperum; & ſi pauperes haberent juſtitiæ jus ad ſuſtentationem miniſtrorum ſuperfluam, Eccleſia non permitteret eos ita defraudari.

Quæstio IX.

An Religioſus factus Epiſcopus abſolvatur à voto paupertatis, ut prodigè largiens non teneatur ad reſtitutionem?

SUMMARIUM.

51 *Prima ſententia concedit in beneficio perpetuo, non verò amovibili.*

52 *Prima ſententia affirmat, quod ex eo quod Religioſus aſſumptus ſit ad Epiſcopatum, quòd ſit abſolutus à voto paupertatis.*

53 *Contraria ſententia eſt vera, & communis.*

54 *Probatur efficaci ratione.*

55 *Ponitur argumentum ex cap. ſtatutum.*

56 *Reſpondetur ad argumentum, & explicatur prædictum cap.*

51. Extra controverſiam eſt, quòd ſi Religioſus habet aliquod beneficium ſive regulare, ſive ſæculare, quòd nullum habet dominium, ſed totum eſt penes ſuum monaſterium, ſolumque illi datur adminiſtratio in pios uſus; & tunc non peccabit mortaliter contra votum paupertatis. Vaſq. *de redditibus, cap.* 3. *dub.* 8. diſtinguit de Religioſis aſſumptis ad beneficium regulare, vel ſæculare; nam ſi beneficium eſt amovibile non facit fructus; at verò ſi eſt perpetuum beneficium, & extra obedientiam Prælati, eodem modo de fructibus beneficij poteſt diſponere, ac alij clerici, ſed contraria ſententia eſt omnino communis, ſiquidem adhuc tenetur aſtrictus voto paupertatis, nec alius eſt Doctor, qui contrarium dicat. Ita Sanch. *lib* 6. *in Decalog. cap.* 6. *num.* 36. Caſtro Palaus ſtatim citandus.

Vaſquez. Sanchez. Palaus.

52. Tota difficultas eſt de Religioſo aſſumpto ad Epiſcopatum, an ipſo facto ſit liber à voto paupertatis; prima ſententia eſt affirmativa. Ita Sotus, Michaël Medina, Angelus, Vaſquez, & multi alij, quos citant, ac ſequuntur Alphonſus de Leone *de offic. Confeſſor. p.* 1. *relect.* 11. *n.* 178. Marq. *lib. de orig. Eremitar.* S. Auguſt. *cap.* 5. & 4. Hurtadus de Mendoça *in* 2. 2. *diſp.* 360. *ſect.* 3. §. 156. & eam probabilior dicit Sanchez citandus, & multi alij, quos citat, ac ſequitur Diana *part.* 3. *tract.* 2. *Reſolut.* 50. & ipſe Diana *Coordinatus, tom.* 4. *tract.* 7. *Reſol.* 26. aliàs *p.* 5. *tract* 8. *Reſol.* 31. qui aſſerunt Epiſcopum non manere cum voto pauperratis, ſed acquirere verum dominium, ac ſi nunquam fuiſſet Religioſus. Unde ſi aliquis Epiſcopus Religioſus expendat fructus reddituum Eccleſiaſticorum in uſus prophanos, peccabit mortaliter ut cæteri Epiſcopi ſæculares, ſed non tenebitur ad reſtitutionem, fundamenta poſtea ponam.

Sotus. Molina. Angelus. Vaſquez. Alphonſus. Hurtadus. Sanchez. Diana.

53. Contraria tamen ſententia, quæ eſt valdè communis, & mihi verior eſt, tenet Epiſcopum Regularem manere aſtrictum voto paupertatis, & non efficid minum redditum Eccleſiaſticorum, ſed ſolùm eſſe adminiſtratorem; vnde ille ſupervacuè, & prodige largiens, atque etiam accipiens tenetur ad reſtitutionem. Ita D. Thom. 2. 2. *quæſt.* 185. *art.* 8. Cajet. Soto, Navarr. Valentia, Covarruvias, Molina, quos citant, ac ſequuntur Sanch. cum multis citatis *lib.* 6. *Decalog. cap.* 6. *n.* 8. Leſſius *de juſtitia lib.* 2. *cap.* 4. *dub.* 5. *n.* 29. & *cap.* 41. *d b.* 11. *num* 92. Ægidius Coninch *diſput.* 27. *d ib.* 11. *num.* 200. Sarmiento *de reddit. Eccleſ. monito.* 11. *num.* 1. Caſtro Palaus *tom.* 1. *tract* 6. *diſp.* 11. *punct.* 8. *num.* 3. eamque ſic probo.

D. Thom. Cajetan. Soro. Valentia. Covar. Molina. Sanch. Sarmient. Palaus.

54. Primò: votum ex ſua natura obligat, ex jure divino, ac naturali, ergo votum paupertatis factum à Religioſo, etiam Epiſcopo adhuc manet in ſua obſervantia: maximè cum de illius diſpenſatione nullus aſſignetur textus, obligatio voti eſt expreſſa, diſpenſatio non apparet, ergo voti obligatio perſeverat. Secundò. Vota Religioſorum in tantum poterant diſpenſari, ſi obſtarent muneri Epiſcopali, ſed abdicatio dominij non obſtat tali muneri, conceſſa libera facultate adminiſtrandi redditus Epiſcopales, cæteraque bona in vſus pios,

pios, & decentes, ergo nulla est ratio, ut dicatur dispensatus in voto paupertatis.

55. C. Statutum. Argumentantur adversarii pro prima sententia, *ex cap. statutum* 18. *quæst.* 1. ubi dicitur: *Statutum est secundum Patres, à Synodo confirmatum est, ut monachus, quem electio Canonica, à jugo regulæ monasticæ absolvit, & sacra ordinatio de monacho Episcopum fecit, velut legitimus hæres, paternam sibi hæreditatem, postea jure vindicandi potestatem habeat.*

56. Respondetur ad argumentum, quòd cum dicitur, quod electio canonica eum: *Absolvit à jugo regulæ monasticæ*; intelligitur quoad regulares observantias, & clausuram, cum ad majus bonum factus Episcopus ordinetur ad visitandum, ac alia officia agenda; cùm autem dicitur, quod acquirit jus ad hæreditatem paternam, non pro se, sed pro sua Ecclesia, sicut existens in monasterio jus comparabat, non pro se, sed pro monasterio; factus autem Episcopus vota non laxantur ei, nisi quatenus muneri Episcopali obstant, tanquam majori bono impedimenta, cui minimè obstat abdicatio dominij, dummodo talis Episcopus habeat plenam administrationem bonorum Ecclesiasticorum, qualem jura illi permittunt, tum ad suam sustentationem, tum ad causas pias, ut resolvunt Fr. Manuel Rodrig. Graff. Tapia, Surdus, Azor. Lessius, Sanchez, quos citat, & sequitur Barbosa *in collectanea ad citatum caput. statutum, num.* 13.

Rodrig. Graffius. Tapia. Surdus. Azor. Lessius. Sanchez. Barbosa.

RESOLUTIO XXXI.

De Sanctissimo Parente Elia.

QUÆSTIO PRIMA.

An Epistolæ, quæ allatæ sunt ab Elia ad Ioram Regem, sint Missæ ab Elia, & post eius raptum?

SUMMARIUM.

1 *Status quæstionis.*
2 *Ratio dubitandi.*
3 *Opinio Caietani.*
4 *Sententia Vatabli.*
5 *Vera, & communis sententia, quòd sunt missæ à Mag. Parente Elia.*
6 *Quæ sententia triplici fundamento probatur, n.* 7. & 8.
9 *Aliqui existimant, quod Epistolæ fuerunt relictæ ab Elia antequam asportaretur.*
10 *Vera sententia, quod tunc epistolæ fuerunt allatæ, & missæ, n.* 11. & 12.

1. DE hoc Magno, & Sanctissimo Parente Elia multa dicam toto Opusculo tertio, & multis aliis in locis; nunc verò dubium est, an Epistolæ illæ, de quibus scribitur 2. Paralip. 21. num. 12. dum agitur de Ioram Rege, dicitur: *Allatæ sunt ei litteræ ab Elia Propheta, in quibus scriptũ erat, hæc dicit Dominus Deus*, &c. In illis obiiciebantur horribilia crimina, ac execranda ejus facinora, & denuntiabatur miserabilis ejus interitus, ac illius totius familiæ, tota quæstio est, an hujusmodi epistolæ fuissent missæ ab Elia.

2. 2. Paralip. 21. Ratio dubitandi est manifesta, quia Elias raptus est in cœlum anno 18. Regni Iosaphat juxta Salianum anno mundi 3139. *n.* 29. Iosaphat autem regnavit 25. annis, ut constat ex 3. *Reg.* 22. *num.* 42. Prædictæ autem literæ adductæ sunt Ioram filio ejus regnante, ut constat ex *citato loco Paralip.* ac proinde octo, vel novem annos post raptum Eliæ. Salianus eas dicit allatas anno mundi 3148. *num.* 5. ergo anno nono post Eliam translatum, allatæ sunt hujusmodi Epistolæ ut etiam habet Chronicon Hebræum cap. 17. quòd cum mirum videatur, in varias sententias fecit abire Doctores. Salianus. 3. Reg. 22.

3. Caietanus ad citatum locum Paralip. existimat Eliam, qui Regi Ioram scripsit, alium ac diversum fuisse à Magno Elia Thesbite; contra quem Cornelius à Lapide insurgit asserens: *Id non habere verisimilitudinis speciem, & novo sine fundamento dici, nec pro se aliquem citat Auctorem.* Caietan.

4. Secundò. Vatablus in notis marginalibus ad supracitatum locum Paralipomenon. Sub nomine Eliæ interpretatur Elisæum, quia Eliæ professione, statu, ac habitu discipulus erat, ejusque spiritus successor, ac hæres habebatur. Hæc tamen sententia aliena est à mente scripturæ, quæ nõ solet nomen unius personę pro alia, nec nomen unius hominis pro alio ponere. Vatabl.

Communis, ac vera sententia quam sequimur, affirmat Eliam magnum Dei Zelatorem, Israëlis aurigam has literas scripsisse, quibus impio Ioram, mortis supplicium, ac graves pœnas minabatur, quia recesserat à vestigiis patris sui Iosaphat, & quia post viam iniquitatis, ac idola abierat. Pro hac sententia stant fortiter antiqui Hebræi, Auctor Seder Olan *cap.* 17. Ioseph. *lib.* 9. *Antiquit. cap.* 2. Aben Ezra *in* 4. *Malach.* Sixtus Senen. *lib.* 2. *Bibliothec. verb. Elias & ad.* 2. *Paralip cap.* 21. Lyra, Sà, Sanchez, Cornelius à Lap. Tirinus, Miranda, Ereus, Malveda ibi & etiam *lib.* 10. *de Antich. cap.* 2. *in excursu de Elia.* Serarius 4. *Reg.* 2. Adricomius in chronic. anno 3056. *num* 2. Torniel. anno 3246. Genebrardus *lib.* 1. *chronol.* Salianus *citatus anno.* 3148. *num.* 5. & Lezana *tom.* 1. *Annal. anno* 3148. *n.* 2. Acosta *lib.* 3. *de noviss. tempore cap.* 7. Camartus *de Gestis Eliæ cap.* 6. *sect.* 10. Petrus Maturus *in notis ad S. Antonium* 1. *part. historiar. tit.* 3. *c.* 3. § 1. Fr. Franciscus à S. Maria *lib.* 1. *histor. Prophetica cap.* 29. *num.* 7. Cassanate *in Prar. Carmel. Decoris anno* 3123. *num.* 3. Fr. Anton. à Matre Dei *in Isagoge scrip. Præl.* 1. *dub.* 7. *n.* 13. Sedar Olam. Ioseph. Aben Ezra. Sixtus Sen. Lyra. Sa. Sanchez. Cornel. Miranda. Ereus. Malveda. Adricom. Torniel. Genebrard. Salian. Lezana. Acosta. Camart. Fr. Anton.

5. Probatur primo, quia valdè consentaneum est scripturæ, quòd hæ epistolæ dicantur allatæ à Magno Elia zelatore Dei, & nullum inde sequitur inconveniens; ergo dicendum, quòd ab ipso sunt missæ. Probatur antecedens, quia absolutè scriptura dicit epistolas esse allatas ab Elia Propheta, clarè indicat sermonem esse de Magno illo Elia, maximè cum materia litterarum cum ejus spiritu, ac celebri consuetudine cohæreat; nam ipse solitus erat Regibus terrorem incutere, supplicia ob peccata denuntiare, errantem populum ad Dei cultum reducere:

reducere : Deinde ille aptiſſimus erat, ut ejus nomine litteræ mitterentur, de cujus ſanctitate, ac veritate in futuris prænuntiandis, nullus ambigere poterat ; ergo conveniens erat, errantem turpiter Regem ab eo abſenti corripi, ac reprehendi, qui facilè non eſſet paſſurus alium, ſed eum contemneret.

7. Confirmatur hæc veritas, quia ex eo quod Matth. 17. num. 3. dicitur : *Ecce apparuerunt illis Moyſes, & Elias cum eo loquentes* ; & eodem cap. 11. *Venturus eſt Elias, & reſtituet omnia.* Univerſus Patrum, & interpretum conſenſus tenet Eliam eſſe magnum zelatorem, qui in transfiguratione apparuit, & venturus eſt ad reſtituenda omnia ; non ergo alium Eliam debemus fingere ; nam ſicut ille ex Dei ordinatione, ex paradiſo terreſtri, ſeu ex alio loco diſpoſito à Deo, venit ad transfigurationem, ſic & ex Dei ordinatione miſit litteras.

Matth. 17.

8. Tertiò probatur, quia eadem charitas ſecundum habitum, & actum, quæ eſt in via manet in patria dicente Apoſtolo. 1. Cor. 13. *Charitas nunquam excidit.* Et latè explicant omnes Theologi cũ Magiſtro *in 3. diſtinct. 31.* D. Thoma 12. *quæſt. 67. art. 6.* & patet, quia ſicut Ieremias, qui in vita erat fratrum, ac populi Iſraëlis amator, ut multum pro eis deprecaretur ; ita etiam poſt mortem multum pro eis orabat, 2. *Machab. 15. num. 14.* Sic etiam in ſancto Parente Elia ille perfectiſſimus ſpiritus zelandi honorem Dei, ut delinquentes argueret & qui totũ populum ad Dei cultum reducere intendebat, adhuc poſt ejus raptum in ipſo perſeverat. Quòd autem poſt ſuum raptum mitteret epiſtolas, hoc non debet videri mirum, conſideranti magnalia Eliæ, in ejus vita, quia omnium primus cœlum clauſit, & primus mortuum ſuſcitavit, & jejunio quadraginta dierum uſque ad montem Dei ambulavit, & per plures etiam ibi manſit jejunus, ut dicam *opuſcul. 3. Reſol. 1. quæſt. 2. num. 20.* & Magnus Elias multoties apparuit, ſuos protegens, ac defendens. ut dicam *opuſc. 3. Reſol. 2. quæſt. 1. num. 10. 11. & 12.* Quid ergo mirum quòd etiam mitteret epiſtolas ad arguendum impiiſſimum Regem, pro defenſione ſui populi, ut eum reduceret ad verum Dei cultum.

1. Corinth. 13.

Magiſter. D. Thom.

2. Machab. 15.

Incidens dubium.

9. Inquires tamen, eſto, quod Elias Thesbites ſit Auctor harum litterarum, quonam tempore has litteras ſcripſit ? Aliqui Auctores exiſtimant antequam raperetur in cœlum : pro hac ſententia ſunt Tremellius, Iunius, Carthuſian. Mariana, Sà, & Tornielus citatus, affirmantes Eliam futurorum præſcium, ante ejus raptum, illas ſcripſiſſe, eaſque reliquiſſe Eliſæo, vel alteri, impoſito decreto, ut tali, & tali tempore eas Ioramo præſentaret.

Tremelli, Iunius. Carthuſian. Mariana. Sà. Torniel.

10. Tamen verior, & communior ſententia eſt, quòd hæ epiſtolæ ab Eliâ miſſæ ſunt ex illo loco, in quo poſt raptum repoſitus eſt à Deo, ſive miniſterio alicujus Angeli, ſive alicujus hominis ignoti, non enim Elias eſt in illo loco tanquam in carcere clauſus, ut non poſſit inde exire, vel aliquo miniſtro uti, & pro hac ſententia ſtant omnes Auctores citati pro noſtra ſententia *num. 5.*

Probatur, quia non ſolum hanc ſententiam tenent tot graviſſimi Auctores citati, ſed etiam pro illa ſtant antiqui Hebræorum Rabbini, id expreſſè tenet Auctor Seder Olam *c. 17.* & Aben Ezra *alcap. 4.* Malachiæ, eandem ſententiam probans ſic ait. *Quia ſic ſcriptæ fuiſſent ante aſcenſionem ejus, ſcriberentur, & inventæ ſunt, aut allatæ ſunt ad eum litteræ, quas reliquerat Elias, nec eſt dubium, quin in diebus ſanctorum noſtrorum apparuerit. Deus autem per miſericordiam ſuam accelerat prophetiam ejus.* 11.

Seder. Aben.

Probo aliter noſtram reſolutionem, premo verba Textus : *Allatæ ſunt epiſtolæ ab Elia.* Qui modus loquendi indicat, quod tunc tranſmiſſæ ſunt epiſtolæ ; nam ſi relictæ fuiſſent, hoc erat exprimendum, ſicut & filij Iacob mortem patris dixerunt Ioſeph : *Pater tuus præcepit nobis, antequam moreretur, ut hæc itbi verbis illius diceremus ; obſecro ut obliviſcaris ſceleris fratrum tuorum,* Geneſ. 50 num. 16. Sic etiam ſi illæ epiſtolæ fuiſſent relictæ ab Elia dicendum erat, antequam Elias aſportaretur in curru, has epiſtolas reliquit, ut tibi Regi Ioram darentur ; cùm ergo dicunt allatæ ſunt ab Elia Propheta, denotatur quod tunc ſunt aſportatæ, ac ab eo miſſæ, & non alio tempore. 12.

Gen 50.

Deinde, quia litteræ iſtæ recenter ab Elia ſcriptæ, & ignoti nuntij miniſterio tranſmiſſæ, majorem poterant iniquo Regi terrorem incutere, eumque maximè ad meliorem frugem revocare, ſi mens ſana, & non læva fuiſſet. 13.

QUÆSTIO II.

Elias maximè à nobis venerandus, invocanduſque eſt.

SUMMARIUM.

14 *Ex dictis infertur quod Elias de nobis curam agat.*

15 *Elias cognoſcit noſtras orationes, ac ea, quæ ad ſuum ſtatum pertinent per divinam revelationem, ac miniſterium Angelorum.*

16 *Probatur ex ſanctis Patribus, ac ex officio Carmelitano, quod Elias orat pro ſuis devotis.*

17 *Quòd confirmatur ex multis miraculis.*

EX dictis ſuperiori quæſtione patet, quantam Elias, ſicut & cæteri ſancti etiam poſt tranſlationem ſuam, ſuorum curam habeat ; ſi enim de his, quæ apud nos geruntur, ipſe curam gerit, quis negabit noſtras preces ad eum directas, ejus interceſſione interveniente, apud Deum multum prævalere ad impetranda divina beneficia, ex his enim litteris curam habere Eliam de rebus ad nos ſpectantibus inferunt Genebrardus *lib. 1. Chronolog.* Malveda *lib. 9. de Antichriſto, cap. 2.* Barradas *tom. 1. in Evang. lib. 5. cap. 11.* Sanch. *in 4. Reg. 2. n. 25.* 14.

Genebrard. Malveda. Sanchez. Barradas.

Elias, & Henoch per divinam revelationem, ac per miſterium Angelorum cognoſcunt ea, quæ fiunt in mundo, maximè illa quæ ſpectant ad ſuum ſtatum, ut cum communi ſententia Theologorum docent Suar. *tom 2 ad 3. p. diſp. 55.* 15.

Suar.

Veigas. Camartus. Abulens. *disp. 55. sect. 1.* Veigas *in Apocalyps. c. 11. sect. 4.* Ægidius Camarrus *de gestis Eliæ, c. 3. sect. 17.* Abulensis 4. *cap. 2. quæst. 14.* Sanchez *ibidem num. 33.* Maximè autem ad statum Eliæ pertinet, ut preces, ac Orationes, quibus ipsius intercessio, ac patrocinium apud eum postuletur, exaudiat. Quod optimè probat Malveda *citatus*, quia ideo dicitur de eis Apoc. 11. num 4. *Hi sunt duo olivæ, & duo candelabra in conspectu Domini terræ stantes.* Astant in conspectu Domini tanquam duo candelabra lucentia, suis meritis, ac orationibus orantes pro felici statu Sanctæ Ecclesiæ Catholicæ, ac filiorum ejus.

Malveda. Apoc. 11.

16. Et quod ipse pro suis devotis, ac pro his, qui ejus auxilium implorant, roget, ac exoret Deum prætor Auctores citatos ex Patribus docent D. Basilius *homil. 40.* dicens: *Fortasse aliquem pium advocabis, ut precibus, veluti Propheta Thesbites Elias remissionem tibi malorum impetret.* Divus Gregorius *in cap. 9. Iob cap. 12.* hoc magnum profert de Elia encomium. *Qui furorem Dei placat aliis per remissionem.* Similiter Metaphrastes, Drogo Hostiensis, & alij, quos erudite citat, ac sequitur Mag. Lezana *consulto 3. num. 102. & 103. & seqq.* quod optimè confirmatur ex Officio Carmelitano à Sancta Sede Apostolica approbato ex hymno laudum.

D. Basil. D. Gregor. Metaphrast. Hostiens. Lezana. Breviar.

Nos nunquam auxilium destituat Pater,
Optatúsque tuus perpetuo favor,
Nobis quin totius munera spiritus.
Augeri prece postula.

17. Quod etiam potest confirmari ex Hymno ad secundas Vesperas, & ex multis miraculis, quæ nostri Auctore referunt; unum tantum apponam, quod paucis ab hinc annis contigit: nam cum anno 1656. tota Italia magna pestilentia premeretur, ab illa plures liberati, ac sanati fuerunt, uncti oleo ex lampade Sanct. Pat. Eliæ, cujus rei publicum, & authenticum testimonium perhibuit, nuper insignis urbs Capuana in Regno Neapolitano sita, quæ ob tantum miraculum, ipsum elegit in patronum, ac protectorem, ut constat ex authentico instrumento per publicum Notarium facto die 24. Ianuarij 1657. quod ad longum refertur apud vineam Carmeli *fol. 131. n. 156.*

Vinea Carmeli.

Quæstio III.

Carmelitæ quolibet mense una die non impedita Officio novem lectionum, possunt recitare Officium de S. Elia.

Summarium.

18 *Indultum Pauli V. pro Franciscanis.*
19 *Indultum Iulij II. pro Dominicanis.*
20 *Carmelitæ gaudent eisdem privilegiis, ac si pro eis fuissent immediatè concessa, & ideo quolibet mense possunt recitare Officium de S. Elia.*
21 *Probatur etiam ex gravissimis Auctoribus.*

18. FUndamentum totius huius quæstionis desumendum ex indulto Pauli V. concesso Fratribus Minoribus, ut in quolibet mense, una die non impedita festo novem lectionum, possint recitare Officium S Francisci, ut in ejus die ad supplicationem eorum Fratrum, sic ait Paulus V. in sua Constitutione *Domini nostri Iesu Christi* data die 20. Martij 1617. apud Cherubinum fol. 353. *Supplicationibus vestris super hoc humiliter porrectis inclinati de Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium, Sacris Ritibus præpositorum consilio, eisdem Fratribus Minoribus Conventualibus, ut Officium de eodem S. Francisco, semel in mense, prima die non impedita alio festo novem lectionum, prout ab ipsis recitatur in die festo ejusdem S. Fracisci recitare liberè, & licitè possint, & valeant Apostolica auctoritate tenere præsentium licentiam, & facultatem perpetuo concedimus, & impartimur.*

Paul. V. Cherubin.

19. Quod etiam corroboratur ex alio privilegio Iulij II. concessum Patribus Dominicanis, cujus bullam refert Emmanuel Rodriguez *tom. 1. q. 55. art. 20.* ubi inquit Pontifex. *Et quod de Prælatis ad Prælatos dictũ est ita de festivitatibus ad festivitates alterius Ordinis aliquid concessum, & nunc, & pro tempore respectivè concessum intelligatur, ita quod ea, quæ in honorem Sanctorũ Dominici, Petri Martyris, Thomæ de Aquino, Fratribus Minoribus præfatis, eorúmque locis, & festivitatibus Sanctorum Francisci, Antonij & Ludovici, ac de eisdem festivitatibus dicti Ordinis Minorum, licet sint majori numero, quam festa ipsorum Fratrum Prædicatorum sint concessa.*

19. Iulius II. Rodrig

20. At nos Fratres Carmelitæ gaudemus omnibus privilegiis concessis, & concedendis tam pro Fratribus Minoribus, quam Prædicatoribus, ac si immediatè essent concessa pro nostro Ordine, ut ait Sixtus IV. *in mari magno, n. 105.* Similiter Clemens VII. Gregorius XIII. & confirmatur ex Bulla Leonis X. concedentis hanc communicationem omnibus Mendicantibus. Bullam refert Lezana *in mari magno Prædicatorum, §. 52. n. 166. & tom. 3. verb. Mendicantes.*

Sixtus IV. Clem VII. Greg XIII. Leo X. Lezana.

21. Cum ergo ex Paulo V. Fratres Minores habeant indultum quolibet mense, die non impedita festo novem lectionum celebrandi, ac recitandi Officium, de suo Patriarcha S. Francisco, nos ergo etiam Carmelitæ, cum gaudeamus omnibus privilegiis, favoribus, & gratiis concessis Minoribus; ac si nobis fuissent immediatè concessæ, ut inquiunt Summi Pontifices, etiam quoad festivitates, ergo etiam quolibet mense, in prima die non impedita possumus recitare Officium Patriarchæ nostri S. Eliæ.

22. Probatur etiam hæc sententia auctoritate gravissimorum Doctorum concedentium hanc communicationem, etiam in festorum celebratione. Rodriguez *tom 1. quæst. 55. art. 20.* Suarez *de legibus, lib 2. cap. 17. num. 7.* Peirinus *in Comment. Regulæ Minimorum, cap. 4. §. 13. quæst. 1. & 2.* Portel. *part. 3. casuum casu 28. num. 3.* Castro Palaus *tom. 1. tract. 3. de privileg. disp. 4. punct. 2. §. 9. n. 5* Hieró. Rodrig. *Resol. 65. n. 2.* Diana *p. 11. tract. 11. Resol. 6.* & in propriis terminis hujus quæstionis Quintana Dueñas *tractatu 2 singular. 14. num. 1.* Bordonius *Resolut. 3. quæst. 22. num. 26* Fr. Antonius ab Spiritu Sancto *de Primatu Eliæ, §. 1. num. 2.* Et ex his fundamentis, in aliquibus nostris Provinciis ut in Belgica singulis mensibus prima die

Rodrig. Suarez. Peirin. Portel. Castr. Pal. Hieron. Diana. Bordon. Fr. Anton.

non impedita officio novem lectionum, recitatur Officium ſancti Eliæ.

Quæstio IV.

Circa revelationem factam Vener. Mariæ de Ieſu, qua vidit Sanctum Parentem Eliam, & Henoch S. Euchariſtiam recipere è Chriſti manu.

SUMMARIUM.

23 *Valdè celebris Maria de Ieſu.*

24 *Ejus revelatio, qua vidit Sanctum Parentem, & Henoch è manu Chriſti Sacram Euchariſtiam accipere in Cœnaculo.*

25 *Elias, & Henoch, etſi antiquitus fuiſſent legis veteris, hodie pertinent ad legem gratiæ, in eáque ſunt confirmati, & num. 26.*

27 *Eis aliquid Dei gratia conceſſum eſt per quod effectus Baptiſmi in eis ſuppletur, & num. 28.*

29 *Quæ fiunt miraculosè, ac virtute divina, non ſunt judicanda per regulas communes, quod multis exemplis oſtenditur.*

30 *Elias, ac Henoch cum magna poteſtate, ut Sacerdotes, ac Epiſcopi venient in fine mundi.*

23. Venerabilis Maria de Ieſu, Ordinis Sancti Franciſci, valdè celebris eſt hac noſtra ætate ob præclariſſimas ejus virtutes, multáque beneficia ejus precibus à Deo obtenta, ac etiam ob præclariſſimas, ac ſublimes revelationes à Deo acceptas, & etiam ob profunditatem, ac altitudinem ejus doctrinæ, quæ graviſſimos Theologos in admirationem rapit.

24. Inter cæteras ejus revelationes refertur quod viderit cum Chriſtus Dominus in Cœnaculo inſtituiſſet Sacram Euchariſtiam, aderant Sanctus Parens Elias, & Henoch, qui è manu Chriſti Sacram Eucha iſtiam ſuſceperunt, de qua revelatione mentionem facit R. P. Doctor Ioſephus Andræas è Sacra Societate Ieſu in ſuo Collegio Cæſar Auguſtæ, Sacræ Theologiæ Primarius Lector in ſuo libro cujus Titulus eſt *Decor Carmeli, pag* 431. *num.* 323. *cap.* 69. Cum autem liber vitæ ipſius Mariæ de Ieſu eſſet typis dandus, maximè dubitatum, ac controverſum fuit circa prædictam revelationem, quia Elias, & Henoch non erant baptizati, ac proinde non erant capaces ad Sacram Euchariſtiam ſuſcipiendam; cum Baptiſmus ſit janua omnium Sacramentorum, inde à Reverendiſſimo Patre Vicario Generali Mag. Fr. Ioſepho Ximenes Samaniego poſtulatum fuit à me conſultum, ego tanto Præſuli obediens, hoc conſultum obtuli, & liber typis eſt datus.

D. Ioſeph. Andræas.

25. Suar. Suppono primò, ut certum cum Suarez *tom.* 2. *ad* 3. *p. diſp.* 55. *ſect.* 5. §. *Tertio colligo.* Quō quamvis Elias, ac Henoch antiquitus pertinerent ad legem veterem, hodie per Incarnatum Verbum Divinum, ad legem gratiæ ſpectant: nam ut docet D. Thomas 1. 2. *q.* 108. *artic.* 1. & 2. & cum eo omnes Theologi; in hoc diſtinguitur lex vetus à lege nova, quia lex vetus reſpiciebat Chriſtum in umbra, ac ut futurum: lex verò gratiæ reſpicit Chriſtum ut præſentem, ac ut realiter jam exiſtentem. Et cum Elias, & Henoch juxta communem ſententiam non ſint modo beati Deum videntes, ſed adhuc ſunt in hoc ſæculo in loco à Deo deputato, inde vera fide Chriſtum cognoſcunt ut præſentem, ac ut Salvatorem, & Redemptorem, mundi aliàs non eſſet in illis fides, ſed error: nam fides non poteſt inclinare ad falſum; & inſuper Elias adfuit cum Chriſto, cum eo loquens. *Matth.* 17. *n.* 3. in Thabor. Matth 17. 26.

Suppono ſecundò, quod Elias, & Henoch ſunt divina gratia confirmati, magna plenitudine, ac abundantia cœleſtium donorum, ut eſt communis ſententia teſte Suar. *citato* §. *ſequitur primo.* Et latè multis probat M. Lezana *in conſultis, conſulto* 3. *n* 70. Suarez. Lezana.

27. Hac ergo fide viva in Chriſto, cum ejus gratia divina Elias, & Henoch uniti ſunt cum Chriſto, in ipſoque regenerati, ſicut alij juſti, tanquam Chriſti membra, ejuſque Eccleſiæ, ſicut & viſitur in Baptiſmo flaminis, & cum Elias, & Henoch, ubi juxta Divum Hieronymum *epiſtola ad Pammach.* ubi ait, *Eos frui divino conſortio, ac cibo cœleſti, & inviſibili.* Sic & alij Patres; illa ergo revelatio, quam habent de Chriſti præſentia, ac exiſtentia, cum divina gratia illis conceſſa, ac interveniente ſumma Dei potentia, in illis agit vices Baptiſmi, omnemque ejus effectum ſupplet, effectus enim Baptiſmi eſt cum Chriſto unire, in ipſoque nos regenerare. D. Hieron.

28. Neceſſariò dicendum eſt, quod illa fides divina de Chriſto Domino cum tanta gratiarum abundantia, agit in illis vices Baptiſmi, qui èſt Eccleſiæ janua: nam ſi illi non ſunt Chriſti membra, nec ejus Eccleſiæ, computandi ſunt tanquam Catechumeni: nam Catechumenorum hic eſt ſtatus, ut non ſint adhuc intra Eccleſiam, ut notant D. Chryſoſtomus *homil.* 1. *ad populum Antiochenum.* S. Iuſtinian. *in Apologia* 2. D. Auguſtin. *lib.* 2. *de peccatorum meritis, cap.* 26. nullo enim modo dici poteſt de Viris tam Illuſtriſſimis, ut Elia, ac Henoch, quod ſint tanquam Catechumeni ſeparati à corpore Chriſti myſtico, ac ejus Eccleſia. De illis ait Spiritus Sanctus: *Hi ſunt duo olivæ, & duo candelabra lucentia ante Dominum dominatorem.* Apocalyp. 11. Et Eccleſia Catholica, tanquam præclariſſima membra ſua eos celebrat, ac honorat, dedicans, ac conſecrans eis templa, & altaria. Sic & Sancta Helena magnificum templum dedicavit, ac conſecravit Sancto Parenti Eliæ in Ieruſalem, quod poſtea auxit, ac reædificavit Baſilius Imperator, ut refert Baronius *in ſuis Annotation. ad Martyrologium Romanum, die* 20. *Iuly.* Et Cornelius à Lapide *lib.* 3. *Regum, cap.* 18. & in multis aliis partibus ut teſtatur Dorotheus à Sancto Reinato *in Apocal. lib.* 2. *quæſt.* 10. *ſect.* 3. & Martyrologium Romanum die 20. Iulij eum numerat & celebrat inter Sanctos ejus, Illuſtris Civitas Capua in Regno Neapolitano, ob magna miracula, quæ D. Elias in ea eſt operatus, ipſum habet ut ſuum Patronum, ædificato templo, cum Officio de Sancto Patrono, ut in vinea Carmeli

D. Chryſ. D. Iuſtin. D. Auguſt. Apoc. 11. Baron. Cornelius. Dorotheus. *Martyrolog. Romanum.* *Vinea Carmeli.*

retuli

retuli *q.2.n.17.* & sacra nostra Religio ejus festum solemniter celebrat, cum propria Missa, Officio, ac Octavario; ergo de Viris tam Illustrissimis, de quibus prædicatur, quod sint lucernæ lucentes, ac ardentes ante Deum, & quos Ecclesia tanta solemnitate celebrat, nullo modo dici potest, quod sint separati à Christi corpore, ac ejus Ecclesia; ergo dicendum est aliquid divina virtute in eis inesse, per quod effectus Baptismi in eis suppletur.

29. Secundò probatur, ea quæ fiunt miraculosè, ac virtute divina non requiruntur in eis regulæ communes, ac generales: nam Deus, qui in eis est primus operator, potest hoc, & illo modo eas ordinare, ac in illas hoc & illo modo dispensare, ut tenet communis doctrina cum D. Thoma *3.p.q.7.art.5.* ibi communiter Theologi, Cajetan. Suar. Cabreira, Vasquez, & Cardinalis Lugo quod multis exemplis ostenditur. Sanson dejiciens columnam, se ipsum cum multis Philistheis interfecit; & certum est quod nullus potest se ipsum interficere; sicut B. Apollonia è tortorum manibus se expediens in ignem injecit. Certum est etiam quod nullus sæcularis per se ipsum absque ministro, etiam in casu necessitatis sibi valet divinum Eucharisticum Sacramentum, ut docent Divus Thomas, Soto, Henriq Ledesma, Navar. M. Petrus Cornejius, Sylvester, de quo latè Fagundez *de quinque præcept. præcepto.3.lib.3 cap.2.n.12.* & tamen excellentissima Domina Dona Maria Esthuaca, quæ pro fide Catholica in Anglia ab impia Isabele, capite absciso mortua est, & ante mortem, ad pixidem in qua erat Sacra Eucharistia, accedens ipsam propriis manibus accepit, & sibi ministravit, quod factum reputatum fuit à Doctoribus Lovanienſibus, ut refert Michaël Moreus *lib.2. cap.24. art.3. num.10.* tanquam quid inspiratum à divino Spiritu, ut comprobatur ex multis, tam quæ in ejus martyrio, quam post mortem contigerunt; quod autem Elias, & Henoch adessent in cœnaculo, tempore, quo Christus Dominus instituebat Sacram Eucharistiam, non communi, ac ordinario modo, sed extraordinario, ac miraculoso hoc factum est, ergo non per communes, ac generales Ecclesiæ regulas judicandum est, sed per singularem, ac particularem dispositionem divinam.

D. Thom. Cajetan. Suar. Cabreira. Vasquez. Lugo. D. Thom. Soto. Henriq. Ledesma. Navar. Cornejius. Fagundez. Moreus.

30. Probatur tertiò. In fine Mundi Elias, & Henoch advenissent cum plenissima potestate, ut Sacerdotes, ac Episcopi ad administranda Sacramenta, ad imponendàsque censuras, ad hunc sensum explicant communiter Doctores verba illa Apocalyps. 11. num. ... *Ignis exiet ab ore eorum.* Hoc est ad fulminandas censuras, ut explicant Interlinealis, D. Anselm. Cardinalis Hugo, & de potestate amplissima tanquam Sacerdotes, & Episcopi. Præter Auctores citatos idem docent Rupertus, Pannonius, Ansbertus, Mello, Mag. Petrus Munhos, quos citavi ad eundem locum *Apocalyps. 11. quæst.20. num.147.* & deinceps. Hæc potestas Sacerdotalis, ac Episcopalis, eis conferenda est immediatè à Deo; ex eo enim, quod Deus suum ministrum ad aliquem effectum deputat, ei confert, ac communicat omnia requisita ad executionem talis rei, in quo sensu Sancti Patres explicant illa verba Christi Domini. Ioan. 20. n. 21. *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos.* Ita D. Cyrillus, D. Chrysostom. D. Augustinus, Theophylactus, Rupertus, & alii à me citati *tom.5. in Evangel. lib.9. cap.4. num 83.* Si ergo Deus in fine mundi tam amplissimam potestatem est eis concessurus, quid mirum, quod tam Illustrissimis Viris talem gratiam, & benevolentiam concederet, ut in cœnaculo adessent, ac suum sacratissimum corpus consecratum cum cæteris Apostolis accepissent.

Apoc.11. Interlin. Hugo. D. Anselm. Rupertus. Panonius. Ansbertus. Mello. Munhos. Ioan.20. D. Cyrill. D. Chrys. D. August. Theophil. Rupert.

RESOLUTIO XXXIV.

Circa celebrationem cuiusdam Capituli.

QUÆSTIO UNICA.

An eius celebrationem potuerit quidam visitator impedire?

SUMMARIUM.

1 *Casus proponitur, & n.2. & 3.*
4 *Iurisdictiones divisæ, ac distinctæ non possunt se invicem impedire, & n.5. & 6.*
7 *Ostenditur quod mens Generalis fuit unam iurisdictionem dividere ab alia.*
8 *Legatus non potest agere contra mentem delegantis, & n.9.*
10 *Epistolæ Principis, ac Generalis fidem faciunt, ut diplomata, & n.11.*
12 *Potestas delegata est odiosa, & non est extendenda de casu ad casum, & n.13.*
14 *Ex amplatestate data Commissariis Generalibus, non intelligitur potestas ad dispensandum, nisi in litteris exprimatur, & num.15.*
16 *Probatur quintò, ex communi usu totius Religionis.*
17 *Probatur ultimò, quia culpa unius non debet retorqueri in damnum aliorum & n.18.*
19 *Limitata causa limitatum parit effectum.*
20 *Verba taxativa non sunt ultra extendenda.*
21 *Explicatur Breve Vrbani VIII. & n.22.*

Casus.

1. VIDAM Generalis certæ Religionis Romæ existēs dedit litteras patentes cuidam Religioso extraneo, ac advenæ, v.g. Petro ad visitandam Provinciam, eamque reformandam, cum hac clausula Generali (*Ac si præsentes essemus.* Adhibita tamen hac limitatione (*usque ad octavam Paschæ inclusive*) & simul misit alteri religioso v.g. Antonio litteras patentes ad præsidendum in Capitulo Provinciali, quod juxta Ordinis statuta celebrandum erat tertia Dominica post Pascha quindecim diebus post finitam commissionem visitatoris. Scribens simul dictus Generalis Provinciæ, quod scilicet ei destinabat talem visitatorem Petrum, qui talis Petrus visitator nullam vim, nullam que molestiam inferret ipsi Provinciæ, cum nullo modo se esset intromittendus in his quæ pertinent ad celebrationem Capituli, quia hoc ad

prædictum Antonium, cui commiſſa erat præſidentia talis Capituli, pertinebat.

2. Pervenit prædictus Viſitator, ac Commiſſarius Generalis Antonius, ad dictam Provinciam Portugalliæ, ubi debita obedientia, & benignitate fuit receptus, & quatuor Religioſorum Conventus, unumque Monialium Monaſterium viſitavit; ſed quia advena, & extraneus erat, & Regiam facultatem non impetravit ad viſitandum, in hoc Regno extraneo, ideo ab eadem Regia auctoritate impeditus fuit, ne in ſua juriſdictione ulterius procederet. Quod talis prædictus Viſitator, ac Commiſſarius Generalis impedivit, ne Capitulum Provinciale celebraretur, uſque ad alteram Generalis diſpoſitionem, ac ordinationem.

Quæritur.

3. An prædictus talis Viſitator, ſeu Commiſſarius Generalis, cui Reverendiſſimus Generalis vices ſuas commiſit, cum hac clauſula generali (*ac ſi nos præſentes eſſemus*) poſſit tempus Capituli dilatare, cum notum ſit, quod Reverendiſſimus Pater Generalis juxta Conſtitutiones *part. 2. cap. 1. §. 7.* habeat auctoritatem tam ad dilatandum, ſeu elogandum, quam ad abbreviandum, ſeu coarctandum Capituli tempus.

Conſtitutiones.

Reſolutio.

4. In hac materia procedendum eſt tam attento jure communi, quam etiam attento jure Conſtitutionum ipſius Religionis, & ejus uſu, conſuetudine ac practica; quo poſito facilè reſolvitur quæſtio.

5. Dico ergo. Talis viſitator nullo modo poteſt Capituli celebrationem impedire, neque in hoc ſe intromittere, & quidquid contra hanc reſolutionem fuerit factum erit nullum, irritum, nullius roboris, ac momenti.

6. Probatur primò, quia omnis juriſdictio, ac poteſtas tam ad præſidendum in Capitulo, quam ad viſitandum pendet ex mente, ſeu voluntate Reverendiſſimi P. Generalis, qui optimè poteſt utrumque ſeparare & unam ab alia dividere; atqui de facto unam ab alia ſeparavit, & diviſit, quatenus uni tribuit munus præſidendi; alteri verò facultatem, & gratiam præſidendi per literas patentes, ergo talis juriſdictio de facto eſt diſjuncta, ſeu ſeparata una ab alia, & una juriſdictio aliam impedire non poteſt *cap. Studuiſti, de Officio legati. cap. Paſtoralis, de Officio Judicis Ordinary, cap. 2. & cap. Ex parte, de Officio Judicis delegati. cap. 1. de Reſcriptis.* Ibi Gloſſa, Panormitanus, Navarrus *lib. 1. Concil. de Officio Judicis Delegati. num. 2.* Molina *tractatu 5. diſput. 9. num. 13.* Anguianus *de legibus, diſp. 32. ſect. 6. num. 41.*

Gloſſa. Panorm. Navar. Molina. Anguian.

7. Et quod mens P. Generalis eſſet unam juriſdictionem ab alia dividere, ac ſeparare, oſtenditur primò. Quia hoc motivum coëgit P. Generalem, ut in literis patentibus conceſſis tali viſitatori poneret, ac præfigeret hanc limitationem (*uſque ad Octavam Paſchæ*) ut ſpiraret juriſdictio talis viſitatoris quindecim dies, ante celebrationem Capituli, ut juriſdictio præſidentis inſtituti maneret expedita, & à nemine impediri poſſet. Confirmatur ex more, ac uſu ipſius Patris Generalis: nam in ſimilibus litteris patentibus, dum v. g. tribuit Petro munus ad viſitandum, ac reformandum cum plenitudine poteſtatis uſque ad Capituli terminationem. Tamen ut ipſemet Petrus in Capitulo præſideat, ei concedit alias patentes litteras diverſas, ac diſtinctas ab eis, quæ erant ad viſitandum, ergo mens P. Generalis eſt in omni caſu, & ſemper utramque juriſdictionem dividere, & ſeparare, ergo in propoſito caſu diviſit, ac ſeparavit.

8. Probatur ſecundò, ex quodam principio certiſſimo, ac receptiſſimo: legatus contra expreſſam mentem delegantis non poteſt extendere juriſdictionem ſuam, & quidquid facit, eſt irritum. *cap. Poſſe, de Officio legati. cap. Sedes Apoſtolica, cap. Paſtoralis, de Reſcriptis, cap. Venerabili, de Officio Judicis Delegati.* Bartol. cum aliquibus *in cap. de Reſcriptis, in 6.* Menochius *de arbitrar. quæſt. 12. num. 5.* Navarrus *in cap. Cum contingat, de Reſcript. 7. cauſa Nullitatis, num. 1.* Molina *tract 5. diſp. 25. num. 2.* Atqui expreſſè conſtat de mente Patris Generalis impedientis ſupradicto viſitatori, ut nullo modo in Capituli celebratione intromittatur, quia poſtquam prædictas litteras patentes ad viſitandum dedit tali viſitatori, ſcripſit ipſemet Pater Generalis quandam epiſtolam ad Provinciam, & inter alia, hæc continebat talis epiſtola (*Me hei determinado inviar un viſitador de buenas partes, y talento, que conſuele a todos, y no ſe empachara en la celebracion del Capitulo Provincial, poſto que el Muy Reverendo P. M. Antonio ha recebido la preſidencia.* Et in alia apiſtola, quam idem P. Generalis ſcripſit M. Antonio inſtituto præſidenti ita habet: *Que el dicho viſitador no ſe empachara en las coſas de la celebracion del Capitulo, ſinoſto ſu muy Reverenda Paternidad aver recebido la preſidencia.* Vbi expreſſè ait P. Generalis, ſe non intromittat, neque in celebratione, neque in rebus ad Capitulum pertinentibus, ergo ſe non poteſt in illis intromittere.

Bartol. Menoch. Navar. Molina. Epiſtola generalis.

9. Confirmatur. Quia licet prædictus viſitator utatur omni ſua juriſdictione, ac poteſtate, ſibi commiſſa, quamvis ſit ad bonum regimen Provinciæ, reformationemque illius, non poteſt extendere ſuam juriſdictionem, ultra tempus præfixum, per ſpatium ſaltem quindecim dierum, & maxime, quia Pater Generalis, à quo tota juriſdictio dependet, certum, ac limitatum tempus prædiffinivit, ac determinavit, ergo non poteſt ſe intromittere in his, quæ ſpectant ad celebrationem Capituli, quia Pater Generalis per ſuas epiſtolas hoc ei denegat.

10. Dicet aliquis, quod epiſtolis miſſivis, non tanta debet adhiberi fides, quanta litteris patentibus. Sed contra, quia epiſtolæ miſſivæ Summi Pontificis in toto terrarum orbe, & epiſtolæ Principis ſuo nomine ſubſcriptæ fidem faciunt in toto Regno ſuo: & eandem auctoritatem habent, ac ſi eſſent diplomata Pontificia, vel Regia, *can. Cum olim, 2. de Officio Delegati, cap. Cum ad Sedem, §. finali, de reſtitutione ſpoliatorum.* Gloſſa *in cap. Ex tua, de filiis Presbyterorum,*

poſt

Bartol. Mascard. Menoch. Gonçalez. Rubius.

post Bartolum *in lege publia* Mascardus *de probationibus, tom. 2. conclus. 807. num. 17.* Menochius *de arbitrar. casu 94. num. 10.* Gonçalez *in Reg 8. Cancellariæ Glossa 59. num. 11.* Rubius *cap. 1. de Rescriptis*, & communiter Doctores *in cap. Sancta Romana, dist. 15.* ex quo inferunt aliqui, quod epistolæ missivæ Episcoporum in suis Diœcesibus plenariam fidem faciunt, ac si essent publica instrumenta, quia eodem modo comparatur Summus Pontifex, circa universam Ecclesiam, ac Episcopus circa suam Diœcesim Suarez *lib. 4. de legibus, cap. 14. num. 13.* Salas *disp. 12. de legibus, sect. 9.* ex quo concluditur, quod epistolæ missivæ P. Generalis circa totam suam Religionem eandem fidem faciunt, ac si essent litteræ patentes, quia ita comparatur Generalis ad Religionem suam, ac Episcopus ad suum Episcopatum. Ita Fragosus *in praxi Regular. lib. 3 cap. 11. n. 21.* Angianus *de legibus, disp. 26. sect. 3. num. 6.* Faustus *in Thesaur. Relig. lib. 5. quæst. 386.* Peirinus *in privileg. Minor. tom. 2. Constit. 11. sect. 4. à n. 6.*

Suarez. Salas. Fragosus. Angianus Peirin.

11. Et confirmatur. Quia in eadem Provincia, ac Religione semper observatum fuit Patres Generales per tales epistolas missivas confirmare acta, ac decrata ad totam Provinciam, quæ omnia ex sua intrinseca natura patentes litteras postulant.

12. Probatur tertiò. Quia potestas delegata est odiosa, & non est extendenda de uno casu ad alium, *cap. P. & G. de officio delegat.* & docent Glossa *ibi verbo processus, de rescriptis, in 6.* Angelus *verb. Delegatus, num. 5.* Sylvester *quæst. 5.* Tabiena *verb. Delegare, quæst. 4.* Maranta, Armilla, & alii, quos citat, ac sequitur Sanchez *lib. 3. de matrim. disp. 25. n. 9.* Deinde quando jurisdictio est determinata in certo genere causæ, v. g. visitandi, & reformandi mores, non potest extendi ad aliud genus diversum, ut est celebrandi Capitulum. Confirmatur, quia talis visitator utendo omni sua jurisdictione non potest Capitulum celebrare, neque in illo præsidere, neque in eo facere nominatum, ut omnes fateri debent, ergo etiam se non potest intromittere in Capitulo dilatando, quia juxta Ordinis statuta, non minus jurisdictionis requiritur ad Capitulum dilatandum, quam ad illud celebrandum.

13. Et confirmatur ulterius, quia jurisdictio tali visitatori concessa, est solummodo in ordine ad visitationem, & ad hoc tendit clausula illa executoria (*Ac si nos præsentes essemus*) quæ quidem novam non tribuit jurisdictionem, neque illam extendit, sed tantummodo corroborat datam, sicut juramentum, in contractu, ut tenent Hostiensis, & communiter Doctores *in cap. 1. de transact.* Deinde clausula executoria posita in fine rescripti non ampliat jurisdictionem. Farinacius *tom 5. decis. 55. n. 5.* Dec. 708. *n. 2. 2. p. decis. 624. n. 8.* patet ex *Clem. 1. de Prabendis.*

Hostiens. Farinac.

14. Probatur quartò. Quia Capitulum Provinciale juxta Ordinis Constitutionem *p. 4. c. 10. §. 1.* debet celebrari Dominica 3. post Pascha & si hac Dominica non celebretur, est mutare dispositionem Constitutionis, & in illa dispensare; atqui prædictus visitator omni sua jurisdictione utens, non potest in Constitutionibus dispensare, nec ad hoc ei est commissa potestas à P. Generali, quia ut ipsamet Religionis constitutio ait: *part. 2. cap. 1. §. 11. Sciat Reverendissimus Pater Ordinis, quod habet quidem plenariam potestatem dispensandi in his Constitutionibus, nunquam tamen censendum eum dispensare, nisi id ipse in litteris patentibus expressè dicat se dispensare.* Et addit Constitutio quod tales litteræ nullæ sint, ac si nunquam existerent; atqui talis visitator in suis litteris patentibus concessis à Reverendissimo P. Generali non habet jurisdictionem ad dispensandum in prædictis Constitutionibus, ergo hoc non potest facere contra Constitutionum dispositionem.

Constitutio Ordinis.

15. Confirmatur, quia licet P. Generalis alicui det litteras patentes contra Constitutionem, quamvis in illis expressè dicat, quantum se extendit nostra potestas, in quantum possumus, & non faciat expressam mentionem de Constitutionibus, omne factum, quod fit contra Constitutionem est nullum, nulliùsque vigoris, ergo nunquam est intelligendum, quod Pater Generalis tribuat potestatem ad dispensandum in Constitutionibus, nisi id ipsum exprimat. Unde fit communis resolutio, quod tales Commissarii Generales, & Visitatores etiamsi in suis literis patentibus Generales illis concedant plenitudinem potestatis, non est intelligendum ut possint dispensare in statutis Ordinis, nec facere ea, quæ sunt specialissima Generalis. Ita Rodriguez *tom. 1. Reg. quæst. 54. artic. 1. & 2.* Miranda *tom. 2. quæst. 11 art. 3. conclus. 2.* Portel. *in dubiis, verb. Commissar. num. 1.* Fragosus *lib. 2. cap. 18. num. 6.* Hieron. Rodriguez *Resolut. 2. num. 9.* Peirinus *in Privileg. Minim. tom. 1. cap. 3. Constit. Julij 11. §. 29.* Eandem resolutionem de Visitatoribus, ac Commissariis Generalibus Religiosorum, de quibus agitur, tenet Mag. Lezana Socius P. Generalis, qui Constitutionem fecit, & optimè sciebat & penetrabat Generalis mentem *tom. 2. cap. 13. num. 30.* loquens de prædictis Visitatoribus, ac Commissariis Generalibus, ita ait: *Ea quæ vel jure, vel consuetudine Ordinum, solis Generalibus competunt, non poterunt facere; hæc enim cum sint specialiter nota digna, non veniunt in concessione generali juxta regulam juris 18.*

Rodrig. Miranda. Portel. Fragosus. Hieron. Lezana.

16. Probatur quintò, communi usu, ac universali consuetudine totius Religionis, neque enim in illa poterit reperiri aliquod exemplum in contrarium, neque aliquis Religiosus, licet valde Senio confectus recordabitur quod aliquis absque speciali commissione P. Generalis, vel Illustrissimi Domini Nuntii se intromittat ad elongandam, vel abbreviandam Capituli Provincialis celebrationem, ergo hæc absque prædicta auctoritate fieri non potest.

17. Probatur sextò. Quia culpa unius non retorquetur in damnum alterius; quod visitatori sua jurisdictio impediatur, non provenit ex culpa Provinciæ, sed ipsiusmet visitatoris: quia Provincia illum accepit, & recepit debita obedientia, & benignitate: & causa, ob quam visitator suam visitationem non continuavit, neque finivit, ex eo fuit, quia regiam non obtinuit facultatem, ergo non debet converti in notabile damnum Provinciæ,

quale eſt Capituli dilatationem, ex qua oritur maxima in tota Provincia confuſio.

Ad objecta.

18. Opponitur primò, pro contraria parte, quia tali viſitatori dedit, & commiſit P. Generalis vices ſuas (*Ac ſi præſentes eſſemus*) ſed P. Generalis juxta Ordinis Conſtitutionem poteſt elongare, vel abbreviare Capitulum Provinciale, ergo etiam idem poteſt præſens viſitator.

19. Reſpondetur, quod huic objectioni patet ſolutio ex multis capitibus. Primò, quia ex eo, quod P. Generalis juriſdictones viſitandi, ac præſidendi in Capitulo dejunxit, ac ſeparavit, non poteſt talis viſitator mittere falcem in meſſem alienam, ac ſe intromittere in Capituli celebratione, ut patet ex primo, & ſecundo fundamento. Secundò. Se non poteſt intromittere, quia poteſtas commiſſa viſitatori, non eſt in omni genere cauſarum, ſed tantum ad viſitandum, ac reformandum in ordine ad ſuam viſitationem, & limitata cauſa limitatum producit effectum, ut tenet Angelus *conſilio* 138. §. *viſis omnibus*. Tuſchus *tom.* 2. *litter. D. concl.* 404. Barboſa *de clauſulis uſu f. equentioribus clauſul.* 36. *num.* 48.

Angelus. Tuſchus. Barboſa.

20. Tertiò. Quia poteſtas data, ac conceſſa ipſi viſitatori eſt uſque ad octavam Paſchæ; celebratio autem Capituli peragenda eſt quindecim diebus poſt octavam Paſchatis, ac tempore poſt ejus juriſdictionem terminatam, verba autem taxativa ſunt excluſiva extenſionis, non ſolum de perſona ad perſonam, ſed etiam de caſu ad caſum, *l. Qui aliena*, §. *libertos*, *ff. de negotiis geſtis*. *l. Qui ſella*, §. *Qui autem*, *l. Inter actum*, *l. Certo genere*, *l. Lucius*, *ff. de ſervit. Ruſtic.* & multis aliis; caſus autem talis delegationis extitit viſitatio Provinciæ, ergo non extendendum ad alia. Quartò. Talis viſitator non poteſt ſe intromittere in Capituli celebratione, quia talis viſitator non poteſt in Conſtitutionibus Ordinis diſpenſare, ut patet ex 4. fundamento.

Leg. Qui aliena. Leg. Qui ſella.

21. Opponitur ſecundò, quia juxta Bullam Urbani VIII. in 3. anno ante Capituli celebrationem præcipitur, ut Provincia viſitetur, quia talis viſitatio eſt præparatorium quoddam ad Capitulum, ut agnoſcantur qualia nam ſint vota digna, ut in Capitulo admittantur, & conſerventur; & hoc eſt totum Adverſariorum fundamentum. Et confirmatur, quia in Religione D. Franciſci viſitatio ſemper Capitulum præcedit; ergo hoc idem in hac Religione (vbi præſens eſt difficultas) fieri debet.

Vrb. VIII. Statuta B. Franciſci.

22. Hoc argumentum falſis principiis, ac rebus nititur, abſque fundamento prolatis, quia in dicta Religione non extat, neque datur Bulla, vel breve Apoſtolicum, ſeu Decretum præcipiens, quod ante Capituli celebrationem detur talis Religionis viſitatio. Bulla enim Urbani VIII. ita habet: *Præcipimus in virtute ſanctæ Obedientiæ Provinciali pro tempore, ut expleto biennio ſui Officij ſtatim moneat Patrem Ordinis, quo ipſe, ſi pro ſua prudentia judicaverit expedire valeat de inſtituendo Commiſſario ad viſitandum pro tertia vice Provinciam deliberare, ſine præjudicio tamen ſuffragij Provincialis.* Et nihil circa Capituli celebrationem loquitur, & nullam Capituli mentionem facit, nec Capituli nomen pronuntiat, & tantum ex dicto Decreto colligitur, quod in triennio tres dentur viſitationes, & pro tertia, ſi videbitur expedire Reverendiſſimo P. Generali, poterit Viſitatorem, ſeu Commiſſarium creare; quæ quidem viſitatio non eſt neceſſaria, neque requiritur ad probanda, ſeu juſtificanda Capitularia vota, ſuper hoc enim attentè providet, Ordinis conſtitutio *part.* 4. *cap.* 23. ubi præcipitur, quod in omni Conventu eligatur Socius iturus ad Capitulum Provinciale, qui debet, & tenetur inquirere de culpis Gremialium intrantium tale Capitulum, & eas in Capitulo coram præſidente, & Patribus Deffinitoribus præſentare, ut ab illis examinentur, & ſæpè Gremiales ob tales culpas à dicto Capitulo ejiciuntur. Conſtitutio.

Et impertinens eſt dicere, quod per talem viſitationem Capitularia vota approbantur, vel juſtificantur; hoc enim ſine fundamento eſt aſſertum, cum ſæpiſſimè contingat, quod viſitator, ſex, vel ſeptem menſes ante Capituli celebrationem incipiat viſitare, ac proinde poſt ejus viſitationem in hoc, vel illo Conventu faciles poterunt tales Gremiales graves committere culpas, propter quas fiant inhabiles intereſſe Capitulo, quia talis viſitator de culpis futuris inquirere, vel judicare nequit; juſtificantur ergo talia vota per Sociorum examen, & propter ſimilia inconvenientia, præcipit Ordinis Conſtitutio loco citato, ut eligatur Socius infra octo dies, antequam Prior è Conventu recedat ad Capitulum Provinciale, qui quidem ſocius ſecum fert culpas in ſcriptis Gremialium, & inſuper ſtatum, domus, ſeu Conventus, & omnium rerum mobilium, & teſtimoniales literas directorum Conventus juſtificantes Priorem omnia ad ſui Officij munus optimè expleviſſe, & propter hanc cauſam in eodem Capitulo Provinciali, antequam ad electiones accedatur; omnes Priores, ſingillatim dicunt culpas ſuas, & ſi aliquis in illis deprehenſus invenitur, ſtatim rejicitur. Ad confirmationem reſpondetur, quod non licet tranſire ex vna Religione ad aliam, cum vnaquaque habeat ſua peculiaria ſtatuta valdè diverſa. 23. *Conſtitutio Ordinis.*

RESOLUTIO XXXV.

De Epiſcopis.

QUÆSTIO PRIMA.

An ex diſpenſatione Pontificis poſſit Epiſcopus conſecrari ab vno ſolo Epiſcopo?

SUMMARIUM.

1 *De Epiſcopis variis in locis multa ſunt dicta.*

2 *Ordinariè loquendo, ac ſecundum communem*

nem vsum Episcopus est à tribus Episcopis consecrandus.

Quod probatur ex factis Apostolicis, ac ex multis juris locis, ibid. & n. 3.

4 *An Papa possit dispensare ut ab vno solo consecretur, est dubitatio & certum quòd non potest dispensare, ut à simplici sacerdote consecretur.*

5 *Prima sententia negat hoc dispensari posse à Pontifice.*

6 *Secunda, & vera affirmat.*

7 *Probatur hæc sententia ex Canone Apostolorum.*

8 *Probatur ex Apostolo Simone Cananeo.*

9 *Probatur ex factis, ac dispensationibus Summorum Pontificum.*

10 *Clemens X. de facto dispensavit modo in Portugallia.*

11 *Ponitur argumentum adversariorum, & solvitur, & num. 12.*

13 *Præter materiam, & formam Sacramentorum omnia, quæ Christus fecit, non sunt simpliciter facienda in omni casu, & n. 14.*

1. MVlta, quæ ad Episcopos pertinent jam diximus supra, ut de approbatione confessarij *Resol. 23. de potestate ad dispensandum Resol. 26.* & multa alia ad munus Episcoporum spectantia variis in locis.

2. Conveniunt ergo omnes pro vtraque sententia citandi, ordinariè loquendo, ac secundum communem usum Ecclesiæ Episcopum à tribus Episcopis esse consecrandum. Ita omnes Auctores, quos infra pro utraque sententia referam. Probatur primo ex Paulo 1. ad Timoth. 4. num. 14. ubi ait Apostolus, *quod gratia sit ei data per impositionem manuum Presbiteri.* Quòd ut explicat Anacletus Papa *epistola 2. Decretalium. c. 2.* Ubi proponens modum qualiter Episcopus sit sacrandus, proponit factum Apostolicum à D. Petro, & ait: *Hierosolymitanus primus Archiepiscopus Beatus Iacobus, qui justus dicebatur, & secundum carnem Domini nuncupatus est frater, à Petro, Iacobo, & Ioanne Apostolis est ordinatus, successoribus videlicet dantibus formam eorum, ut non minus, quam à tribus Episcopis, reliquisque omnibus assensum præbentibus, ullatenus Episcopus ordinetur.* Quòd testimonium Anaceleti refert Anicetus. *Epistola unica ad Galliæ Episcopos, c. 1. in princ.* dicens: *Si autem non minus, quam à tribus Apostolis tantus fuit ordinatus Episcopus patet profecto, eos formam, statuente Domino, tradidisse, non minus, quam à tribus Episcopis, Episcopum ordinari debere.* Nota verba, dum dicitur Jacobus ordinatus à tribus, *eos servasse formam, statuente Domino.* Adverte tamen, quod Jacobus minor non fuerit ordinatus Episcopus ab illis Apostolis, sed antea immediatè fuerit à Christo, sicut & alij Apostoli, ab illis autem tribus fuerit assignatus, ac designatus Episcopus.

3. Probatur id ipsum ex multis locis sacrorum Canonum, *cap. Placuit omnibus, cap. Coëpiscopi 68. dist. cap. Episcopi, 80. c. Episcopum ob omnibus, dist. 94.* Et multis aliis in locis; proindeque, qui ab uno Episcopo consecratur, non ut verus Episcopus habendus, ut declaravit Jonnes III. in Epistola ad Episcopos Germaniæ, & Galliæ, quæ refertur 2. *tom. Concil.* & ita habet: *Omnia quoque maxima Concilia affirmant, eum non esse Episcopum, qui minus quam à tribus Episcopis, auctoritate etiã Metropolitani fuerit factus.* Qua etiam de causa Concilium Aquisgranense talem ordinationem ab uno irritam, & nullam esse voluit.

Concil.

Concil. Aquisgr.

De potestate Pontificis.

Tota difficultas est an Summus Pontifex possit dispensare, ut Episcopus non à tribus, sed ab uno solo Episcopo possit ordinari, ac consecrari, de quo fuit annis elapsis multa controversia in hoc regno. Et certum est, in quo omnes conveniunt, quod Summus Pontifex non potest dispensare, ut Episcopus valeat consecrari, & ordinari à simplici sacerdote; nam Episcopatus est supremus ordo in Ecclesia ex jure divino ordinatus ad sacerdotium complendum, ad sacerdotesque creandos, & ideo Episcopus est superior sacerdotibus, supremusque ordo in Ecclesia Dei, impertirique non potest, nisi ab eo, qui in tali ordine fuerit constitutus. Minor enim à majori debet benedictionem obtinere juxta Paulum Hebræor. 7. Nemo enim dare potest alteri id, quod nec formaliter, nec virtualiter habet. Ita supponunt omnes, & explicat Vasquez *tom. 3. ad 3. part. disp. 243. cap. 4. num. 42. & cap. 6. in princip.* contra Paludan. *in 4. disp. 7. quæst. 4. art. 3. num. 2.* & Aurelium apud Capreolum *dist. 25. quæst. 1. art. 2. in 3. Argumento*, asserentes ex dispensatione Pontificis posse à Sacerdote simplici consecrari.

4. Hebræor. 7. Vasquez. Paludanus. Aureolus. Capreolus.

Tota difficultas, an Pontifex possit dispensare, ut unus Episcopus ab alio solo Episcopo consecretur? Partem negativam tenet Castro Palaus *part. 4. de Sacram. tract. 27. disp. unica, de Sacramento Ordinis, punct. 14. num. 13.* & citat pro hac sententia Henriquez *lib. 10. cap. 24. §. 1.* Paulum Comitol. *in respons. moral. lib. 1. quæst. 48. n. 13.* Mart. Anton. Genuen. *in praxi Curiæ Archiepisc. Neaporitanæ, cap. 70. n. 26.* Barbosa *de potestate Episcopi, part. 2. allegat. 1. num. 45.* Sed Barbosa, & alij ferè Auctores loquuntur de lege ordinaria, ac secundum communem Ecclesiæ usum, præceptum, ac dispositionem.

5. Palaus. Henriq. Paul. Comit. Genuens. Barbosa.

Secunda communis, ac vera sententia, etiam in praxi posita, affirmat quod Summus Pontifex possit dispensare ut unus Episcopus ab alio solo Episcopo valeat consecrari, ac proinde quòd tres Episcopi ad hoc non sunt simpliciter necessarij. Ita Sanch. *lib. 7. cap. 1. dub. 15. num. 25.* Bellarm. *lib. 4. de notis Ecclesiæ, cap. 8. ante medium*, Vasquez *citat. disp. 243. cap. 6. à num. 63.* D. Anton. *in summ. part. 3. tit. 14. c. 6. §. 9.* Sylvester *verb. consecratio in princip.* Armilla *eodem num. 2.* Azor *tom. 2. lib. 3. cap. 30. vers. Quæret item*, Filliucius *in summa tom. 1. tract. 9. de Ordine, cap. 5. num. 106.* Ochogavia *de Ordine quæst. 7. n. 15.* Tannerus *tom. 4. disp. 7. quæst. 3.* Granadus *in 3. part. comment. 9. tract. 1. disp. 3. §. 1. num. 5.* Hurtadus *de Sacram. Ordinis, diff. 19.* Illustrissimus Dom. Roderic. à Cunha *in notis ad c. Episcop. 5. dist. 61. n. 2.* Machado *de Perfecto Confessore, tom. 2. l. 4. part. 6. tract. 1. document 6. n. 5.* Diana *part. 8. tract. 1. Resol. 31. §. Sed quidquid*, Farinacius ad Concil. Trident. *sess. 23.* refert ita fuisse decisum à sacra Con-

6. Sanchez. Bellarm. Vasquez. D. Anton. Sylvest. Armilla. Azor. Filliucius. Ochogavia. Tannerus. Granadus. Hurtadus. à Cunha. Machado. Diana.

gregatione Cardinalium, & Solorzanus citandus, qui teſtatur, quòd tempore Pii V. ita ſenſit, ac judicavit major, & melior pars Theologorum.

7. Probatur primò ex Canone Apoſtolorum, ubi ſtatuitur, quòd Epiſcopus ordinetur à duobus, vel tribus Epiſcopis, & idem habetur apud Clementem *lib.3. inſtitutionum, cap.20. & lib. 8. cap. 27. aliàs 33.* Quòd ſi poteſt fieri à duobus, non eſt neceſſe, quod fiat à tribus, & idem cenſere videntur Patres in Concilio Arauſicano *can.21.*

Clemens. Concil. Arauſic.

8. Maximè in rem noſtram, quod in caſu neceſſitatis ex diſpenſatione Pontificis poſſit fieri conſecratio talis Epiſcopi. Probatur, & primo; quia Apoſtolus Simon Cananeus apud Clement. *lib.8. Conſtit. cap. 27. aliàs 33.* Ubi poſtquam dixit Epiſcopum ordinandum eſſe à duobus, vel tribus addidit. *Quod ſi neceſſitas coëgerit ab uno ordinari, quod propter perſecutionem, aut aliam cauſam plures adeſſe non poſſint, afferatur decretum commiſſionis plurium Epiſcoporum.* Non dicitur, afferatur teſtimonium de conſecratione ipſius Epiſcopi, *ſed decretum commiſſionis*, Summi Pontificis diſpenſantis in pluralitate Epiſcoporum.

Clemens. Simon Apoſtolus.

9. Probatur ſecundò, & efficaciter, multi graviſſimi Summi Pontifices diſpenſarunt, ut ab uno ſolo Epiſcopo novus Epiſcopus conſecraretur; ergo valida eſt conſecratio ab uno tantùm Epiſcopo. Conſequentia patet, quia id quod Summus Pontifex facit, abſque dubio credendum eſt validè, & legitimè fieri ab eo ob peculiarem Dei aſſiſtentiam quam habet. Antecedens multis probatur; & primo ex dicto, & facto D. Gregorii Magni, qui prout refertur in reſponſionibus ad Auguſtinum Epiſcopum Angliæ *cap. 8.* & habetur *in 2.tom. Conciliorum.* Cum ipſe prædictus Auguſtinus eſſet tantùm Epiſcopus in Anglia, conceſſit dictus Gregorius ei, ut ipſe ſolus Epiſcopos conſecraret, cum verò plures eſſent Epiſcopi, tres adhiberet, juxta Canones receptos. Et Pius V. conſultis Doctiſſimis viris diſpenſavit, ut in India Epiſcopus ab uno ſolo Epiſcopo duabus dignitatibus mitratis, ſeu duobus Canonicis aſſiſtentibus valeat conſecrari, ut refert Solorzanus *de jure Indiarũ, tom. 2. lib.3. cap.6 n.38.* Et Gregorius XIII. diſpenſavit etiam cum Patriarcha Antiochiæ, ut ipſe ſolus poſſet alium Epiſcopum conſecrare. Ita obſervatur, ut conſecratio Epiſcopi ab uno ſolo Epiſcopo modo dicto fiat, & in India ita fit de facto ut inquiunt Solorzanus, & Diana citatus, & ſanctiſſimus Dominus Clemens X. modo præſidens in Eccleſia Dei conceſſit ut Epiſcopus ab uno ſolo Epiſcopo poſſet conſecrari; refero caſum.

D.Gregor. 2.Tom. Concil. Pius V. Solorzanus. Greg. XIII. Solorzan. Diana. Clem.X.

10. Cum in hoc Regno Portugalliæ ann. 1670. adeſſent multæ litteræ Apoſtolicæ, pro multis Epiſcopis electis, & jam confirmatis à ſanctiſſimo Domino Papa, & in hoc Regno Portugalliæ tantùm exiſteret unus Epiſcopus; nempe Illuſtriſſimus, ac Reverendiſſimus Dominus D. Franciſcus Raviza Archiepiſcopus Sidoniæ, & Nuntius Apoſtolicus in eodem Regno, conceſſit ſanctiſſimus Dominus Clemens X. ut ab ipſo ſolo Archiepiſcopo cum duabus dignitatibus aſſiſtentibus conſecraretur Illuſtriſſimus Dominus Alvarus de Sylva, Epiſcopus Ægytanus vulgò *da Guando*, & Dominus... Epiſcopus Braſilienſis, qui duo ſimul conſecrati ſunt ab uno Epiſcopo ſimul cum duabus dignitatibus aſſiſtentibus in Conventu D. Benedicti, cum præſens adeſſet magna pars omnium Eccleſiaſticorum, ac principum, & magnatum totius civitatis, cum multa populi turba die 8. Iunij 1670.

Clem.X.

11. Arguit Caſtro Palaus pro ſua ſententia; quia Pontifex nequit diſpenſare in materia, & forma Sacramentorum; atqui materia conſecrationis Epiſcopalis non eſt tantùm unius Epiſcopi manus impoſitio, ſed plurimorum, ut patet ex Paulo jam citato 1. Timoth.4. *Per impoſitionem manuum Presbyteri*; ergo non una manus, ſed plurimorum requiritur. Deinde quia hæc forma conſecrationis in ordinatione Epiſcopi, ut ait Anicetus Papa ſuprà citatus non videtur tradita à Domino; ergo non poteſt mutari ab Eccleſia.

Palaus. 1.Timot.4. Anicetus.

12. Ad argumentum reſpondetur verum eſſe Eccleſiam nihil poſſe mutare in materia, ac forma Sacramentorum, utpote quid eſſentiale; at materia conſecrationis Epiſcopi non eſt impoſitio manuum trium, ſed unius Epiſcopi ordinati; nam hic eſt, qui conſecrat, & dat poteſtatem, alii verò ſunt tanquam Coadjutores, & ut aſſiſtentes; nec locus Apoſtoli aliquid in contrarium probat, quia juxta communiorem ſententiam, Benedictum Iuſtinianum & Cornelium Apoſtolus loquitur de ordinatione ſacerdotis, quia ordinatus per manuum impoſitionem debet recipere protectionem, ac plenitudinem gratiæ ad ſuas functiones peragendas; hoc enim ſignificat in ſcriptura manus impoſitio. Sic Moyſes poſuit manus ſuper Ioſue *Numeror.27.num.18.* & Chriſtus Dominus ſuper pueros, *Matth.19.num.13.* & ut notat D. Hieron. *in cap. 59. Iſaiæ* apud Græcos, ordinatio Sacerdotis dicitur manus impoſitio. Deinde adverte, quòd Apoſtolus ait: *Per manus Presbyteri* in ſingulari; non verò per manus Presbyterorum in plurali, quia non multi, ſed unus tantum requiritur.

Iuſtinian. Cornelius. Num.27. Matth.19. D.Hieron.

13. Ad confirmationem decimus, quòd quamvis in omnibus debeamus ſequi, & imitari Chriſtum, non tamen in omnibus ſimpliciter, & in omni caſu, exceptis quæ pertinent ad materiam, & formam Sacramentorum, quia ſi fiat in his mutatio, & aliqua varietas, tota eſſentia, & natura Sacramentorum mutatur; in aliis verò non ſemper de neceſſitate ſequendum id, quod Chriſtus Dominus fecit; nam Chriſtus conſecravit in pane azymo, ut tenet Eccleſia, Latina, & ait D. Lucas 23. *Erat dies Azymorum*, ut latè ſuo loco *tom.5.* dixi; & tamen ſi Sacramentum fiat in pane fermentato, cùm ſit verus panis, valide fit Sacramentum, ut definivit, *Concilium Florentinum in decreto de Armenis, §.tertiò in Euchariſtia.* Item Chriſtus Dominus conſecravit in vino mixto aqua, ut docet Innocentius *c. cum Martha*, Et alii Pontifices, quod ex multis congruentiis, probat D. Thomas *3.part.q.74. art.6.* & omnes Theologi, quia colligitur ex ſobrietate, ac temperantia Chriſti Domini, & quia ex latere ejus *fluxerũt ſanguis, & aqua.* Et tamen ſi quis conſecraverit in vino puro, valide fiat conſecratio, ut docet D. Thomas citata *quæſt.art.7.*

13. Luc.23. Florentin. Innocent. D.Thom.

Sacra

14. Sacramentum Confirmationis inſtitutum eſt à Chriſto, itaut ejus miniſter ordinarius eſſet Epiſcopus, ut docet Trident. *ſeſſ. 7. can. 7.* & Apoſtoli, qui erant ordinati Epiſcopi à Chriſto Domino ipſum Sacramentum Confirmationis miniſtrabant: de hoc Sacramento intelligitur illud, *Actor. 8. num 17. Imponebant manus ſuper eos, & accipiebant Spiritum ſanctum.* Et tamen Pontifex poteſt diſpenſare, ut ſimplex ſacerdos illud adminiſtret, *cap. Pervenit, 95. diſt.* & multis aliis, quod optima ratione ſic ordinatum fuit, ne ob defectum Epiſcoporum, plures hoc Sacramento privarentur. Ita docent D. Thomas *3. part. quæſt. 72. art. 11.* Navar. *cap. 22. num 8.* Covar. *lib. 1. variarum cap. 10. num 6. & 14.* Suar. *tom. 3. ad 3. part. diſp. 36. ſect. 2 poſt princip.* Layman. *lib. 5. ſum. tract. 3. cap. 8.* Bonac. *tom. 1. diſp. 3. de Sacram. quæſt. vnica, punct. 2. num. 3.* Caſtro Palaus *de Sacram. part. 4. tract. 20. punct. 9. n. 3.* Sicut ergo Chriſtus inſtituit, quod miniſter Sacramenti Confirmationis, ita eſſet Epiſcopus ut in caſu neceſſitatis poſſet Pontifex diſpenſare, ut ſit ſimplex ſacerdos, ne ob defectum Epiſcoporum fideles tanto Sacramento defraudentur; ſic etiam inſtituit, ut Epiſcopi conſecrarentur à tribus Epiſcopis, tamen in caſu neceſſitatis diſpoſuit, quod ex commiſſione Pontificis ab vno ſolo valeat conſecrari, ne ob penuriam Epiſcoporum Eccleſiæ, ac fideles debito paſtore defraudentur.

QUÆSTIO II.

Vtrùm Epiſcopi jure divino, vel humano poſſint leges condere in ſua Diœceſi?

SUMMARIUM.

15 *Poteſtas ordinis in Epiſcopis eſt de jure divino.*

16 *Epiſcopi, qui habent ſubditos, habent juriſdictionem.*

17 *Quæſtio eſt à quonam habeant Epiſcopi juriſdictionem, à Chriſto, an à Papa.*

18 *Prima ſententia affirmat eorum juriſdictionem eſſe immediatè à Chriſto.*

19 *Secunda, & vera, à Pontifice Romano.*

20 *Probatur ex verbis Chriſti Domini.*

21 *Probatur ex Leone Papa, ac Gregorio.*

22 *Probatur 3. & 4. rationibus, & n. 23.*

24 *Ponitur primum argumentum, & ſolvitur, quod Epiſcopi ſuccedunt Apoſtolis non in Apoſtolatu, ſed in conſecratione, & num. 25. & 26.*

27 *Ponitur ſententia, quod Petrus alios Apoſtolos declaravit Epiſcopos.*

28 *Ponitur ſecundum argumentum, & ſolvitur quod Epiſcopi conſtituuntur in Eccleſia ex inſpiratione Spiritus ſancti, & n. 29.*

30 *Poteſtas juriſdictionis in Epiſcopis habet connexionem ex jure humano cum poteſtate ordinis, ducunt tamen originem ex jure divino.*

31 *Tertium argumentum ex D. Cypriano, ac D. Paulo ſolum probat, quod D. Petrus ex inſpiratione Spiritus ſancti poſuit Epiſcopos.*

32 *Quartum argumentum, quod in Eccleſia antiquitus Epiſcopi eligebantur à Clero, & populo ex conſenſu Romani Ptionficis, & num. 33. & 34.*

35 *Nec obſtat, quod Epiſcopus dicat ſibi commiſſa poteſtate à Pontifice, nec ſequitur quod ejus poteſtas ſit delegata, cum ſit ex vi muneris ſui.*

15. IN Epiſcopis duplex poteſtas poteſt conſiderari, vna ordinis, altera juriſdictionis. Poteſtas ordinis eſt in Epiſcopo de jure divino inſtituta, & ab ipſo immediatè data; vndè ſi Epiſcopus diſpoſitus, vel privatus, ordines conferat, validè agit, licet illicitè. Hoc enim provenit à poteſtate ordinis, quam ſolus Chriſtus potuit inſtituere, & dare, licet in conſecratione Epiſcopi interveniat actio miniſtri, applicans materiam, efficiendo conſecrationem, tamen tota ipſa poteſtas ordinis eſt immediatè à Chriſto.

16. Secundò certum eſt, quod Epiſcopus, qui habet ſubditos, habet juriſdictionis poteſtatem condendi leges, ac imponendi cenſuras. Ita Canoniſtæ *in rubrica, & cap. Cùm omnes,* Cap. cum. omnes. *& in cap. Cum acceſſiſſent. de conſtitutionibus.* Et probatur ex multis juris locis, *cap. 1. de conſecratione, diſt. 3. cap. 2. de locat. cap. 2. de majoritate, & obedientia, & cap. 2. de Conſtitut. in 6.* & cohæret, cum doctrina S. Pauli: cum Epiſcopis loquens, Actor. ait Actor. 21. *Vos Spiritus ſanctus poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei*; & ad gubernandum talis poteſtas legiſlativa requiritur. Deinde Epiſcopi ſunt paſtores animarum; ergo debent habere juriſdictionem, ut poſſint eas regere, gubernare, ac paſcere, dixi Epiſcopos, qui habent ſubditos, quia cum hos non habeant Epiſcopi titulares, nullam habent juriſdictionem.

17. Quæſtio ergo ſolum eſt de poteſtate juriſdictionis, quam Epiſcopi habent ad gubernandas ſuas Eccleſias per leges, & cenſuras, & alia hujuſmodi, an talis poteſtas ſit eis immediatè data à Chriſto, in eorum ordinatione, an à Romano Pontifice, quando eos creat, & confirmat, & in hoc ſenſu eſt quæſtio valdè agitata, & eſt duplex ſententia in ea.

18. Prima ſententia in hac materia tenet Epiſcopos immediatè à Chriſto Domino habere poteſtatem ferendi leges, & cenſuras. Ita Victoria *relict. 2. de poteſtate Eccleſia* Petrus Sotus, & alter Sotus, quos citat, ac ſequitur Vaſquez *1. 2. diſp. 152. cap. 3. num. 28.* Lorca *diſp. 12. §. tertiò afferendum*; eam judicat probabilem Salas *diſput. 8. ſect. 4.* & in ejus favorem ſolvit argumenta contraria. Caſtro ita hanc ſententiam *ut de juſta hæreticorum punitione, cap. 24.* Ut dicat oppoſitum eſſe contra omnium ſacrorum Doctorum ſententiam. Victoria. Sotus. Vaſquez. Lorca. Salas. Caſtro.

19. Secunda ſententia affirmat poteſtatem juriſdictionis in Epiſcopis dari ex jure humano à Pontifice Maximo. Ita D. Thomas *4. contra Gentes, cap 76. ratione 4. & in 2. diſt. 44. in fine, in expoſitione litteræ,* Cajetan. *tom. 1. Opuſculor. tract. 1. cap. 19.* Bellarm. *lib. 4. de Romano Pontifice, cap. 24.* Durandus, Sotus, Herveus, & alii, quos citat, ac ſequitur Suar. *lib. 4. de leg. cap. 4. num. 5. & de cenſuris, diſp. 1. ſect. 2. num. 7.* Bonac. *diſp. 1. quæſt. punct. 3. n. 5.* Caſtro Palaus *part. 1. tract. 3. diſp. 1. punct. 23. num. 4.* Ariaga quamvis D. Thom. Cajetan. Bellarm. Durand. Sotus. Herveus. Suar. Bonacina. Palaus. Ariaga.

quamvis aliquam diſtinctionem intendat ponere maximè in hanc ſententiam inclinat, *tom.4. diſput.18.de leg.ſect.3.ſubject.2.*& Salas citatus.

Salas.

20. Probatur: Primò ratione D. Thomæ, Chriſtus Dominus ſoli Petro, ejuſque ſucceſſoribus dixit: *Tibi dabo claves Regni cœlorum*,& iterum, *Paſce oves meas*: Ideſt poteſtatem clavium, ſeu juriſdictionis ad gubernandum, & paſcendum, ergo hæc poteſtas ſolùm data eſt Petro, & ejus ſucceſſoribus. Probatur conſequentia, quia ſolus Chriſtus Dominus potuit dare hanc poteſtatem, & tamen ſoli Petro, & ejus ſucceſſoribus dedit; ergo ſolis illis competit hæc juriſdictio.

21. Leo Papa. Probatur, quia definitum eſt à Leone Papa, *cap. Ita Dominus, 19. diſtinct.* Ubi agens de Petri poteſtate, ait illi à Chriſto Domino fuiſſe donatum, ut ab ipſo quaſi à quo capite, dona ſua, velut in omne corpus diffunderet; D.Gregor. & Gregorius *in cap. Decreto, 2. quæſt. 6.* ait: *Romana Eccleſia vices ſuas ita aliis impartivit Eccleſiis,ut in partem ſint vocatæ ſolitudinis,non in plenitudinem poteſtatis.* Verba illa *vices ſuas aliis Eccleſiis impartivit*, apertè ſignificant aliarum Eccleſiarum paſtores, à Romano Pontifice habere vicem, & poteſtatem.

22. Probatur, & ratione; ſi Epiſcopi immediatè receperunt à Chriſto poteſtatem legiſlativam, Pontifex Romanus non poteſt illorum poteſtatem minuere, coarctare,aut tollere, ſed eſſent omnino à Pontifice independentes, utpotè habètes juriſdictionem à ſuperiore, nempe Chriſto conceſſam. Conſequens eſt omnino falſum; ergo & antecedens. Confirmatur; quia ſi Epiſcopus immediatè accipit poteſtatem à Chriſto Domino, quando Epiſcopus delinquit, & eſt hæreticus Pontifex ſolum eum declarabit delinquentem, & Deus auferet poteſtatem ut communiter dicitur de Summo Pontifice; atqui hoc non eſt dicendum, ſiquidem Concilia, ac jura, *cap. ad abolendum de hæreticis*, & mille alia ordinant Epiſcopos hæreticos, & ſchiſmaticos eſſe privandos, ac deponendos à Summo Pontifice; ergo dicendum quod Pontifex, eos deſponit, ac privat, eiſque aufert juriſdictionem, aliàs Concilia, & jura impropriè loquuntur.

Cap.adabolendum.

23. Probatur quartò; quia Epiſcopus electus, ac confirmatus tantum ante conſecrationem poteſt efficere ea omnia, quæ ſunt juriſdictionis Epiſcopalis, dare indulgentias, excommunicare, & alia ſimilia, *cap.1.& 2.de tranſlatione Epiſcoporum, cap. Tranſmiſſum de electione*; de quo latè Sanchez *lib. 8. de matrim. diſp.2. num.11.* Ergo talis poteſtas juriſdictionis in Epiſcopis non provenit ex vi ſuæ ordinationis, ſed ex commiſſione Eccleſiæ, quæ talem juriſdictionem dat Epiſcopo. Confirmatur efficaciter ex Pontifice Romano, quod eſt primum exemplar in hac materia; quia Pontifex ex eo ipſo, quod eligitur, eſt verus Papa, & poteſt omnem ſuam juriſdictionem papalem externam exercere, verbi gratiâ, excommunicare, concedere indulgentias, quamvis tunc electus non ſit Epiſcopus, vel Sacerdos, ut notat Suar. *citato lib. 4. de leg cap. 4. num. 11.* Et poſtea ſit ordinandus, ac ſacrandus, & tamen ante conſecrationem licitè, & validè talem juriſdictionem exercet, ergo ſicut juriſdictio papalis non eſt actus ordinis, vel conſecrationis; ergo nec etiam erit actus juriſdictio Epiſcopalis, cum Epiſcopalis dignitas ſit quædam participatio Papalis dignitatis.

Cap.Tranſmiſſum. Sanchez. Suar.

Arguunt primò adverſarii: Epiſcopi ſunt ſucceſſores Apoſtolorum, ut dicitur, *cap. In novo diſt.21.*& in Concil.Trident.*ſeſſ.23 cap.4.* Arqui Apoſtoli habuerunt immediatè juriſdictionem à Chriſto Domino; ergo & Epiſcopi, cùm ſint ejus ſucceſſores. Major patet ex citatis locis; minor probatur ex verbis Chriſti ad Apoſtolos, Matth. 18. *Quæcunque ligaveritis ſuper terram,ligata erunt & in cœlis*, & Ioan.20. eis dixit Chriſtus, *Sicut miſit me vivens Pater, & ego mito vos*, id eſt, ut explicant ſancti Patres; ut ſuo loco dixi eadem auctoritate, qua Deus Pater miſit me, & ego mitto vos, ſicut & Papa ſuccedit Petro, ita & Epiſcopi Apoſtolis.

24. Trident. Matth.18. Ioan.20.

Reſpondetur, quod in Apoſtolis fuit duplex dignitas, una Apoſtolatus altera conſecrationis, ſeu ordinis Epiſcopalis. Apoſtoli per Apoſtolicam dignitatem acceperunt à Chriſto plenariam poteſtatem ſuper univerſam Eccleſiam, quòd fuit convenientiſſimum, quia ipſi erant dividendi per regiones longiſſimas, & idcò neceſſarium, ut daretur eis pleniſſima poteſtas ad creandos Epiſcopos, ac multa alia; & hanc excellentiſſimam poteſtatem Apoſtolatus per modum cujuſdam legationis, ut explicat Bellarm. loco citato receperunt immediatè à Chriſto de quibus agitur locis citatis, Matth. & Ioannis. Acceperunt etiam Apoſtoli à Chriſto conſecrationem, ſeu ordinationem ſacerdotalem, vel cum novo charactere, vel cum extenſione characteris ſacerdoralis, juxta varias ſententias. Et quod hæ duæ dignitates in Apoſtolis diſtinguantur, patet, quia Paulus fuit Apoſtolus, & habuit plenariam poteſtatem Apoſtolicam, & tamen non legitur quod fuiſſet creatus Epiſcopus alicujus Eccleſiæ particularis, licèt omnium Eccleſiarum habuerit ſolicitudinem, *2.Corinth. 11.*

25. Bellarm. 1.Corinth. 11. 26. Anicetus. Turrecremata. Lorinus.

Inde doctrinæ gratia addo, quod ut dixi ſuperiori *quæſt. num...* Anicetus Papa teſtatur quod Iacobus minor fuerit ordinatus Epiſcopus à D. Petro, imò Turrecremata *in ſumma de Eccleſia, part. 2. cap. 42.* Lorinus *in acta Apoſtol. cap. 13.verſ.3.§.magnum eſt, & cap. 20. verſ. 28. §. Porrò hoc.* Qui docent, quòd Chriſtus Dominus immediatè ordinaverit ſolùm Petrum, qui ſuos Coapoſtolos ordinavit, quod ita intelligo, ut dixi ſuperiori quæſtione citato loco quod omnes Apoſtoli immediatè fuerunt à Chriſto Domino ordinati Epiſcopi, Petrus tamen eos manifeſtavit, declaravit, ac publicavit Epiſcopos. Inſuper exiſtimo, quod ipſa diviſio terrarum inter Apoſtolos auctoritate D. Petri facta eſt, ut Iacobus abiret in Hiſpaniam, Thomas in Indiam, Matthæus in Æthiopiam, &c.

27. Ad argumentum in forma reſpondetur, quod Epiſcopi ſuccedunt Apoſtolis, non in dignitate Apoſtolica; nam hæc fuit extraordinaria, & per modum cujuſdam legationis, alias Epiſcopi haberent juriſdictionem in toto orbe, & eſſent æquales in poteſtate cum

cum Romano Pontifice, quòd eſt falſum, ſuccedunt ergo in ordinatione Epiſcopali ſecundum ſe, verbi gratiâ, ad creandos ſacerdotes, & alia. Dixi ſecundum ſe, quia non in modo habendi ſuccedunt; nam Apoſtoli habuerunt ordinationem immediatè à Chriſto; Epiſcopi verò illam habent mediante Romano Pontifice. Et quamvis Apoſtoli habuiſſent ordinationem, ſeu conſecrationem Epiſcopalem à Chriſto, tamen diviſio ſedium, ac terrarum facta eſt determinatione humana à D. Petro, ut jam dixi. An verò Pontifex Romanus ſuccedat Petro ut Apoſtolo, negat Bellarm. & ait, quòd illi ſuccedit ſecundum id, quod fuit Paſtor univerſalis. Alii verò videntur affirmare, ſuccedere Petro etiam ut Apoſtolo, pro quo facit Suar. *citatus numero* 21. prout ait, Apoſtolatum eſſe quendam Epiſcopatum univerſalem totius Eccleſiæ, & hunc habet Summus Pontifex ex ſuo jure ordinario. Et inde negamus, quòd ita Epiſcopi ſuccedunt Apoſtolis, ut Pontifex Romanus Petro, ut patet ex dictis.

Bellarm.

Suar.

28. Arguunt ſecundò adverſarii: Epiſcopale munus eſt de jure divino non ſolum quoad conſecrationem, & ordinis poteſtatem, ſed etiam quoad juriſdictionem, neceſſariam ad ferendas leges, ac gubernandas Eccleſias; Quod totum probatur ex Paulo Actor. 20. dicente: *Attendite vobis, & univerſo gregi, in quo vos poſuit ſpiritus Epiſcopos, regere Eccleſiam Dei.* Ubi verbum *regere*, aperte ſignificat poteſtatem juriſdictionis, ſine illa quomodo poſſunt regere Eccleſiam Dei? ergo utraque eſt de jure divino in illis. Et confirmatur, quia utraque poteſtas ordinis, ac juriſdictionis, ita eſt inter ſe connexa, ut videatur, quod una non poſſit ſeparari ab alia.

Actor. 20.

29. Reſpondetur, quod poteſtas ordinis in Epiſcopo eſt de jure Divino, poteſtas autem juriſdictionis licet habeat originem à jure Divino, tamen talis poteſtas formaliter eſt ex jure humano, ut explicabo in ſolutione Confirmationis. Nec locus Pauli aliquid probat contra hoc: *Spiritus ſanctus poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei*, ideſt, ut communiter explicant Expoſitores, Lorinus, Cornelius, & alii, Spiritus ſanctus inſpiravit Petro, ſeu Petrus ex inſpiratione Spiritus ſancti poſuit Epiſcopos ad regendam Eccleſiam; ſic & Apoſtoli in Concilio Actorum 15. dixerunt: *Viſum eſt nobis, & Spiritui ſancto*: ideſt viſum fuit nobis Spiritu ſancto inſpirante; Sic & Rex dicitur datus à Deo, cùm ipſe ſic creatus, & accipiat juriſdictionem à populo, tamen illa voluntas populi mota fuit à Deo, & ideo Rex dicitur datus à Deo; ſic & Ioſeph fratribus; qui eum vendiderunt in Ægyptum, dixit: *Non veſtro conſilio, ſed Dei voluntate, huc miſſus ſum.* Gen. 45. num. 8. Quia Deus ex illa præmiſſa venditione Ioſeph ordinavit eum in communem ſalutem, ſic & Divinus ſpiritus inſpiravit, & movit voluntatem Petri, ut Epiſcopos crearet, ac poneret, ad regendas Dei Eccleſias.

Lorinus. Cornel.

Gen. 45.

30. Ad confirmationem dicimus, quod in Epiſcopis poteſtas ordinis, & juriſdictionis habent inter ſe formaliter connexionem ex jure humano, non vero ſimpliciter, & abſolute; nam Epiſcopus titularis, ut jam dixi ſupra, habet poteſtatem ordinis, non vero juriſdictionis. Tamen in Epiſcopo habente ſubditos, licet poteſtas juriſdictionis formaliter habeat connexionem cum poteſtate Ordinis ex jure humano, originem tamen ducit ex jure divino; quia ut optime docet Bellarminus citato loco, Pontifex ex jure divino tenetur creare, ac inſtituere Epiſcopos, & juriſdictionem eis dare ad exercendum debite ſuum munus paſtorale, ſicut licet ſacerdotes in ſua ordinatione accipiant poteſtatem incompletam, & inchoatam ad abſolvendum à peccatis, quæ completur per poteſtatem humanam Prælatorum Eccleſiaſticorum, ut patet ex antiquiſſimis conſtitutionibus Eccleſiæ, à tempore Cœleſtini Papæ, & noſtri ſancti Dionyſii, & poſtea ab Vrbano 2. *Cap. Placuit.* Et tamen Prælati Eccleſiaſtici tenentur ex jure divino approbare confeſſores, quia de jure divino eſt, ut fideles confiteantur; & ita quamvis juriſdictio Epiſcopalis ſit de jure humano, tamen Papa tenetur ex jure divino dare, & inſtituere Paſtores ad conſecrandos ſacerdotes, ad regendas Eccleſias.

Bellarm.

Cœleſtinus. Dionyſius. Urban.

31. Arguunt tertio D. Cypriano *lib. 4. epiſtol. 9.* dicente Epiſcopos à Chriſto D. fieri, à quo & Apoſtoli creati ſunt. Quod etiam probatur ex Paulo ad Epheſios 4. *Ipſe dedit quoſdam quidem Apoſtolos, alios Prophetas, alios Paſtores, alios Doctores*; Ubi nomine Paſtorum intelliguntur Epiſcopi, ut exponunt D. Hieron Origenes, Theophylactus, & alii. Reſpondetur ad Divum Cyprianum, & Paulum, ut dictum eſt in ſuperiori argumento, Chriſtus ordinavit, dedit Paſtores inſpirando Petrum, ut ipſos Epiſcopos daret, ac crearet, vel dedit ſecundum ordinem, vel conſecrationem Epiſcopalem, D Auguſtin. *epiſtol. 59.* D. Hieron. D. Anſelm. volunt eoſdem eſſe paſtores, ac Doctores, D. Ambroſius ſic explicat locum Pauli, quod paſtores ſint lectores, qui ſuis lectionibus paſcunt, & dant alimenta populo, Doctores ſint Magiſtri, qui verbis, ac auctoritate ſua coërcent populum.

D Cypriam. Epheſ. 4. D Hieron. Origenes. Theophyl. D. Auguſt. D. Hieron. D. Anſelm. D. Ambroſ.

32. Arguunt quartò; in principio Eccleſiæ Apoſtoli creabant Epiſcopos, etiam inconſulto Petro, & deinde cæperunt fieri Epiſcopi per electionem Cleri, aut populi, abſque recurſu ad Summum Pontificem, & ſtatim habebantur ut Epiſcopi legitimi; ergo ſignum eſt Epiſcopis illam poteſtatem non dari à Summo Pontifice, ſed immediate à Deo; nam in prædicto caſu Clerus, & populus ſolum deſignabant perſonam, cui conferebatur poteſtas à Deo, ut communiter dicitur de Romano Pontifice. Confirmatur, quia ſi Epiſcopus accipit juriſdictionem à Papa, quando condit leges, & imponit cenſuras, debet dicere ſe hoc facere poteſtate data à Pontifice, ſed hoc non debet dicere, aliàs erit legatus, & non ordinarius Paſtor ſuarum ovium.

33. Reſpondetur, quòd omni tempore ſemper Epiſcopi habuerunt dependentiam in ſua juriſdictione à Summo Pontifice; nam licet Apoſtoli haberent juriſdictionem ſuper totum orbem, & crearent Epiſcopos, tamen tales Epiſcopi ſubjicebantur Petro, ſicut & ipſi Apoſtoli Petro, ut univerſali capiti totius Eccleſiæ, & tales Epiſcopi creati ab Apoſtolis

ob

ob defectus, & culpas poterant privari à Petro, & eorum leges, ac cenſuras irritare, ac proinde in ſua conſervatione dependebant ab ipſo. Quòd verò poſt mortuos Epiſcopos electos ab Apoſtolis, Clerus, & Populus eligerent Epiſcopos, factum eſt ex conſenſu, ac permiſſione Romanorum Pontificum, quia ob magnam perſecutionem tyrannorum, ob magnamque locorum diſtantiam, & quia faciliter non dabantur tabellarii, nec communicatio cum Sede Apoſtolica; ideo ſanctiſſimi illi primi Pontifices tanquam Patres maximè providi, ne populi perirent abſque Paſtoribus, permiſerunt, ac ratum habuerunt, ut Epiſcopi eligerentur à Clero, ac Populo; Anacletus Pontifex V. à D. Petro, *circa annum Chriſti* 100 *cap. ultimò, diſt.* 79. Conſonât ſequentes Pontifices, Stephanus I. *in cap. Noſce. ibi convocato Clero, & Populo*, Celeſtinus I. *in cap. Clerici*, Leo I. *in cap. Vota cum ſequentibus*, 63 *diſt.* Hæc, & multa alia Barboſa *de poteſt. Epiſcopi, part.* 1. *tit.* 1. *cap.* 3. *num.* 4 & 5. Ac proinde ſemper Epiſcopi habuerunt ſuam juriſdictionem ex conceſſione, & approbatione Summi Pontificis.

Anacletus. Stephan I. Celeſtin. I. Leo. I. Barboſa.

Ad confirmationem, quòd bene poteſt Epiſcopus dicere, à Romano Pontifice poteſtate mihi facta, ſæpe ſæpius vidi multa Decreta, ac edicta Paſtoralia Archiepiſcoporum, & Epiſcoporum in hunc modum, verbi gratiâ D. Michaël à Caſtro Archiepiſcopus Olyſſippon. *Gratia, & beneficio ſanctæ ſedis Apoſtolicæ*, nec ex eo quòd dicat poteſtate mihi facta à Papa, ſequitur ipſum eſſe delegatum; non enim in hoc differunt poteſtas ordinaria, ac delegata, quòd ordinaria non ſit ab alio, ſic & delegata habeatur: ſed in hoc diſcriminantur, quòd ordinaria habeatur ex vi proprii muneris, quamvis tale munus ab alio habeatur; unde qui habet tale munus, utitur ipſa juriſdictione, tanquam proprius Dominus. Unde ſenator Regius, qui ex vi ſui muneris habet hominem damnare ad mortem ſi dicat poteſtate Regia mihi facta, ſententiam mortis profero in Petrum, hoc eſt per accidens cum ex vi ſui muneris habeat illam poteſtatem ordinariam. Poteſtas delegata non ſic ſe habet ex vi proprii muneris, ſed ex quadam conceſſione ad nutum facta, unde utens tali juriſdictione non ſe habet ut Dominus, ac ut cauſa principalis, ſed ut inſtrumentum motum ab alio ut dependens ab ejus influxu, à quo dimoveri poteſt.

RESOLUTIO XXXVI.

De Sacroſancto Euchariſtiæ Sacramento.

QUÆSTIO PRIMA.

Suprema, & alta vigilantia tabernaculum Sacræ Euchariſtiæ cuſtodiendum eſt in Eccleſia.

SUMMARIUM.

1 *Sacra Euchariſtia, ut ſupremum bonum totius Eccleſiæ, ſummo cultu, ac reverentia, à nobis eſt veneranda.*
2 *Audax, & ſacrilega temeritas.*
3 *Pro cuſtodia Sacræ Euchariſtiæ novus cuſtodiæ modus requirendus.*
4 *In quinque locis diſtinctis Deus præcipiebat Levitas, & Sacerdotes cuſtodire tabernaculum.*
Talis Cuſtodia, ac vigilia maxime recõmẽdatur Principibus, ac Magnatibus, ibid.
5 *Cur Deus tantam cuſtodiam, ac vigiliam requirebat in Templo.*
6 *Sacri Apoſtoli, ac ſancti Patres maxime cuſtodiebant hoc Sacramentum illud ſecum habentes.*
7 *Quæ cuſtodia maxime adhibenda eſt hac noſtra ætate.*
8 *Remedium quod apparet opportunum.*

SUPREMUM bonum totius Eccleſiæ, eſt diviniſſimum, ac altiſſimum Euchariſticum Sacramentum, in quo vere, realiter, ac ſubſtantialiter adeſt præſens Chriſtus Dominus verus Deus, & homo; de quo intelligitur id, quod ipſe de ſe dixit, Matth. 28. *Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus uſque ad conſummationem ſeculi.* Inde à nobis ſuprema veneratione, ſumma reverentia, ac profundiſſimo cultu, omni affectu tantum myſterium recolendum eſt. 1. Matth. 28.

Tamen audax temeritas diabolo ſuggerente, non dubitat ſacrilegas, ac maledictas manus in tam ſublime, & altiſſimum myſterium mittere, ut anno elapſo contigit: Homunculus quidam, ex infima, ac abjectiſſi ma plebe ex oppido quodam apud *Cuntanhede*, animo furandi ſacram pyxidem, etiam ſanctiſſimum Sacramentum ex ſuo loco furatus eſt, quod totum Regnum ſummo dolore, triſtitia, ac mæſtitia affecit, & inde ego pro cuſtodia diviniſſimi Sacramenti, hoc breve notabile feci, quod multis, & magnis viris placuit, & inde pro reverentia tanti Sacramenti illud hic appono. 2.

Ait D. Paulus 2. Corinth. 5. num. 14. *Charitas Chriſti urget nos*, ut explicat P. Paſchaſ. *lib.* 7. ad ſæpe loquendum clamandum, ac non tacendum, cum videamus tam grave, & abominabile ſacrilegium in eo, quòd eſt pretioſiſſimum totius Eccleſiæ, ut eſt diviniſſimum & altiſſimum Sacramentum; nam quamvis Summus Pontifex Innocentius III. *cap. ſtatuimus, de cuſtodia Euchariſtiæ*, ſanctiſſimè decrevit in generali Concilio, quod ſacratiſſima Euchariſtia haberetur repoſita in ſacrario bona, ac competenti clave recluſa, tamen ut optimè D. Auguſtin. *in Enchirid. cap.* 7. quod cum malitia humana excreſcit, & commune remedium non ſufficit, multa diligentia novus modus perquirendus eſt, & nullus ſanè videtur aptior, ac convenientior, quam ille, quem Deus diſpoſuit, ac ordinavit in lege antiqua, quæ erat, ut ait Apoſtolus 1. Corinth. 10. *n.* 11. Umbra, & figura illorum, quæ Deus diſponebat ad legem gratiæ, qua Dei benignitate in præſentiarum feliciſſimè fruimur, & gaudemus. 3. 2. Corinth. 5. D. Paſchaſ. Innocen. III. D. Auguſt. 1. Corinth. 10.

In quinque diſtinctis locis invenitur Deum mandaſſe Sacerdotes, & Levitas viciſſim ordine ſuo ſervato, ut cuſtodirent, ac excubarent 4.

ad

ad ostium tabernaculi ad custodiendum Sanctum Sanctorum. In numeris in quatuor distinctis Capitulis, *cap. 1. num. 53. cap. 3. num. 7. cap. 18. num 4. & 5. & cap. 31. num. 47.* & apud etiam *Ezechielem cap. 40. num. 45. & 46.* Ad quid tanta repetitio, & tam frequens in Scriptura, quia ut docent Theologi cum D. Thoma 1. *part. quæst. 2.* ac Sixto Senensi, ut inde divina providentia, magna recommendatio intimetur de præcepto, ac mandato imposito, tanquam quid valdè utile, ac necessarium. Si ergo Deus tam sedulam, ac continuam vigiliam ad custodiam unius umbræ, ac figuræ ordinabat, quantam ergo majorem nos debemus exhibere ad custodiendum ipsum mysterium figuratum, in quo verè ac realiter adest præsens caro, & sanguis Iesu Christi veri Dei, ac Salvatoris nostri; & hanc pervigilem custodiam peculiariter Deus recommendat Principibus, ac Magnatibus: nam postquam Deus eos ad hanc cœlestem mensam invitavit, statim eos adhortatur per *Isaiam 21. num. 5.* ut notat Cardinalis Hugo, ad diligentem vigiliam, ac sedulam custodiam: *Pone mensam, contemplare in specula comedentes, ac bibentes, surgite principes, arripite clypeum.*

Num. 1. Num. 3. Num. 18. Num. 31. Ezech. 40. D. Thom. Isai. 21. Hugo.

5. Ex quonam motivo Deus in templo suo tot excubias nocturnas, ac tutelas disponit. D. Hier. D. Greg. ad citatum Ezechielis locum, ajunt, ad tuendum, ac custodiendum à cæca, & incauta hæreticorum, ac infidelium furia. Origenes Severianus, à sacrilega gentium abominatione, ac profanitate. Ulpianus, Lyranus inquiunt ne aliquid indocens, & repugnans sanctitate tanti loci fieret in templo; unde ex D. Bernardo colligit Cardinalis Hugo *ad cap. 47. Genes.* quod Sacerdotes, ac Ministri Ecclesiæ se debent habere tanquam milites, non ad licentiosas prophanitates: sed tanquam ad stationes militares, ut die, ac nocte supervigilent ad custodiam domus Dei.

D. Hieron. D. Gregor. Ad cit. locum. Origenes. Severian. Vulpian. Lyran.

6. Quod optimè intellexerunt sacri Apostoli, ac Sancti Patres. In primitiva enim Ecclesia ordinaverunt Apostoli, ut testantur Ducantius *lib. 1. de Redditibus Ecclesiæ, c. 16.* Theatrũ vitæ humanæ, *verb. Eucharistia, fol. 448. littera G.* Quod Præpositus, seu Parochus Ecclesiæ hoc divinissimum Sacramentum haberet secum in domo sua. Divus Paulinus, ut refert Ioannes Mosch. *in Prato spirituali, cap. 27.* hoc Sacramentum secum habeat in suo Palatio, & inde illud ad infirmos deferat. Et Divus Cyrillus Alexandrinus, ut scribunt Optatus Milevitanus *lib. 2. contra Parmeum.* Sophronius *in Prato spirituali, cap. 9.* Custodes apposuit in Ecclesiis, sicut & Divus Basilius *in Cappadocia*, & antiquis temporibus, ut Auctor est Gregorius Turunensis *de Gloria mundi*, Sacra Eucharistia servabatur in quadam munitissima turri, optimo artificio, ac singulari arte composita, ac fabricata. Et Alexander Tertius, qui floruit circa annum 1160. quando in Portugallia regnabat Primus Rex Alphonsus Henriquez, multis in partibus præcepit ut ad majorem custodiam, ac tutelam, ut in domibus, ac Palatiis Principum, ac Magnatum servaretur, ut tradunt Surius *die 14. Novembris inter acta Sancti Laurentij Dublien.* Spondanus *in epitome Baronij anno Christi 57. n. 43.*

Ducant. Theatrum. Mosch. Milevitan. Sophron. Turunens. Surius.

Si ergo Deus ita ordinavit, ac disposuit, sacratissimique Apostoli, ac Sancti Patres, quos nobis Deus dedit ut magistros, ac Doctores nostros, & tanquam luminaria magna suæ Ecclesiæ, ita verbo docuerunt, & opere impleverunt, maximè nobis incumbit, eorum doctrinam amplecti, dictamina venerari, facta, & opera in omnibus imitari, & maximè hac nostra ætate, in qua nostra regna multis hæreticis, ac Religionis Catholicæ adversariis abundant; multæque Ecclesiæ sunt desertis in locis, ac à populi frequentia separatæ, & frequenter Parochus, aut ædituus mandat, ad Orationem Angelicam pulsare per quendam adolescentulum, & multoties parvæ, & teneræ ætatis, qui ob suam levitatem facilè Ecclesiæ ostium non bene clausum relinquet. 7.

Ob hæc, & alia inconvenientia mihi, & multis visum fuit valdè conveniens, ut juxta quamlibet Parochiam, contributione facta à Parochianis fiat ùna, vel altera domus cum ostio ad Ecclesiam, in qua Parochus, vel Thesaurarius pernoctent, & videntes inimici nostræ sacræ Religionis, quod in Ecclesia excubant, homines non audebunt tam abominanda sacrilegia, ac exercenda scelera perpetrare, & qui tam sollicitus ac providus fuerit, pro custodia Ecclesiæ Dei, Deus eis multas, & largas benedictiones ei impendet, ut Salomoni promisit 3. *Reg. 9. num. 5.* juxtà Paraphrasim Chaldaicam. 8.

QUÆSTIO II.

Virum Regulares valeant exponere publicè absque Episcopi licentia Sacram Eucharistiam?

SUMMARIUM.

9 *Ponitur pars negativa.*
10 *Pars affirmativa est communis, & vera.*
11 *Explicantur dictiones posita in concessione Apostolica.*
12 *Probatur ex Gregorio Papa.*
13 *Nullum est fundamentum, ob quod requiratur licentia Episcopi.*
14 *Probatur etiam Cardinalium declaratione, ac usu, & praxi Religionum.*
15 *Respondetur ad declarationes Cardinalium adductas in contrarium.*
16 *Solvitur confirmatio adversariorum.*

NEgantem partem tuetur Gavantus *in manuali Episcoporum, verb. Eucharistia, n. 53 & 54.* & sic ait: *Non exponatur*, scilicet Sacra Eucharistia cum solemnitate à Regularibus sine licentia Ordinarij. Congregatio Rituum 26. Februarij 1628. & *n. 4.* sic ait ipse Gavantus, *Pro personis particularibus exponatur in ostiolo tabernaculi, aut in pixide velata cum luminibus, & assistentia. Congregatio Episcoporum 7. Septembris 1598.* Et confirmatur, quia maximè videtur inconveniens ad venerationem, & reverentiam tanti Sacramenti, ut non 9. Gavant. S. Congreg.

paſſim, ac frequenter exponatur. Et ideo Diana, quamvis dubius magis propendet in hanc ſententiam *p.11.tract.2. Reſolut.5.*

10. Brunus. Pellizar. Anton.à Spir.Sanct. Contraria ſententia eſt vera,& communi uſu recepta;eam tenent,ac docent Brun. *de Privil. Regul.p.1.tract.2.c.3. Propoſit.6.*Pellizar.*tom.2. tract.8.c.5 ſect.2.n.79.*M.Fr.Ant. à Spir.Sancto *Direct.Reg.p.1.tract.2.diſp.3.n.105.*Et probatur primo ex cõmuni uſu, ac praxi Religioſorum,qui paſſim abſque aliqua licentia Epiſcopi S. Euchariſtiam exponunt. Probatur ex multis conceſſionibus, quæ factæ ſunt Religionibus pro exemptione earum Eccleſiarum, ut ſupra retuli *Reſol. 31. q.7. n.45.* ex Sixto IV.ubi ait Pontifex, quod dictas perſonas Regulares earúmque Eccleſias *In jus,& proprietatem B.Petri, & Apoſtolicæ Sedis aſſumimus, illáque à cujuſcunque Diœceſani, & cujuſlibet alterius poteſtate, & dominio omnimodè in perpetuum prorſus eximimus.*Ergo ſi Eccleſiæ Regularium ſunt omnimodè,& prorſus exemptæ à juriſdictione cujuſcunque Epiſcopi,nõ poteſt Epiſcopus aliquid in eis diſponere,ac ordinare,ac proinde non poteſt præcipere ut S.Euchariſtia non exponatur. Pro cujus majori vi expende duas particulas appoſitas in conceſſione, quæ excludunt omnes actus adverſarios.

Sixtus IV.

11. Gloſſa. Butr. Tuſchus. Narbon. *Omnimodè, & prorſus.* Dictio *omnimodè* eſt univerſalis , & comprehendit omnia, ita ut nihil excludat per Gloſſ. *verbo Omnimoda in Clement.Quãvis,de foro competenti.*Anton.de Butr. *conſ.19.n.5.*Decian.*concil.35.n.47.lib.2.* Card.Tuſch.*tom.2 litt.D.concl 320.n....*Noviſſimè Didacus Narb. *de ætate ad humanos actus requiſit.annot.8.q.4.num.12.*Altera particula eſt dictio *Prorſus*,& hæc dictio excludit omnia,& ſingula,quæ in contrarium excogitari poſſunt, *cap. Statutum,§. Proviſurus, de Reſcript.in 6.* Ita Steph. Gratian. & alij,quos citat,ac ſequitur Barboſa *in dictionib dict.294.*ergo cum Pontifex dicat in dicta conceſſione,quod dictæ Eccleſiæ ſunt exemptæ à juriſdictione Diœceſani, *Omnimodè & prorſus*,quæ excludunt omnes , & ſingulos actus in contrarium , nullum actum poteſt Ordinarius in eorum Eccleſiis exercere.

Stephan. Gratian. Barboſa.

12. D.Gregor. Probatur tertiò,ex D.Gregor. *18.q.2 c.Luminoſo*, ait Pontifex:*Ne audeat ſibi Cathedram collocare Epiſcopus , vel quamlibet poteſtatem exercere imperandi,nec quancunque ordinationem,quãvis leviſſimam faciendi,niſi ab Abbate loci fuerit rogatus , quatenus Monachi ſemper maneant in Abbatũ ſuorũ poteſtate, ut remotis gravaminibus divinum opus,cum ſumma devotione animi perficiant.* Diſponit Sũmus Pontifex,ut Eccleſiæ Regularium maximè exemptæ ſint à juriſdictione Epiſcoporum,nec in eis ſuas Cathedras collocare,*nec quamcũque ordinationem quamvis leviſſimam facere.*Et iterum maximè explicatur; *Ne quamlibet poteſtatẽ exercere imperandi.*Illa particula quãlibet excludit etiam minimã actionẽ imperandi,*l.cum quid,ff. ſi certũ petatur.*Decius *conſ.629.n.2.*Menoch. *conſil.33.n.21.*Franciſ. de Ponte *deciſ. 13.n.4.* Franciſcus Leo *in Theſauro fori Eccleſiaſtici, part.1.c.15. num 69.*Glorier. *Reſp.1.p.1.n.185.*

Decius. Menoch. Fran. Leo Franc de Pon Glorier

13. Probatur, quia nullum aſſignabitur fundamentum , ut requiratur licentia Epiſcopi; non enim quia *Epiſcopus* , quoniam talis licentia non eſt actus characteris Epiſcopalis.Non quia *Diœceſanus*,ſeu quia ſuperior territorij,in quo ſunt dictæ Eccleſiæ,quia illarum non eſt ſuperior:locus exemptus in Diœceſi juxta Canoniſtas,ut extra Diœceſim judicandus eſt:nec denique quia ad eas confluat populus ei ſubditus: quoniam ad eas ſine ejus licentia,imò ipſo contradicente convenit populus ad audiendum verbum Dei,ac ad divina Officia,ac ad percipienda Sacramenta.

14. A Cruce. Probatur quartò , ex quadam declaratione S.Congregationis quam adducit Ioan.à Cruce *lib.3.c.5.dub.5. Notabili 2.*Probatur etiam ex communi uſu, & praxi, qua S.Religiones tam in hoc Regno Portugalliæ , quam in aliis Hiſpaniarum partibus,in quibus præſens adfui,ſolent S. Euchariſtiam exponere abſque aliqua Ordinarij licentia , imò vidi circa ann. 1625. quoddam Capitulum Sede vacante ſuo Decreto prohibere,ne Regulares ſine ſua licentia exponerent S.Euchariſtiam;cauſa agitata, & ventilata, Capitulum Sede vacante deſtitit à ſuo decreto , & Religiones perſeverarunt in ſua praxi , & uſu exponendi Sacram Euchariſtiam abſque ulla Ordinarij licentia.

Capitulum, Sede vacante.

15. Ad fundamentum Adverſariorum Reſpondetur primò, quod tales declarationes , ut jam dixi, non ſunt in uſu,ac praxi, ſed contrarium ſervatur à Regularibus abſque alicujus licentia exponẽtibus S.Euchariſtiã,ac proinde tales declarationes per communem conſuetudinẽ ſunt abrogatæ , & præſcriptæ , ut notant M. Lezana *tom.2.c.1.n.26.*Bordon. *Reſol.21.n.30.*Ceſpedes *de exempt.c.6.diſp.121.n.2.*Cokier *de juriſd.in exemptos,q.6.* Secundò, Declarationes S. Congregationis ut obligent juxta Conſtitutionem Urbani VIII.quã retuli *ſupra Reſol.25.q.1.n.7.* duo requiruntur. Primò,quod oſtendantur authenticę, & ſubſcriptę manu Cardinalis,ac publici Notarii,& ſimul requiritur, quod ſint publicatę.At cum in talibus locis non ſint publicatæ,in illis non obligant. Tertiò , tales declarationes , quamvis habeant multam auctoritatem , tamen non poſſunt abrogare communes Canones , ac Conſtitutiones Apoſtolicas , niſi conſulto Summo Pontifice. Ita Navar. *lib.5. conſilior.conſ.15.de ſent.excõ* Sanchez *lib.8.de matr.diſp.2.n.10.*Vaſq.*1.2.diſp.177.c.ult.*Veiga *Minim verb.De S.commun.caſu 226.*Pellizar. *tom.1.tract. 4.c.4.n. 108.* Portel.*tom. 2.in Reſponſ.caſ.31.n.3.*Bonac. *tom.2.diſp.1.de leg.q. 1.punct.8.*Cũ ergo in prædictis declarationibus non dicatur conſultus Summus Pontifex , non videntur habere vim contra Conſtitutiones Apoſtolicas ciratas *in hac quæſt.n.10.& 12.*

M. Lezana. Bordon. Ceſpedes. Coxier. Urban VIII. Navarr. Sanchez. Vaſquez. Veiga. Pellizar. Portel. Bonacina.

Ad id quod dicitur in confirmatione , quod ad reverentiam , ac venerationem tam altiſſimi Sacramenti ſpectat , quod non multoties , ac frequenter exponatur. Tale aſſertum valdè mirum apparet : nam Romæ , ubi adeſt Summus Pontifex caput totius Eccleſiæ abhinc multis jam annis elapſis uſque in præſentem diem ſervatur , in unaquaque Eccleſia per ſpatium quadraginta horarum, ſuo ſucceſſivo, & alternativo ordine S. Euchariſtia omnibus diebus eſt expoſita , & ad magis excitandam devotionem, ac frequentiam populi : Romani Pontifices concedunt indulgentiàs , inſuper & multas gratias;quo ergo fundamento dicitur, quod ad veneratione hujus diviniſſimi Sacramenti maximè pertinet quod non frequenter exponatur.

Quæ

Quæstio III.

Quare in symbolo fidei de Eucharistico Sacramento non fit expressa mentio?

SUMMARIUM.

17 *Objecta Hæreticorum.*
18 *Symbolum idem est, ac signum, seu tessera, quo milites inter se cognoscuntur.*
19 *Apostoli composuerunt hoc symbolum, quo veri Christiani à falsis agnoscerentur.*
20 *Vt hoc Sacramentum sanctificat, continetur sub illo articulo remissionis peccatorum.*
21 *Vt vero est mirabile opus divinæ omnipotentiæ, subintelligitur in illo articulo Deum Omnipotentem.*
22 *Quadruplex est symbolum, & explicatur.*

17. Hæretici. HÆretici nostri temporis multis in partibus, & etiam convenientes in hac Civitate, nobis Catholicis objiciunt, quod cum dicamus divinissimum Eucharisticum Sacramentum esse mysterium fidei, in symbolo tamen quod Apostoli composuerunt, illius expressam mentionem non fecerunt.

18. Symbolum idem est, ac nota, signum, collatio, deducitur à verbo Græco, symbolo, id est confero, seu id, quod plures conveniunt in unum, ut cœna illa dicebatur collatio, ad quam comparandam multi aliquid contulerant. Seu symbolum etiam dicitur, nota, seu tessera, seu nomen appellativum, per quod milites unius Ducis, seu Principis agnoscuntur inter se, & distinguuntur ab aliis. Ita Calepinus, Thesaurus linguæ Latinæ Lexicon Ecclesiasticum. Calepin. Thesaur. Legic. Eccl

19. Hinc sacri Apostoli tanquam patres fidei, fundatores Christianæ Religionis, Legati Christi, Coadjutores in salvatione generis humani, antequam dividerentur in varias Provincias, & orbis partes, hanc brevem fidei formulam composuerunt, quam symbolum dixerunt, ut per eam veri Christiani à falsis distinguerentur, & semper veri Christiani haberent in ore. Hoc breve fidei Symbolum Apostoli in duodecim articulos tanquam Generales, sub quibus etiam multa alia fidei mysteria subintellexerunt; an singuli Apostoli particularem articulum composuerint, an communi consensu omnes articulos, incertum est. Hoc tamen secundum ex Ruffino videtur probabilius, de quo agit Hortus Pastorum *tract. 1. lect. 9. §. Hanc formulam.* Ruffinus. Hortus Pastorum.

20. D. Thom. Difficultas ergo est, cur sacri Apostoli in suo symbolo de Sacra Eucharistia nullam faciunt mentionem. Ad quod respondet D. Thomas, & cum eo omnes Theologi, quia vel potest considerari hoc divinum Sacramentum, ut nos sanctificans, & sic contineri sub illo generali articulo in symbolo *in remissionem peccatorum*, quo credimus Sacramenta novæ legis ad hanc remissionem conferendam instituta: nam Baptismus (quod magnam confusionem peperit cuidam Hæretico insultanti) est janua Ecclesiæ, fidei, & Sacramentorum, & tamen de illo in hoc Apostolico Symbolo nulla fit mentio, & omnes Hæretici, ut Calvinus, Lutherus, & alii, ut Sacramentum institutum à Christo agnoscunt; ergo dicendum est quod sicut Baptismus continetur sub illo generali articulo remissionis peccatorum, sic etiam Eucharistia.

21. D. Thom. Ait etiam D. Thomas, quod si hoc Eucharisticum mysterium consideretur ut admirabile opus divinæ Omnipotentiæ, sic continetur sub illo generali articulo, *Credo in Deum Patrem Omnipotentem.* Sed dicit Hæreticus. Apostoli in suo symbolo expresserunt aliqua opera divinæ Omnipotentiæ, ut creationem cœli, & terræ, & resurrectionem carnis, cur ergo non expresserunt hoc admirabile opus Eucharisticum? Respondeo, quod sacri Apostoli, in hoc brevi symbolo, seu abbreviata formula, ad indicandam summam Dei omnipotentiam, posuerunt primum, & ultimum opus illius quod habemus in Scriptura. Primum opus divinæ Omnipotentiæ in Scriptura est creatio cœli, & terræ; ultimum verò illius opus est carnis resurrectio ad vitam æternam; ac proinde sub hoc primo, & ultimo opere, cætera divinæ Omnipotentiæ opera, ut est Eucharisticum Sacramentum continentur.

22. Doctrinæ gratia adverte, quod quadruplex est Symbolum *Primum Apostolicum.* De quo modo diximus. *Secundum est Concilij Nicæni,* Conc. Nic. in quo ob Arii hæresim negantis divinitatem filii Dei, inde concilium maximè explicat ea, quæ pertinent ad divinitatem filii Dei, *Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero, genitum, non factum, consubstantialem Patri.* Quartum Symbolum *Constantinopolitanum*; Constantin. in quo propter hæresim Macedonij negantis divinitatem Spiritus sancti, quædam apponuntur in Concilio ad magis explicandam ipsius divinitatem, & dicitur; *& Spiritum sanctum vivificantem, qui ex Patre, Filioque procedit, qui cum Patre, & Filio simul adoratur,* &c. Et ex utroque symbolo tam Nicæno, quam Constantinopolitano Ecclesia adjungens fecit unum symbolum, quod canitur in Missa. Et quia Novatiani omnino negabant Baptismum, & Arius, ac Macedonius juxta suos errores novam formam Baptismi introduxerunt, ideo Patres Concilij Constantinopolitani apposuerunt, *Confiteor unum Baptisma:* juxta illud ad Ephes. 4. *Sicut unus Deus,* Ephes. 4. *sic una fides, & unum Baptisma.* Quartum *Symbolum est D. Athanasij,* D. Athan. valdè explicatissimum, & ab antiquissimis temporibus, maximè receptum est ab Ecclesia, & ejusdem auctoritatis habetur cum aliis. Ecclesia.

Quæstio IV.

Vtrum delinquens fugiens à Satellitibus ad Sacerdotem portantem Sacram Eucharistiam, vel ad domum, in qua ipsa est pro communicando infirmo gaudeat immunitate Ecclesiæ?

SUMMARIUM.

23 *Proponitur casus quæstionis.*

24 *Prima ſententia negat.*
25 *Secunda vera, & communis affirmat.*
26 *Ratio eſt, quia Eccleſiæ immunitas principaliter deſumitur ob divinum Sacramentum.*
Ex Dei præſentia redditur locus ſanctus. Ibidem.
27 *Confugiens ad domum in qua eſt Sacra Euchariſtia, gaudet immunitate.*
28 *Reus Eccleſiæ reſtituendus, & Satellites incidunt in cenſuras Bullæ Cœnæ.*

23. QUæſtio eſt, an ſi in præſenti caſu delinquens fugiat à Satellitibus ad locum, in quo eſt, vel defertur per plateas, gaudeat immunitate Eccleſiæ, & ſi furore, ac inconſiderate à Satellitibus detineatur, reſtituendus ſit Eccleſiæ. Caſus facilè poteſt contingere in praxi, & in hac Civitate contigit, ut ſtatim dicam.

24. Gloſſa. Covar. Bonacina. Partem negantem tuentur Gloſſa *in c. Quæſitum 13. q. 2.* Covar. *lib. 2. variar. cap. 20. num. 6.* Bonacina *tom. 2. diſp. 3. de legibus, quæſt. 7. §. 2. num. 11.* Fundamentum eſt, quia privilegia non debent ad aliud trahi per conſequentiam, & quamvis multa privilegia concedantur locis ſacris ob Euchariſtiam, nullibi tamen tale privilegium legitur conceſſum Euchariſtiæ extra Eccleſiam.

25. Bobadilla. Raph. de la Torre. Ioan. de Hevia. Tannerus. Megala. Cevallos. Cenedus. Rodrig. Diana. Suarez. Contraria ſententia eſt valdè communis, pro ea ferè 30. Doctores citat Bobadill. *in Polit tom. 1. lib. 2. cap. 14. n. 86.* & *in Gloſſa*; & pro hac ſententia etiam Raphaëlem de la Torre, Ioannem de Hevia, Tannerum, Megalam, Cevallos, Petrum de Cenedo, Rodriguez. Gambacurt. Sylveſtrem, Angelum, & alios, quos citat, & ſequitur Diana *tom. 1. tract. 1. Reſolut. 28.* Pro ea etiam ſtat Suar. *tom. 1. de Relig. lib. 3. cap. 9. n. 10. ad finem.*

26. Ratio eſt, quia immunitas Eccleſiæ conceſſa eſt illi ob reverentiam divinorum, quæ in ipſa Eccleſia continentur; atqui inter omnia divina ibi contenta principaliſſimum eſt Euchariſticum Sacramentum, ergò ubi hoc divinum Sacramentum adeſt, ibi ſecum refert immunitatem: nam principale ſemper defert ſecum ea, quæ illi ſunt annexa, ac conſequentia. Confirmatur, quia videns, Moyſes, quod rubus arderet, & non combureretur, currebat ad videndam illam viſionem grandem, clamat Angelus: *Ne appropies, inquit, huc: ſolve calceamenta de pedibus tuis: locus enim, in quo ſtas, terra ſancta eſt.* Exod. 3. num. 5. Exod. 3. Ioſuë. 5. Quod etiam dicitur *Ioſue cap. 5 num. 15.* & unde locus ille, qui erat terra Gentilium, qui idololatria abundabant, locus Sanctus. Communiter omnes Patres, & Interpretes, quod locus dicebatur Sanctus ab Angeli præſentia loquentis nomine Dei; ſi ergo præſentia Angeli reddebat locum Sanctum, ut Moyſes Vir ſanctiſſimus prohibeatur illuc accedere, niſi cum multa reverentia, in cujus ſignum mandatur ei ſolvere calceamenta. Si ergo locus ille Sanctus erat, & tanta reverentia tractandus ob præſentiam Angeli nomine Dei loquentis, quanto magis dicendus eſt Sanctus, & magna reverentia tractandus locus, in quo adeſt ipſa realis ac ſubſtantialis præſentia Dei veri Chriſti Jeſus. Confirmatur etiam ſecundo, ſi tali immunitate gaudent Palatia Epiſcoporum, ac Principum, cur etiam deneganda erit loco, in quo adeſt ſuprema Dei majeſtas, qui ſua præſentia omnia ſanctificat, ac ſumma reverentia colenda reddit.

27. Ex his inferes, quod ſi Deus fugiat ad domum, in qua eſt Sacra Euchariſtia pro communicando infirmo, vel dum per plateas defertur ad ipſum infirmum, & ſi Sacerdotem non tangat, ſed tantum ſe immiſceat inter perſonas comitantes diviniſſimum Sacramentum gaudet immunitate Eccleſiæ, & ita cauſa bene perpenſa, ac examinata judicatum fuit à ſupremo Senatu Regio Olyſſipone anno 1652. die 14. Martij. Et ratio eſt, quia omnes illæ perſonæ una cum Sacerdote Sacram Euchariſtiam geſtante, unam repræſentant Eccleſiam: nam ſi vulgo dicitur, *Vbi Rex adeſt, ibi eſt Regalis Curia.* Ubi ergo etiam adeſt Chriſtus Jeſus, ſupremum Eccleſiæ caput, ibi verè adeſt ejus Eccleſia. Senatus Regius.

28. Ex his planè infertur, quod ſi ſatellites comprehenderunt delinquentem in domo, vel platea, in qua aderat Sacra Euchariſtia, ille reſtituendus eſt à Judice Eccleſiæ, ita præcepit *Regius Senatus, ut modo dixi,* imò tales Satellites incidunt in cenſuras Bullæ Cœnæ, quia violant immunitatem Eccleſiæ, ita Peregrinus *de immunitate Eccleſiæ, cap. 4. num. 19.* Marius Italus *de immunitate Eccleſiæ, lib. 1. cap. 4. §. 10. num. 8.* Ludovicus Correa *in Relect. ad cap. Inter alia, de immunitate Eccleſiæ, part. 2. num. 24.* Gambacurta *lib. 3. de immunitate, cap. 4. num. 14.* Diana *incitata, 1. part. tract. 1. Reſol. 28. §. Sed cum hæc,* qui meritò etiam, ut notat Riccius *part. 3. deciſ. 88. n. 5.* Hoc negandum eſt in cofugiente ad Sacerdotem portantem oleum ſacrum. Peregrin. Marius. Correa. Gambac. Diana. Riccius.

29. Qui etiam docent, ut dicam doctrinæ gratia ad confugientem ad proceſſionem, vel ad loca, in quibus ſunt reliquæ Sanctorum, vel imagines B. Virg. immunitate gaudere, quia immunitas Eccleſiæ illi datur propter reverentiam Deo debitam; atqui eadem reverentia, & honor conſideratur in reliquiis Sanctorum, ac eorum imaginibus, ac Beatæ Virginis nam honor, & reverentia exhibita Sanctis pertinet ad Religionem, & divinum cultum, Deus enim honoratur in Sanctis ſuis, pro quo multa alia adducunt citati Ludovicus Correa, Gambacurta, & etiam Diana 4. *part. tract. 1. Reſol. 48.* Correa. Gambacurt. Diana.

QUÆSTIO V.

Mulier quædam in Sacra Communione ex ore ſuo poſuit ſacram particulam in linteo quodam, poſtea detulit ſuo Confeſſario, quid debuit ille facere?

SUMMARIUM.

30 *Caſus ut contigit.*
31 *Graves rationes, ac dubitationes, quæ occurrebant ac maximè Confeſſarium perurgebant, & n. 32.*

33 *Poterat*

33 *Poterat Confessor in Confessionnario consumere, etiamsi non esset jejunus: nam reverentia debita Sacramento est de jure naturali.*

31. CAsus contigit, quod mulier quædam decepta, ac seducta ad certum negotium peragendum, accedens ad Sacram Communionem, acceptam particulam, ex ore suo abscondite, reposuit in linteo mundo, & per tres hebdomadas in sua domo, ac suo Oratorio, reverentia, qua potuit, & lampade accensa retinuit, tamen postea facti pœnitens divinissimum Sacramentum in linteo mundo secum asportavit, & suum peccatum multis lachrymis confitens suo Confessario dedit.

32. Confessor valdè admirabundus, ac perplexus, sacram Hostiam accepit, & cœpit cogitare secum quid ageret: nam si publicabat factum, & divinissimum Sacramentum esse in linteo, inde magna confusio oriretur in omnibus, & in rigidum examen veniret Confessor, undenam illa Sacra particula delata esset, & ipse ob sigillum Confessionis, nunquam posset mulierem manifestare, si verò secum asportaret sacram particulam ad sacrificium Missæ, ut ibi eam consumeret, adhuc enim confessor Missam non celebraverat, in multis reverentia debita divinissimo Sacramento erat omittenda illud abscondite secum deferendo ad Sacristiam, dum vestibus induebatur. ac ad altare accedebat, etiam antequam ad sacram deveniret.

33. His omnibus præpensis. Optimum incidit Consilium, ut Confessor adorans divinum Sacramentum, cum adhuc Missam non celebrasset ibi in Confessionario ipsum communicaret, ac consumeret. Imò dato casu quod Confessor Missam celebrasset, & jam non esset jejunus, adhuc benefaceret, si ipsum divinissimum Sacramentum acciperet, & consumeret. Nam in proposito casu instabant tria, præceptum unum de reverentia debita divinissimo Sacramento, si non dignè, ac reverenter tractaretur, & asportaretur à Confessario quod de jure divino, ac naturali obligat. Secundum, sigillum Confessionis, quod de jure divino non est violandum, ut manifestaretur mulier. Tertium, præceptum Ecclesiasticum, ut divinum Sacramentum non accipiatur, nisi à jejunio. Et valdè certum, ac commune est, quod quando diversa præcepta concurrunt, illud quod est majus, & excellentius præfertur omisso minori; atqui præceptum divinum, ac naturale majus est Ecclesiastico, ut est manifestum, ergo servatis majoribus præceptis in prædicto casu à non jejuno poterat sumi.

RESOLUTIO XXXVII.

De Excommunicatione.

QUÆSTIO PRIMA.

Virum Religiosi Mendicantes teneantur censuris non expressis in jure latis ab Ordinario?

SUMMARIUM.

1 *Quid nomine Mendicantium intelligatur.*
2 *Prima sententia affirmat.*
3 *Vera, & communis sententia negativa, & num. 4. & 5.*
6 *Probatur primo, secundo, & tertio ex variis Capitibus juris, & n. 7. & 8.*
9 *Probatur etiam indulto Sixti IV. pro Carmelitis.*
10 *Ponuntur tres casus ex Concilio Tridētino.*
11 *Ex quo graviter confirmatur nostra resolutio.*
12 *Cur Summi Pontifices tot gratias concesserunt Religionibus.*
13 *In aliis casibus excommunicatio posita est nulla.*
14 *Ponuntur duo, vel tres casus ex Gregorio XV. & Clemente X. & n. 15. & 16.*
17 *Conclusio ex superioribus.*
18 *Ponitur argumentum ex Cardinal. declarationibus, & solvitur, & n. 19.*
20 *Satisfit argumento de potestate ad exequendum munus commissum, & n. 21.*
22 *Satisfit tertio argumento ex natura ad operationes, & n. 23.*
24 *In quarto argumento explicatur quomodo delegans facit ūnum tribunal cum delegato, & n. 25.*

NOMINE Mendicantium intelligimus quatuor Religiones, scilicet Prædicatorum, Minorum, Eremitarum sancti Augustini, Carmelitarum, quæ de jure sunt Mendicantes, ut jam dixi *Opusc. 1. Resolut. 2. quæst. 6. num. 64.* & etiam intelligimus Religiones Societatis IESU, sancti Francisci de Padua, & servorum, quæ ex privilegio sunt Mendicantes, & etiam omnes aliæ, quæ participant privilegiis Mendicantium. In proposita quæstione duæ sunt sententiæ. 1.

Prima sententia est affirmativa dicens, quod Ordinarij possunt ligare censuris exemptos, nempe Religiosos, ita Salzedo *in Additionibus ad Practicam Bernardi Diaz. cap. 3. littera A, E, punire in fine* Royas *de hæretic. prima parte, num 155.* & testatur se cum esset Vicarius Generalis in Episcopatu Pampilonensi id fecisse contra Monachos S. Benedicti exemptos, & citat Innocentium, & Auphredium, sed immeritò: nam hi duo Auctores solum dicunt concessam esse Ordinario potestatem coërcendi eos qui suam jurisdictionem perturbant. Eandem sententiam tenent Riccius 2. Salzedo. Royas. Innocent. Auphred.

Salgadus. Barboſa. Navar.

Salgadus, & alij, quos citat, ac ſequitur Barboſa *de poteſtate Epiſcopi, part. 3. allegat. 78. num. 25.* & noviſſimè Anton. Novarius *tit. de Proceſſionibus, n. 6.* & Barboſa pro ſe adducit quandam declarationem Cardinalium.

3. Secunda ſententia vera, & certiſſima conſtanter tenet, quod non poſſint Epiſcopi, ac Ordinarij locorum, ferre cenſuras, ſcilicet excommunicationem, ſuſpenſionem, ac interdictum in Mendicantes, ac eorum privilegia communicantes, niſi tantum in caſibus expreſſis in jure, quos infra in hac quæſtione annumerabo. Ita multi Canoniſtæ, Gambacurt. Hoſtienſis, Anchar. Dominicus, Ioannes Andreas, Francus, Socinus, quos citat Sanchez ſtatim allegandus; eandem ſententiam tenet Gloſſa *cap. 1. de Privilegiis, in 6. verbo quantum ad iſta*, & *cap. Cum olim eſſemus, eodem titulo.* Innocentius *cap. Reperimus, in fine*, & *cap. Cum Capella, de Privileg. num. 1. in fine, verſiculo, Item nota.* Geminianus *dictio cap. 1. de Privileg. in 6. §. ultimo, verſiculo quod ſi Ordinarius*, & *in dicto cap. 1. de conceſſione præbendæ, §. Ex parte.* Rota Romana *in deciſionibus 702. verſ. Idque tanto magis.* Navarrus *Commentar. 2. de Regular. num. 63. verſicul. Addo tertio.* Bonifacius *in Clementina Archiepiſcopos, de Privileg. num. 56.* Cardinalis Zabarella *ibidem verſicul. Si tamen, nu. 5.* Lupus ab utroque citatus. Covarruvias *infra citandus.*

Gambacurt Hoſtienſ. Anchar. Dominic. Ioan. Andr. Francus. Socinus. Sanchez. Gloſſa. Innocent. Geminian. Rota Rom. Navar. Bonifac. Cardinal. Lupus. Covar.

4. Eandem etiam ſententiam tenent communiter noſtri Theologi, Henriquez *de Indulgentiis, cap. 25. in fine*, Sylveſter *verb. Exemptio, quæſt. 8.* Richardus *in 4. diſtinct. 18. art. 5. quæſt. 5.* Roſella *in ſumma, verb. Verbum exemptum, in principio.* Tubiena *ibidem, num. 1.* Armilla *eodem verbo, num. 2.* Sayrus *lib. 1. cap. 8. num. 7.* & *lib. 4. cap. 2. num. 12.* Sanchez *lib. 7. de matrim. diſp. 33. n. 23.* Rodriguez *tom. 2. Regul. quæſt. 59. art. 5.* Miranda *tom. 2. quæſt. 35 artic. 1.* Villalobos *2. tom. tract. 35. difficult. 5. n. 17.* Hieron. Rodrig. *Reſol. 62. n. 1.* Portel. *in Additionibus ad dubia Regularia, verb. Epiſcop.* Lezana *tom. 4. verb. Proceſſ. quo Regul. n. 2.* & *in conſult. conſult. 40. n. 72.* Diana *3. p. tract. de dubiis Regul. Reſol. 76.* & *part. 7. tract. 12. Reſol. 29.* & *part. 11. tract. 2. Reſol. 8.* & *Reſol. 22.* Tamburin. *tom. 1. de jure Abbatum.* Bruno *de privileg. Regular. p. 2. tract. 8. cap. 4. Proteſt. 7.* Ceſpides *de exemption. Regular. cap. 18. dubio 74. num. 23.* Machadus *tom. 2. lib. 4 part. 6. tract. 10. documento 6. num. 2.* duas affert Cardinalium *de electione.* Vide *infra Reſol. 47. c. 2.*

Salgadus. Barboſa. Navar. Hier. Ro Portel. Lezana. Diana. Tambur. Machad.

Dicendum eſt cum hac ſecunda ſententia Epiſcopos, ac Ordinarios locorum non poſſe excommunicare, nec ferre cenſuras in Mendicantes, ac exemptos, niſi tantum in caſibus expreſſis in jure, de quibus ſtatim, ac proinde excommunicatio lata ab Epiſcopo in exemptos eſt nulla, ac nullius effectus, & eſt communis inter Doctores hæc noſtra ſententia. Probatur ex communi placito tot, ac tam graviſſimorum Doctorum.

6. Probatur primò, ex jure ex *cap. Cum olim, de privilegiis.* Ubi ait Textus, Religioſos Conventus ſancti Petri eſſe exemptos à juriſdictione Epiſcopali, & pertinere ad Romanam Eccleſiam. Deinde ut refertur *in* eodem Textu Epiſcopus Eugubinus excõmunicavit Abbatem Conventus S. Petri. Tunc Abbas acceſſit ad Celeſtinum Tertium oſtendendo privilegia ſui Conventus data à Lucio Papa anteceſſore. Tunc Celeſtinus videndo privilegium dicti Conventus, ut ait Innocentius III. in citato Textu in hæc verba: *Ipſe inſpectis Eccleſiæ tuæ privilegiis te licet excõmunicatus ab Epiſcopo Eugubino dicereris, tanquam non ligatum admiſit ad oſculum*; ergo expreſſè conſtat, quod excommunicatio lata ab Epiſcopo non ligat Regulares; & hic Textus maximè notandus. Quia Epiſcopus conquerebatur, quod illud privilegium Conventus ſancti Petri eſſet in ſuum præjudicium, & ſuam juriſdictionem perturbaret, deciſum fuit ab Innocentio III. Celeſtino III. privilegium eſſe validum.

Celeſtinus. Lucius. Innoc.

Probatur ſecundò, ex *cap. Quanquam eodem Titulo.* Ubi refertur privilegium, quod Religioſi non poſſint excommunicari ab Epiſcopo; excipitur tamen caſus, in quo Religioſus ſit Vicarius Eccleſiæ Parochialis, de qua exceptione dicam ſtatim. 7. Cap Quanquam.

Probatur tertiò, ex celebri Textu *cap. 1. de privileg. in 6.* Ibi Innocentius IV. determinat Epiſcopos habere juriſdictionem in exemptos ratione delicti commiſſi, vel contracti initi in loco non exempto. Et addit *in eodem Text. §. In eos*, ſic ait: *In eos autem quibus nec interdici, ſuſpendi, vel excommunicari à quocumque valeant, à Sede Apoſtolica eſt indultum: ſicut ſunt Religioſi quamplures, in quorum privilegiis continetur, ne quiſquam Epiſcopus, vel Archiepiſcopus Monaſteriorum ſuorum Monachos pro ulla cauſa ullove loco interdicere, ſuſpendere, vel excommunicare præſumat: Iidem Ordinarij juriſdictionem ſuam quantum ad iſta ubicunque illi fuerint, penitus exercere non poſſunt.* Ubi Pontifex expreſſè determinat, quod Religioſos exemptos, quantum ad iſta, ſcilicet excommunicationem, interdictum, ſuſpenſionem, nullam habere juriſdictionem. Ita Gloſſa, Hoſtienſis, Abbas, & multi alij, quos adducunt Sanchez *citatus*, & Barboſa *ad dictum Text.* qui unum tantum caſum excipiunt, ſi Monachus ſit Vicarius Eccleſiæ Parochialis, qui excipitur *in citato; cap. Quanquam, in 2. Probatione.* 8. Innoc. IV. Gloſſa. Hoſtienſ. Abbas. Sanchez. Barboſa.

Probatur quartò, ex multis privilegiis conceſſis Ordinibus Mendicantium, quæ referunt Rodriguez, & Miranda *citati*, ſufficiat id, quod ampliſſime Sanctiſſimus Dominus Sixtus IV. conceſſit nobis Carmelitis in ſua Bulla, quæ dicitur Mare, & incipit: *Dum attenta*, §. 71. ubi Pontifex ait: Nullus Ordinarius, ſeu Legatus quavis auctoritate utens quamcunque ſuperioritatem ſuper prædictos fratres, ſibi vendicare præſumat, neque aliquis abſque ſpeciali commiſſione Sedis Apoſtolicæ faciente mentionem de verbo ad verbum, de hujus indulto valeat pronuntiare, ſeu promulgare aliquas ſententias excommunicationis, ſuſpenſionis, ſeu interdicti ſuper eoſdem. Et volumus, quod proceſſus facti contra fratres præfatos pro infectis habeantur, etiamſi eorum *exemptio, utpote notoria, non fuerit allegata.* Hæc Pontifex, ubi clariſſimè noſtrum determinat intentum. 9. Rodrig. Miranda. Sixtus IV.

Ponuntur

Ponuntur casus ex Concilio Trident.

10 Probatur quintò, ratione desumpta ex Concilio Tridentino, nam quoties Concilium voluit ut Episcopi possent ferre censuras in Religiosos exemptos, hoc expressit, ut sunt tres casus, & nulli alij dantur in jure: casus enumerat Sanch. *citato loco, num. 23. in initio.* Concilium Tridentinum *sess. 25. cap. 16.* Concedit Episcopis, ut per censuras cogant Religiosos restituere novitiis sive masculis, sive fœminis exeuntibus ante professionem, omnia data illis à suis consanguineis. *Secundus casus,* Concilium eadem *sess. cap. 5.* concedit Episcopis, ut per censuras cogant Moniales servare clausuram. *Tertius casus;* idem Concilium *sess. 22. in Decreto de vitandis, & observandis in celebratione Missarum,* concedit Episcopis, ut si ipsis visum fuerit prohibeant cum censuris Regulares celebrare in oratoriis, privatisque domibus; atqui Concilium in aliis casibus non ponit censuras, ut *sess 25. cap. 13.* de Regularibus, quòd compellantur ad processiones publicas, & *cap. 24. de punitione, Religiosi delinquentis extra monasterium, si à suo Prælato non puniatur, & cap. 17.* quoad explorandam voluntatem puellæ professuræ de sua libertate ad Religionem, & eadem *sess. c. 4.* quòd Religiosus missus ad universitates cogatur ab Episcopo habitare in monasterio, & aliis casibus *cap. 11. 13. & 14. ac 15.* in quibus non apponit; ergo Concilium solùm in illis tribus casibus, dat facultatem Episcopis cogendi Regulares per cēsuras & solum in illis tribus hāc potestatem habent, & non in aliis casibus, quamvis Concilium dicat compellantur, quia possunt compelli per alia media, verbi gratiâ, pœnas pecuniarias, fructuum retentionem temporalia impedita, prædicationum privationem, vel alia similia, juxta *cap. 1. de Privilegijs in 6.* ita M. Lezana *tom. 4. verb. Processio quoad Regulares, num. 2* Gratian. *decis. 332. num. 15.* Peirinus *in Privileg Minimor. tom. 1. Const. 2. Sixti IV. num. 60.* Ciarlinus *in cont. forensi tom. 1. cap. 50. num 19.* sic & omnes Auctores nostræ sententiæ.

Sanchez. Trident.

Lezana. Gratian. Perin. Ciarlin.

11. Confirmatur tota hæc doctrina, & quæro ab adversatiis. Cur sacrum Concilium expressit in illis tribus casibus ut Episcopi compellant Regulares per censuras, non verò in aliis casibus, numquid hoc casu, ac fortuito factum est à Concilio in Spiritu sancto legitimè congregato, non dicendum est casu factum esse, sed Spiritu sancto dictante, quia tantùm in illis tribus casibus ordinavit, ut compellerentur per censuras, & non in aliis casibus; quòd in simili casu non ponitur tanquam non positum habetur.

12. Confirmatur; quia Summi Pontifices tot, & tanta privilegia exemptionis concesserunt Regularibus, quia ipsi multis vexationibus, ac gravaminibus premebantur ab Episcopis, ac ordinariis locorum, de quo latè Rebuff *resp. 142.* Cenedo *quæst. 26. n. 3.* Ubaldus *tract. de Canon. Episcop. cap. 3. quæst. 6 num. 9.* Tusch. *verb. Exempt. concluf. 566. num 6.* Castro *consil. 432.* Ergo cum Concilium non exprimat, quod Episcopi compellant Regulares extrèmo, ac rigido Ecclesiæ censuratum gladio, voluit eos ab his abstinere, & alio mitiori modo agere.

Rebuff. Cenedo. Tuschus. Ubaldus. Castro.

Ex dictis primò inferes, quòd si Episcopus exceptis illis tribus casibus excommunicaverit Regularem, excommunicatio est nulla, & ipse Religiosus in bona conscientia se potest habere tanquam non excommanicatum, tam in foro interiori, quam exteriori, & potest publicè celebrare, & alia facere, ac si nulla excommunicationis sententia contra eum esset prolata, quia privilegium Mendicantium est valdè notorium, cum sit insertum in corpore juris. Confirmatur ex citato privilegio Carmelitarum, ubi expressè Sixtus IV. declarat, quod talis excommunicatio contra eos lata, sit nulla, etiamsi eorum exemptio utpotè notoria, non fuerit allegata. Ita Covar. *in cap. Alma mater 11. part. §. 7. num. 5.* Corduba *in suo quæstionario magno, lib. 3. quæst. 43.* Rodrig. *tom. 2. quæst. 59. art. 5.* Miranda *tom. 2. citata, quæst. 35. art. 11.* Et vidi quod Episcopus Conimbric. excommunicavit cum declaratoria Rectorem Collegij S. Augustini, & universitate approbante, ipse non se habuitut excommunicatum; & Archiepiscopus Ulysipponensis excommunicavit Priores Eremitarum sancti Augustini, & Carmelitarum, ac ministrum sanctissimæ Trinitatis, quia noluerunt accedere ad processionem D. Marci, & Doctissimis Viris Consultis, ipsi non se habuerunt excommunicatos, quia censura judicabatur nulla, ac nullius effectus. 13.

Covarr. Corduba. Rodrig. Miranda.

Ponuntur duo casus ex Gregorio XV. & ex Clemente X.

Hæc, quæ diximus, procedunt secundum jus antiquum, ac Decreta Concilij Trudentini. Postea verò Gregorius XV. in sua constitutione, quæ incipit *inscrutabili.* Quæ habetur, *tom. 4. Bullarij inter Bullas hujus Pontificis num 18.* ubi Pontifex confessarios, & concionatores tam sæculares, quam Regulares, quomodo libet exemptos, delinquentes in his maximè, quæ pertinent ad confessionem, omnimode jurisdictioni, visitationi, & correctioni Diœcesani Episcopi, tanquam sedis Apostolicæ delegati, subiicit, & subiectos esse declarat; & ait. *Ita ut Episcopi in suprascriptis casibus, in prænominatas personas, in præmissis omnibus, & singulis, aut circa ea quomodocumque delinquentes, & quādo opus fuerit etiam extra visitationem, per censuras Ecclesiasticas, aliasque pœnas, uti ejusdem sedis delegati, procedere, omnemque jurisdictionem exercere libere, & licite valeant.* 14.

Gregor. XV.

Tamen hæc constitutio Gregorij XV. suspensa fuit ab Urbano VIII. ad instantiam Sereniſſimi Regis Philippi pro Regnis Hispaniæ ut constat ex *Brevi Nuntij Apostolic,* tunc temporis existentis. Nunc verò Eminentissimi Cardinalis Saccheti 21. Aprilis anno 1625. Deinde supplicante Nuntio Regis Hispaniarum obtentum fuit Breve ab Urbano VIII. pro illius suspensione, quod de verbo ad verbum affert Antonius de Hinogosa *in directione disc. Regular. verbo confessarius;* de quo etiam Augustinus Bellis *in tract. pro defensione Regular.* & Alphonsus Carranza *in informat.*

pro Religionibus. Lezana *tom.1. cap. 19. num. 35. & in Conſultis, conſulto 40. n. 73.*

16. Tamen poſtea ſanctiſſ. Dom. Clemens X. ſua conſtitutione, quæ incipit *ſuperna Magni* & de verbo ad verbum retuli ſuprà *in hoc opuſculo Reſol. 23. quæſt. 16.* In qua Summus Pontifex Clemens X. revalidat citatam conſtitutionem Gregorij X V. & dat juriſdictionem Epiſcopis, ut & contra concionatores, ac Regulares confeſſores delinquentes quoad ipſam confeſſionem, aut cum ſcandalo viventes, vel grave delictum committentes, ut eos valeant ſuſpendere, ac removere à confeſſionibus audiendis, ad cujus rei effectum revocat omnia privilegia, etiam contenta in corpore juris, ut patet ex ipſo contextu; vide ſuprà citato loco, citataque quæſtione.

17. Ex quo fit manifeſtum, quod Domini Epiſcopi non poſſunt procedere cum cenſuris contra Regulares, niſi tantùm in quinque, vel ſex caſibus, in tribus appoſitis in Concilio Tridentino; aliis appoſitis à D. Clemente X. ſi delinquerint in confeſſione, & aliàs, ut dixi ſuperiori numero male vixerint, in aliis verò caſibus, qui ſunt vel quindecim, vel ſexdecim, in quibus Concilium, vel jus Canonicum dat poteſtatem Epiſcopis, ut procedant contra Regulares exemptos, non eſt intelligendum per cenſuras, ſed per alias pœnas, quia quoties datur eis facultas ad cenſuras, hoc exprimunt.

Trident. Clemens X.

18. Arguitur; primò pro prima ſententia ex aliquibus declarationibus Cardinalium, ex quibus videtur colligi Epiſcopum poſſe etiam cum cenſuris Eccleſiaſticis, compellere Regulares in his caſibus, in quibus in eos juriſdictio illi tribuitur à jure communi, ſacro Concilio, & à conſtitutionibus Apoſtolicis.

Cardinalium declarationes.

19. Reſpondetur; primò: Quod dictæ declarationes non oſtenduntur authenticæ, & ideo non tenemur eas ſequi; ut ſæpè jam notavi juxta Decretum Urbani V I I I. Secundò: Declarationes Illuſtriſſimorum Cardinalium non habet vim ad derogandum jus commune, niſi conſulto Romano Pontifice, ut dixi ſuperiori *Reſol. quæſt. 2. num. 5.* & in talibus declarationibus nulla fit mentio de conſultatione Romani Pontificis, cum noſtrum privilegium ſit de jure communi, ac conſtitutionibus Summorum Pontificum. Tertiò; quia tales declarationes intelligendæ ſunt de Regularibus non habentibus privilegium in contrarium, prout colligitur manifeſtè ex declaratione ſacræ Congregationis anno 1587. quam referunt Rodrig. *tom.1. quæſt. 45. art.2. in fine*, Suarez *tom.4. de Religione, tract.8 lib. 1. cap.10. n.27.* In qua ita dicitur. *Regulares adeuntes monaſteria Monialium ſine licentia Epiſcopi, incidunt in pœnam excommunicationis, quam Epiſcopus ſuo edicto propoſuit, niſi Regulares illi haberent ex privilegio, quòd non poſſint excommunicari, & tunc deberent puniri à ſuis ſuperioribus alia pœna.* Ecce jam apparet intentio ſacræ Congregationis, quod Regulares habentes privilegium, non ligantur cenſuris Epiſcoporum, ſed ſi deliquerint à ſuis ſuperioribus ſunt puniendi. Reſpondetur & quarto, ut tenent Hieron. Rodrig. *in compendio. Reſolut. 118. num. 1.* Portel. *in additionibus ad dubia Regularia, verb. Proceſſiones, num. 1.* ex Quarâta *verb. Præcedētia in fine*, Barboſa *in remiſſionibus*, ad Concil. Trident. *ſeſſ. 25. cap 13. §. Compellantur*, de Regularibus ſæpè à ſacra Congregatione Cardinalium determinatum fuiſſe. Non poſſe Regulares compelli ab Epiſcopo per cenſuras ad proceſſiones, & inde noſtra ſententia magis confirmatur.

Rodrig. Suar. Declaratio. Cardinal.

Arguitur ſecundò; data poteſtate alicui ad aliquod munus, conſequenter datur ei, quidquid neceſſarium ad illud debitè exequendum, *cap. Paſtorali. cap. Præterea de officio legati l. 2. ff. de juriſdictione omnium judicum.* Sed Epiſcopis datur juriſdictio regendi, ac rectè gubernandi ſuas Eccleſias, & quod valeant compellere Regulares etiam exemptos in multis caſibus; ergo etiam eis data eſt poteſtas ferendi cenſuras in Regulares, ſi hoc fuerit neceſſarium. 20. C. Paſtorali. C. Præterea.

Reſpondetur diſtinguendo majorem; data poteſtate alicui, dantur cætera neceſſaria, ſi ipſa poteſtas non detur contracta, ac limitata ad aliqua verum eſt; ſi verò ipſa poteſtas datur limitata, falſum eſt; unde cum Summus Pontifex dat Epiſcopis juriſdictionem gubernandi ſuas Eccleſias, ac ferendi cenſuras, dat limitate, excipiendo multos caſus; nec enim Epiſcopi habent juriſdictionem plenariam in omnibus, ut eſt manifeſtum, ſic etiam excipiuntur mendicantes, ut non ſubditi Epiſcopis, ut patet ex jure, ac privilegiis ſupra citatis, inde fit quod in ipſos mendicantes ut pote exceptos à jure, non valeant proferre cenſuras. 21.

Arguitur tertiò: ſicut in naturalibus natura non dat potentiam, ſine efficientia ad ſuos actus producendos, alioquin talis potentia eſſet fruſtanea: ſimiliter & in moralibus, non datur poteſtas diſtituta armis, & mediis, quibus ſolet Eccleſia, contumaces compellere, ac rebelles ſubjicere, ut in ſimili docet Gloſſa *cap. ſuper quæſtionum*, verb. *Executorem*, & *cap. Si ex litteris, verbo ſi ſubdelegatus.* Sed media, & arma, quibus Eccleſia contumaces compellit, ſunt cenſuræ, ergo ſi ordinarij non habent poteſtatem ferendi cenſuras in mendicantes, ac exemptos, ejus juriſdictio eorum fruſtranea, ac inutilis. 22. Gloſſa.

Reſpondetur, imprimis ad id, quod dicitur de potentiis naturalibus, quod ſæpe à Deo impediuntur in efficacitate ad ſuos actus producendos, ob varios fines, ut paſſim contingit, ſit & poteſtas Epiſcopi poteſt eſſe impedita à Summo Pontifice quoad mendicantes ob magna obſequia, quæ ipſæ Religiones exhibuerunt Eccleſiæ, & ne in multis graventur ab Epiſcopis; ſecundò reſpondetur cum Geminiano, Hoſtienſi, Sanchez, & aliis ſupra citatis; quod poteſtas Epiſcopi non eſt deſtituta mediis, & armis, quoad exemptos, nam quamvis non poſſint eos cogere per cenſuras, poſſunt tamen cogere per alias pœnas verbi gratia pecuniarias, vel per privationem vocis activæ, ſeu paſſivæ, ac per privationem temporalium, nec ad juriſdictionem Epiſcoporum requiritur, ut poſſint adhibere omnia remedia, ſed ſufficit, quod poſſint ponere aliqua, ut invenitur in multis aliis judicibus. 23. Geminian. Hoſtienſ. Sanchez.

Arguitur quarto. Delegatus repræſentat perſonam delegantis ex *cap. finali, diſt. 93.* & *cap. 1. diſt. 94.* Gloſſa *verſ. impediunt. Extravag. communiam, 2. de ſepultur.* Ac proinde facit idem tribunal cum ipſo *Cap. 2. de conſuetudine.* 24. Cap. finali. Extravag.

Gutierrez

Guttierez *lib. 1. quæst. canonicorum, cap. 1. num. 83.* Megal. *de censur. lib. 2. cap. 2. num. 40.* Delegatus agit vices delegantis, Glossa *Versic. Iudices ad finem*, Extravarg. *communium de officio Delegat.* Sed delegans, qui est Summus Pontifex potest compellere Regulares censuris ad obediendum, ergo & Episcopus ejus delegatus, cum faciat cum ipso unum tribunal.

25. Hoc argumentum posuit quidam Modernus existimans se cum illo conficere rem, & meo videri parvam habet vim; nam delegatus repræsentat personam delegantis, non in omnibus, alias deregatus haberet eandem plenitudinem potestatis cum Papa, repræsentat enim personam delegantis in his, quæ ei committuntur, ac in talibus rebus commissis facit unum tribunal cum eo, verbi gratiâ, Vicarius Generalis facit unum tribunal cum Episcopo, & tamen juxta Concilium Trident. *sess. 24. cap. 6. de reformat. liceat Episcopis.* Potest Episcopus in foro conscientiæ absolvere ab hæresi occulta, non tamen ejus Vicarius, ut patet ex ipso Concilio; ut notant Nicolaus Garcia *disp. 11. cap. 10. num. 85.* Anton. Ricciul. *de jure personarum lib 5. cap. 14. num. 7.* & plures, quos citant, ac sequuntur Barbosa *de potestate Episcopi, part. 1. allegat. 40. à princip* Sanchez *tom. 1. in Decalog. lib. 2. cap. 25. à num. 15.* Sic & Episcopus est legatus à Papa ad compellendos Regulares, non per censuras, sed alias pœnas, ut satis est explicatum, jurisdictione nempe limitata. An illa potestas Episcopi sit derogata per Bullam Cœnæ modo non disputo.

Trident. Gracia. Barbosa.

Quæstio II.

An Capitulum Sede vacante succedat Episcopo in iurisdictione quoad Religiosos?

SUMMARIUM.

26 *Explicatur illud Capitulum Sede vacante succedit Episcopo in his, quæ sunt de jure ordinario.*

27 *Quando Episcopi dicuntur ut legati, jurisdictio non transit ad Capitulum.*

28 *Iurisdictio data Episcopis simpliciter, non transit ad Capitulum, & n. 29.*

30 *Probatur primò ex jurisdictione delegata, quam habent Episcopi.*

31 *Probatur secundò, quia in multis non succedit Capitulum.*

32 *Ponitur argumentum adversariorum.*

33 *Facultas Tridentini cap. liceat non transit ad Capitulum.*

34 *Ex uno privilegio non fit ex similitudine argumentum ad aliud, & n. 35.*

26. *IN limine istius quæstionis explicanda est illa universalis cum sua exceptione capitulum Sede vacante succedit Episcopo in his, quæ sunt de jure ordinario, non vero delegato.* Ita Frederic. Abbas, Ioannes Andreas, Cardinalis Zelarela, Hostiensis; & alij, quos citat, ac sequitur Quaranta *verb. capitulum Sede vacante*; & idem tenet Suar. *de censuris citandus*; & probatur ex *cap. Ad abolendum. de hæreticis.* Ubi cum crimen hæresis ob suam gravitatem sit reservatum Pontifici, Pontifex indicto cap. concedit facultatem Episcopis contra hæreticos, ac Clericis sede vacante, quæ additio esset superflua, si concessio facta Episcopo, conferetur facta capitulo Sede vacante, ergo cum illa potestas esset ex jure delegato contra hæreticos, facta Episcopo, non censetur facta capitulo sede vocante, nisi in hoc fieret specialis delegatio, & expressio, hoc etiam probatur ex *cap. His quæ, cap. Cum olim, de majorat.* & ex Clementina I. *de hæret.* & ex multis aliis locis.

Federicus. Abbas. Ioan. Andr. Cardinalis. Hostiensis. Quaranta. Suar. Cap. Ad abolendum. Cap Ex his. C. cũ olim. Clementina 1. de Hæret.

27. Quæstio præsens est, an quando Concilium Tridentinum, vel jura dant jurisdictionem Episcopis in Religiosos, an hæc jurisdictio transeat etiam ad cap. Sede vacante; & in primis hæc jurisdictio in Religiosos non transit, quando Episcopi dicuntur tanquam legati Sedis Apostolicæ, ut est illud in Tridentino *sess. 22. cap. De vitandis, & observandis in celebratione Missarum*, nec enim sub nomine legati Apostolici venit Capitulũ Sede vacante.

Trident. Trident. Trident.

28. Tota difficultas est, quando aliquid committitur Episcopis, nulla facta mentione, tanquam legatis, ut est illud de processionibus, *sess. 25. cap. 13 de Regularibus*; an tunc in his terminis jurisdictio transeat ad Capitulum. Aliqui Auctores affirmant facto argumento ex Tridentino *in cap. Liceat Episcopis*, de quo infra.

Trident.

29. Dicendum est Capitulum Sede vacante non habere jurisdictione in Religiosos exemptos, in illis casibus, in quibus habent Episcopi ex speciali commissione, vel in Tridentino, vel in aliis locis juris, quamvis in eis Episcopi non dicantur legati Sedis Apostolicæ, sed tantùm Episcopi; hanc conclusionem ex his, quæ docent, tenent Toletus *lib. 1. cap. 83. n. 5.* Suar. *tom 5. de censuris, disp. 41. sect. 2. num. 13.* & *tom 4 de pœnitentia, disp. 30. sect. 2. num. 6.* Aragon. 2. 2. *cap. 88. art. 12. concl. 2.* Filliucius *tom 2. tract. 20. cap. 10. num. 276.* Castro Palaus *part. 2. tract. 4. disp. 1. punct. 3. §. 1.* Ledesma *tom. 2. tract. 2. q. 1. c. 6. post 20. Conclus.* Garcia *part. 7. cap. 11. num. 17.* Bonac. *disp. 7. de censuris, q. 4. punct. 1. num. 7.* Solorzanus *de jure Indiarum, tom. 2. lib. 3. cap. 13.* & tredecim Doctores pro hac sententia citat, & sequitur Merolla *tom. 3. disp. 7. cap. 7. dub. 1. num. 15.* & etiam pro hac sententia stat Diana *part. 8. tract. 4. Resolut. 2. §. ultimò*; & in propriis terminis Bordonius *tom 2. Resolut. 78. num. 107. quæst. 20.*

Toletus. Suar. Aragon. Filliucius. Palaus. Ledesma. Garcia. Bonacina. Solorzan. Merolla. Diana. Bordon.

30. Probatur primò; quia jurisdictio, quam habent Episcopi in Religiosos, non est ordinaria, sed delegata, ac specialis, ut apertè cõstat ex *cap. Cum olim de privileg.* Et ex multis aliis adductis superiori quæstione, cum Religiosi sint exempti à jurisdictione Episcoporum, ut patet ex supra citatis locis, jurisdictio in eos, non est ordinaria, sed extraordinaria, ac delegata; nam jurisdictio ordinaria est in eos, qui ex jure sunt subjecti, atqui Religiosi ex jure sunt exempti, & non subjecti; ergo jurisdictio erga eos non est ordinaria, sed extraordinaria, ac delegata, atqui ut probatum est Capitulum Sede vacante non succedit Episcopo in jurisdictione delegata, sed ordinaria.

Confirma

31. Confirmatur, quia Capitulum Sede vacante in multis non ſuccedit Epiſcopo; nam licet Epiſcopus in his, quæ pertinent ad clauſuram monialium, ſi collapſa ſit etiam in monaſterio exempto viſitare poſſit, non tamen Capitulum Sede vacante in tali caſu poteſt viſitare, ut communiter tenent multi Doctores, quos citat, ac ſequitur Barboſa *in collectanea Concilij, ſeſſ. 7. cap. 8. num. 7. & ſeſſ. 21. cap. 8. num. 6. ſeſſ. 24. cap. 3. num. 8.* Quòd etiam docent multi alij, Armilla *verb. Capitul. num. 2.* Azor. *part. 2. lib. 3. cap. 37 q. 5.* Lucerna *Regular. verb. Viſitare num. 16.* Et ratio eſt, quia illa monaſteria ſunt exempta, ac proinde in ea Epiſcopus non habet juriſdictionem ordinariam, ſed delegatam, in qua non ſuccedit Epiſcopo Capitulum Sede vacante.

Barboſa. Armilla. Azor. Lucerna.

32. Argues; illa ampla, & lata poteſtas, quæ datur in Concilio Tridentino *ſeſſ. 24. cap 6. de reformatione, liceat Epiſcopis*, ut valeant diſpenſare in multis irregularitatibus, & abſolvere ſuos ſubditos à quibuſvis caſibus reſervatis Sedi Apoſtolicæ, in foro interiori eſt poteſtas delegata, ac extraordinaria, & tamen tranſit ad Capitulum Sede vacante, ut tenent multi Doctores, Henriquez *in ſumm. lib. 6. c. 16. §. 1. & lib. 14. num. 3.* & cum multis Sanchez *de matrimon. lib. 8. diſp. 2 num. 10.* Rodriguez, Ludovicus Beja, Sayrus, Riccius, Piaſcius, Navar. Guttierrez, quos citat Barboſa *ad collectan. Cõcil. Trident. citata ſeſſ. 24. cap. 6.* inſuper adde Leandrum *part. 4. tract. 2. de excommunicat. diſp. 17. quæſt. 4*; Panuinium *quæſt. 11. num. 4. & 15.* Machado *de Perfecto confeſſore, tom. 2. lib. 4. part. 4. tract. 1. document. 6. num. 4.* Ergo etiam à ſimili, licèt Epiſcopus habeat juriſdictionem extraordinariam, & delegatam in Religioſos exemptos, talis juriſdictio devolvetur ad Capitulum Sede vacante.

Trident. Henriq. Sanchez. Rodrig. Beja. Sayrus. Riccius. Piaſcius. Navarr. Guttierrez. Barboſa. Machado.

33. Ad argumentum deſumptum à ſimili ex poteſtate conceſſa in illo Capitulo, *liceat Epiſcopis*, negatur id, quod aſſumit, nempe quod illa poteſtas conceſſa Epiſcopis tranſeat ad Capitulum Sede vacante, & ita pro hac ſententia negativa ſtant graviſſimi Auctores, & omnes illi, quos ſaprà *num. 32.* pro noſtra concluſione citavi, & multi alii, ut ex Magiſtro Sahagum refert Diana citatus, & præter alia fundamenta conſtat ex ſtilo Curiæ Romanæ, qui hodie perpetuo obſervatur, quatenus diſpenſationes matrimoniales, nunquam diriguntur Capitulo Sede vacante, quamvis id nominatim petatur, ſed Epiſcopo viciniori, quia grandia, & magna negotia Epiſcopalem dignitatem exigunt. Et confirmatur, ac magis corroboratur hæc ſententia, ex quadam declaratione Cardinalium, quam adducit Suar. *tom. 4. ad 3. part. diſp. 30. ſect. 2. num. 6.* In qua ſacra Congregatio explicat ipſum Decretum Concilij Tridentini, *liceat Epiſcopis*; ſic ait ſacra Congregatio: *In hoc Decreto non comprehenduntur inferiores habentes juriſdictionem ordinariam, & quaſi Epiſcopalem, ſed tantùm Epiſcopi privativè, quoad omnes alios.* Cùm dicit *privativè*, excludit omnes alios, ac proinde Capitulum Sede vacante, & omnes, qui non ſunt Epiſcopi, quamvis juriſdictionem quaſi Epiſcopalem habeant.

Declaratio Cardinaliũ. Suar.

34. Secundò: Reſpondetur, quòd dato, & admiſſo quod diſpoſitio illa Tridentini, *liceat Epiſcopis*, trãſeat ad Capitulum Sede vacante, & quamvis hæc diſpoſitio Concilij ſit valdè ſpecialis, non inde rectè fit argumentum contra nos. Nam conceſſio, ac intelligentia unius privilegij ex ſimilitudine, ac identitate rationis, non eſt extendenda ad aliud privilegium, & ad alias perſonas; quòd probatur ex *regulis juris, in 6. quæ à jure communi exorbitant, minimè ſunt ad conſequentia trahenda*; idemque probatur ex *c. finali de tranſlatione Epiſcoporum.* Et ratio eſt, quia privilegium non ſumit ſuam efficaciam, ex ſimilitudine, ac ex identitate rationis, ſed ex voluntate concedentis; ergo parum refert, quod detur eadem ratio, ſi deficit voluntas, ſeu de illa non conſtat. Ita Baldus, Barthol. Cardinalis, Covar. & alij, quos citant, ac ſequuntur Suar. *lib. 8. de legib. c. 28. num. 11.* Sanchez *lib. 8. de matrimon. diſputatione 1. num. 3.*

Trident. Regulajuris. Baldus. Bartolus. Cardinal. Covarr. Suar. Sanchez.

Nec contra hoc obſtat, quia Princeps, *cap. Cum dilecta de confirmatione utili, & inutili*, ait: *Nos ejuſdem æquitatis ſimilitudine provocati.* Textus ibi loquitur de Principe, & Princeps, ut eſt Dominus legis ex ſimilitudine, ac identitate rationis poteſt moveri ad aliquid faciendum, & diſpenſandum; nos verò loquimur de judice, ac Doctore privato, qui non eſt Dominus legis, ſed illi ſubditus.

35. C. cum Dil.

QUÆSTIO III.

Duo Eccleſiaſtici ſe mutuo percuſſerunt in ſecreto, unus ab altero petivit abſolutionem, an licitè, & valide.

SUMMARIUM.

36 *Proponitur caſus,*
37 *Sex in præſenti inquirenda.*
38 *Varia Auctorum placita, & n. 39.*
40 *Quid ſit occultum, ſeu ſecretum.*
41 *Raro percuſſor Clerici vitandus ante ſententiam judicis & n. 42.*
43 *Percutiens Religioſum initiatum prima tonſura in duplicem cenſuram incidit.*
44 *Ad adminiſtrandum Sacramentum exceptа Euchariſtia, non eſt præmittenda confeſſio, & n. 45.*
46 *Cùm cautela explicata poſſum petere confeſſionem à Clerico licèt agnoverim ipſum fuiſſe in peccato.*
47 *Clerici percuſſor ante ſententiam non vitandus, & n. 48. & 49.*
50 *Abſolutio à cenſura poteſt dari extra confeſſionem, & n. 51. & 52.*
53 *Sicut & diſpenſatio voti poteſt dari extra confeſſionem.*
54 *Excommunicatus abſolvens extra neceſſitatem, peccat mortaliter, ſed non incurrit irregularitatem, & num. 55. & 56.*

36. DUo Religioſi, vel unus Religioſus cum ſuo Prælato exiſtens in quadam villa, in ſecreto manus violentas inter ſe injecerunt, ſubditus facti pœnitens petivit abſolutionem à Prælato, qui revera habebat poteſtatem ad abſolvendum; ſicut & duo Clerici, ut facto

contigit

contigit tempore Jubilæi magni, cùm luderent, in rixam venerunt ſecreto, & multis percuſſionibus ſibi invicem manus violentas injecerunt, poſtea reconciliati unus ab altero petivit abſolutionem.

Pro exacta ſolutione præſentis quæſtionis
37. ſex inquirenda ſunt. Primò: Quid ſi occultum, ſeu ſecretum. Secundò: An ille, qui percutit monachum initiatum prima tonſura, incurrat, in unam, vel duplicem excommunicationem. Tertiò: An iſte petens abſolutionem ab eo, quem agnoſcebat excommunicatum mortaliter peccet. Quartò: An iſte ſic excommunicatus validè poſſit dare abſolutionem. Quintò: An extra confeſſionem validè poſſit dare abſolutionem. Sextò: An ſuppoſito quòd iſte abſolvens ſit excommunicatus, dans abſolutionem, incidat in aliquam irregularitatem.

38. Hanc quæſtionem, de qua ſæpè conſultus
Sorbus. ſum, tractant Doctores & valde diverſimode reſolvunt; Sorbus Capucinus *in ſuis annotationibus ad compendium verbo Abſolutio ordinaria quoad fratres, §. ſed ſi ſuccederet.* Ponit caſum inter duos Religioſos ſuperiorem, & ſubditum regularem. Beja 4. *part. Reſponſ. Moral. caſu.* 6. Sequitur Sorbum, & ponit caſum inter duos clericos publicè ſe percutientes tempore Iubilæi, & uterque in hoc conveniunt, quod ſtante neceſſitate non habita copia alterius confeſſionis poſſunt licitè ſe adinvicem abſolvere à cenſura, & à peccatis, quia neceſſitas non habet legem; Sorbus addit, quod ſubditus licite poteſt petere abſolutionem à ſuo ſuperiore; quod negat Portel. *tom.* 1. *Reſponſ. Moral. part.* 2. *caſu* 30 & valde diverſimode reſolvit, ut patebit ex dicendis.

Beja. Portel.

Quid ſit occultum, ſeu ſecretum?

39. De hoc jam dixi ſupra in hoc opuſculo *Reſolut.* 27. *quæſt.* 4. *num.* 21. Quod magis hic iterum explicamus, quia agimus in præſenti de excommunicatione, & hic caſus valde frequenter accidit: notorium ergo & publicum
Aragonius. illud dicitur, ait Aragonius 2. 2. *quæſt.* 102. *art* 9. quod quinque perſonis patet. Maſcardus *de probationibus tom* 2. *concluſ.* 1101. *num* 18. requiri ut pateat ſeptem. In qua ſententia etiam
Maſcard. Zarola. eſt Zarola 1. *part. Praxis dubio* 5. & *dubio* 6. Ubi ad hoc ut aliquid dicatur notorium, requirit ſex, vel ſeptem teſtes. Farinacius *tom. de inquiſitione quæſt.* 21. *num.* 185. *part.* 2. & Avila de
Farinac. Avila. *cenſuris part.* 1. *cap.* 6. *diſp.* 2. *dub.* 4. In uno oppido ad faciendam rem notoriam, vult requiri decem, vel duodecim teſtes, & pauciores non ſufficere; & addit Avila, quod in magna civitate plures requiruntur.

40. Communis tamen, & vera ſententia eſt, quam in multis publicis concluſionibus defendi. Hujuſmodi percuſſor Clerici, non eſt vitandus, ac habendus, ut notorius percuſſor Clerici ante ſententiam judicis, nam talis percuſſor Clerici, poterit dicere ſe fuiſſe ebrium, aut feciſſe in ſui naturalem defenſionem, aut fuiſſe motum primo primum, aut alia ſimilia, & inſuper allegare in judicio rumoris falſitatem, & ideo quamdiu non conſtat per judicis ſententiam illum percuſſorem nulla tergiverſatione excuſari, non eſt habendus ut notorius percuſſor Clerici, & ideò non eſt vitandus ante ſententiam judicis, quo coram debet citari ad dicendum, ac allegandum pro ſe. Ita Co-
Covarr. Sayrus. Fagundez. Hurtado. Cœleſtinus Diana. var. *cap. Alma mater part.* 1. §. 2. *num.* 7. Sayrus de *cenſur. lib.* 2. *cap.* 12. *num.* 18. Fagundez *præcept.* 1. *lib.* 2. *cap.* 5. *num.* 12. Hurtado *diſp.* 11. *diffic.* 3. *num.* 10. Celeſtinus *in compendio Theolog. Moral. tract.* 3. *cap.* 9. *diff.* 3. Diana *part.* 3. *tract.* 5. *Reſol.* 14. & *part.* 5. *tract.* 9. *Reſol.* 61.

Ex quo colliges, raro contingere percuſſo- 41.
rem Clerici ita eſſe notorium, ut ſtatim ſit vitandus, ut non poſſit excuſari aliquo juris remedio, ac proinde quandiu contra eum non profertur judicis ſententia, poteſt in foro interiori abſolvi ab alio habente poteſtatem, ſive ratione officii, ſive per bullam, & in foro exteriori ſe habere tanquam non excommunicatum, ita Auctores proximè citati.

An percutiens Monachum initiatum prima tonſura, aut aliquo alio ordine, incidat in duplicem excommunicationem?

Ad hoc ſecundum quæſitum. Reſpondent 42.
affirmative, M. Petrus Cornejo, *in* 3. *part.* Cornejo. *tract.* 5. *de cenſuris diſp.* 5. *ſect.* 5. *quæſt.* 5. & *ultima.* Suar. *de cenſuris diſp.* 5. *ſect.* 2. *num.* 15. Suar. Bonac. *de cenſuris diſp.* 9. *dub. ultimo quæſt.* 3. Bonacina. Nam percuſſio illa Monachi, & jam initiati tonſura, vel ordine, cenſetur duplex transgreſſio, una contra reverentiam debitam ſtatui Clericali, altera contra reverentiam convenientem ſtatui monachali; circunſtantia autem monachi diverſa eſt à circunſtantia Clerici, cum una ſit conſecratio Clerici, alia monachi, & una non ſit connexa, nec ſubordinata cum altera; unde inferunt citati Doctores, quod ille, qui percutit ſacerdotem, qui ſimul eſt Diaconus, & ſubdiaconus, non incurrit plures excommunicationes; circunſtantiæ enim ſacerdotis, & Diaconi, non mutant ſpeciem in hoc caſu, ſed accidentaliter ſe habent ad tranſgreſſionem legis, quæ ſolum ſpectavit reverentiam ſtatus Clericalis, non verò ordinem, quo quis eſt initiatus.

An ſacerdos, qui commiſit peccatum mortale teneatur confiteri ad adminiſtranda alia Sacramenta.

Tertium propoſitum; An potens abſolu- 43.
tionem ab eo, quem agnoſcebat excommunicatum peccet mortaliter? Reſpondet Portel. Portel. *citatus num.* 3. quod ille qui petit abſolutionem ab altero percuſſore, peccat mortaliter, contra charitatem petendo ab illo abſolutionem, ſi habebat alterum à quo poterat, & non habebat urgentem neceſſitatem abſolutionis, neque à quo petebat, erat proprius Prælatus obligatus ad abſolutionem dandam, quia quilibet ex charitate tenetur evitare damnum ſpirituale alterius, & petendo abſolutionem ab altero impedito, & excommunicato erat cauſa damni ſpiritualis ſeu peccati mortalis illius.

Tamen dico quod etiam extra caſum neceſ- quia
ſitatis petens abſolutionem ab altero, cum quo ſe excommunicavit, vel quia Prælatus eſt, ſeu

quia habet facultatem ex Jubilæo, ſeu bulla, ſi ab eo petat abſolutionem, & dicat ſi vis, & potes me abſolvere, tunc non peccat mortaliter; quia ſacerdos ad adminiſtranda Sacramenta excepta Euchariſtia, non tenetur confiteri, ſed ſufficit, quod eliciat actum contritionis, ſeu quantum in ſe eſt, faciat ad illum eliciendum, & hæc eſt communis ſententia. Ita Henriquez *lib.1. cap.* 39. Bartholomæus ab Angelo. *Dialogo* 1. §. 64. Poſivinus de adminiſtratione Sacramentorum, *cap.* 5. *num.*40. Suar. *tom.*3. *ad* 3. *part. diſp.*16. *ſect.*3. Reginaldus *lib.*26. *num.*57. Bonacin. *tom.*1. *diſp. de Sacram. quæſt.*3. *punct.*2. *Secunda propoſitio. num.* 13. Et concluſio eſt valdè communis. Dixi excepta Euchariſtia Sacroſancta propter præceptum Concilij Tridentini, *ſeſſ.*13. *cap.*7. ubi præcipitur, quòd nemo conſcius peccati mortalis Sacram. Euchariſtiam recipiat, niſi præmiſſa confeſſione ob reverentiam tanti Sacramenti.

Henriq. Barthol. ab Angelo. Poſivinus. Suar. Reginald. Bonacina. Trident.

46. Et ratio eſt, quia nullum extat præceptum, ſive naturale, ſive divinum, quo oſtendatur ad adminiſtranda Sacramenta, teneri hominem ſe præparare per Sacramentum pœnitentiæ, ſi moraliter credit ſe eſſe in gratia per contritionem; cum ergo ille petens dicat, *ſi vis, & potes*, hoc poſtulationis modo, intelligit, ſi eſt jam ſufficienter præparatus, ac diſpoſitus ad adminiſtrandum Sacramentum, ut fieri poterat per contritionem; ſi ad contritionem, tunc poteſt petere, quia moraliter jam credit quòd ſit in gratia; at verò ſi exiſtimat, quòd ipſe perſiſtit in ſuo peccato mortali, tunc petens ab eo peccat mortaliter, quia inducit alterum ad peccandum. Iſta eſt communis ſententia, ut notat Bonacin. *citatus num.*1. §. *Dixi regulariter.*

Bonacina.

Excommunicatus qualiter vitandus?

47. Quartum quæſitum; An validò iſte percuſſor clerici excommunicatus, ſi aliàs habet facultatem, poſſit abſolvere alterum ſui percuſſorem, ſuppoſito quòd ipſe abſolvens ſit excommunicatus. Solutio eſt communis, & affirmativa, & clarè patet ex Extravaganti *ad evitanda*, ubi Martinus V. in Concilio Conſtantienſi determinat, quod nullus in foro interno, & externo ſe habeat, & ab aliis habeatur ut excommunicatus, niſi ſit declaratus per ſententiam judicis, vel notorius percuſſor clerici, ut nulla tergiverſatione celari poſſit, ergo cum iſte abſolvens, quamvis ſit excommunicatus, non eſt declaratus per ſententiam; & quamvis ſit percuſſor clerici, non eſt ita notorius, ut aliquo ſubterfugio ſe non poſſit excuſare, ut patet ex his, quæ dixi ſuprà *num.*41. in hac quæſtione, ergo validè impendit abſolutionem. Ita communiter Doctores.

Martinus V

48. Sorbus ait, quod ſi duo clerici notoriè ſe percutiant, & detur neceſſitas celebrandi, quod ſe poterunt ad invicem à peccatis abſolvere, quod majus eſt, quam abſolvere à cenſura, ergo ſi neceſſitas urgens tribuit illis facultatem abſolvendi à peccatis, etiam & à fortiori & ad abſolvendum à cenſura, cum abſolutio à peccatis, quid majus ſit, & nequeat dari, niſi præmiſſa abſolutione à cenſura.

Sorbus.

An abſolutio à cenſura poſſit dari extra confeſſionem.

Ad quintum quæſitum Reſpondeo iſtum clerici percuſſorem valide potuiſſe iſtum alium abſolvere à cenſura, extra Sacramentalem confeſſionem, non auditis ſuis peccatis. Regula generalis eſt apud Theologos, quod confeſſor potens abſolvere à cenſura, hoc etiam poteſt facere non audita peccatorum confeſſione. Quod magis explico. 49.

Habens juriſdictionem ordinariam poteſt extra confeſſionem à cenſura abſolvere. Probatur, quia nullo jure oſtenditur ipſum aſtringi abſolutionem dare in confeſſionis Sacramento, & ita habetur in praxi. Nam Domini inquiſitores publice abſolvunt hæreticos à cenſura incurſa ob hæreſim, & tamen à peccato hæreſis non abſolvunt. Et paſſim Prælati Regulares abſolvunt ſuos ſubditos à cenſuris, non abſolventes à peccatis. 50.

Habens facultatem delegatam, debet abſolvere juxta commiſſionem ſibi factam, quare facta commiſſione abſolvendi abſolute, poteſt confeſſor abſolutionem impendere extra confeſſionem, facultas enim abſolute & generaliter data, abſolute, & generaliter eſt intelligenda, nec eſt reſtringenda ad abſolutionem in confeſſione datam, cum verba non importent hujuſmodi reſtrictionem, & alias favores ſunt ampliandi. Ita Suarez *tom.*5. *diſp.*7. *ſect.*5. *num.*36. Vaſquez *de excommunicatione d.*b.20. *num*9. Filliucius *tom.*1 *tract.*11. *cap.*9. *quæſito* 8 *n.*294. M. Cornejo, & alii. 51.

Suarez. Vaſquez. Filliuc. M. Cornejo.

Valdè probabile eſt etiam abſolutionem à cenſuris impendi poſſe extra confeſſionem, quando in facultate confeſſionis dicitur: Auditis confeſſionibus abſolvatur à peccatis, & cenſuris adnexis, nam illa particula *Auditis confeſſionibus* refertur ad abſolutionem à peccatis, quæ eſt materia neceſſaria, ſpectans ad confeſſionem, non ſic verò materia cenſurarum per ſe, quia à cenſura ſine confeſſione poteſt abſolvi, & ad illam non eſt neceſſaria confeſſio. Ita Ægidius Coninch *diſp.*14. *d.*b.16 *num.*253. Bonacina *diſp.*1. *de cenſuris quæſt.*3. *punct.*6. *num.* 8. *ad finem.* Rodriguez *tom.* 1. *quæſt.*61. *art.*7. Et citat victoriam, Medinam, & Penham: eamdemque doctrinam tradit Sanchez *lib.*8. *de Matrim. d. ſp.*34. *num.*29. ubi ait quod quando Pontifex concedit reſcriptum alicui, ut cum eo diſpenſet in aliquo impedimento, impoſita illi ſalutari pœnitentia, hac clauſula non obſtante poteſt diſpenſare cum illo extra Sacramentum pœnitentiæ; poteſt confeſſor regularis habens licentiam à ſuo Provinciali diſpenſare cum uxorato impedito ad petendum debitum, ſicut cum aliis Doctoribus dixi ſuprà, *Reſol.*29. *quæſt.*6. *n.*33. 52.

Cornejo. Coninch. Bonacina. Rodrig. Victoria. Medina. Penha. Sanchez.

Sic etiam & confeſſores mendicantium juxta facultatem datam à ſuo ſuperiori, poſſunt diſpenſare in votis non reſervatis Papæ extra confeſſionem; nam ipſa diſpenſatio voti non eſt connexa cum abſolutione peccatorum, & eſt actus externæ juriſdictionis, qui per ſe ſolum exerceri poteſt, ita ex Suario, ac aliis Bonacina *tom.*2. *diſp.*4. *de voto q.*2. *punct.*7 §.4. *num.*26. 53.

Bonacina.

An

An excommunicatus abſolvens incurrat irregularitatem?

54. Dicendum eſt quod iſte excommunicatus abſolvens, peccavit quidem mortaliter, ſed non incidit in irregularitatem, ita tenet Portel. Portel. *citatus, num.6.* Et prima pars, quod peccaverit mortaliter, inde oſtenditur, quia agit contra præceptum Eccleſiæ in re gravi, cum vtatur juriſdictione vetita, ac prohibita in illo ſtatu, niſi detur aliqua gravis neceſſitas, ob quam impendenda ſit abſolutio, & non poteſt differri, inde graves Doctores, ut Sà, *verb. Cenſura.* M. Cornejo *in 3.p. tract. 5. §. 1. dub. 4. Reſol. 83.* & alij multi docent communiter Sacerdotem excommunicatum poſſe celebrare ob gravem neceſſitatem propriæ infamiæ vitandæ, & inde bene ex paritate rationis deducitur, quod excommunicatus abſolvens non peccabit mortaliter, quia neceſſitas nullam habet legem, & hoc ſæpè in multis caſibus conſului.

Sà. Cornejo.

55. Secunda concluſionis pars oſtenditur, quod ſic excommunicatus abſolvens non incurrat irregularitatem, & probatur maximè ex doctrina Suarez *tom. ... de cenſuris, diſp. 12. ſect. 2. numer. 21.* explicantis, quomodo Epiſcopus incurrat irregularitatem exercendo aliquem actum, quod ſi ille actus ſit actus ordinis, verbi gratia, ſi ſit actus confeſſionis ſacramentalis, tunc incurrit irregularitatem, at verò ſi actus ille ſit actus puræ juriſdictionis; tunc propter illum non incurrit irregularitatem: nam irregularitas non eſt extendenda ultra illud, quod jura determinant; at jura ſolum decernunt, ac imponunt irregularitatem, dum exercet actum Sacramenti, non verò quando exercet actum juriſdictionis, ſed tunc tantùm exercet actum juriſdictionis, ergo tunc nullam irregularitatem incurrit. Confirmatur, quia Vicarius Generalis Epiſcopi, poteſt fieri ut nullum habeat ordinem, ſed tantùm primam tonſuram, & tamen iſte carens ordine ſacro, validè abſolvit ab excommunicatione; ergo abſolutio ab excommunicatione, cum ſit actus juriſdictionis, non eſt de ſe annexus ordini ſacro.

Suarez.

56. Bonacina *lib. 7. de cenſuris, quæſt. 3. punct. 6.* citans Henriquez, & Coninch, quibus adhæret Diana *part. 4. tract. 2. Reſolut. 76.* docet, quod Sacerdos non habens licentiam confitendi, ſi excipiat alicujus confeſſionem, non incurrit irregularitatem; quia irregularitas incurritur ab exercitante ordinem, quem ille non haber, ſed Sacerdos in hoc caſu non exercet actum ordinis, quem non habet, cum verè ſit Sacerdos, ſed potius dicitur exercere actum juriſdictionis, quam non habet, ergo non eſt irregularis, cum ſit lata irregularitas contra exercentem actum juriſdictionis alienæ; & idem dicendum eſt de Sacerdote adminiſtrante Extremam-Vnctionem, ſine auctoritate, ergo idem dicendum eſt in noſtro caſu, non abſolutio ab excommunicatione, non ſit actus Ordinis, ſed juriſdictionis, ſed in his ſemper loquimur extra caſum neceſſitatis.

Bonac. Henriq. Conineh. Diana.

RESOLUTIO XXXVIII.

De Tertiariis.

DE Tertiariis multi, & graviſſimi Doctores tractant Rodrig. *tom. 3. q. 72. per varios articulos.* Miranda *in manuali, tom. 1. quæſt. 36.* Caſarrub. *in Compendio Privil. Mendicantium, verb. Tertiarij.* Soſa *in tract de poſſeſſ. Tertiariorum.* R.P.Mag. Theodorus Stratius *tract. de Tertiariis, & eodem verb. Lucerna Regular.* Ioannes Anton. Novar. *in ſumma Bullarij Titul. de Tertiariis* Portel. *in dubiis Regul. verb Tertiarij.* Caramuel *tom. 1. Theolog. Moralis fundam. ad finem,* in quodam tractatu cum expoſitione Regulæ Tertiariorum. Gavantus *in manuali Epiſcoporum, verb. Tertiarij,* & etiammet citato Barboſa *in Collectan. Deciſion. Apoſtolicar. Collectanea 700.* & Lezana *in ſumma Regul. tom. 2. cap. 14. de Tertiariis.*

Rodrig. Miranda. Caſarrubi Stratius. Lucerna. Novar. Portel. Reg Caramuel. Gavant. Barboſa. Lezana.

QUÆSTIO PRIMA.

Vnde dicantur Tertiarii de Pœnitentia?

SUMMARIUM.

1 *Proponitur caſus hujus præſentis quæſtionis.*

2 *Dicuntur Tertiarij juxta Gloſſam, quia primi ſunt Fratres, ſecundi Moniales, iſti Tertiarij.*

Hoc explicatur aliter juxta vulgarem dicendi modum. Ibid.

3 *Dicitur ordo de pœnitentia, quia eſt via communis omnibus in quocunque ſtatu ad cœlum.*

Vel quia eſt valdè mirabile, quod inter mundanas delicias inveniatur in ſæcularibus auſteritas pœnitentiæ. Ibid.

CIrca annum 1629. maximè incœpit florere, ac propagari in hac illuſtri civitate Ulyſſiponenſi ſacer Ordo Tertiariorum Reverendiſſimæ Virginis Mariæ, quidam Religioſi ſe ſe oppoſuerunt contra nos, quod Religio Carmelitarum Tertiarios non habebat. Res deducta eſt ad Illuſtriſſ. D. Collectorem. Tunc noſter R. admodum Noſter Provincialis M. Fr. Franciſcus à Sylva, mihi, cum eſſem hujus Conventus Ulyſſiponenſ. Primarius Lector, ac Magiſter Regens, commiſit ut de hac recederem tractatum, majorum mandato obediens, illum confeci, cujus tranſſumptum ad varias partes delatum eſt, & inde de eo faciunt mentionem Barboſa, Lezana *citatis locis*, & Fr. Joſephus à Sancta Maria *praxi Reg. lib. 3. cap. 2.* Barboſa. Lezana. Joſeph. 1.

Tertiariorum, ut à nomine incipiamus. Quia ut habet Gloſſa *in Clementina tertia de ſententia excommunic.* Triplex eſt ordo, primus virorum ſub regula cum tribus votis ſubſtan- 2.

tialium. Secundus Monialium viventium cum eiſdem tribus votis. Tertius ordo eſt, in quo ſunt homines continentes viventes in ſæculo; de quo cum multis remiſſivè Ximen. *in concordatis, p. 1. & 2.* niſi velis dicere, ut vulgo dicitur quod primi ſunt Capucini Diſcalceati tam Franciſcani, quam Carmelitæ; ſecundi ſunt obſervantes, Tertij ſunt iſti continentes viventes in ſæculo.

Ximenes.

3. Barboſa. Dicuntur autem de pœnitentia, quia ut ex D. Bonaventura explicat Barboſa *de jure Eccleſiaſtico, lib. 1. cap. 41. num. 178.* Quia ſic pœnitentia eſt via communis ducens ad cœlum homines cujuſcunque gradus, conditionis, in quocunque ſtatu, ſive cœlibatu, ſive in Eremo, ſive in ſæculo; ſic hic facer tertius ordo, omnes cujuſcunque ſtatus, & ſexus, Clericos, & laicos, virgines, & viduas, ac conjugatas utriuſque ſexus ducit ad cœlum. Vel inſigniter dicitur de pœnitentia, tanquam quid magnum, ac mirabile, quod auſteritas pœnitentiæ vigeat in hominibus ſæcularibus degentibus inter mundanos tumultus, ac delicias temporales. De ſe ait Regius Vates: *Media nocte* Pſal. 118. *ſurgebam ad confitendum tibi.* Pſalm. 118 n. 62. O præclariſſime Propheta quid magnum dicis de te; nonne etiam media nocte multi in Templo prævigilabant ad Dei laudes; nonne etiam multi Monachorum cœtus contempto ſomno hoc ad Dei gloriam præſtant? Maximè quidem. Hoc tamen inter Religionis diſciplinam, & Templi obſervantiam, & David ait Incognitus Noſter: *Media nocte ſurgebat inter regales delicias.* Et ſi multi Religioſi, ac Anachoretæ in rigida pœnitentia vivant; tamen valdè ſuperexcellens, quod ſæcularis inter mundanos faſtus, ac oblectationes ipſam teneant, & obſervet; & inde iſti Tertiarij dicuntur de pœnitentia, tanquam quid valdè magnum, ac inſigne.

Quæstio II.

Tertiarii in quanta ſunt differentia; & an eorum vivendi modus poſſit dici Ordo, vel Religio?

SUMMARIUM.

4 *Primi Tertiarij, qui ſub certa regula approbata à Sede Apoſtolica emittunt tria vota, ſunt verè Religioſi.*
5 *Non verò Tertiarij in ſecundo modo.*
6 *Nec etiam Tertiarij, qui vivunt in ſuis domibus.*
7 *Tamen optimè de eis dicitur, quod ſint ordo, & analogicè Religio.*
8 *Multum diſtant à confraternitatibus.*
9 *Cum hoc tamen ſtat quod Tertiarij ſimpliciter, & abſolutè ſunt perſonæ ſæculares.*
10 *Poſſunt tamen dici aliquo modo perſonæ Eccleſiaſticæ.*

4. Tertiarij in triplici ſunt differentia. Primi ſunt, quia tria vota eſſentialia Religionis emittunt ſub obedientia, & juriſdictione Prælatorum, ſub certa regula approbata à Sancta Sede Apoſtolica, & ſunt verè, & propriè Religioſi, approbati à Leone X. anno 1521. Bulla *Inter cætera*, quæ eſt 42. hujus Pontificis, Pius V. anno 1568. Bulla ea eſt. Sixtus V. Clemens VIII. & alij Pontifices. In qua Religione floruerunt Viri Eminentiſſimi in omni virtute, ſanctitate, ac literis.

Leo X. Pius V. Sixtus V. Clem. VIII.

5. Alij ſunt Tertiarij in ſecundo genere, qui emittunt tria eſſentialia vota Religionis, non ſub aliqua Regula, aut Religione approbata, ſive in communitate, ſive privatim vivant, nec eſt vera Religio, nec ſunt verè Religioſi, quia ad eſſentiam ſtatus Religioſi requiritur vivendi modus cum tribus votis eſſentialis ſub certa regula approbata à Sancta Sede Apoſtolica, ut colligitur ex *cap. unico, de voto, & voti redemptione in 6.* Ita Navarrus *Commentar. 1. de Regular. ſuper cap. Cui portio, num. 18. & in Concilior. lib. 3. de Regular. Concilio mihi 12.* Miranda *in manuali, Præl. tom. 1. q. 36. art. 3.* Sanchez *in Decal. tom. 2. lib. 5. cap. 1. n. 19.*

Cunicum. Navar. Miranda. Sanchez.

6. Alij ſunt Tertiarij, (ſed quibus hic principaliter eſt ſermo) qui nec tria vota eſſentialia Religionis emittunt, nec in communitate, aut collegialiter ſub alicujus obedientia vivunt, ſed in propriis domibus quadam proportione ſervant regulam Carmelitarum, ſancti Franciſci, ſancti Dominici, & eſto maximè fœminæ, in domo aliqua habitent, & faciunt votum ſimplex caſtitatis, vel obedientiæ, ut in multis receptaculis viſitur in hac civitate. Et tales tam viri, quam fœminæ non ſunt verè Religioſi, cum tria ſubſtantialia vota (ex quibus Religio conſtat) promittant. Ita præter Auctores proximè citatos in propriis terminis hujus quæſtionis Caſarrubius *in Compendio, verb Tertiarij*, Rodriguez *tom. 3. quæſt. 72. art. 2.* Gloſſa *in Clementina 3. cap. Ex eo, de ſententia excommunic.* & Gloſſa *in Clement. de Religioſis domibus, in 6. verb. Obedientia.*

Caſarrub. Rodrig. Gloſſa. Gloſſa.

7. Cum hoc tamen ſtat, quod bene, & optimè poteſt dici Ordo, & approbatus ab Eccleſia, hoc enim nomen ei attribuunt Romani Pontifices, & maximè Nicolaus IV. *Tertiariis Ordinis Minorum*, Innocentius VIII *Tertiaris Dominicanorum*, Martinus V. *Servitis*, Eugenius IV. & Martinus V. *Tertiariis Auguſtinian.* Sixtus IV. *Tertiariis Carmelit.* Iulius II. *Tertiariis Minimorum.* Et ratione probatur. Quia Ordo prout in præſenti ſumitur, ſignificat ordinatum modum vivendi, ſub certa regula, ac cæremoniis, quæ omnia rectè congruunt tali modo vivendi, cum ſit ſub certa regula cum profeſſione, ac Religioſis cæremoniis. Ita Carillus *lib. 3. de Tertiariis, c. 5.* Portellius *in dub. Regular. Tertiarij, num. 4.* & me citato M. Lezana *tom. 2. cap. 14. num. 7.* qui etiam hi duo ultimi Auctores notant, quod latè, & impropriè poteſt dici Religio, prout quendam analogicum, ac ſimilitudinarium modum vivendi Religionis cum certa regula, ac votis participant.

Nicol. IV. Innoc. VII. Martin V. Eugen IV. Martin. V. Sixtus IV. Carill' p. rtel Lezana.

8. Et quamvis confraternitas ſit nomen valdè magnum, & honorificum, dicit enim viros congregatos fraterna charitate, in Dei obſequio, B. Virginis, ac Sanctorum; tamen Tertiarij multum ab eis differunt: nam etſi

aliquæ

aliquæ confraternitates ſuum inſtitutum, ſeu compromiſſum, ut vulgo dicitur, habeãt approbatum à Sede Apoſtolica, hoc tamen eſt ſub nomine ſtatuti, ac Tertiarij ſub nomine regulæ, quod eſt quid nobilius, ac excellentius. Deinde Tertiarij poſtquã habitũ aſſumpſerunt, elapſo anno emittunt profeſſionem cum votis ſaltem obſervandi communia præcepta, & cum aliis obſervantiis, ac cæremoniis; & multi Tertiarij, ac Tertiariæ portant exterius habitum oblongum, quæ omnia maximè diſtant à vivendi modo confraternitatum. Et de Tertiariis tanquam quid diſtinctum à confraternitatibus loquuntur Pontifices, ut Iulius II. in Bulla *præ cæteris* de Auguſtinianis; & de eiſdem Leo X. In Bullario Auguſtinianorum *in Leone, num.* 1. & ſic communiter loquuntur omnes Auctores cum de Tertiariis, ac Confraternitatibus agunt.

Iulius. II. Leo X. Bull. Aug.

9. Cum hoc tamen ſtat, quod Tertiarij ſimpliciter, & abſolutè dicendi ſunt perſonæ ſæculares, & non Eccleſiaſticæ, ita ſupponunt Pontifices, dum prædictos Tertiarios Congregationem, ſeu Ordinem ſæculatium, ſeu laicorum appellant. Paulus II. in Bulla *Expoſcit veſtræ*; & Leo X. in Concilio Lateran. In Bulla, *Dum intra mentis* data in publica ſeſſione Lateran. die 19. Decembris anno 1516. de Tertiariis ſic loquitur. *Fratres autem, & ſorores tertij Ordinis, necnon Mantellati, Corrigiati, Pinzocheræ, Cordollati, & alij quocunque nomine nuncupati in propriis domibus habitantes, ſepulturam ubi voluerint eligere valeant; ſed die Paſchatis tantum, Euchariſtiam, necnon Extremam-Vnctionem, cæteráque Eccleſiaſtica Sacramenta (pœnitentiæ Sacramento dumtaxat excepto) à proprio Sacerdote recipere, & ad onera, quæ laicis incumbunt, perferenda teneantur, ac in foro ſæculari coram judicibus ſæcularibus convenire poſſint.* Quod etiam declaravit Sacra Congregatio Concilij ann. 1608. Quod maximè explicat Caſarrubius *in Compend Privileg. Minorum, verb. Tertiarij, cum* 24 §. *Quoad primum gradum.*

Paulus II. Leo X. Conc. Later. §. Congreg. Caſarrub.

10. Quo etiam non obſtante, dicti Tertiarij aliquo modo, & ſecundum quid, poſſunt dici perſonæ Eccleſiaſticæ, ſicut & lata ſignificatione, ac analogicè perſonæ Religioſæ ut dictum eſt, illos enim perſonas Eccleſiaſticas appellare videtur Sixtus IV. in Bulla pro Tertiariis Dominicanorum edita, & incipit *Sacroſancta* apud Confetium *in Collectanea literar. Apoſtol. & Privileg. Regular. in Sixto IV. num.* 8. Tum etiam quia prædicti Tertiarij maximè ſunt annexi Ordinibus à Sancta Sede Apoſtolica, & ab eadem Sancta Sede habent regulam approbatam confirmatam cum votis, & Pinzocheræ, ſeu Beatæ exterius habitum regularem portant. Ita Rodriguez *tom.* 2. *quæſt.* 63. *art.* 5. cum Suario, & aliis, Lezana *tom.* 2. *Regular. cap.* 15. *num.* 25.

QUÆSTIO III.

Quænam Religiones habent Tertiarios?

SUMMARIUM.

11 *S. Franciſcus primo inſtituit Tertiarios.*
12 *Patres Dominicani habent Tertiarios inſtituente S. Dominico.*
13 *Patres Auguſtiniani habent Tertiarios utriuſque ſexus.*
14 *Carmelitæ habent Tertiarios utriuſque ſexus.*
15 *Servitæ B. Virginis habent Tertiarios.*
16 *Religioſi Minimi Sancti Franciſci de Paula habent Tertiarios.*
17 *Religioſi Tertiarij habent etiam Tertiarios ſæculares utriuſque ſexus.*

HAnc facultatem recipiendi, ac admittendi Tertiarios habent Ordines Mendicantes, & primo Sanctus Franciſcus, hujus ſacri Ordinis Patriarcha inſtituit Fratres, & ſorores hujus Ordinis de Pœnitentia anno 1212. Ejus regulam præſcripſit Nicolaus IV. anno 2. ſui Pontificatus in Bulla *ſupra montem*, quam adducit Caſarrubius *in fine Compendij Privilegiorum Mendicantium, folio mihi* 563. & habetur in Bullario inter Bullas hujus Pontif. *num.* 2. Hanc regulam explicat Abbas Caramuel *tom.* 1. *Theologiæ fundamentalis in quodam Tractatu ad finem.* Poſtea verò aliæ Religiones ad ejus imitationem, etiam Tertiarios inſtituerunt, ac habuerunt, & Eccleſia dum canit de Sancto Franciſco. *Tres ordines hic ordinat.* Intelligit quod ipſe fuit primus, qui hos tres Ordines ordinavit, ac inſtituit, de hoc videndus eſt Corduba *in Annotationibus ad Compendium Privilegiorum Mendicantum.* 11. S. Franciſc. Nicol. IV. Caſarrub. Caramuel. Eccleſia. Cordub.

Patres Dominicani habent Tertiarios, Fratres, & ſorores de Pœnitentia, cum facultate plena eos recipiendi, ac ad Profeſſionem admittendi, imò ipſorum Patriarcha S. Dominicus hunc Tertium Ordinem Tertiariorum cum magno fructu ſpirituali inſtituit, ut teſtantur S. Ant. 3. *p. hiſtor. tit.* 23. *c.* 14 §. 2. Rodrig. *tom* 3. *q.* 72. *art.* 2. Corduba *in Annotat. ad Compend Mendicant.* §. *Quoad ultimum notabile.* Innocentius VII. *Sedis Apoſtolicæ.* Quæ eſt unica *in Bullario Laërtij, tom* 1. Regulam pro fratribus, & ſororibus Tertiariorum Sancti Dominici apponit, & approbat. De his Tertiariis Dominicanis mentionem faciunt Bonifacius VIII. Eugenius IV. Martinus V. Sixtus IV. ut refert Fr. Ioſephus à S. Maria *praxi Regul. lib.* 3. *cap.* 4. 12. §. Dominic. S. Anton. Rodrig. Corduba. Innoc. VII. Bonif. VIII. Eugen. IV. Martin. V. Sixtus IV.

Patres Auguſtiniani habent facultatem admittendi, ac recipiendi Tertiarias ad inſtar Mantellatarum, ſeu Pinzocherarum Ordinum Minorum, ad Prædicatorum, ut eis conceſſit Bonifacius IV. Eugenius IV. Martinus V. quas Bullas refert M. Lezana *in eorum Patrum mari magno Bulla* 41. 42. 43. Et idem habetur ex Sixto *in eorum mari magno Conſtitut.* 5. Advertit Rodriguez *tomo* 3. *q.* 72. *art.* 3. ſe non invenire in Privilegiis 13. Bonif. IV. Eugen. IV. Martin. V. Lezana. Rodrig.

Eremitarum S. Auguſtini, ac Carmelitarum facultatem ad recipiendos Tertiarios utriuſque ſexus, ſed ſolùm fœminas; ac de Carmelitanis contrarium expreſſe conſtat, ut clarè dicam quæſtione ſequenti, & de Patribus Auguſtinianis etiam apertè conſtat ad recipiendos viros in Tertiarios. Nam Paulus II. anno 1470. Generali, ac Provinciali, ſeu Prioribus Congregationis dictorum Patrum Auguſtinianorum Lombardiæ in Bulla: *Expoſcit veſtra*, conceſſit facultatem exhibendi viris Mantellum, ſeu habitum Mantellatum nigri coloris ſecundum habitum Fratrum ejuſdem Ordinis, adinſtar Mantellorum aliorum Ordinum, refert Confetius *in collectanea litterarum Apoſtolicarum in Paulo II.* & idem etiam habetur apud eundem Confetium *ex Mari Magno in Sixto IV. num.* 21. Et conſtat etiam ex Leone X. in quadam Bulla data in Concilio Lateran. de qua ſuprà *quæſtione* 2. *num.* 9. & ex alia Bulla ejuſdem Leonis, quæ refertur *quæſt. ſequenti, num...* Hi Tertiarij Auguſtiniani habent regulam applicatione quadam deſumptam ex regula ipſorum Patrum.

Paulus II. Confet. Leo X.

14. Noſtri Patres Carmelitæ habent plenariam, & amplam facultatem ex conceſſione Apoſtolica admittendi, & recipiendi ad habitum prædictos Tertiarios fratres, & ſorores Tertij Ordinis de Pœnitentia, communicando eis proportione ſervata, ipſorum regulam, ac multa privilegia, de quo latè, & apertè quæſtione ſequenti, & de his fuit mihi peculiaris quæſtio.

15. Servitæ etiam B. Virginis habent Tertiarios, tam fratres, quam ſorores, & hoc de Tertiariis utriuſque ſexus conceſſit Leo X. in Bulla: *Dudum per nos*, anno Domini 1519. ubi ſervitas inter Fratres Mendicantes annumerat quoad perſonas utriuſque ſexus de pœnitentia, & eſſe æquales in omnibus privilegiis, Confetius *in collect. litterarum Apoſtolicarum Mendicant. in Leone X. Bulla* 18. & id apertè conſtat ex Martino V. in Bulla, *Sedis Apoſtolicæ*, quæ habetur *in Appendice ad Bullarium inter conſtitutiones hujus Pontificis, num.* 1 Ubi approbat, & confirmat regulam pro fratribus, & ſororibus Tertij Ordinis ſervarum B. Virg. Mariæ.

Leo X. Confet. Martin.

16. Religio etiam Minimorum S. Franciſci de Paula habet Tertiarios utriuſque ſexus, ut conſtat ex Iulio II. in Bulla; *Dudum ad ſacrum, anno* 1506. & habetur apud Peirinum *tom.* 1. *Privileg. Minimorum*, & eorum profeſſionis forma ab eodem Iulio II. approbata, ac confirmata, ut habetur apud eundem Peirinum *citato loco*; idemque habetur ex Leone X. *in Bulla, Eaqua*, anno 1513. apud eundem Peirinum *inter Bullas*, Leonis X. *num* 1. Miranda *in tom.* 1. *quæſt.* 36. *art.* 2.

Iulius II. Peirin. Leo X. Miranda.

17. Veri etiam Religioſi tertiarij de quibus dixi ſupra, etiam habent facultatem faciendi tertiarios, & tertiarias ut patet *ex Bulla*, Nicolai IV. quæ incipit: *Super montem*; & ex Leone X. ubi regula ipſorum Patrum accommodatur ipſis tertiariis ſæcularibus in ſuis domibus viventibus. Ita Bordon. *tom.* 2. *Reſolut.* 58. *num.* 29. Et cum ipſi Patres Religioſi tertiarij incipere nt facere tertiarios perſonas utriuſque ſexus in hac civitate Olyſipponenſi, quidam Religioſi contra eos ſeſe oppoſuerunt, quod ſine debita facultate talia facerent, cum res eſſet deducta ad Dominum collectorem pro ipſis Patribus tertiariis Apoſtolica ſententia promulgata eſt, quod verè, & legitimè habebant facultatem admittendi, ac recipiendi tertiarios utriuſque ſexus.

Bordon. Sententia Apoſtolica.

QUÆSTIO IV.

Patres Carmelitæ habent plenarium facultatem Apoſtolicam inſtituendi, ac recipiendi Tertiarios utriuſque ſexus.

SUMMARIUM.

18 *Controverſia quæ dedit occaſionem huic quæſtioni.*
19 *Refertur ad verbum amplum Indultum Sixti IV.*
20 *Notandum, quod quatuor dicuntur perſonæ utriuſque ſexus.*
21 *In conceſſione privilegiorum, privilegium adinſtar eſt in optima forma, & numero* 22. & 23.
24 *Probatur ſecundo ex indulto à Leone X. conceſſo.*
25 *Probatur tertio ex graviſſimis Doctoribus.*
26 *Ponitur Sententia Apoſtolica pro Carmelitanis, &* 27.
28 *Refertur Appellatio, quæ fuit deſerta, derelicta, ac inutilis judicata unde, in ſuo robore & firma manet prædicta ſententia.*

18. VT jam dixi in limine hujus quæſtionis, *num.* 1. olim extitit aliqualis controverſia cum tertiariis tertiæ Religionis, quæ fuit occaſio edendi hunc tractatum Et quod Patres Carmelitani habeant Apoſtolicam facultatem inſtituendi, ac recipiendi ad habitum tertiarios tam viros, quam fœminas, aperte, & clare patet ex Bulla Sixti IV. *Dum attenta*, quod eſt Mare Magnum noſtræ Religionis datum Romæ apud ſanct. Petrum anno 1476. 4. Cal. Decembr. & habetur authentica in conventu noſtro Tranſpontinæ, & in hoc Conventu Ulyſippon. & ita habet in hæc verba, *num* 83. & 84.

Sixtus IV.

19. *Statuentes præterea Apoſtolica auctoritate, & præſentium tenore concedentes, quod de cætero perpetuis futuris tẽporibus tã Magiſtro Generali, quã cuilibet dicti ordinis officiali, ac Prioribus. dicti ordinis, ſecundum mortem, & ſtatuta ejus ordinis, in quibuſcũque Prouinciis conſtitutis, tam præſentibus, quam futuris, ſit licitum, ac permiſſum, quaſcunque mulieres, & utriuſque ſexus perſonas, ſi alias ſint idoneæ, & aliud canonicum nõ obſiſtat, quæ habitum regularẽ prædicti ordinis adinſtar Mantellatarum, ſeu Pinzocherarum, aut fratrum de pœnitentia Tertij ordinis, ordinum fratrum Minorum, & Prædicatorum, nec non Heremitarum S. Auguſtini habere voluerit, & geſtare, tam virgines*

ac

ac matronas, quam viduas, ac Mantellatas, ſeu Prinzocheras, & utriuſque ſexus perſonas dicti ordinis Carmelitarum recipere, & admittere; ac earum ſingulis habitum regularem, ac regulam ejuſdem ordinis Carmelitarum, adinſtar hujuſmodi Mantellatarum, ſeu Pinzocherarum utriuſque ſexus ordinum, & utriuſque ſexus perſonarum Ordinum Fratrum Minorum, & Prædicatorum, necnon Heremitarum S. Auguſtini præfatorum, prout ſecundum Deum ſaluti animarum earundem perſonarum, ſalubrius viſum fuerit expedire, & etiam exhibere; quæ ſic recepta, & in poſterum recipienda, auctoritate præfata gaudeant, & gaudere poſſint, & debeant tam exemptionis privilegiis, quam omnibus immunitatibus, libertatibus indulgentiis, & aliis privilegiis quibuſcumque præfato Ordini Beatæ Mariæ Dei Genetricis de Monte Carmelo, ejuſque fratribus, ac perſonis, per Sedem Apoſtolicam jam conceſſis, & quæ in poſterum concedentur.

20. In quo indulto tria maximè notanda ſunt, Primò, quod in illo quadrupliciter repetitur, *utriuſque ſexus perſonas.* Unde valde mirum quod Sapientiſſimus Emmanuel Rodrig. maximè verſatus in Privilegiis Regularium, cui omnes Religiones multum debent, *tom. 1. quæſt. 72. art. 3. §. Circa quas* Dicat ſe non invenire in privilegiis Eremitarum S. Auguſtini, & Carmelitarum habere Tertiarios utriuſque ſexus, ſed ſolùm fœminas; cum apertè contrarium conſtet ex prædicto indulto Nicolaï IV. & etiam conſtabit ex Leone X. ſtatim referendo. Secundò ait Pontifex, ut hujuſmodi Tertiariis Carmelitæ valeant eis dare. *Regulam, & habitum regularem Ordinis Carmelitarum;* de quo infrà.

Rodrig.

Nicol IV. Leo X.

21. Tertiò: Quòd hoc privilegium conceſſum à Summo Pontifice eſt ad inſtar Fratrum de Pœnitentia tertij Ordinis Fratrum Minorum, Prædicatorum, &c. Et hæc forma concedendi privilegium *ad inſtar*, eſt optima forma in conceſſione privilegiorum, nam per illud concedit Pontifex Patribus Carmelitanis, ut habeant tertiarios, eodem rigore, ac proprietate, ut ſunt tertiarij S. Franciſci, & inde hoc privilegium *ad inſtar*, appellatur privilegium *per æqualitatem, ac æquiparantiam in omnibus*, cùm eo ad cujus ſimilitudinem, ac imitationem conceditur, quod eſt ejus exemplar, ut colligitur ex Extravaganti: *Quemadmodum, de pœnitentijs*; & ex *l. Omnia Codice de Epiſcopo, & Clerico*; & ex *l. Inſtar, C de jure fiſci, lib.* 10. Suar. *lib.* 8. *de legibus, cap.* 15. *num.* 2. ubi ita habet: *Privilegium ad inſtar*, ſignificat propriam, & adæquatam ſimilitudinem, ut menſura ad menſuratum: & concedit omnem favorem, & gratiam formaliter contentam in ſuo exemplari, & in eodem ſenſu, in quo in ſuo exemplari continetur, & cum eadem extenſione, Baldus citatus *leg. Omnia.* Ubi ait quod quando uni univerſitati, v. g. Conimbricenſi, conceditur privilegium ad inſtar univerſitatis Salmanticenſis; quod inde in omnibus æqualis eſt illi; & Navar. *in commentario de Iubilæo, notab. 26. n. 2.* ait, quod Iubilæum ad inſtar anni centeſimi, tale Iubilæum in omnibus eſt æquale cum Iubilæo anni centeſimi.

Extravag. L. Omnia. L. Inſtar. Suar.

Baldus.

Navar.

22. Et tandem privilegium ad inſtar importat, & ſortitur eundem, & parem effectum cum aliis, ad quæ adæquatur, & quæ in priori exemplari continebantur, cenſetur in ſecundo privilegio repetita. Ita Felinus, Abbas, Pariſienſ. Card. Tuſchus, Gloſſa, Mendoc. Triaq. Menoch. quos citat, & ſequitur Barboſa *tract. vary clauſula*, 5. Ergo cum Summus Pontifex concedit Patribus Carmelitanis, ut habeant Fratres, & ſorores tertij Ordinis de Pœnitentia ad inſtar Fratrum Minorum, ac Prædicatorum, concedit ut tales tertiarios habeant, eadem proprietate, ac æqualitate, & paritate, ac prædicti Patres Prædicatores, ac minores habent.

Felinus. Abbas. Pariſien. Tuſchus. Gloſſa. Mendoc. Tiraquel. Menoch. Barboſa.

Probatur etiam ſecundò ex indulto Leonis X. ut refert Conſetius *Bulla* 17. quæ incipit: *Dudum per nos.* Et ita habet: *Favores, immunitates, privilegia, indulta tam ſpiritualia, quam temporalia, quæ Prædicatorum, Minorum, Heremitarum ſancti Auguſtini, ac Carmelitarum, in eorum domibus, & Eccleſiis, non ſolum Generalibus, Provincialibus, Fratribuſque & ſororibus, necnon Monialibus, & converſis, oblatis, ac utriuſque ſexus perſonis, de pœnitentia, ſeu tertij habitus nuncupatis, à dictis prædeceſſoribus, aut à nobis, ipſiſque ſucceſſoribus conceſſa fuerunt, ac in poſterum concedentur, illa omnia communicavimus, & communia fuiſſe, & eſſe volumus.* Ubi Pontifex manifeſtè ſupponit dari tertiarius in quatuor Ordinibus Mendicantibus, quos expreſſe nominat, Prædicatores, Minores, Auguſtinos, Carmelitas. *Utriuſque ſexus perſonis de pœnitentia, ſeu tertij habitus nuncupatis.* 23.

Leo X.

Ex quo dato, & non conceſſo, quod Religio Carmelitana non habuiſſet peculiaria indulta Apoſtolica ad admittendos, ac recipiendos tertiarios, eſto erat quod aliæ Religiones haberent facultatem ad eos recipiendos. Suppono ut certiſſimum, inter Religiones mendicantes dari mutuam privilegiorum communicationem, proindeque Religio Carmelitana participat de omnibus privilegiis, & indultis conceſſis omnibus aliis Religionibus, ut conſtat ex indulto Sixti IV. Leonis X. Gregorij XV. Pij V. Julij II. Julij III. Pauli IV. ut videre eſt apud Rodriguez *tom. 1. quæſt. 55. art. 1.* Miranda *tom. 2. quæſt. 46 art. 4.* 24.

Sixtus IV. Gregor. X. Pius V. Iulius II. Iulius III. Paul. IV. Rodrig. Miranda.

Probatur tertiò, teſtimonio graviſſimorum Auctorum, qui expreſſe aſſerunt Religionem Beatiſſimæ Virginis de Monte Carmelo habere Ordinem tertiariorum. Ita Mirand. *tom. 1. quæſt. 36. art. 2. concl. 2.* Ita habet. *Auguſtiniani, & Carmelitani, ſimiliter ſuos habent tertiarios, quos etiam communi vocabulo, vocat de Pœnitentia.* Corduba *verb. Tertiarij in ſuis annotationibus, in penultima linea,* ait *De Carmelitis ſimiliter, quod habeant ſuos tertiarios patet,* Cartagena *tom. 3. lib. 17 §. Tandem poſt medium,* ait: *Miſſos facio ſanctos, & ſanctas ex Ordine tertiariorum,* ſcilicet Carmelitarum: *Eduardum Regem Angliæ, & Principem Dom. Alphonſum de Lacerda*; & alios, quos deinceps numerat Collector Privilegiorum, *ſub titulo tertiariorum,* ponit etiam Carmelitas, adductis verbis Sixti IV. Sylveſter Maurilus Abbas Ciſtercienſis *in hiſtoria nuncupata Mare Magnum Religionum, lib.* 4. ubi agens de 25.

Miranda. Corduba. Cartagen. Collector. Maurilus.

tertiariis Carmelitanis; refert ex B. Angela de Arena. *Quod cum prædicta Angela vellet tertiaria fieri alterius Ordinis in antecedenti nocte apparuit illis ſcala, cœlo tangens ſumitate & imo terram juxta quam erant duo ſancti Ordinis Carmelitarum, qui dixerunt ei, ſi vis per hanc ſcalam aſcendere, ſume habitum tertiariorum B. Virginis de Monte Carmeli, ſumpſit illa, & cum maxima ſanctitatis opinione obyt in Sicilia.* Ioannes Baptiſta Confetius *in penultimo, cap.* expreſſè agit de tertiariis Carmelitanis Gadalazara *in ſuo Theſauro ſpirituali, cap. 3.* affirmat ſanctum Ludovicum Regem Galliæ Tertiarium fuiſſe quatuor Ordinum Mendicantium, Pellizarius *tom. 2. tract. 8. cap. 5. num. 12.* M. Fr. Didacus Corea, Hyſpali librum impreſſum anno 1592. de Tertiariis Carmelitarum, ubi agit de eorum regula, ac privilegiis, & de eiſdem aliud volumen edidit R. M. Fr. Theodorus Stharthius *Romæ impreſſum approbante Mag. ſacri Palatij*, ſicut eadem approbatione M. Lezana *tom. 1. cap. 3. num. 8. & tom. 2. cap. 14. per totum*, & in Mari Magno Carmelitarum ad Bullam Sixti IV. *num. 83.* Fr. Emmanuel Roman. in ſuis Lucidationibus *tract. 1. cap. 10. prope finem*; F. Petrus à Cruce Zuſarte, & Fr. Ioannes Bonus, & quilibet in peculiari libro de Tertiariis.

Confet. Gudalaza. Pellizar. Corea. Stharthius. Lezana. Roman. Petr zuſart. Ioan. Bon.

26. Tandem cum circa annum 1630. maximè florere cœpiſſet Tertiariorum Ordo Fratrum B. Virg. Mariæ de Monte Carmelo, quidam Religioſi ſeſe oppoſuerunt aſſerentes talem Tertiariorum Ordinem de Monte Carmeli, non dari. Tunc res deducta eſt ad Illuſtriſſimum Dominum Collectorem Apoſtolicum Laurentium Tramallo, & judicibus datis, cauſa profundiſſimè examinata, ac diſcuſſa in judicio contradictorio ſententia Apoſtolica prolata eſt pro Tertiariis Carmelitanis.

SENTENTIA APOSTOLICA

Quod Religio Beatiſſimæ Virginis de Monte Carmelo habet Fratres, & ſorores Tertii Ordinis de Pœnitentia, Chriſti nomine invocato.

27. Viſis præſentibus actibus, ſimul cum petitione Miniſtri, ac aliorum Fratrum Tertii Ordinis Seraphici Patris ſancti Franciſci, ſimulque reſponſione data Religioſorum Beatiſſimæ Virginis Mariæ Montis Carmeli, ſimulque rationibus pro utraque parte adductis, demonſtratur intendere dictum Miniſtrum, cum ſuis Fratribus adjunctis impedire in dicta Religione Carmelitana dari dictum Ordinem Tertiariorum, qui nec de præſenti detur, nec in futurum ſit, qui valeat æquiparari illis ſupplicantibus, nec poſſe habere idem Ordinis nomen; at verò ex altera parte Religionis B. Virginis de Monte Carmelo allegatur habere Ordinem Tertariorum tam virorum, quam mulierum, ex gratia Apoſtolica conceſſum, ut conſtat ex Bulla, ac indulto Sixti IV. quo optimè magna indagine examinato, ac conſiderato, maximeque illius verborum tenore perpenſo, & magnopere examinata materia, de qua agitur, multumque attenta omni juris diſpoſitione, Pronunciamus, decernimus, ac declaramus Religionem Beatiſſimæ Virg. Mariæ de Monte Carmelo, poſſe habere fraternitatem, ſeu Ordinem Tertiariorum tam virorum, quam mulierum, eiſdem præeminentiis, gratiis, ac privilegiis, quæ habet fraternitas Tertiariorum Ordinis ſancti Franciſci, eodemque nomine Ordinis uti, prout ſecundum jus ei poteſt convenire; & etiam poterunt prædicti uti verbo confraternitatis, in libro, de quo agitur typis mandando; quamvis tamen lato modo, & impropriè hæc fraternitas poſſit appellari ordo, cum tamen proprie non ſit ordo, cum non habeat propriã regulam, ſed tantum certum vivendi modum, approbatum à ſancta Sede Apoſtolica, ut colligitur ex Gloſſis, quæ in hac materia, ut maxime notatu dignæ habentur, *Clementina cum exeo, verb. Tert. de ſententia excommunicationis*; & ex Clementina *de Religioſis domibus verb. Obedientiam*, in 6. Ex cauſa ſine expenſis datum Ulisippone die 31. menſis Auguſti anno 1630.

Petrus Antonius de Marchis Auditor Apoſtolicus.

Doctor Franciſcus da Motta Peſoa.

Et cum hæc ſententia eſſet pronuntiata, ac publicata in publica audientia in Tribunali Illuſtriſſimi Domini Collectoris Apoſtolici ab ea appellatum eſt à Miniſtro, ac cæteris Fratribus Tertii Ordinis. Reverendus admodum Apoſtolicus Auditor eorum appellationem acceptavit, dummodo intra tempus conſtitutum, vel in primo, ſecundo, ſeu tertio actu, ſeu fatali, ut dicitur, producerent cauſam ſuæ appellationis juxta ordinationem ſui tribunalis Apoſtolici; ipſi verò appellantes cum bene agnoviſſent ſe in jure nullum habere ſubterfugium, nihil produxerunt; cum ergo pertranſiſſent prædicti termini, & inſuper multum tempus ſupra id, quod jura concedunt ad proſequendum appellationem nihil eſſet productum, ideo Dominus Auditor cum ſuo Collega auctoritate Apoſtolica ſecundam ſententiam protulerunt, declarantes prædictam appellationem fuiſſe nullam, & nullius valoris, ſimulque eſſe deſertam, ac derelictam, primamque ſententiam datam eſſe validam, ac firmam in toto ſuo robore, ſicque libere evulgari poſſe, & ab omnibus ſic tenendum eſſe, datum Ulyſippone die 6. Maij anno 1631. 28.

QUÆSTIO V.

De gratiis, ac indulgentiis, & privilegiis, quibus gaudent Tertiarii.

SUMMARIUM.

29 *Ampla conceſſio pro Tertiarijs data à Sixto IV.*

Aliquæ conditiones ad talia privilegia obtinenda, quid de Beatis, ibid.

30 *Magno gratiarum, ac indulgentiarum theſauro fruuntur.*

31 *Valent recitare officia de ſanctis Ordinis.*

32 *Tempore interdicti admittuntur ad divina, & ſepulturam Eccleſiaſticam.*

33 *Prædicti tertiarij habitantes in ſuis propriis domibus*

domibus subjiciuntur Ordinario.

34 *Tertiarij, si gestent habitum Religionis, voventes castitatem, & gregatim viventes, gaudent privilegio canonis.*

35 *Tertiarij saculares habitantes in suis domibus non gaudent privilegio canonis.*

29. Sixtus IV. NOstris Tertiariis Carmelitanis magnam, & amplam concessionem dedit Sixtis IV. in sua Bulla *Dum attenta*, *num.* 84. citata superiori quæstione, dum ait: *Vt gaudere possint, & debeant, tam exemptionis privilegio, quam omnibus immunitatibus, libertatibus, indulgentiis, & aliis privilegiis quibuscumque præfato Ordini Dei Genetricis Mariæ de Monte Carmelo, ejusque Fratribus, ac personis per sedem Apostolicã jam concessis, & quæ in posterum concedentur.* Quod etiam multi Pontifices concesserunt Tertiariis aliorum Ordinum, ut patet ex dictis *quæst.* 3. Prædicti Tertiarij, ac Tertiariæ, ut tantis privilegiis gaudeant, aliS. Congreg. quæ conditiones requiruntur à Sacra Congregatione Episcoporum anno 1616. Prima est, ut honestè vivant, bonisque moribus sint ornatæ tales personæ. Secunda, quòd sint in bona, ac sufficienti ætate. Tertia, quod habeant unde sufficienter, ac honestè vivant. Quod verò ad Beatas, quæ habitum oblongum portant, requiritur quod sint quadraginta annorum, & ut habitent in suis domibus, sine viris, & ad plurimum cum consanguineis. De Lezana. quo M. LeZana *tom* 2. *cap.* 14. *num.* 40.

30. *Gratiæ, & Indulgentiæ.* Magna gratiarum, ac indulgentiarum copia, & illa valde peculiari, ac insigni de Bulla Sabbatina, dum eorum animæ igne purgatorio expiantur; prima die Sabbathi, post eorum mortem, sanctissima Virgine auxiliante, ac patrocinante, ut de ejus summa benignitate pie creditur, transferuntur in cœlestem patriam, ut refertur Lectione quinta die 16. Iulij *Festum commemorationis.* in festo Commemorationis B. Virg. Mariæ; est alius & amplissimus gratiarum thesaurus, ut habetur in nostra Bulla, quæ circumfertur, & ideo omitto eas hic recensere.

31. Concedit etiam Pontifex ipsis Tertiariis; *ut gaudere possint, & debeant privilegiis quibuscunque præfato Ordini de Sedè Apostolicam Dei Genetricis Mariæ de monte Carmelo, concessis, & in posterum concedendis.* Proindeque *Officium Carmelitanum recitandum.* judicio graviss. Doctorum, valent recitare officia propria nostrorum sanctorum, ut sunt in Breviario Carmelitano; ac proinde Officium Beatæ Virg. Mariæ ut solemni commemoratione die 16. Iulij Officium S. Eliæ, Elisæi, sancti Alberti, sancti Angeli, S. Theresiæ, sanctæ Mariæ Magdelenæ de Pazzi, ac aliorum sanctorum nostri Ordinis, cum suis octavis. Item in omni Sabbatho tam in adventu, quam in quadragesima, ut nobis concessit sacra Congregatio, officium B. Virginis Mariæ ut semiduplex, tanquam in commemoratione solemni Iulij: valent etiam in omnibus feriis, quintis, etiam in adventu, & quadraS. Congreg. gesima, non impeditis alio festo novem lectionum, ut nobis concessit sacra Congregatio, recitare officium de sanctissimo Sacramento; & inde hæc concessio sacræ Congregationis ampliatur; concessit etiam eadem sacra Congregatio, quod si Sabbathum, vel feria quinta essent impedita festo novem lectionum, & in dicta hebdomada esset aliqua dies, vel aliqui dies non impediti tali festo novem lectionum, tunc in ipso, vel in ipsis poterit recitare officium de B. Virgine, ac Divinissimo Sacramento.

Tempore Interdicti admittuntur ad divina, 32. *De Interdicto, ac sepultura.* dummodo interdicto causam non dederint, nec ipsum foveant, & nutriant, ut bene colligitur ex Bulla Leonis X. supra citata. Lezana. Lezana *tom.* 2. *cap.* 14. *num.* 36. Tales Tertiarij, & Tertiariæ sepeliuntur in Ecclesiis suorum Ordinum, nisi ipsi eligant sepulturam, quod deducitur etiam ex Bulla Leonis X. in concilio Lateranensi, ubi ait Pontifex, quod ipsi valent *eligere sepulturam, ubi voluerint*, quod positum est, ne existimetur quod ipsi debeant necessario sepeliri in Ecclesiis suorum Ordinum. Casarubius *in compendio privilegiorum* Casar. b. Pellizar. *Mendicantium verb. mulieres num.* 6. & 7. Pellizar. *tom.* 2. *tract.* 8. *cap.* 5. *num.* 171.

Prædicti Tertiarij, & Tertiariæ, in propriis 33. *Quando conveniat.* domibus habitantes, subiiciuntur Ordinario, & foro sæculari, & in Paschate recipiunt Sacramentum Eucharistiæ è manu Parochi, sicut & extremam unctionem, & alia Sacramenta, excepta pœnitentia, hæc omnia declaravit Leo X. in Concilio Lateranensi in Leo X. Bulla *dum intramentis* die 19. Decembris anno 1516. & habetur in primo tom. Bullarij inter Bullas Leonis X. *num.* 22. & etiam extant Declarationes Congregationis Episcoporum de hac re, apud Gavantum *verb. Tertiarij*, *num.* 1. 2. & 8. Gavant.

Ultimò dicendum Tertiarios, si tales ha- 34. *De privilegio canonis.* bitum religiosum gestent, & gregatim, vivant, vel certè (si sint fœminæ) virginalem cælibem, vel castam vidualem vitam ducant expresso voto, vel habitu religioso, gaudere privilegio canonis: *Si quis suadente*, & idem etiam dicendum de oblatis, donatis, mantellatis, corrigiatis, aliisque similibus, si gestent habitum religiosum, & viri si collegialiter vivant, seu cum claustralibus habitent, sicque à sacra Congregatione declaratum esse testatur Filliucius *tract.* 15. *num.* 14. quòd etiam Filliucius. confirmat ex usu, praxi, ac consuetudine curiæ Romanæ imò etiam ex jure communi, ut contendit Suar. *de censur. disp.* 22. *sect.* 1. *n.* 20. Suar. cum Navarr. *cap.* 27. *num.* 79. Nam *Monachus*: Navar. nomen non solùm sumitur pro Religiosis professis, sed etiam pro iis personis, quæ sunt participes status religiosi, suntque personæ Deo dedicatæ, cujusmodi sunt sine dubio tales Tertiarij, quod etiam idem dicendum sit de oblatis, seu donatis, constat ex privilegio bullato Sixti concesso oblatis Carmelitarum, ut refert Casarubius *in compend. verb. oblati, num.* 2. Casarub. in hæc verba: *Sixtus IV. concessit quod oblati, & oblatæ fratrum Carmelitarum, gaudeant privilegijs, & gratijs dicti Ordinis, sicut gaudere possunt mulieres Mamellatæ, & Pizzochæ sub dicto Ordine viventes, quibus concessũ est posse gaudere omnibus privilegijs Fratrum.* Ex quo benè sequitur, quod prædicti gaudent privilegio Canonis, & alij aliorum Ordinum per viam communicationis, ut notat Bonacina Bonacina. *disputat.* 1. *de censur. in particulari, quæst.* 16. *sect.* 1. *part.* 3. *num.* 18.

Notat Carillus *lib.* 1. *de Tertiariis cap.* 11. 34. quod prædicti Tertiarij extra communitatem Caril.

De his, qui extra communitatem.

gaudent privilegio Canonis *Si quis ſuadente*, dummodo portent habitum, juxta decretum aſſignatum in regula ipſorum, idque probat ex Rodriguez *tom. 3. quæſt. 73. art. 2.* & ab his non diſſentit Portel. *in dubiis Regul. verb. Tertiarij num. 3. fere ad medium.* At vero Tertiarij ſæculares habitantes in ſuis domibus, & non portantes habitum Religionis, ſed ſæcularem, ſecundum communem uſum, & praxim non gaudent privilegio Canonis.

Rodrig.
Portel.

QUÆSTIO VI.

Qualiſnam ſit modus vivendi Tertiariorum?

SUMMARIUM.

36 *Quilibet Prior etiam localis, poteſt dare habitum Tertiariorum ſuæ Religionis, non alterius.*

37 *De Commiſſario, ac Adminiſtratore Tertiariorum.*

De Regula Tertiariorum, ibid.

38 *Tertiarij habent habitum proportionatum Religioni, cujus ſunt Tertiarij.*

39 *Poſt elapſum annum faciunt profeſſionem.*

40 *Tertiarij Minorum promittunt ſervare mandata Dei, & cum tale votum nullam inducat obligationem, non eſt vere votum.*

41 *Alij Tertiarij promittunt obedientiam, caſtitatem ſecundum ſuum ſtatum, quod votum obligat tantum venialiter.*

Legiſlator etiam in materia gravi poteſt intendere obligare venialiter, ibid.

42 *Tertiarij, de quibus agitur, ſi relinquant ſuum ſtatum, non ſunt Apoſtatæ.*

36. QVilibet Prior etiam localis poteſt habitum Tertiarij, ſeu Tertiariæ ſui ordinis dare, ac concedere cuilibet perſonæ honeſtæ, ac bonæ, & probatæ vitæ, & patet pro Sixtus IV. Carmelitanis, ex bulla Sixti IV. & pro aliis etiam Religionibus multas bullas adducit Bordon. Bordon. *Reſolut. 58 num. 29.* Simul advertens, quod Prior, ſeu Officialis unius Religionis, verbi gratiâ, Franciſcanæ non poteſt dare habitum Tertiariorum alterius Religionis, verbi gratiâ, Dominicanæ, ſeu Carmelitanæ, ſed unuſquiſque ſuæ propriæ Religionis.

37. Sixtus. IV. Et ait Sixtus IV. in citata Bulla *Dum attenta* num. 84. *Concedentes volumus, quòd de cætero tam Magiſtro generali, quàm cuilibet dicti Ordinis Officiali, & Prioribus dicti Ordinis licitum ſit.* Cum ait *Officiali* dicti ordinis intelligit, quem nos modo appellamus commiſſarium, quem Martinus V. in bulla *Sedis Apoſtolicæ providentia* dicit Monitorem, ſeu Correctorem. Et Innocentius VII. in bulla ſupra montem *Sedis Apoſtolicæ* pro Tertiariis Dominicanis dicit Magiſtrum Doctorem reſpectu virorum Prioriſſæ, vel ſuperioriſſæ, reſpectu fœminarum. Qui correctores, officiales, ſeu monitores poterunt aliquos ex ipſis Tertiariis ad ſe advocata, ad regimen, ac gubernationem totius Ordinis, ex conſenſu ipſorum Tertiariorum, tamen tota poteſtas ſpiritualis recipiendi ad habitum, & admittendi ad profeſſionem eſt apud ipſum officialem, ſeu monitores. Caſarubius *in compend. Privileg. Mendicant. verb. Tertiarij, n. 24.*

38. Prædicti Tertiarij habent habitum proportionatum ſecundum ordinem, cujus ſunt Tertiarij, inde pro Franciſcanis Tertiariis præſcripſit Innocentius IV. in Bulla: *Supra montem:* Innoc IV. pro Dominicanis Innocentius VII. *Sedis Innoc. VII. Apoſtolicæ.* Pro Carmelitanis Sixtus IV. in Sixtus IV. Bulla relata: *Dum attenta.* Similiter alij Pontifices, pro Auguſtinianis ſervitis, &c. De quorum habituum forma latè agunt R. M. Fr. Theodorus Striatius, M. Fragoſo, Petrus à Cruce Suzarte, P. Ioannes Bones, qui tres ultimi in peculiaribus libris in lingua vulgari, ac materna de hoc habitu diſſerunt, & regulam peculiarem ipſorum Tertiariorum proponunt, & explicant, ſicut etiam Abbas Ioannes Caramuel *tom. 1. Theologiæ Moralis in peculiari tractatu de Tertiarijs*; advertit tamen Caſarubius *in Compendio Privilegiorum Mendicantium, verb. Tertiarij, §. Quod ad primum gradum*; conſuetudinem, vel potius corruptelam, eſſe apud aliquos.

Stratius. Fragoſus. A Cruce. Bones. Caramuel. Caſarub.

39. Poſt elapſum aliquod tempus, ſeu annum, prædicti Tertiarij emittunt profeſſionem mulieres Tertiariæ D. Dominici, quæ dicuntur ſorores de pœnitentia, & collegialiter vivunt, & etiam in propriis domibus, & emittunt tria vota ſimplicia animo ſe obligandi, juxta conſtitutionem Iulij ſecundi anno 1509. in Iulius IX. Bulla: *Conſiderantes*, apud Peirinum *tom. 1. Privileg. Minimorum* Inter cõſtitutiones Iulij II. *num. 13.* Sic & ſororum aliarum Religionum, violantes dicta vota, peccant mortaliter. Peirin.

40. Tertiarij autem Minorum, promittunt ſervare divina præcepta, & ſatisfacere pro tranſgreſſoribus, & cum nullam inducat obligationem, propriè non eſt votum, Portellus *in* Portel. *dubijs Regularibus, verb. Tertiarij, n. 5.* Omne enim verum votum ex natura ſua, inducit aliquam obligationem, ut eſt de fide, & lumine naturali notum, ut teſtatur Caſtro Palaus *p. 3.* Palaus. *tract. 15. diſput. 1. punct. 13. num. 1.* Nam ſi fides data hominibus obligat, & infert aliquam obligationem, quanto magis fides data Deo obligat ex debito fidelitatis; & inde dicitur Deuteron. 23. *Facies, ſicut promiſiſti Domino Deo tuo, & propria voluntate, & ore tuo locutus es.* Sic etiam votum Minimorum non eſt propriè votum. Deutor.

41. Tertiarij autem Carmelitarum, etiam ſæculares vovent, & promittunt Deo obedientiam, ſecundum ſuum ſtatum, quod votum tantum obligat ad veniale. Et ratio eſt, votum eſt veluti quædam lex particularis, quam homo ſibi imponit; atqui legiſlator etiam in materia gravi poteſt leviter, ac venialiter velle obligare; ergo tantum leviter obligabit; ergo etiam & votum ex intentione voventis leviter obligabit, non enim poteſt obligare ultra intentionem voventis, ita docent, & tenent Navarr. *in ſumm. cap. 23. num. 49.* Sanch. *lib. 1.* Navarr. *de matrim. diſp. 9. n. 6. & in Decalogum lib. 6.* Sanchez. *cap. 4. num. 25.* Suar. *tom. 2. de Relig. lib. 4. de* Suar. *voto, cap. 4. num. 7. & lib. 3. de leg. cap. 27.* Valentia. *num. 7* Valentia *1. 2. diſp. 7. quæſt. 5. punct. 2. q. 2.* Caſtro. Caſtro *lib. 1. de leg. Pœnali, cap. 5. document. 4.* ſtatim in principio, Ioan. Sanchez *diſp. 15. n. 16.* Ioan. Sanch.

Salas

Salas. Bonacina. Palaus.

Salas *de leg. disp.* 10. *sect.* 7. *num.* 33. Bonacina *disp.* 1. *de leg. quæst.* 1. *punct.* 7. §. 4. *num.* 123. Castro Palaus *tom.* 1. *tract.* 2. *disputatione* 2. *punct.* 8 *num.* 4. & *tom.* 3. *tract.* 15. *disp.* 1. *punct.* 11. *n.* 4. Lessius, & alij.

42. Ex dictis benè sequitur, quod tales Tertiarij, sive Tertiariæ, de quibus in præsenti agimus, si talem statum deserant, ac habitum relinquant, & se ipsos matrimonio adjungant, non esse Apostatas; nam Apostata tunc datur, quando intervenit recessus à verò statu Religioso, isti enim Tertiarij, sive Tertiariæ non sunt verè religiosi, ut docent Bañez 2. 2. *q.* 12. *art.* 1. *concl.* 1. Sanchez *lib.* 6. *in Decalog. cap.* 8. *num.* 6. Pellizar. *tom.* 2. *tract.* 8. *cap.* 8. *num.* 44. benè tamen advertit M. Lezana *tom.* 2. *cap.* 14. *num.* 23. Quòd prædicti Tertiarij, seu Tertiariæ, peccabunt, tum contra votum simplex castitatis, si illo absolute emisso matrimonium contraxerint; tum etiam in dimissione habitus, si illum in professione facta, semper gestare promiserunt.

Bañez. Sanchez. Pellizar. Lezana.

RESOLUT. XXXIX.

De Interdicto.

QUÆSTIO UNICA

Vtrùm quando interdicitur aliqua Parochia, Monasteria, quæ sunt in ejus ambitu Interdicto subiaceant?

SUMMARIUM.

1 *Causa hujus consulti.*
2 *Monasteria Religiosorum, interdicta Parochia, quæ sunt in ejus districtu, non astringuntur interdicto, nisi quando Cathedralis, vel Matrix, seu Parochialis, unica loci observat.*
3 *Privilegia Religionum ad non observanda interdicta, & n.* 4. & 5.
6 *Ex Clementina Religiosi non tenentur observare interdictum juxta Concilia.*
7 *Expenditur distributio Clementinæ.*
8 *Corroboratur auctoritate Doctorum.*
9 *Ponitur, & solvitur argumentum, & num.* 10. 11. & 12.
13 *Concilium Tridentinum citato loco non derogat privilegia Religionum.*
14 *Fundamenta prædictæ sententiæ, & num.* 15. & 16.
Privilegia remuneratoria non derogantur per clausulas generales, ibid.
17 *Secundò dic ad Concilium, loqui tantum de Interdicto Generali.*
18 *Ponitur primum, & secundum fundamentum prædictæ Resolutionis, & n.* 19.
20 *Refertur sentia P. Hinojosa cum multis privilegijs.*
21 *Vsus, & consuetudo sacrarum Religionum de non observando Interdicto speciali, & num.* 22.
23 *Vsus, ac consuetudo habet vim ad interpretandam legem.*
24 *In dubio de validitate privilegij pro illa judicandum.*
25 *Pro quo multa privilegia habet Religiones.*

QUM in hac magna civitate Ulyssiponensi multæ sint Parochiæ, in quarum ambitu etiam sunt multa Religiosorum Monasteria, proindeque interdicta Parochia, Monasteria, quæ in ejus ambitu, & situ continebantur tali Interdicti observatione maximè opprimebantur, inde ego feci hoc consultum, quod multis viris sapientissimis maximè placuit, illique subscripserunt; quam sententiam me citato, sequitur M. Fr. Antonius à Spiritu sancto, *in directorio Confessoris, tract.* 12. *de Interdict. disp.* 5. *sect.* 1. §. *secus, si poneretur Interdictum.* Et ita observatum est à multis gravissimis Religionibus; 1 Fr. Anton.

Dicendum est ergo, quando in una civitate, vel oppido sunt multæ Parochiales simul cum Cathedrali, vel matrice, non sufficit, ut ponatur interdictum in una Parochiali, in cujus ambitu, vel districtu, est unum Monasterium Religiosum, tunc tale Monasterium non tenetur observare interdictum, nisi quando Cathedralis, vel matrix illud observai, vel quando in oppido est una tantum Parochialis loci, tunc si talis Parochialis unica loci observat, tunc tenentur Religiosi existentes in tali unica Parochia illud observare, secus nullo modo ut patet ex Clementina statim expendenda, ut multi, & graves Doctores tenent ut statim adducendi. 2

Supponuntur aliqua.

Supponendum est, quod Ecclesiæ Carmelitarum non possunt interdici, nec ab aliquo legato, nec ab ordinario absque expressa facultate ad imponendum tale interdictum. Ita concessit Sixtus IV. in nostro mari magno. *num.* 71. ubi agens de nostris Ecclesiis ait: *Nequis absque sedis apostolicæ speciali commissione & auctoritate hujusmodi, & aliorum prædecessorum nostrorum, non in genere, sed verbo ad verbum specialem facientem mentionem in personas, domos, loca, aut alia dictorum Fratrum B. Dei Genetricis de monte Carmelo, bona utpote prorsus exempta aliquas excommunicationis, suspensionis, & interdicti sententias exercere, aut promulgare præsumat.* Quæ bulla authentica habetur in hoc Conventu Ulyssiponensi. Et idem concessit Leo X. Fratribus Minoribus, ut refertur *in supplemento Ordinis fol.* 59. *conces.* 105. Prædicatoribus Sixtus IV. Patribus Societatis, Gregorius XIII. Equitibus sancti Ioannis Gregorius IX. ut referunt Rodrig. *tom.* 2. *quæst.* 109. *art.* 2. Portel. *in dub. Reguli. verb. Interdictum.* Pellizar. *tom.* 2. *tract.* 7. *cap.* 4. *sect.* 1. *num.* 3. 3 Sixtus IV. Leo X. Supplemen. Ordinis. Sixtus IV. Greg. XIII. Gregor. IX. Rodrig. Portel. Pellizar. Leo X.

Quibus privilegiis omnibus fruitur Religio Carmelitana, sicut & aliæ Religiones privilegiis ipsius Carmelitanæ; nam Leo X. concessit in sua Bulla aurea pro Mendicantibus: *Dudum;* in qua cuilibet Ordini Mendicantium concedit omnia privilegia concessa, & concedenda in futurum, omnibns aliis Ordinibus Mendicantibus, ac si expressè, & directe unicuique eorum fuissent concessa quod est communissimum apud Doctores. *Decisiones* 4 Leo X.

Rotæ

Rota. Tambur. Lezana.

Rotæ in una Valentina 18. Novembr. verb. Communicatio. Sorbus *ibidem.* Tamburin. *de jure Abbatum tom. 1. diſput. 15. quæſt. 18. num. 35.* Lezana *verb. Privileg. num. 24.*

5. Clement. Trident.

Contra nos rigide opponitur quædam Clementina, & Concilium Tridentinum, quæ ſingillatim ſunt explicanda, qua explicatione data inde noſtra ſententia magis firmatur, ac roboratur.

Clementina.

6. Clement.

Clementina prima de ſententia excommunicationis, diſponitur, quod Religioſi obſervent Interdictum; *cum Cathedralem, vel matricem, ſeu Parochialem loci Eccleſiam, illud viderint, aut ſciverint obſervare.* At præfata Clementina loquitur de Interdicto generali, ut ibi expreſſe dicitur: *Qui generalia interdicta violare præſumunt.* Et iterum ibidem: *In generalibus ceſſationibus.* Deinde, ſi Eccleſia Cathedralis, Matrix, ſeu Parochialis loci interdictum non obſervat, jam tale Interdictum ſimpliciter non eſt generale, ut Clementina poſtulat, dicens: *civitatum, terrarum, & aliorum locorum generalia interdicta præſumptione damnabili violare præſumunt*; ergo ſi interdictum non eſt generale, de quo agit Clementina, jam Regulares non tenentur illud obſervare.

7. Gloſſa. Rebuff. Monet. Bonac.

Et diſtributiva Textus nihil facit contra nos, ſed maximè corroborat noſtram ſententiam: *Cathedralem, vel Matricem, ſeu Parochialem loci*: Cathedralis eſt vbi Epiſcopus reſidet, illiuſque ſedes eſt. *Matrix*, ibi communiter datur, quando ibi non datur Eccleſia Cathedralis: *Et eſt major Eccleſia, & Baptiſmalis, tanquam mater aliarum Eccleſiarum*, ut habetur Gloſſa *ibid. verb. Matricem*; ſanè explicant Rebuff. *de decimis, quæſt. 6. n. 6. & 7.* Moneta *in ſimili tract. cap 7. n. 3.* Bonac. *de cenſur. extræ Bullam Cœnæ, diſp. 8. quæſt. 8. punct. 14. num. 6.* & multi alii; & colligitur ex *cap. 1. de præſcriptionibus*; & ex *cap. Tranſmiſſo. 10. eodem titulo.* Parochialis loci eſt quando eſt unica in loco, verbi gratiâ, quando in uno oppido eſt una tantum Eccleſia Parochialis; quando verò in tali loco, ſeu civitate ſunt multæ Parochiæ, nulla illarum abſolutè poteſt dici Parochia loci, verbi gratia, quia in hac civitate Ulyſipp. ſunt 38. Parochiæ, S. Nicolai Parochia non poteſt dici Parochia Ulyſipponnenſis, ſed una ex Parochiis illius, ut notarunt Sayrus *lib. 3. de cenſur. cap. 33.* Rodrig. *tom. 2. quæſt. 109. art. 5.* Pellizar. *tom. 2. tract. 7. cap. 2. num. 187.*

Sayrus. Rodrig. Pellizar.

8. Gloſſa. Navar. Cardinal. Panorm. Immola. Covar. Sylveſt. Toletus. Avila. Plonius.

Ex quibus benè infertur, quod quando in una civitate, vel loco extant multæ Parochiæ, & nulla ex eis eſt Cathedralis, vel Matrix, omnes ſunt æquales, & nulla ex eis eſt peculiariter Parochia loci, proindeque ſi ponatur interdictum in una, in cujus diſtricto eſt Eccleſia Mendicantium, non tenentur obſervare tale Interdictum. Ita habet Gloſſa *ad citatam, Clem. verb. Matricem ad finem*, Navar. *in manuali, cap. 27. num. 146.* & citat Cardinalem, Panormitanum, & Immolam, Covarr. *cap. Alma, Mater, 2. p. §. 1.* Sylveſter *verb. Interdictum, quæſt. 3.* Toletus *in ſumm. lib. 1. cap. 9. num. 15.* Avila *de cenſuris, p. 5. dub. 3. concl. 2.* Plonius *tract de Interdicto in princip. n. 2.* Azor. *tom. 1. lib. 12. cap. 13. §. 18.* Tamburin. *de jure Abbatum, tom. 2. diſp. 26. quæſt. 3. §. Præterea*, Bonacina *de cenſuris in particulari, diſp. 2. quæſt. 8. punct. 14. n. 7. & 17.* M. Fr. Antonius ab Spiritu ſancto; nunc Epiſcopus Angolenſis jam citatus *in directorio Confeſſor. tract. 12. diſp. 5. ſect. 1. n. 736.* & etiam *in directorio Regul. p. 1. tract. 2. diſp. 2. num. 100.*

Azor. Tambur. Bonacin. Fr. Anton.

9. Suar. Alterus.

Dices ex doctrina Suarij *tom. 5. ad 3. part. diſp. 22. ſect. 2. n 9.* & Alteri *diſp. 1. de interdicto cap. 4. dub. 2.* & aliorum, quod quando interdictum ponitur in una Parochia, & etiam ejus ambitu, & diſtricto tale interdictum eſt generale, ac proinde conventus exiſtentes in tali diſtricto tenentur obſervare ipſum interdictum.

10. Gloſſa.

Reſpondetur tale interdictum poſſe dici generale ſecundum quid per reſpectum ad unam Parochiam; Clementina autem loquitur de interdicto generali ſimpliciter, & abſolute, agit enim de interdicto obſervato à cathedrali, vel Matrice, Eccleſia Cathedralis communiter, ac ordinarie non datur niſi in civitate, in qua ſunt multæ Parochiæ, Matrix Eccleſia, ut ait Gloſſa jam citata, eſt *major Eccleſia Baptiſmalis, tanquam mater aliarum Eccleſiarum.* Ac proinde ſupponitur, quod ibi ſint aliæ Eccleſiæ baptiſmales, & parochiales, ac proinde ad obſervandum interdictum non ſufficit, quòd ſit in una Parochia, & ejus ambitu, ac inſuper requiritur, ut ſit obſervatum, à Cathedrali, ac Matrice, ſeu Parochiali loci, quòd tunc datur, quando eſt unica in loco, non verò quando in tali loco ſunt aliæ plures, quia ut jam dixi, Parochia S. Nicolai in hac civitate Ulyſipponenſi, non eſt parochia civitatis, ſeu loci, ſed eſt una ex parochiis hujus civitatis, ſeu loci, ut obſervant Sayrus, Rodriguez, Pellizar. proximè citati.

Sayrus. Rodrig. Pellizar.

11.

Advertè tamen, quòd quamvis Clementina prædicta videatur reſtringere privilegia Mendicantium, ac Religioſorum quoad interdictum, tamen etiam eis conceſſit magnum privilegium, ut non teneatur illud obſervare, niſi quando tale interdictum fuerit generale, & Cathedralis, & Matrix illud obſervat, & etiam parochialis, quando eſt una, & unica in loco, ut patet ex proximè dictis.

Concilium Tridentinum.

12. Trident.

Sacrum Concilium Tridentinum ita habet ſeſſ. 25. cap. 12. De Regularibus *Cenſuræ, & interdicta, nedum à Sede Apoſtolica emanantia, ſed etiam ab Ordinariis promulgata, mandante Epiſcopo, à Regularibus in eorum Eccleſiis publicentur, & ſerventur.* Tripliciter ad Concilium reſpondeo:

13. Henriq. Rodrig. Sayrus. A Cruce. Sorbus. Medina.

Primò; valdè bona, & præclara eſt ſententia, & in uſu obſervata, quod factum Concilium in prædicto loco non derogat privilegia Mendicantium, ut tenent multi viri Doctiſſimi, & maximè timorati, Henriquez *lib. 13. cap 48. num. 1. & 24.* Rodrig. *tom. 2. quæſt. 112. art. 3.* Sayrus *de cenſur. lib. 5. cap. 13. num. 24. & 25.* Ioan. à Cruce *de ſtatu Relig. cap. 7. dub. 2. concluſ. 2.* Sorbo *in compend. verb. Interdictum, n. 3.* Medina *lib. 1. Inſtit. cap. 11. §. 13. concl. 2.*

Miranda. Homobon. Peirin. Lezana. Hier Rodr. Pellizar.

Miranda *in manuali, tom. 2. quæst. 37. num. 12.* Homo bonus *quæst. 25. Resol* 1. Peirinus *in compend. Privileg. Clericorum Regul. Titulo Interdictum in scholys. §. 2. sciendum est*, M. Lezana *tom. 1. cap. 9. num. 29.* Alterus *disp. 1. cap. 4. conclus. 9. & 10.* Hieron. Rodrig. *Resol. 8. num. 25.* Pellizar. *tom. 2. tract. 8. cap. 5. sect. 2. n. 97.*

14. Fundamentum est, quia Concilium citato loco proposuit quamdam dispositionem generalem, absque ulla clausula derogatoria; & sacrum Concilium directione Spiritus sancti, omnia disposuit, ac ordinavit suprema, & alta consideratione, & quando apposuit clausulam derogatoriam: *Non obstante quocumque privilegio, non obstantibus quibuscumque; ut sess. 23. cap. 8. de reformat. & sess. 24. cap. 11.* Et sæpe aliis locis, & quia tunc tali clausula adhibita voluit derogare privilegia; & quando illam non posuit, noluit talem facere derogationem; & cur in aliquibus præfixit clausulam, & non in aliis, quia in his decrevit non inferre derogationem, sicut in prioribus; unde preclare ait Suar. *lib. 8. de legib. num* 17. loquens de Concilio Trident. ait *Probabile enim est, non omnia, quæ illi sunt contraria esse per illud revocata, sed illa tantum, quæ expressè revocantur à Concilio per clausulam non obstantibus, & propterea interdum illa clausula additur, interdum non additur.*

Suarez. Trident.

15. Quòd satis efficaciter confirmatur, quia privilegia Mendicantium sunt remuneratoria, ut planum est apud omnes, ob magna obsequia, quæ prædictæ Religiones persolverunt erga Ecclesiam in conversione, ac utilitate animarum. Et privilegia remuneratoria non derogantur per clausulas communes, ac generales, sed per speciales, ac specificas, Ailinus *cap. 9. de Iudicibus, num* 12. Abbas *consil. 5. ad finem, & cap. Pervenit de immunitate Ecclesiæ, num. 24.* Bartol. *in l. Qui simul ff. de Decreto ab ordine faciendo; & in l. 1. cap. de his, qui sponte, lib. 10.* Alexander *lib. 2. conclus. 216. in princip.* Ordilandus *conclus. 266. num. 7.* & latè cũ multis, quos citat, ac sequitur Tiraq. *in l. si unquam, verb. Donationem largitur, num* 13. & Suar. *lib. 8. de leg. cap. 37.* Salas *disputatione 20. de legib sec. 14.*

Ailinus. Bartol. Alexand. Orland. Tiraquel. Suar. Salas.

16. Deinde, ut bene notant Lezana, & Pellizar. & alij communiter, quod Concilium Tridentinum tantùm fecit derogationem in illis, qui se maxime gloriabantur de privilegio concesso, ut in nullo casu observarent interdictum etiam generale, quamvis illius essent causæ, ipsique interdictum foverent, ut Equites sancti Ioannis de Malta, & dicunt etiam prædicti Auctores, privilegia aliarum Religionum relicta fuisse intacta, ac in suo robore.

Lezana. Pellizar.

17. Secundò respondeo ad Concilium, quod loquitur de Interdicto Generali, non verò speciali, ac particulari; & hæc resolutio adeò est solida, & vera, ut rarus sit Doctor, sive Theologus, sive Canonista, qui expresse, & aperte dicat Concilium loqui de interdicto speciali, cum solum loquatur de Interdicto Generali, & pro ea adduco viginti quatuor Doctores, ex quibus multi dicunt esse omnium communem, Henriquez *de Interdicto, cap. 24. in Glossa* Avila *de censuris, part. 1. disp. 1. dub 3. §. Adverte autem*, Suarez *de censuris, disp. 32. sect. 2. n. 26.* Sayr. *de censur. lib. 5. cap. 13. num. 24.* Coninch *disp. 17. de Interdicto, num. 19.* Filliucius *tom. 1. tract. 17. cap. 1. num. 10.* Bonac. *disp. 5. de censur. in communi, punct. 1. num. 21.* Basæus *verb. Interdictum 1. num. 8.* Villalobos *part. 1. tract. 19 diff. 1. num. 4.* Ioannes à Cruce, *de statu Relig. 1. so, lib. 2. cap 7. concl. 2.* Emmanuel Rodrig. *tom. 2. quæst. 109. art. 2.* Lezana *verb. Interdictum, num. 5. & 9.* Hieron. Rodrig. *Resol. 80. num. 7.* M. Correjo *tom. 2. tract. de Interdicto, disp. 1. dub. ad finem* Pellizar. *tom. 2. tract. 7. cap. 4. sect 1. num 9.* Fragosus *tom. 2. lib. 1. disp. 2. §. 4. n. 20.* Vivaldus *de Interdicto, n. 162.* Casarubius *verb Interdictum 1. num.* 15. Furtadus *de Interdicto, different. 5. num.* 14. Laurent. de Peirinis *tom. 1. consil. 26. Leonis X. num. 26.* Escobar *verbo Interdictum*, 5. Anguianus *de leg. disp. 52. sect. 4 num.* 17. Castro Palaus *part. 5. disput. 5. de censur. punc. 2. §. 1. num. 1.* ubi ait: *Quòd hanc sententiam tradunt omnes*; compendium Privileg. *Patrum Theatinorum Divinæ Providentiæ, verb. Interdictum, fol. 205.* ubi ait: *Quòd Domus suæ Congregationis, interdici non possunt, per quoscumque judices, etiamsi Cardinalatus honore fulgeant, nisi quando tota civitas, seu oppidum, ubi Domus hujusmodi consistit Apostolica seu ordinaria authoritate Ecclesiastica supponitur interdicto.*

Coninch. Filliuc. Bonacina. Basæus. Villalobos. A Cruce. Rodrig. Lezana. Hier Rodr. Cornejo. Pellizar. Fragosus. Vivald. Casarub. Furtadus. Peirin. Escobar. Pellizar. Anguian. Palaus. Compend.

18. Fundamentum est, quia Concilium conformatur, cum *cap. Si civitas de sententia excommunicationis, in 6.* Ubi Pontifex determinat, quod Regulares observent interdictum generale: *Ne vilipendi valeat sententia interdicti*; ut ait: Textus, quia cum civitas generaliter interdicitur, si Religiosi januis apertis habent suas Ecclesias, & sæculares confluant ad eas, maxime enervatur vis interdicti, & tota efficacia illius illusoria fit, absque ullo effectu, ut notant ibi Glossa, Felinus, Immola, & alij, quod inconveniens non intervenit in interdicto speciali, quia si una Parochia, v. g. Angelorum, interdicta est, Parochiani illius intra civitatem faciliter possunt accedere ad alias Parochias circunstantes, v g. S Nicolai, S. Christophori; ergo jus Canonicum, & Concilium loquuntur de Interdicto Generali, non verò speciali.

Glossa. Felinus. Immola.

19. Secundò, valido, & firmo fundamento sic probo: sacrum Concilium, fecit quandam dispositionem generalem absque ulla clausula derogatoria, ex quo certissimè infertur, quod nullam fecit abrogationem in jure Canonico; nam tale jus non abrogatur per dispositionem communem, ac clausulas generales, sed specificas, ut adductis multis locis juris, tenet Glossa *in Authentica, quia, C. ubi de crimine, &c. & verb. Illis omni privilegio*, & Glossa *in l. Hæres absens. ff. de judiciis, verb. Excusatur*; & Glossa 1. *in l. 3. C. de silentiarys, l.* 10. & latè ex multis probat Iason *in l. 1. C. soluto matrimonio*, & cum Felino, Menochio, Orlando *consil.* 82. Suarez *lib. 8. de legib. cap. 38. num.* 1. Ergo cum Concilium non fecerit abrogationem in jure communi, nec etiam in clementina citata de excommunicatione, per quam Religiosi non tenentur observare interdictum, nisi tantùm Generale, cum Cathedralis, Matrix, ac unica Parochialis loci observat; ergo cum Concilium non abrogat Clementinam, non loquitur de interdicto speciali, sed tantùm de Generali juxta prædictam Clementi-

Glossa. Iason. Felinus. Menoch. Orlandus.

nam,

nam, quando Cathedralis, vel Matrix obſervat.

20. Hinojoſa. Tertiò reſpondeo ex ſuperabundantia referens opinionem P. M Hinojoſa, qui conſtanter tenet, quod quamvis detur privilegia fuiſſe abrogata per Concilium Tridentinum; tamen hodie per alias conceſſiones poſteriores factas à Romanis Pontificibus fuiſſe revalidatas. Ita citatus R. P. Mag. *in ſuo directorio, verb. Confirmatio gratiæ præcipuè, fol. 25. verſ.* Greg. XIII. Et ait ita conceſſum fuiſſe Patribus Societatis Ieſu per Gregorium XIII. *& fol. 23.* adducit Greg. XIV. aliam conceſſionem ampliſſimam Greg. XIV. eiſdem Patribus motu proprio, ac certa ſcientia, & de plenitudine Apoſtolicæ poteſtatis, Pius. V. abſque ulla exceptione, reſtrictione, ac limitatione, & eadem indulta cum aliis Pij V. Alderete. Prædicatoribus refert, & adducit Alderet. *in fine de allegationibus juris, de exceptione Regular.* & idem conceſſit Gregorius XIV. Patribus Ciſtercienſibus, de quo facit mentionem Hier. Rodr. Hieronymus Rodrig. *Reſol. 116. num. 16.* Et ad hoc intentum poteſt etiam allegari quoddam indultum Sixti V. & incipit injunctum nobis conceſſum Congregationi S. Benedicti Portugalliæ, cui concedit omnia privilegia Ordinis D. Benedicti, S. Hieronymi, S. Bernardi, non ſolùm in genere, ſed etiam in ſpecie, ac ſi de verbo ad verbum fuiſſent ei conceſſa, non obſtantibus quibuſcumque conſtitutionibus Apoſtolicis, de quibus in ſpecie, vel genere eſſet facienda mentio.

Uſus, & Conſuetudo.

21. Maximè ſtabilitur noſtra Reſolutio ex uſu, ac conſuetudine ſacrarum Religionum anno 1644. Cum poneretur interdictum in Parochia ſanctæ Iuſtæ, in cujus ambitu eſt conventus Patrum Dominicanorum, facto conſilio Magiſtrorum, non obſervarunt interdictum, ſed apertis januis, pulſatis campanellis, celebrarunt divina officia, quod iterum fecerunt anno 1658. & anno 1660. Patres Franciſcani interdicta Parochia Martyrum, in cujus diſtrictu eſt eorum conventus, interdictum non obſervarunt anno 1658. Sicut & Patres Societatis Jeſu Collegij Sancti Antonij facto magno conſilio Magiſtrorum, interdicta Parochia S. Sebaſtiani, quamvis eſſent in ejus ambitu, illud non obſervarunt. Nobis Patres Carmelitæ multoties hoc contigit, & maximè cum circa annum 1564. Doctor Henriquez de Souza Vicarius Generalis poſuit interdictum in Parochia ſanctiſſimæ Trinitatis, in cujus diſtrictu eſt hic noſter conventus Carmelitanus, quod interdictum perduravit pluſquam duos annos, & tamen prædictus conventus non obſervavit interdictum. Tunc prædictus Vicarius Generalis, multis, & variis modis inſtavit ad obſervationem interdicti, & cum nihil obtineret, res deducta eſt ad capitulum ſede vacante, & nihil actum eſt contra conventum, & ipſe perſeveravit, ac perduravit in ſua ſententia, & nunquam interdictum obſervavit; quod etiam fecerunt noſtri Patres Carmelitæ Diſcalceati anno 1659. & etiam Patres divinæ Providentiæ interdicta Parochia B. Virginis de Mercede anno 1658.

Ex quo bene infertur, quod ſacræ Religiones, in quibus reſplendent multi eminentiſſimi viri, & præclariſſimi virtute, ac literis, quod ex magno, valido, ac ſolido fundamento in materia tam gravi decreverunt non obſervare interdictum ſpeciale; nec aliter quis recte ſentiens poterit judicare. 22.

Ex quo deducitur optima, præclara, ac ſolida interpretatio ex uſu, ac conſuetudine, ad citatam Clementinam, ac Concilium Tridentinum, quòd non agant de interdicto ſpeciali, ne quo ad illud, Religionum privilegia ſint abrogata, ut conſtat ex tanta diuturnitate temporis, ac ex tam frequenti uſu, tot & tantis repetitis actionibus factis per Eminentiſſimos viros virtute, recta conſcientia, ac magis litteris, eſt quibus principiis optima datur interpretatio ad omnem legem, *cap. dilectus de conſuetud. l. 37. ff. de legibus.* Cajetanus *2.2. q. 186. art. 9. ad 2. & quæſt. 147. art. 3.* & Navarr. *cap. 21. num. 11.* Sylveſter *verb. Præceptum num. 2. ad finem.* Menhoc. *concil. 32. num. 44. & conſil. 1415. num. 10.* Suar. *lib. 7. de leg. cap. 17. num. 5.* Salas. *1.2. diſp. 19. ſect. 14. n. 94. & 102.* & adeo ſtricte loquuntur prædicti Auctores, ut dicant, quod non ſolum hoc militat in lege humana, ſed etiam in lege divina, ac naturali, uſus, & conſuetudo habeat vim ad interpretandam, legem. 23. Clementin. Trident. Cajetan. Navar. Sylveſt. Menoch. Suarius. Salas.

Ex ſuperabundantia.

Demus id quod volunt adverſarij, negari tamen non poteſt, quod dubium eſt. An privilegia Religionum, per Clementinam, ac Concilium Tridentinum ſint abrogata, negativa ſententia tot graviſſimorum Auctorum, ac uſus, & conſuetudo ſacrarum Religionum, in dubio autem, an privilegium ſit abrogatum, vel non, judicandum eſt pro ſua validitate, ut magno numero, ac pondere Doctorum probat Pariſius *lib. 2. conſil. 61. num. ultim.* Alciatus *reſponſ. 19. num. 4.* Tapia *de conſtitut. princip. cap. 3. part. 3. n. 31.* Sanctarellus *tom. 1. variar. Reſol. quæſt. 16. num. 11.* Quòd fortius, ac rigidius procedit, ut notat Pariſius citatus, quando privilegiatus eſt in uſu ſui privilegij, ut ſacræ Religiones, modo ſunt in uſu, non obſervandi interdictum ſpeciale. 24. Pariſius. Alciatus. Tapia. Sanctarel.

Deinde quando eſt dubium inter Doctos, ac juriſperitos circa explicationem ac interpretationem privilegiorum ſacrarum Religionum, explicanda, ac interpretanda ſunt in favorem Religionis, ut conceſſit Camaldulenſibus Leo X. & Iulius II. Congregationi Montis Oliveti; ut habetur *in compendio Societatis, verb. Privilegia, §. 4.* Alexander ſextus Benedictinis Caſſinenſibus, ut habetur *in compendio ipſorum conceſſione 59.* Paulus III. Patribus Societatis Ieſu, Rodrig. *tom. 2. quæſt. 63. art. 7.* Compendium Mendicantium *verb Privileg. §. 5. & eodē verb. Privileg. declaratio,* Portel. *in dubijs Regul. n. 75* Ioannes à Cruce *de ſtatu Religioſ. lib. 2. cap. 2. concluſ. 3. §. 1. Regul.* M. Lezana *tom. 4. verb. Privileg. num. 10.* Tamburin. *de jure Abbatum, tom. 1. diſp. 16. quæſt. 6. num. 4.* dicens idem conceſſiſſe Iulium II. Congregationi Vallis umbroſæ; hoc conſultum feci circa annum 1640. quod nunc magis ampliavi. 25. Compend. Compend. Rodrig. Portel. A Cruce. Lezana. Tamburin.

RESO

RESOLUTIO XL.

De Legibus.

QUÆSTIO PRIMA.

Vtrum lex, non ſolum Canonica, ſed etiam civilis, ac Regis mandatum obligent in conſcientia?

SUMMARIUM.

1 *Aliqui cum Hæreticis negant obligationem in conſcientia.*
2 *Vera ſententia affirmat tam de lege Eccleſiaſtica, quam civili.*
3 *Vtraque pars probatur ex Scriptura, & num.4.*
5 *Probatur ratione à priori.*
6 *Præoccupatur obiectio, quia peccatum non ſolum eſt contra divinam legem, ſed & humanam.*
7 *Ponitur primum argumentum, & ſolvitur, quomodo dicitur juſtis non eſt impoſita lex, & n.8.*
9 *Ponitur ſecundum argumentum & ſolvitur, quomodo lex obligat ad pœnam æternam, & num.10.*
11 *Solvitur tertium argumentum, quod non ad idem pertinet ſolvere, & ligare, & n.12.*

1. *Hæretici.* IN hac re fuit aliquorum Hæreticorum ſententia, ſeu potius error, tam antiquorum, quam modo novatorum, aſſerentium legem humanam, tam Eccleſiaſticam, quam civilem, non obligare in conſcientia. Et ex Catholicis Gerſon, Almainus, Decius, Immola, quos referunt Navar. & Suarius citandi, exiſtimarunt ſaltem legem civilem, non obligare in conſcientia, & modo idem exiſtimarunt aliqui de Regis mandato, ac præcepto.

Gerſon. Almain. Decius. Immola.

2. Dicendum eſt tamen cum certa, ac vera doctrina tam legem Eccleſiaſticam, quam civilem humanam obligare poſſe in conſcientia; ita ut ejus tranſgreſſores mortaliter peccent. Ita cum D. Thoma *ejus Commentatores 1.2.quæſt.96.artic.4.* Soto *lib.1.de juſtitia, quæſt.6.artic.4.* Navar. *in ſumma, cap.23.n.54.* Caſtro *lib.1.de leg.pœnali, cap.4.& 5.* Bellarm. *tom.1.lib.4.de Summo Pontifice, cap.15.* Suarez *lib.3.de legibus, cap.21.num.6.* Sayrus *lib.3. cap.4. & 7.* Bonacina *tom.2. diſput.1. quæſt.1. punct.7.num.1.* Vaſquez *1.2.diſput.158.cap.2. & 4.* Molina multos alios referens *lib.2.c.1. num.7.* & idem dicendum eſt de Regis mandato, in re ſcilicet gravi, ut magis quæſtione ſequenti explicabo.

D Thom. Soto. Navarr. Caſtro. Bellarm. Suarez. Sayrus. Bonacina. Vaſquez. Molina.

3. Et quantum ad leges Eccleſiaſticas res eſt definita in Concilio Tridentino *ſeſſ.6. can.20.* ubi Sacrum Concilium definit hominem *teneri ad obſervationem mandatorum Dei, ac Eccleſiæ.* Et Chriſtus Dominus ait ſuis Apoſtolis Luc. 10. *Qui vos ſpernit*, præcipiendo nempe, *me ſpernit.* Et Paulus 1. *ad Theſſalon. cap.4.* ait: *Scitis quæ præcepta*; & ſtatim ſubdit: *Qui hæc ſpernit, non hominem ſpernit, ſed Deum ſpernit.* Atqui ſpernere Dei mandata eſt peccatum mortale, ergo & mandata Prælati Eccleſiaſtici, ut erat Paulus: & Matth. 18. ait Chriſtus Dominus: *Si Eccleſiam non audierit, ſit tibi ut Ethnicus, & publicanus.* Atqui Ethnici, & publicani reputabantur ut criminatores peccati, ergo & iſti.

Trident. Luc.10. 1.Theſſ.4. Matth.18.

4. Quoad leges civiles à Principibus promulgatas etiam probatur ex 1. Petri 2. *Subditi eſtote omni creaturæ propter Deum, ſive Regi quaſi præcellenti, ſive Ducibus tanquam ab eo miſſis.* Et ex Paulo ad Roman. 13. ait: *Non eſt poteſtas niſi à Deo. Itaque qui poteſtati reſiſtit, Dei ordinationi reſiſtit. Qui autem reſiſtunt, ipſi ſibi damnationem acquirunt, ideo ſubditi eſtote, non ſolum propter iram*, id eſt pœnam, *ſed etiam propter conſcientiam*, id eſt propter peccatum mortale. Et ad Tit. 3. ait idem Apoſtolus: *Admone illos Principibus ſubditos eſſe.* Et Sap. 6. *Audite: Reges, quoniam data eſt à Domino poteſtas vobis.* Proverb. 8. *Per me Reges regnant, & conditores legum juſta diſcernunt.*

4. *1.Petr.2. Rom 13. Tit.3. Sapient 6. Proverb.8.*

5. Ratio à priori, quoad utramque partem eſt, quia quicunque legiſlator humanus, & civilis licet poteſtatem accipiat à Republica ipſam gubernandi, tamen poſita electione Reipublicæ, immediatè talem poteſtatem accipit à Deo, juxta loca citata; *Non eſt poteſtas niſi à Deo.* Et iterum Sap. 6. *Audite Reges: quoniam data eſt à Domino poteſtas vobis*; ergo qui legiſlatorem humanũ, & ejus mandata contemnunt, ipſum Deum, & ejus mandata contemnunt, juxta illud ad Samuelem, 1. Reg. 8. *Non te abiecerunt, ſed me.* Et Paulum citatum: *Qui poteſtati reſiſtit, Dei ordinationi reſiſtit.* Ergo ſicut reſiſtere Dei ordinationi eſt peccatum, ita etiam & ejus miniſtris, cum ab ipſo habeant poteſtatem. Confirmatur. Quia præceptum Patris familias in re gravi ſuæ familiæ, obligat domeſticos ad mortale; ergo etiam præcepta Principum in re gravi.

5. *Sapient.6. 1 Reg 8.*

6. Dices: violans legem humanam, ex dictis ſequitur quod non peccat, prout violat legem humanam, ſed prout agit contra legem divinam incluſam, ac contentam in ipſa lege humana. Reſpondetur negando illatum; quia lex divina non obligaret, niſi daretur lex humana, ac proinde lex humana determinat legem divinam, ad obligandum in hac, & illa materia; ac proinde peccatum immediatè eſt contra ipſam legem humanam, licet vim obligandi à lege divina habeat. Adde etiam, quod legiſlator ex tatione, ac jure naturali habet vim, & auctoritatem ad ſuis legibus obligandum in conſcientia: nam ipſe ut talis eſt, habet poteſtatem ad conſervationem Reipublicæ, ac illius bonum, ſed tales leges maximè conducunt ad talem conſervationem, & bonos mores, ergo habet facultatem ad obligandum.

6.

7. Argues primò, ex Apoſtolo 1. Timoth. 1. num.9. *Iuſto non eſt lex poſita, ſed injuſtis.* Ergo qui fidem Chriſti acceperunt, lex eis non ponitur obligans in conſcientia. Et confirmatur ex ipſo Apoſtolo ad Galatas 5. n. 19. *Si Spiritu ducemini, non eſtis ſub lege*, ergo lege non coarctantur, ac obligantur, qui Spiritu ducuntur.

7. *1.Tim.9. Galat.5.*

8. Reſpondetur. Primò, cum D.Thoma *citato loco*, iuſto lex non eſt poſita, juſto tanquam durum onus, quo gravetur, ac affligatur. Secundò, iuxta D. Chryſoſtom. D.Auguſt. juſtis non eſt impoſita lex: nam ipſi maximè ſe conformant legi, amore juſtitiæ, & obedientiæ, non timore minarum, ac pœnarum, quibus injuſti, ac impii coarctantur ad illius obſervantiam. Ex his patet ſolutio ad confir. *Si Spiritu ducimini*, &c. Quia non coactione legis, aut metu pœnarum, quas lex minatur, & tranſgreſſoribus imponuntur, ſed ſponte, ac proprio motu, & Spiritu facitis, quæ lex imperat. Aliter explicat D.Hier. *Si Spiritu ducimini*; hoc eſt Chriſti Spiritu repleti eſtis, non eſt ſub lege antiqua, ſed ab illius jugo, ac legalium onere liberi, & abſoluti eſtis.

D.Thom. D. Chryſ. D. Auguſt. D. Hieron.

9. Argues ſecundò, legiſlatori non poteſt imponere obligationem in foro, in quo non habet poteſtatem inferendi pœnam, quæ illius fori propria eſt, ſed legiſlator humanus non poteſt de conſcientia ferre judicium, cum hoc ſoli Deo ſit reſervatum, ergo non poteſt obligationem in conſcientia ponere, ac proinde non poteſt obligare ad pœnam æternam. Et confirmatur, quia inferior non poteſt obligare in foro Superioris, forum autem conſcientiæ, eſt forum Dei, & ideo dicitur D.Auguſt *cap.vlt. quæſt.*4. Forum Poli, quia Forum conſcientiæ eſt forum Dei, ſeu cœli. Confirmatur ſecundò, quia nemo poteſt obligare, in eo foro, in quo non poteſt habere cognitionem, cum non poſſit obligare, ubi non poteſt judicare, *l. de juriſdictione omnium Iudicum.* Homo autem habet cognitionem de conſcientia alterius.

D Auguſt. 1.

10. Reſpondetur diſtinguendo majorem. In eo foro, in quo non habet juriſdictionem directam, vel indirectam, concedo majorem; in quo habet ſaltem indirectam, nego majorem; quia legiſlator humanus, ut jam dixi, habet indirectam juriſdictionem in foro conſcientiæ, quatenus cum ejus obligatione, lex divina, & naturalis de ſervandis hominum mandatis ſub pœna inferni obligat, quia poſita obligatione in conſcientia fit ut tranſgreſſor incurrat in reatum pœnæ æternæ, ut ſi Rex pœnam, quam ipſe ſolus poteſt imponere, dedit poteſtatem ſuis miniſtris ad imponendam. Ad primam confirmationem dic, quod homo poteſt obligare in foro Superioris, & Dei, ejus nempe auctoritate, ac ut ejus miniſter. Ad ſecundam confirmationem dicimus, quod aliud eſt actum de quo fertur lex eſſe cognoſcibilem, aliud verò obligationem quæ ex tali actu reſultat eſſe cognoſcibilem. Primum eſt neceſſarium, non verò ſecundum; quia ſatis eſt, ut legiſlator videat actum quem imperat, licet pœnam, ſeu obligationem ad aliud forum pertineat, & ſatis eſt, quod videat legiſlator in ſuo foro, id foro externo obligare ad illum actum.

11. Argues tertiò, ligare & ſolvere ſunt connexa, & correlativa, ut conſtat ex c. *Quod autem, de pœnitentia.* Sed legiſlator humanus non poteſt ſolvere in foro conſcientiæ, nec remittere culpam coram Deo, ergo nec ligare poteſt. Confirmatur ex D.Auguſtino *contra Fauſtum, cap.* 27. ubi ait, *Peccatum eſſe factum contra legem Dei*; ergo factum contra legem hominis non eſt peccatum.

D.Auguſt.

12. Reſpondetur, ligare, & ſolvere non eſſe ita inter ſe connexa, itaut pertineant ad eandem poteſtatem: nam homo poteſt ſe voto obligare, & tamen non poteſt ſe à tali obligatione ſolvere; ergo etiam quamvis legiſlator humanus, ponat obligationem, ex qua reſultat peccatum mortale, non requiritur, ut ipſum valeat remittere: nam ipſe ponit obligationem ut Dei miniſter, cujus eſt ſolum peccatum remittere. Ad confirmationem dic, quod quamvis homo imm diatè peccet contra legem hominis, virtualiter peccat contra legem divinam, & naturalem, prout præcipit, ac dictat, obediendum eſſe Superioribus.

QUÆSTIO II.

An lex iniuſta valeat obligare in conſcientia?

SUMMARIUM.

13 *De ratione legis eſt, quod ſit iuſta.*
14 *Ex quatuor capitibus lex poteſt eſſe iniuſta.*
15 *Primo poteſt lex eſſe injuſta, quia eſt contra legem divinam, ac bonum commune.*
16 *Lex ſi à principio eſt inutilis, & poſtea eſt vtilis bono communi; tunc obligat.*
17 *Secundo lex poteſt injuſta ex defectu poteſtatis in legiſlatore*
18 *Obediendum eſt legibus, ac ſententiis latis à Tyranno, dum eſt in poſſeſſione pacifica Regni.*
19 *Quod Tyrannus peccet in talibus ferendis tenent Leſſius, & Suarez.*
20 *Contraria ſententia verior, quod non peccet.*
21 *Solvitur objectio contra hanc ſententiam.*
22 *Tertio tunc lex ceſſat, quando ceſſat ratio, & fundamentum ponendi legem.*
Lex quæ fundatur in falſa præſumptione non obligat. Ibid.
23 *Sententia data per teſtes in falſa præſumptione, non obligat.*
24 *Quarto lex poterit eſſe injuſta, ex injuſta materiæ diſtributione.*
25 *Quamvis lex injuſtè excipiat aliquas perſonas, non inde erit injuſta, ſi ſit conveniens bono communi.*

13. MAnifeſtum, & apertum eſt, quod de ratione legis eſt, quod ſit juſta, & id, quod præcipit juſtum ſit, ita omnes Theologi cum D.Thoma 1.2. *quæſt.*95 *artic.*2. & 4. & Canoniſtæ *ad cap. Erit autem lex diſtinct.*4. ubi dicitur, quod *lex ſit juſta.* Quod etiam probatur ex definitione legis, quæ dicitur *recta ordinatio rationis ad bonum commune.* Recta ordinatio rationis, quid bonum, & honeſtum præcipit, unde ſi ab his deficiat, erit lex injuſta, & inutilis.

14. Lex autem, ſeu præceptum multipliciter poteſt eſſe injuſtum, ac iniquum. Primò ex parte rei præceptæ. Secundò, ex parte legiſlatoris præcipientis ultra ſuam poteſtatem. Tertiò, ex parte ſubditorum. Quartò, ex parte materiæ, quæ multipliciter contingere poſſunt, ut magis explicabo.

15. Primò, poteſt eſſe lex injuſta *ex parte rei præceptæ,*

præcepta, quia præcipit aliquid contra legem divinam, ac naturalem, & tunc non est lex, nec obligat, quia ut dicitur Actorum 4. *Præstat magis obedire Deo, quam hominibus.* Actor. 4. Deinde erit injusta, si sit contra bonum commune, quia de ratione legis est, ut *sit in bonum commune*, & quia ut dixi ex Apostolo in hac quæstione: *Omnis potestas est à Deo*; ac proinde omnis potestas, sive Ecclesiastica, sive civilis, datur in ædificationem, & non in destructionem. Potestas Ecclesiastica à Christo data est, ut à ministro suo, ac dispensatore, ac pastore ait ipse Petro, *Pasce oves meas.* Ioan. 21. Potestas civilis disponente Deo data est à populo, in sui bonum, & utilitatem.

16. Et ob hanc rationem nota, quod si lex extendit in bonum commune, quamvis illud non intendatur à legislatore, lex est vera, & obligat, & illa intentio est extrinseca legi; & inde etiamsi lex fuit inutilis à suo principio, modo tamen est utilis bono communi, servanda est modo, & modo obligat, licet pro tempore, quo fuit inutilis, non obligaret, at vero modo cum sit utilis, obligat. Ita cum multis Doctoribus Bonacina *tom.2. disp.1.de legib. q.1.punct.1.n.12.* Bonacina.

17. Secundò. *Lex potest esse injusta ex parte agentis*, ac ex defectu potestatis, ut si legislator præcipiat rem bonam, ad quam non habet jus, nec potestatem præcipiendi. Unde Princeps, qui accepit potestatem à populo, hac conditione, ut hoc, vel illud observet; unde non potest ultra hanc facultatem datam aliquid agere, ut tenent Suar. *3.p.de leg.cap.7.* Becanus *tract.3.cap.1 q.1.n.3.* Suarez. Becanus.

De Tyranno.

18. Ex his oritur grandis difficultas, an legibus latis à Tyranno, obediendum sit? Respondetur affirmativè, postquam ipse est in pacifica possessione Regni; nec à Republica expellitur; ita Salas alios referens *disp.10. sect.3.num.14.* Lessius *lib.2.de justitia. cap.29.dub.9.num.70.* Bonacina *disp.1.de legibus, quæst.1.punct.7.§.3. n.12.* Castro Palaus *tom.1.tract.3.disp.1.punct. 14.n.10.* Et ratio est, quia dum Tyrannus est in pacifica possessione Regni, & non potest à Republica expelli ab illo, præsumitur à Republica dari ei potestatem ad bonam, & rectam illius gubernationem, ac proinde ad ferendas veras leges; ac sententias; aliàs omnia erunt in summa confusione, ac perturbatione, in destructionem, ac perditionem ipsius Reipublicæ; Salas. Lessius. Bonacina. Palaus.

19. Dices ergo: Tyrannus, dum tales leges condit, ac sententias fulminat, non peccat, cum utatur facultate sibi à populo data. Consequens est falsum, quia talis potestas non est data à Republica volontariè, sed coactè, ad redimendam suam vexationem, ac proinde usus illius illicitus est tyranno, sicut usus pecuniæ illicitus est usurario. Lessius *citatus*, & Suarez *lib.3.de legibus, cap.10. num.9.* Tenent ipsum tyrannorum peccare mortaliter. Lessius. Suarez.

20. Tam opposita sententia semper mihi placuit, & eam sequutus sum in lectura hujus materia, anno 1633. & postea inveni, quod eam tradunt Salas, Bonacina, & Castro Palaus Salas. Bonacina. Palaus.

citati, quod nimpe talis Tyrannus, in ferendis legibus, ac sententiis non peccet. Primò, supposita illa voluntate persistendi in usurpatione regni, tenetur attendere ad bonum, ac conservationem, & pacem ipsius regni, atque ista maximè pertinent ad bonum, & conservationem regni, ergo in illis ferendis non peccat. Secundò, supposita illa voluntate, quod velit persistere in regno, tenetur jus petentibus dicere, ergo dum satisfacit suæ obligationi, non peccat. Tertiò, quia posita illa suppositione, quod velit in regno persistere, peccarent subditi petendo, quia nemini licet malum, ut malum petere, nec alteri dare occasionem ad peccatum; at subditi non peccant petendo, cum nullum alium habeant, à quo petant, cum illa maximè spectent ad bonum Reipublicæ, ergo nec subditi peccant, nec Tyrannus peccat.

21. Nec obstat, quod ipse Tyrannus involuntariè, & coactè à Republica obineat regnum, & obineat potestatem ferendi leges, & sententias, quia talis potestas non cedit in bonum ipsius Tyranni, sed ipsius Reipublicæ, unde contrarium visitur in usurario, cujus datio immediatè est involuntaria, & non cedit in utilitatem dantis, sed recipientis.

22. Tertiò. *Lex potest esse injusta cum cessat ratio, & fundamentum imponendi legem, & præceptum*; tum cessat obligatio ipsius legis. Ita Navarrus *in summa, cap.17. num.284. & cap.23. n.62.* Covar. *in cap. Cum esses de testam. n.9. & in epitome Decreti, 1.p. cap. 1.n.9.* Vasquez *1.2. disp.183.cap.2. & 3.* Basilius de Leon *lib.5. de mairim. cap.5.n.6.* & multi alij; unde lex quæ fundatur in falsa præsumptione, est injusta, & non obligat, & ratio est manifesta, quia tunc cessat adæquatus finis legis, & præcepti, & consequenter ipsa lex cessat. Navarr. Covar. Vasquez. Leon.

23. Quod multis exemplis potest declarari, v.g. si Caius in judicio per falsos testes convincitur, esse debitor Titij, & compellitur censuris ad solvendum, non tenetur solvere, tum quia destructo fundamento, destruitur tota res in eo fundata: tum quia in foro conscientiæ non habetur ratio præsumptionis, sed veritatis. Ita Navar. Vasq. & alij auctores *proximè citati.* Item secundò, si aliquis fuerit privatus Officiis, seu muneribus honorificis, eo quod descendat à parte condemnato, reputato criminoso, quia vel ipse per falsos testes fuit convictus, vel tormentorum metu, falso sibi crimen imposuit, & sibi veritas in contrarium constet, in foro conscientiæ, poterit uti suis Officiis, ac muneribus, quia non tenetur obedire illi sententiæ, quæ fuit fundata in falsa præsumptione. Ita Basil. de Leon *proximè citatus, n.10.* Emman. Rodrig. *tom.1.Reg.q.77.art.3.§.Ex dictis.* Castro Palaus *tom.1.tract.3.disp.1.punct.14.n.12.§.Dico tertio ad finem.* Nec obstat, si dicas, quod legislator procedit judè quoad se secundum suam conscientiam, non tamen secundum rei veritatem, & ideo non obligaris ad tale documentum, quod in falsitate fundatur. Navarr. Leon. Rodrig. Palaus.

24. Quarrò. *Lex poterit esse injusta ex materia ipsius legis*, seu ex injusta materiæ distributione, ut quando lex quibusdam imponitur, & non aliis, ad quos æquè pertinet materia legis. Deinde etiam dicitur injusta, quia subditis imponitur onus improportionatum causæ, seu

motivo imponendi legem, ut ſi Princeps urgente neceſſitate, ſubditis imponat tributum excedens neceſſitatem ſupervenientem, *c. Quia plerique de immunitate Eccleſiæ.* Ubi præcipitur reſtitui accepta ſuper neceſſitatem cauſæ, & in pauperes erogari. Item etiam dicitur lex injuſta, quando ſubditis inæquale onus, non ſervata debita diſtributione, ut ſi pauperi ſine rationabili cauſa æquale, aut majus onus imponatur, quam diviti. Ita Molina *tract. 5. de juſtitia, diſp. 73. n. 2.* Sylveſt. *verb. Lex, q. 5.* Clavis Regia *lib. 3. c. 7. n. 3.* Caſtro *de lege pœnali, lib. 1. cap. 5.*

Molina. Sylveſt. Clavis Reg. Caſtro.

25. Nota tamen cum Suar. *citato cap. 9. num. 14.* Bonacina *tom. 2. diſp. 1. q. 1. punct. 7. §. 3.* Quod ſi lex ſit utilis bono communi, & tamen exceptio, quoad aliquas perſonas ſit injuſta, non ex eo lex erit nulla, nec obligare ceſſabit eos, pro quibus lata eſt, quia illis propriè non fit injuria poſitiva, imponendo illis tale onus, quia hoc de ſe non eſt malum, cum talis lex de ſe ſit conveniens bono communi, ut ſuppono; ſi tamen ex quorundam exceptione alij graventur, quoad illum exceſſum, non obligabit lex, obligabit tamen quoad illum, in quo lex eſt juſta.

Suar. Bonacina.

QUÆSTIO III.

Ex quibus principiis colligendum eſt legem humanam, graviter, vel leviter obligare.

SUMMARIUM.

26 *Legiſlator humanus non poteſt in materia levi graviter obligare.*

27 *Res ex ſe ipſa poteſt eſſe levis, & gravis ex circunſtantia.*

28 *Prima ſententia affirmat, quod lex non poteſt in materia gravi leviter obligare*

29 *Secunda ſententia negat de lege civili, affirmat de Eccleſiaſtica.*

30 *Tertia & vera affirmat, quod utraque lex poteſt.*

31 *Probatur quatuor fundamentis, & n. 32.*

33 *Ponitur, & ſolvitur primum argumentum: materia levis non eſt capax gravis obligationis.*

34 *Secundum argumentum ad votum poteſt homo ſe leviter obligare, & n. 35. & 36.*

37 *Ad inſtantiam datur diſpar ratio inter votum, ac juramentum.*

38 *Ad confirmationem ex voto oritur obligatio juxta intentionem voventis, & n. 39.*

40 *Ad tertium argumentum ex contractu ut ſponſalium, ac ex voto ſolemni præcisè poteſt oriri obligatio levis, ac ratione damni illati gravis, & n. 41. & 42.*

43 *Ex verbis legis maximè colligitur legis obligatio, & n. 44.*

45 *In Religionibus ex praxi, ac communi uſu.*

46 *In Decretis Conciliorum, ac Pontificum variæ ſententiæ, & n. 47. & 48.*

49 *Tamen in his verbis conſideranda materia circa quam cadunt.*

50 *Quando lex poteſt interpretari de veniali, non eſt explicanda de mortali.*

51 *Ex materia, ac illius circunſtantiis colligenda legis obligatio, & n. 52.*

53 *Ex pœnis appoſitis in lege colligenda gravis obligatio & n. 54. & 55.*

56 *Quando dubitatur de gravitate, quomodo intelligendum.*

RESolutum eſt in ſuperioribus, legem humanam obligare in conſcientia; reſtat modo inquirere, ex quibus principiis, ſeu regulis talis obligatio colligenda ſit, quod pro multis caſibus reſolvendis eſt valdè utile, & non loquimur de contemptu legis: nam hoc interveniente, in quacunque materia, legis violatio erit peccatum mortale. 26.

PRIMA REGVLA.

De intentione Legiſlatoris.

Conveniunt Theologi legiſlatorem, ſive Eccleſiaſticum, ſive civilem non poſſe in materia levi obligare ſub mortali, ita communiter Theologi, Corduba, Valentia, Salon, & alij, quos citat, ac ſequitur Sanchez *lib. 1. in Decalogum, cap. 4. num. 4.* Vaſquez 1. 2. *diſput. 158. cap. 4. num. 3.* Salas *diſput. 14. de legibus, diſput. 10. ſect. 6. num. 3.* Lorca *diſp. 22. §. 4. ſententia.* Diana 3. *part. tractatu 5. Reſolut. 24.* & *tractatu 6. Reſolut. 9. §. Notandum.* Probatur, quia lex debet eſſe juſta, & in bonum commune, atqui lex juſta non poteſt in materia levi ex omni circunſtantia graviter obligare, ergo non obligat. Major, & conſequentia patent; Minor probatur, quia lex ut ſit juſta, ejus obligatio ad culpam, debet proportionari cum materia, in quam tendit. Confirmatur, quia lex æterna, divina, ac naturalis, non obligant graviter in materia levi, ergo nec lex humana, cum ſit participatio legis æternæ, ac divinæ. 27.

Corduba. Valentia. Salon. Sanchez. Vaſquez. Salas. Lorca. Diana.

Advertunt tamen Baſilius de Leon *lib. 5. de matrimonio, cap. 5. num. 11.* & Palaus *tom. 1. tractatu 3. diſput. 1. punct. 14. num. 13. §. Ex hac concluſione.* Quod contingere poteſt, ut res ipſa ſit levis, tamen ex circunſtantiis poterit fieri gravis, ut ne in Conventu dormitorium ſit in tenebris, prohibeatur, ſub obedientia ne oleum ex lampade ſumatur, quæ obedientia obligabit ad mortale ex circunſtantia, ſicut ne Religioſi in cellulas ingrediantur ad obſervationem majorem ſilentij, & ad aliqua alia incommoda evitanda; ſi tamen materia omninò ex omni circunſtantia ſit levis, & ſuperior ponat obligationem ſub mortali, obligabit tantum ſub veniali, ut tenet Suarez *lib. 3. de leg. cap. 26. n. 6.* 28.

Leon. Palaus. Suar.

Tota difficultas eſt, an in materia gravi ex ſua natura legiſlator poſſit ponere obligationem levem, in qua re eſt triplex ſententia. Prima, & negativa ait quod lex humana in materia gravi non poteſt leviter obligare. Ita Vaſquez 1. 2. *diſput. 158 cap. 4. num. 32.* Aragonius 2. 2. *quæſt. 62. artic. 3. in dubio poſt. 3. concl. notabil. 3.* Salon. *tract. 2. §. Refert autem.* Reginald. *lib. 15. num. 44.* Becan. *tract. 3. cap. 6. quæſt. 3. num. 10.* Lorca *proximè citatus* probabilem judicat. 29.

Vaſquez. Aragon. Salon. Reginald. Becan. Lorca.

Secunda ſententia, quod lex Eccleſiaſtica poteſt leviter in materia gravi obligare; at lex civilis, in materia gravi, neceſſario graviter obligat, quia lex Eccleſiaſtica obligat 30.

gat propria juriſdictione datis Prælatis Eccleſiaſticis à Chriſto Domino. At lex civilis obligat ex jure naturali, quod in materia gravi graviter obligat. Ita Soto *lib. 2. de juſtitia. q. 6. artic. 4. poſt medium in reſponſione ad 3. Argumentum.* Rodrig. *tom. 2. q. 15. art. 2.* Philiarchus *de Officio Sacerdotis, p. 2. lib. 3 cap. 2. concluſ. 5.* & alij.

Soto. Rodrig. Philiarch.

31. Tertia ſententia, & vera, quæ nobis placet, tenet legem humanam, tam Eccleſiaſticam, quam civilem poſſe leviter obligare in materia gravi. Ita Cajetanus, Medina, Navarrus, & alij, quos citant, ac ſequuntur Sanchez *lib. 1. de matrim. diſput. 9. num. 6.* Suar. *3. de legibus, cap. 27. num. 6.* Clavis Regia *tom. 1. lib. 3. cap. 7.* Valentia *tom. 2. diſp. 4 quæſt. 5. punct. 6.* Salas *diſp. 14. ſect. 7. num. 23.* Bonacina *diſp. 1. de legibus, quæſt. 1. punct. 7. §. 4. n. 23.* Filliucius *tract. 21. cap. 11. num. 241.* Diana *part. 3. tract. 6. Reſol. 91.*

Cajetan. Medina. Navarr. Sanchez. Suar. Clavis Reg. Valentia. Salas. Diana.

32. Probatur primò, quia in moralibus actus non excedit intentionem agentis, *l. Non omnes, ff. ſi certum petatur, l. ſi quis nec cauſam, ff. nec lex*, excedit intentionem legiſlatoris, ergo ſi legiſlator, in materia gravi intendat ponere obligationem levem, ſolum leviter obligabit. Secundò, & fortiter. Regulæ ſacrarum Religionum Prædicatorum, Eremitarum ſancti Auguſtini, Carmelitarum, Societatis IESU, præter ea, quæ pertinent ad tria, vel quatuor vota ſubſtantialia, non obligant graviter, ſed leviter, & ad veniale, & tamen tales regulæ multa graviſſima præcipiunt pro ſtatu religioſo, ut jejunium certis diebus, ergo tales leges in materia gravi poſſunt leviter obligare.

Regulæ Religio.

33. Probatur tertiò, contra ſecundam ſententiam, quia lex civilis licet obliget ex jure naturali; obligat tamen juxta intentionem agentis, ergo ſi agens ſolum leviter intendit obligare, ſolum leviter obligabit. Probatur quartò, quia lex Canonica non ſolùm obligat ex commiſſione facta à Chriſto Domino, ſed etiam ex jure naturali dicente ſuperioribus eſſe obediendum, quod etiam militat in lege Eccleſiaſtica, quæ ut fatentur Auctores ſecundò ſententiæ, poteſt leviter obligare in materia gravi; ergo etiam lex civilis cum obliget ex jure naturæ.

34. Argues primò, pro prima ſententia. Legiſlator in materia levi non poteſt ponere obligationem gravem, ergo nec in materia gravi obligationem levem, non enim minus videtur voluntas in uno caſu quam in alio. Reſpondetur negando conſequentiam, in priori voluntate, non datur capacitas materiæ; materia levis non eſt capax obligationis gravis, & ideo excedit poteſtatem præcipiendi, alias injuſtè præciperet. In priori autem voluntate datur capacitas materiæ, ut graviter, vel leviter præcipiat; & ideo abſque injuſtitia utrumque poteſt præcipere quidquid ſit de ſtultitia talis voluntatis: nam imprudentia Principis in lege ferenda non facit legem injuſtam. Deinde legiſlator valdè prudenter ſe poteſt haberi in hoc negotio, quia dirigere vult ſuos ſubditos ad bonam obſervantiam, ac directionem, & tamen non vult eos graviter obligare in conſcientia.

35. Argues ſecundò, nullus poteſt obligare ſe voto in materia gravi ſub veniali; ergo nec legiſlator præcipere in tali materia ſub veniali. Conſequentia eſt bona; antecedens probatur, quia licet vovere dependeat à voluntate humana, tamen facto voto, obligatio non oritur à voluntate humana, ſed à lege naturali, graviter obligante: *Redde vota tua Deo*; ſed illa lex ſub mortali obligat, ergo & votum. Confirmatur primò. Facto voto non eſt in poteſtate vovents nolle ſe obligare: nam obligatio oritur ex natura ipſius voti, ergo non eſt in ejus poteſtate magis, vel minus ſe obligare. Confirmatur ſecundò, quia ſi vovens, & vellens promittere Deo, non advertat, nec faciat intentionem de gravi, vel levi obligatione, ad mortale obligatur, ergo talis obligatio oritur ex natura ipſius voti.

36. Reſpondetur, ut jam dixi *ſupra Reſol. 38. de Tertiariis, q. 6. n. 41.* cum multis, & graviſſimis Doctoribus, votum etiam in materia gravi ex intentione voventis, poſſe leviter obligare, quia votum eſt veluti quædam lex particularis, quam homo ſibi imponit, legiſlator autem in materia gravi, poteſt etiam leviter obligare, ita etiam vovens; quia leviter ſe vult obligare; & patet in Religioſo vovente Regulam, quæ præter tria vota, ſolum ad veniale obligat; & quamvis verum ſit id, quod dicitur in argumento, quod obligatio voti non oritur à voluntate voventis, ſed à jure naturali, tamen ita oritur à tali jure, ut ſit juxta intentionem voventis, quia vovens non ſe offert Deo ſub omni obligatione, ſed tantùm diminutivè ſub levi.

37. Inſtabis. Non eſt in poteſtate jurantis rem gravem promiſſam velle jurare, & non graviter ſe obligari, etiamſi hoc non intendat, ergo ſimiliter non erit in poteſtate voventis, non ſe graviter obligari. Reſpondetur primò, quod homo poteſt habere animum jurandi, non tamen ſe obligandi, & tunc non datur obligatio ex vi juramenti, quia Deus acceptat juramentum juxta intentionem jurantis, *cap. Humanæ aures, quæſt. 22. diſtinct. 3.* & multi Doctores, quos citat, ac ſequitur Bonacina *diſputat. 4. de juramento, quæſt. 1. punct. 7. num. 3.* Reſpondetur ſecundò, concedo antecedens, nego conſequentiam; eſt diſpar ratio: nam votum eſt per reſpectum ad hominem volentem ſe obligare juxta intentionem; juramentum autem fit per reſpectum ad Deum, adducendo ipſum in teſtem, & fidejuſſorem ad confirmandam veritatem, contra auctoritatem, & honorem divinum eſt, ut ipſe Deus adducatur in teſtem, & fidei juſſorem alicujus rei, cui creatura non maneat graviter obligata, ut ea adimpleat, eique ſatisfaciat.

38. Ad primam confirmationem dic primò, quod ſatis eſt probabilis opinio, quod poteſt quis vovere abſque animo ſe obligandi, & tunc ex vi voti non datur obligatio. Sanchez *lib. 4. Decalogi cap. 1. num. 26.* Reſpondetur ſecundò, quod ex voto facto oritur obligatio juxta animum voventis. Ad ſecundam confirmationem dicimus, quod talis homo vult ſe obligare graviter, ac ad mortale, quia, qui ſic vovit, virtualiter vult vovere juxta conſuetum modum vovendi, conſuetus autem modus vovendi eſt obligare ſe graviter; ſi verò talis vovens ignorat conſuetum

Sanchez.

modum vovendi, & obligationem voti, tunc ad nihil obligatur, ita citatus Sanchez *n.* 26.

Sayrus. Leſſius. Azor. Bonactn.

Sayrus, Leſſius, Azor. quos citat, & ſequitur Bonacina *diſputatione* 4. *de voto, quæſtione* 2. *punct.* 1. *num.* 13.

39. Argues tertiò: In lege particulari non poteſt dari obligatio levis in materia gravi; ergo etiam in lege pro tota communitate. Conſequentia eſt bona, antecedens probatur, quia promiſſiones rei magnæ, ut ſponſalium, ſive alicujus contractus in ipſo ineundo, ſive in emittendo votum ſolemne, ſunt quædam leges particulares, & tamen non poſſunt in materia tam gravi leviter obligare; ergo nec lex generalis.

40. Reſpondetur, quod homo in contractu faciendo, vel in promittendo rem magnam, etiam ſponſalium, præcisè ſecundum rem, poteſt ſe leviter obligare ex intentione ſua; ita

Sanchez. Mollna. Henriq. Bonacina. Salas. Azor.

Sanchez *lib.* 1. *de matrim. diſp.* 6. *num.* 6. Molina *de juſtitia, diſp.* 262. *num.* 8. & 12. Henriq. *lib.* 5. *de pœnitent. cap.* 21 *num.* 10. Bonac. *diſp.* 3. *de contract.* Et idem etiam docent Salas, Azor. & alij citati in concluſione. Quæ doctrina, ita eſt intelligenda, ut tales contractus rei magnæ, ut ſponſalium ſumatur ſecundum ſuam naturam puram, & præciſam ipſius contractus, poteſt homo ex intentione ſua, ad veniale tantum ſe obligare, cum contractus ſumatur, prout infert dolum, fraudem, & injuſtitiam proximo, tunc graviter obligabit ratione damni dati: Sicut ſi homo dicat; voveo Deo te in matrimonium ducere, quamvis ratione voti poſſit leviter ſe obligare, tamen ratione fraudis, & deceptionis graviter obligabitur.

41. Eodem modo dicitur ad votum ſolemne, quod ſi ſumatur pura, & præciſa natura voti, non repugnat, quod homo leviter ſe obliget, quia non repugnat ratione voti, nec ratione ſolemnitatis; nam ſolemnitas voti eſt quid accidentarium per reſpectum ad votum, ut patet ex conſtitutione Gregorij XIII. *Aſcendente Domino.* Deinde, quia hoc poteſt reperiri in aliis contractibus; ergo & in voto ſolemni quod eſt quidam contractus; At vero ſi ſolemne ſumatur, ſecundum id, quod eſt connexum cum eo, prout homo leviter ſe obligando, facit fraudem, & injuſtitiam Religioni, quia illi Religio graviter ſe obligat; ergo homo graviter ſe debet Religioni obligare; nam in contractu, ut detur juſtitia, debet dari æquitas, & ideo ratione iſtius damni annexi, homo neceſſariò ſe debet graviter obligare, & ideò votum ſolemne factum in Religione cum intentione leviter ſe obligandi, tenetur homo iterare, & pro hac doctrina facit Suarez *tom.* 2. *de Relig. lib.* 4. *cap.* 4.

Suar. *num.* 13.

42. Ad argumentum in forma reſpondetur negando antecedens; ad probationem dicimus, quod ſtando in pura natura talium contractuum, poteſt dari levis obligatio, licet aliunde ex gravi damno alterius naſcatur gravis obligatio; At in lege ex intentione legiſlatoris leviter obligantis, nemini datur grave damnum.

SECVNDA REGVLA.

Ex verbis legis.

Conveniunt omnes, quod maximè ex verbis legis colligenda eſt obligatio, quam lex importat, non enim eſt neceſſarium, ut lex dicat ſub mortali, in conſcientia, quia aliàs lex civilis, cum nunquam utatur tali forma, nunquam obligabit ad mortale, quod eſt contra id, quod diximus cum communi ſententia; Ac proinde conveniunt omnes, quod ex ipſis legum verbis, maximè conjecturanda eſt illius obligatio. 43.

Quando ergo Prælatus, ſeu lex utitur his verbis, Rogo, peto, hortor, commonefacio, hæc pertinent ad exhortationem, & non inducunt legis præceptum. Si autem dicatur: ordinamus, oportet, conveniens hic modus dicendi potius indicat deſiderium, ac affectum, quam imperium; verba autem *Præcipio, impero, jubeo* optime formam legis important, & idem dicendum eſt de verbo tenentur facere, vel facite, ſicut & in materia prohibitionis; *Prohibeo, veto, interdico*, vel *inhibeo.* Et idem dicendum eſt de verbo *Mando ut faciatis*, an vero hæc verba, ſeu præcepta inducant formam mortalis, vel venialis peccati ex ipſa materia legis, ſeu circunſtantiis judicandum eſt; de his formis, & aliis multis late agunt Sanchez *lib* 6. *in Decalogum cap.* 4. *num.* 33. *uſque ad* 44. Suar. *lib.* 3. *de leg. cap.* 15. *à num.* 7. 44.

Sanchez. Suarez.

Quantum vero ad Religiones hujuſmodi verba ſimpliciter prolata *Præcipio, jubeo*, vel *prohibeo* ne hoc, vel illud fiat, an inducant præceptum, vel non dubitatur. Caſtro *de lege pœnali lib.* 1. *cap.* 5. *documento* 4. Cajetan. 2. 2. *quæſt.* 116. *art.* 4. *in ſolutione ad ſecundum.* Carbo *de lege lib* 7. *diſp.* 4. *ad finem*, dicunt nullam inducere obligationem. At Navarrus *in manuali cap.* 23. *num.* 49. Sà *verb. lex num.* 6. Sayrus Clavi Regia *lib.* 3 *cap.* 7. *num.* 16. dicunt importare obligationem venialem. Communis, ac vera ſententia eſt, quod ſtandum eſt pro communi uſu, ac praxi Religionis, & quando dubitatur de tali uſu, ac conſuetudine, attendenda eſt materiæ gravitas, ac neceſſitas, & inde conſideranda præcepti gravitas ad mortale, vel veniale. Diana *part.* 3. *tract.* 6. & *Miſcel.* 2. *Reſolut.* 74. 45.

Caſtro. Cajetan. Carbo. Navarr. a. Sayrus. Diana.

Magna difficultas eſt. An verba præceptiva in Decretis Conciliorum, ac Summorum Pontificum imponant obligationem ſub mortali, verbi gratiâ Concilium Tridentinum *ſeſſ.* 13 *c.* 7. verbis imperativis imponit præceptum ſacerdoti, quamprimum confiteri, ſi ob inopiam confeſſoris celebraverit ſine prævia confeſſione. Et Clemens VIII. de caſuum reſervatione imperativis verbis imponit præceptum ſuperioribus pro tempore exiſtentibus, ut non utantur ſcientia confeſſionis ad externam gubernationem. 46.

Diana. Trident. Clem VIII.

Communis, & vera ſententia eſt, quod hujuſmodi præcepta obligant ad mortale. Ita Vaſquez 1. 2 *diſp.* 158. *cap* 2. *num* 24. Caſtro Palaus *tom.* 1. *tract.* 3. *diſp.* 1. *punct.* 9. *num.* 3. Granado 1. 2. *controv.* 7. *tract.* 4. *part.* 1. *diſp.* 4. *ſect.* 1. *n.* 3. Bonacin. *tom.* 2. *diſp.* 1. *quæſt.* 1. *punct.* 7 §. 4 *num.* 10. 47.

Vaſquez. Palaus. Granado. Bonacina.

Suar. Armilla. Sylveſt. Salas.

num. 10. & citat Suarium, Armillam, Sylveſtrum, Salas, & alios, quia illa verba ſunt imperativa in re gravi ab habente poteſtatem, ergo obligant ſub mortali.

48. Graves etiam Theologi tenent, quod verba illa verbi gratiâ, Concilij Tridentini, non obligant ſub mortali. Ita Rodriguez *in Additionibus ad Bullam cruciatam* §. 9. *num.* 77. Petrus de Ledeſma inſignis Theologus Prædicatorum *in ſumma tom.* 1. *tract. de Euchariſtia cap.* 11 *ante concluſionem* 9. Villalobos *in ſumma tom.* 1. *tract.* 7. *difficul.* 37. *num.* 7. quia per verba ſimplicia non videtur tantam obligationem mortalem induci.

Rodrig. Ledeſma. Villalobos.

49. Meo tamen videri dicendum eſt, quod in Decretis Conciliorum, ac Summorum Pontificum maximè conſideranda qualitas materiæ; ac proinde in materia gravi obligant ad mortale, ut eſt illud Tridentini ob reverentiam Sacratiſſimæ Euchariſtiæ, ſi vero in materia levi non videtur obligare ad mortale.

50. Advertendum tamen eſt, quod quoties verba legis intelligi poſſunt de obligatione veniali, non debent ad mortale extendi, quia ſemper in pœnis benignior interpretatio facienda, ut ex *l. interpretatione*, & *l. ſi Præſis ff. de pœnis*, & late cum multis notat Saytus Clavi Regia *lib.* 3. *cap.* 7. *n.* 20. Sayrus.

TERTIA REGVLA.

Ex gravitate materiæ, ac illius. circunſtantiis.

51. Conveniunt Theologi, ac Canoniſtæ, tranſgreſſionem præcepti in materia gravi eſſe peccatum mortale, in materia levi peccatum veniale. Iam ex quo principio gravitas, vel levitas ſit colligenda, eſt inquirendum.

52. Primum indicium gravitatis, vel levitatis materiæ, deſumendum eſt ex fine intento à legiſlatore, qui maximè debet conducere ad bonum commune, unde id, quod maximè repugnat tali fini intento erit peccatum mortale; id verò quod parum repugnat, erit materia levis, & peccatum veniale, verbi gratiâ, Eccleſia præcipit ad honorem in die feſto à labore ceſſare, ſi contrarium fiat per multum tempus, eſt peccatum mortale, quia tantum opus graviter repugnat cum fine intento ab Eccleſia; non verò ſi ſit labor unius quadrantis, vel ſemihoræ, ut tenet Bonacina *diſp.* 1. *de legibus quæſt.* 1. *punct.* 7. § 4. *num.* 15. Suar. verò *tom.* 1. *de Relig. lib.* 2. *c.* 30. *n.* 2. ait dare operam ſervilibus per integram horam, non eſſe peccatum mortale. At Filliucius, *tom.* 1. *tract.* 27. *part.* 1. *c.* 11. *n.* 205. Granado *cap.* 2. *controver.* 6. *tract.* 2. *ſect.* 6. *n.* 54. Diana *tom.* 2. *tract.* 1. *Miſcellaneor. Reſolut.* 36. & *tract.* 5. *Miſcel. Reſol.* 8. dicunt, quod laborare in die feſto per duas horas, non eſt peccatum mortale, quia duæ horæ per reſpectum ad viginti quatuor eſt parva quantitas. Hæc tamen ſententia multum concedit, nam ſecundum æſtimationem, tempus laboris computatur tempus diei, & ideo de una tantum hora ego dicerem.

Bonacina. Suar. Filliucius Granad. Diana.

53. Secundum motivum ad cognoſcendam gravitatem materiæ, conſiderandæ ſunt circunſtantiæ, quibus ductus eſt legiſlator ad ferendas leges, quales eſſe poſſunt circunſtantiæ ad vitandum ſcandalum, damnum vel occaſionem violandi vota; nam materia aliunde de ſe levis; ratione harum circunſtantiarum poterit eſſe gravis, & ideo furari ſutori unam acum, non habenti aliam eſt peccatum mortale, ratione damni illati.

QVARTA REGVLA.

Ex pœnis.

54. Grandis quæſtio hic ſe offert, an lex ſive Civilis, ſive Eccleſiaſtica imponens pœnam temporalem, obliget ad mortale? Negant graves Auctores, Navarrus, *in ſumma cap.* 23. *an.* 55. *lib.* 1. *Conſiliorum, conſilio* 3. *de conſtit.* & pro ſe citat Imolam, Filinum, & alios. Covar. *Regula. peccatum mortale part.* 2. §. 5. *num.* 2. & probabilem dicunt Valentia 1. 2. *diſp.* 7. *quæſt* 5. *punct.* 6. *poſt ſignum.* Salon. 2. 2. *quæſt.* 77. *art.* 1. *controver.* 7. §. *Hæc opinio.* Azor & Bonacina citandi. Fundamentum eſt, quia nulla lex obligat præter intentionem legiſlatoris; atqui legiſlator ex eo quod exprimit pœnam temporalem, videtur hanc ſolum intendere, non ſpiritualem, niſi eam exprimat; & hanc ſententiam probabilem judicant Azor, Bonacina citandi.

Navarr. Immola. Filinus. Covar. Valentia. Salon. Azor. Bonacina.

55. Secunda ſententia, & valdè communis aſtruit omnes leges pœnales, ſive Eccleſiaſticas, ſive civiles obligare ſubditos ad culpam, & pœnam. Ita Sylveſter, Armilla, Toletus, Carbon, Medina, Aragonius, Salon, Emmanuel Rodriguez, quos referunt, ac ſequuntur Sanchez *lib.* 6. *in Decalog. cap* 4. *num.* 59. Salas *diſp.* 10. *ſect.* 5. & *diſp.* 15. *ſect.* 1. Bonacina *diſp.* 1. *de leg. quæſt.* 1. *punct.* 7. §. 2. *n.* 2. Et primo fundatur, quia de natura legis, & præcepti eſt imponere obligationem in conſcientia ſi eſt de re gravi, ergo cum leges pœnales ſint veræ leges, veram obligationem in conſcientia ponunt, ergo non ſolum obligant ad pœnam, ſed etiam ad culpam. Secundò. Omnis pœna eſt propter culpam, ut ait D. Auguſtinus 1. Retractat. cap. 9 *Omnis pœna ſi juſta eſt, peccati pœna eſt, & ſupplicium nominatur.* Et ſimiliter D. Thomas 2. 2. *quæſt.* 108. *art.* 4. & bene colligitur ex *cap.* 2. *de conſtit. in* 6. & *cap. non afferamus* 24. *quæſt.* 1. Ergo cum leges pœnales pœnam imponunt tranſgreſſoribus, in eis ſupponunt culpam.

Sylveſt. Armilla. Toletus. Carbon. Medina. Aragon. Rodrig. Sanchez. Salas Bonacina. D. Auguſt. D. Thom.

56. Tertia ſententia, & mihi verior; diſtinctione utitur; nam lex dupliciter ferri poteſt. Primo, per verba præceptiva, vel præcepto æquipollentia. Secundo, per verba pure comminativa, ſeu indifferentia ut Auctores dicunt. Si lex ſive Eccleſiaſtica, ſive civilis ſit, feratur verbis præceptivis, tunc obligat ad mortale, ſi materia gravis ſit, niſi aliud conſtet ex mente legiſlatoris. Ita Caſtro *de lege pœnali cap.* 8. Suar *lib.* 5. *de legib. cap.* 3. *num.* 6. Et teſtatur hanc eſſe communem ſententiam, Driedo *lib.* 2. *de libertate Chriſtiana cap.* 1. *poſt ſecundam propoſitionem.* Et *lib.* 3. *cap.* 3. *ad* 5. Vaſquez *diſp.* 199. *cap.* 2. & 3. Sanchez *lib.* 6. *Decalogic.* 4. *n.* 6. Covarr. *Regula peccatum* 2. *part.* §. 5. *n.* 4. Bonac *diſp.* 1. *q.* 1. *punct.* 7. §. 4. *n.* 3. 4. & 6. Caſtro Palaus *tom.* 1. *tract.* 3. *diſp.* 1. *punct.* 15. *num.* 8.

Caſtro. Driedo. Veſquez. Sanchez. Covarr. Bonacina. Palaus.

57. Probatur. Primo, quia lex poſita verbis præceptivis, aperte indicat intentionem legiſlatoris ponendi præceptum, verbi gratiâ, præcipio ne quis à Regno extrahat frumenta, & arma, ſed poſito præcepto ſtatim reſultat obligatio obediendi in conſcientia in re gravi. Confirmatur: quia ſi lex illa abſque comminatione pœnæ imponeretur, obligaret in conſcientia; atqui ex appoſitione pœnæ, hæc obligatio non minuitur, ſed potius valdè efficaciter augetur, tunc enim indicat legiſlator ſe velle rem illam omnibus modis intendere, ac præcipere, ſeque velle ſuum præceptum omni modo corroborare.

58. Dixi in concluſione, niſi legiſlator ſuam intentionem declaret ſe nolle ad aliquam culpam obligare, ut faciunt noſtræ conſtitutiones, ac multarum Religionum, cum multa præcipiant taxatis aliquibus pœnis, dicunt ſe ad nullam culpam intendere obligare.

59. Secunda pars oſtenditur, quod ſi lex feratur per verba tantum comminativa, ac indifferentia, quæ præceptum ſufficienter non indicant verbi gratiâ, ſi dicatur, non extrahantur arma, vel frumenta à Regno ſub pœna capitali, tunc lex videtur nullam obligationem ponere in conſcientia. Et ratio eſt, quia legiſlator ſufficienter potuit intentionem ſuam obligandi declarare per verba præceptiva, ergo cum illam non declaraverit, præſumere debemus eum non habere talem intentionem, quia ſemper benignior pars, & ſubditis favorabilior eſt tenenda.

60. Ad fundamentum primæ ſententiæ concedo majorem, nego minorem, nam ex eo quod ſuperior in imponenda pœna utitur verbis præcepti, aperte indicat ſe duplici vinculo velle ſubditum obligare, & timore pœnæ, & horrore ſupplicij.

61. Ad fundamenta ſecundæ ſententiæ; ad primum dicimus, quod omnis lex ponit obligationem, vel in conſcientia, vel in actu, ad quam ordinatur impoſita pœna tranſgreſſoribus. Ad ſecundum, quod omnis pœna ſupponit culpam vel mortalem, vel civilem ſolam, & politicam: multoties enim convenit ad bonum regimen Reipublicæ, cogere ſubditos timore pœnæ, abſque culpa inflicta, ut videre eſt in ſacris Religionibus, in quibus ſæpè obligantur ſubditi, ad hoc, & illud faciendum ſub pœna carceris, vel privationis vocis activæ, & paſſivæ abſque ulla culpa, & ipſæ conſtitutiones explicant.

De pœnis Eccleſiaſticis.

62. Pœnas Eccleſiaſticas voco excommunicationem, ſuſpenſionem, interdictum, irregularitatem, degradationem. Excommunicatio minor non eſt ſignum culpæ mortalis, nam communiter ponitur pro culpa veniali, niſi aliquando, & raro contingere poteſt, ut pro culpa mortali ponatur, quia legiſlator, etſi materia ſit gravis, tamen lentè, ac paulatim vult obligare. Excommunicatio autem major, aut gravis cenſura dum ponitur, intelligitur obligare ſub mortali, & idem dicendum eſt de interdicto; nam licet comprehendat innocentes, tamen non eſt propriè pœna reſpectu illorum, ſed illius, qui dedit cauſam, & per quandam moralem unionem redundat in alios. Idem dicendum eſt de irregularitate ex delicto, de verbali, aut reali depoſitione, ſeu degradatione, ſic docent Suar. *lib. 4. de leg. cap. 18. num. 19.* Clavis Regia, Sylveſter, Valentia, quos citat, ac ſequitur Becanus *tract. 6. quæſt. 3. n. 10.* Salas *diſp. 10. de leg. ſect. 9. n. 54. & 61.* Suar. Clar. Regia. Sylveſt. Valentia. Becan. Salas.

63. Circa excommunicationem ferendam Sanchez *lib. 1. in Decalog cap. 4. num. 50. & 51.* exiſtimat excommunicationem ferendam ſignum eſſe peccati mortalis, quia ipſa ex ſua gravitate requirit peccatum mortale, niſi ipſa feratur ad terrorem, vel ex uſu, ſeu conſuetudine, requirat trinam admonitionem, quia tunc non eſt ſufficiens ſignum mortalis obligationis; ita ſentiunt Caſtro *lib. 1. de lege pœnali, cap. 5. docum. 4.* Vaſq. *diſp. 158. cap. 5. num. 45.* Henriquez *lib. 13. de excommunic. cap. 17.* Caſtro Palaus *tom. 1. tract. 3. diſputat. 1. punct. 5. num. 3 ad finem.* Sanchez. Caſtro. Veſquez. Henriq. Palaus.

QUÆSTIO IV.

An quando in particulari ceſſat finis legis, ſeu eius ratio totalis, ceſſet in particulari eius obligatio?

SUMMARIUM.

64 *Dupliciter lex poteſt ceſſare.*
65 *Prima ſententia tenet, quod lex debet ceſſare in communi.*
66 *Secunda ſententia docet ſufficere quod ratio legis ceſſet in caſu particulari.*
Reſolutio quæſtionis eſt pro hac ſecunda ſententia, ibid.
67 *Probatur ex jure Canonico, ac civili, & num 68.*
69 *Probatur etiam rationibus, & n. 70.*
71 *Adverſariorum ſolutio explodituv.*
72 *Ponitur, & ſolvitur primum argumentum, & num. 73.*
74 *Ponitur, & ſolvitur ſecundum argumentum, & num. 75.*
76 *Ponitur, & ſolvitur tertium argumentum, & agitur de lege præſumptionis, & n. 77.*

64. PRopono hanc quæſtionem, quia inſervit ad multorum caſuum reſolutionem, & dupliciter, poteſt lex ceſſare, negativè, vel contrariè: tunc lex dicitur ceſſare negativè quando ceſſat totalis ratio legis; contrariè ceſſat lex, quando lex facta eſt inutilis, nociva impoſſibilis ob mutationem factam in materia. Quæſtio ergo procedit, quando totalis ratio legis ceſſat in hoc caſu particulari, quia ſi lex poſita fuit ob multas cauſas, non ſufficit, quod una cauſa ceſſet in particulari, ſed requiritur ut omnes cauſæ ceſſent, ut patet in jejunio quod non ſolùm impoſitum fuit pro domanda concupiſcentia, ſed etiam propter exercitium virtutis, ac proinde qui habet motus frænatos, & liber eſt à concupiſcentia, adhuc tenetur ad jejunium ob exercitium virturis.

65. Prima ſententia tenet non ſufficere, quòd ratio

ratio legis ceſſet in caſu particulari, ut obligatio legis ceſſet; hanc ſententiam tenent So-
Soto. Medina. Molina. to, Medina, & alij, quos citant, ac ſequuntur Molina *tom.* 1 *diſput.* 81. *ad* 3. Sanchez *tom.* 1. *Decalog. lib.* 4. *cap.* 15. *num.* 37. *& lib.* 3. *de matrim. diſp.* 3. *num.* 7. *&* 9. Suar. *de leg. cap.* 7. *n.* 3.
Suar. Layman. Vaſquez. Layman *in Theologia Morali lib.* 1. *tract.* 4. *c.* 21 *tract* 3. Vaſquez 1. 2. *diſp.* 176. *num.* 19. *& in opuſculo de teſtam. cap.* 1. *dub* 1. *num* 4. Caſtro Palaus
Palaus. Diana. *tom.* 1. *diſput.* 5. *punct.* 1. *num.* 10. Et pro hac ſententia Diana citandus triginta Auctores refert, quæ ſententia tot, & tam graviſſimis Auctoribus ſatis ſe defendit, ut eam valdè probabilem judicemus.

Secunda ſententia docet, quod ut obligatio legis ceſſet in hoc caſu particulari, non
66. requiritur, quod ratio legis ceſſet in communi, & quoad omnes, pro quibus eſt lata, ſed ſufficit, quod ratio legis adæquata, & ejus finis totalis ceſſet in particulari; primò hac ſententia citatur communiter ex D. Thom. 2. 2.
D. Thom. *quæſt.* 147. *art.* 1. *ad primum, ſecundum.* Ubi docet, quod præceptum jejunij non obligat illum, qui in particulari habet impedimentum jejunandi; hanc ſententiam tenet expreſſè Panormitanus *in cap. Quoniam de probationibus, in* 6. *& cap. Quia in Inſulis de Re-*
Panorm. *gulis*, Sylveſter *verb. lex, quæſt.* 8. *&* 9. *verb.*
Sylveſt. Navarr. Abbas. Henriq. *octavò*, Navarrus *tom.* 4. *Comment. in Rubricam de judicijs, num.* 74. Abbas *citato cap. Quia in Inſulis*; & alij Canoniſtæ communiter, Henriquez *lib.* 11. *cap.* 17. *num.* 2. *in Gloſſa littera O. & lib.* 10. *cap.* 15. *n.* 8. *in Gloſſa littera R.* Angelus *verb. lex, num.* 4. *caſu* 7. Sà *verb. Ludus,*
Sà. Granad. Soza. Megala. Diana. *num* 1. Granado 1. 2. *controverſ.* 7. *tract.* 3. *p.* 1. *diſp.* 15. *ſect.* 2. Soza *in Bullam Clementis VIII. de largitione munerum fund.* 3. Megala, & alij, quos citat, & conſtanter ſequitur Diana *tom.* 1. *tract. de legibus, Reſol.* 28. Ubi unum ſolum fundamentum apponit; deinde hanc ſententiam
Delbene. Hurtadus. Urban Eſcorbar. Fr. Anton. tenent Delbene *tom.* 1. *cap.* 31. *num.* 2. Petrus Hurtado 2. 2. *diſp.* 76. *ſect.* 37 *num* 81. Urban. *tract.* 1. *cap.* 7. *folio mihi* 17. Eſcorbar *in examine Theologiæ examen.* 1. *tractat.* 1. *cap.* 12. *nu.* 81. M. Fr. Anton. ab Spiritu ſancto *part.* 2. *de Regul. tract.* 3. *diſp.* 6. *num.* 160 *fol. mihi* 82.

Dico in hac re, quod quando in caſu particulari ceſſat ratio adæquata legis, ceſſat etiam obligatio illius ſecluſo ſcandalo. Ita Auctores ſecundæ ſententiæ. Dico ſecluſo ſcandalo, quia ſi detur ſcandalum, dum alij te vident frangere legem in hoc caſu particulari, tunc in hoc teneris ad evitandum ſcandalum, obſervare legem.

Probatur primò concluſio ex jure, in quo
67. Regul juris habet magnum fundamentum ex regulis, *juris in* 6. *& cap. cùm ceſſante de appellationibus.* Ubi dicitur ceſſante cauſa ceſſat effectus, ſed in hoc caſu particulari ceſſat cauſa legis, quæ eſt ratio motiva; ergo & effectus legis, qui eſt ejus obligatio; probatur ſecundò, ex regulis juris 81. *in* 6. Ubi dicitur: *In generali conceſſione non veniunt ea, quæ quis non eſſet in ſpecie veriſimiliter conceſſurus*; ergo etiam in generali prohibitione non veniunt ea, quæ quis in ſpecie veriſimiliter non eſſet prohibiturus, atqui ſi legiſlator prævideret, quod ratio legis ceſſaret in hoc caſu particulari, valdè veriſimile eſt, quod non prohiberet; ergo generali prohibitione non venit hic caſus, in quo ceſſat ratio legis.

Probatur tertiò, *ex leg. Cùm mulier, ff. ſo-* 68.
lato matrimonio. Ubi ait lex; cùm mulier adul- Ex lege.
tera fuerit viri lenocinio, non privatur dote, ubi lex fundatur, quia ratio legis communis, ob quam adultera privatur dote, eſt propter injuriam, quæ facta eſt viro, ſed in hoc caſu particulari ceſſat ipſa injuria: *Quia volenti, ac conſentienti, non fit injuria*; ergo quando lex ceſſat in caſu particulari, ceſſat ejus obligatio.

69.

Probatur quartò; quia quando ratio legis ceſſat in totum, etiam lex ceſſat in totum; ergo quando ratio legis ceſſat in partem, etiam lex ceſſabit in partem: Valet argumentum de toto ad partem, *l. quæ de tota ff. de rei vendicatione.* Confirmatur, quia ratio adæquata legis in ſuo genere, eſt ratio adæquata obligationis legis. Ergo ceſſante ratione adæquata legis in uno caſu particulari, ceſſabit etiam obligatio legis; probatur antecedens. *Quia ratio legis* Iuriſtæ. *eſt anima qua lex vivit*, ut inquiunt communiter Iuriſtæ; ergo ceſſante ratione legis, ceſſat vita legis, ac proinde omnis ejus obligatio, qui eſt effectus ipſius; nam res mortua, ac ſine vita, non valet producere aliquem effectum.

70.

Probatur quintò, ex Granado, quia ita ſe Granad.
habet lex in univerſali ad rationem acceptatam in generali, ſicut lex in particulari ad rationem acceptatam in particulari, ſed quando lex ceſſat, comparatione omnium, ceſſat legis obligatio comparatione omnium; ergo quando ceſſat comparatione unius, ceſſabit legis obligatio comparatione illius. Confirmatur, quia lex non ſolum obligat omnes in generali, ſed ſingulos in ſpeciali; ergo ſicut deficiente ratione apud omnes, manent omnes deobligati, ita deficiente apud unum, manebit unus deobligatus.

Reſpondent Auctores contrarij, ut videre 71.
eſt apud Suar. *lib.* 6. *de leg. cap.* 9. *num.* 16. eſſe Sarez.
differentiam, quia quando lex ceſſat in communi, non ſolum ceſſat negative, ſed etiam ceſſat lex contrarie, id eſt, quia fit inutilis, at quando lex ceſſat in particulari, ſolum lex ceſſat negative, id eſt quia ibi ceſſat ratio legis, non vero contrariè, id eſt non eſt utile ſervare legem. Sed contra, ſicut quando ratio legis ceſſat in communi, lex ceſſat contrarie, & eſt inutile ſervare legem, ita etiam quando lex ceſſat in hoc caſu particulari, lex in hoc caſu particulari eſt inutilis, & ceſſabit contrarie.

Arguitur primò. Quando lex ceſſat in hoc 72.
caſu particulari negative, quia nempè in eo ceſſat adæquata ratio legis, etiam adhuc in tali caſu ſervare legem non eſt malum, & injuſtum, ergo etiam in tali caſu. Antecedens patet, conſequens probatur ex Ariſtotele 5. *Ethicorum cap.* 10. ubi ait, quod tunc datur Epiicheia, quando lex peccat, id eſt quando lex eſt injuſta, & ſic ipſe appellat *Epiicheiam* directionem legis, ſed cum in illo caſu particulari adhuc ſervare legem non ſit malum, nec contra rationem juſtitiæ ſervare legem, ergo adhuc dabitur obligatio legis.

Reſpondetur, tranſeat antecedens, nego 73.
conſequentiam, ad probationem concedo majorem, ad minorem dico, ſervare legem in illo caſu particulari, non eſt malum, & injuſtum

juſtum ex parte ſubditi, verum eſt, quia ſecluſa lege, illud manet quid indifferens, at ex parte Prælati illud præcipere, vel prohibere ſub peccato, vel gravi pœna, eſt quid malum, & injuſtum, cum lex non debeat obligare, niſi ex prudentiali ratione, & hac ceſſante debet lex ceſſare; ſicut Prælatus præcipit ſub obedientia, ne Religioſi tranſeant per talem plateam, ad evitandum ſcandalum alicujus perſonæ, ceſſante ſcandalo, Religioſum tranſire per illum locum, non eſt malum; At tunc quod Prælatus præcipiat, ne tranſeat, eſt quid malum, & injuſtum, cum ſit ſine ratione, ac debito fundamento, ac proinde tunc lex peccat.

74. Arguitur ſecundò. Quia licet ratio legis deficiat in hoc caſu particulari, tamen voluntas legiſlatoris eſt indiſtinctè obligare omnes, ergo ita obligat. Probatur antecedens cum conſequentia multis. *Primò*, quia lex reſpicit bonum commune, ergo ut deſinat obligare in particulari, non noceat: *Secundò*, probatur, quia licet in hoc particulari caſu ceſſet ratio legis, adhuc manet alia generalior, & ſuperior ratio, quæ obligat, quæ eſt uniformitas partis ad totum, & quod unum membrum conformetur cum aliis, ergo adhuc in illo particulari caſu obligat lex. *Tertiò*, quia leges non reſpiciunt ſingularia, ſed id quod communiter, ac frequentius accidit, ergo ſecundum communem modum operandi lex obligat in illo caſu.

75. Reſpondetur negando antecedens loquendo de voluntate prudentiali. Ad primam probationem dico, quod leges ita reſpiciunt bonum commune, ut etiam obligent ſingulos in particulari, & in ſingulis habeant vim, & fundamentum, propter quod lex ponitur, ergo quando in aliquo particulari caſu, ceſſabit ratio legis, ceſſabit legis obligatio. Ad ſecundam confirmationem dico negando, quod datur alia ratio ſuperior, quia uniformitas membrorum ſolum requiritur ubi datur eadem ratio, non vero diverſa, cum autem in hoc caſu, in quo ceſſat ratio legis, detur diverſa ratio operandi in hac perſona, ac in aliis, in quibus urger ratio motiva legis, inde hic non requiritur uniformitas cum aliis, ſicut lex generalis jejunij, vel non comedendi carnes, obligat omnes, & tamen non obligat eos, qui habent in particulari impedimenta propter diverſam rationem, quæ datur in aliis, ſic etiam dicendum eſt, de omnia alia lege, quando ejus ratio ceſſat in hoc, & illo caſu. Ad tertiam confirmationem fatemur, quod leges reſpiciunt, id quod frequenter contingere ſolet, tamen ex prudenti ratione legis, exceptuantur multa, ut patebit ex dicendis.

76. Arguitur tertiò: Sequuntur ex noſtra hac ſententia multa abſurda. *Primò*, quod fornicatio ſimplex poſſit eſſe licita in aliquo caſu, ſi ceſſaret ratio prohibitionis, ut nullum eſſet periculum malæ educationis prolis, propter quam vitandam, vagus concubitus eſt prohibitur. *Secundò*, in materia obedientiæ, multa poſſunt imaginari, ob quam non ſervatur. Tertiò; lex præſumptionis periculi obligat, quamvis ratio legis ceſſet in facto particulari. *Ius Canonicum* diſponit, quòd profeſſio ante decimum ſextum annum, ſit nulla, quia ante talem ætatem præſumitur in adoleſcente defectus judicij, at ſi ante talem ætatem detur judicium perfectiſſimum profeſſio adhuc erit nulla, quia lex ſolet diſponere juxta illud, quod ordinariè contingere ſolet. Deinde Concilium Tridentinum irritat matrimonia clandeſtina ad evitandos dolos, & tamen ſi in aliquo peculiari caſu detur matrimonium clandeſtinum ſine dolo, adhuc erit nullum.

Ius Canonicum.

Reſpondetur nullum abſurdum ſequi. Ad 77.
primum dicimus, quod vagus concubitus non ſolùm eſt prohibitus ob malam educationem prolis, ſed ob multa alias rationes; ſic Divus Gregorius *lib. 3. Moralium, cap. 31.* quod latè explicat D. Thomas *2. 2. quæſt. 153. art. 5.* de ea ait, quod affert cæciratem, & præcipitationem mentis, odium Dei, & immoderatum amorem proximi; vide Reginaldum *lib. 22. num. 15.* Deinde illa lex eſt præſumptionis periculi, quæ in facto particulari non definit obligare. Ad ſecundùm, quod rationes excuſantes ab obſervatione præcepti ſunt fundatæ in recta obſervatione legis.

D. Gregor. D. Thom. Reginald.

Ad tertiam confirmationem de lege præ- 78.
ſumptionis periculi dic, quod quamvis ratio legis ceſſet in facto particulari, lex tamen non ceſſat, quia talis lex non fundatur in facto, ſed in periculo, quod datur in tali modo operandi, quia quamvis de facto videatur uſus rationis perfectus, ante decimum ſextum annum, & in matrimonio clandeſtino, quod nullus detur dolus, quia tamen ſucceſſu temporis multæ inſurgunt quæſtiones, & variæ dubitationes, ideoque in præſumptione fundatur, non ſat eſt, quod lex ceſſet in particulari, ſed neceſſe eſt. ut ratio legis ceſſet in communi; nos autem loquimur in facto, & non in periculo.

Ex his inferes, quod ſi ludus ſit prohibi- 79.
tus, ne homines amittant multam pecuniam, licitum tamen erit ludere moderata pecunia. Ita Sà *verb. Ludus, num. 1.* Infero etiam, quod ſi Prælatus præcipiat, ne aliquis Religioſus accedat ad aliquam januam, ad evitandum ſcandalum, vel ne loquatur cum aliquibus perſonis, quod ille Religioſus, qui accedendo non dat ſcandalum, nec aliquam loquutionem facit, poteſt accedere, ſic & in ſimilibus; ita Henriquez *citatus*.

Sà. Henriq.

QUÆSTIO V.

Vtrùm in Religione aliquid, quod non ſit contentum in regula poſſit eſſe materia legis?

SUMMARIUM.

80 *Status quæſtionis proponitur.*
81 *Prima ſententia affirmat poſſe Prælatum, etiam ea, quæ non continentur in regula.*
82 *Secunda, quod Generalis, in cap. Generali.*
83 *Tertia affirmat quod poſſit, etiam & illum cogere, qui profeſſus in Religione relaxata.*
84 *Quarta, quod nec Prælatus, nec cap. General.*
85 *Ponitur vera ſententia.*

86 *Probatur*

86 *Probatur concluſio auctoritate D. Bernardi.*
87 *Probatur ratione.*
88 *Ponitur, & ſolvitur primum argumentum ex auctoritate Chriſti, ac D. Baſilii, & n.89.*
90 *Nec generalis cum capitulo generali poteſt obligare ad novas reformationes. & num 91.*
92 *Pontifex non poteſt obligare religioſum ad artiorem vitam non contentam in regula & n.93.*
94 *Ponitur limitatio Suarii, & rejicitur, & n. 95.*
96 *Ponitur, & ſolvitur argumentum de Monialibus, ac claſtralibus, & n.97.*

80. QVæſtio hæc eſt valdè utilis Religioſis ad multa inſerviens, & quærimus, an Prælatus Religionis poſſit aliquid præcipere ſuo ſubdito Religioſo, quo nullo modo, nec formaliter, nec virtualiter contineatur in regula Religionis, nam ea quæ continentur in regula, ſive formaliter ſive virtualiter, vel ad ejus obſervationem conducunt, non eſt dubium, quod Prælatus ea poſſit præcipere.

81. In hac re variæ ſunt ſententiæ juxta varios ſtatus hujus quæſtionis. Prima ſententia ait, quod Prælatus Religionis poſſit præcipere ſuo ſubdito aliquid, quod nullo modo ſit contentum in regula, ac proinde poſſit præcipere illud, quod eſt præter regulam, vel ſupra illam. Archidiac Abbas. Præpoſit. D. Bonaven Pro hac ſententia citantur tres Canoniſtæ Archidiaconus *cap. qui iuſtus q.3.* Abbas *cap. ſuper num.6.* Præpoſitus *cap. Ad noſtram.* Huic ſententiæ favere videtur D Bonaventura *in expoſitione Regulæ fratrum Minor. cap.1 ad verſ. vivendo in obedientia.*

82. Secunda ſententia, quod Prælatus cum capitulo generali, ſeu maiori parte Religionis, poſſit ferre novas leges, quæ obligent Religioſos ad altiorem modum vivendi, ſupra regulam. Gloſſa. Innocent. Cardinal. Abbas. Alexander. Probus. Roſella. Pro hac ſententia ſtant multi Canoniſtæ proximè citati. Inſuper Gloſſa, Innocentius, Cardinalis, Abbas, Alexander de Nevo, Probus Roſella, quos citat Sanchez *in Decalog. 2. lib. 6. cap. 2. ad finem.*

83. Tertia ſententia affirmat, quod Prælatus Religionis non poſſit ad aliquid obligare ſuum ſubditum, quod non ſit contentum in regula, imo ſi aliquis profeſſus eſt in Religione, cujus Regula erat relaxata, & per pravos mores corrupta, jam ſtante præſcriptione, ac conſuetudine, quòd ſi Prælati illius velint facere reformationem, & reducere ad rigorem antiquam regulæ, Hoſtienſ. quod non poſſunt obligare Religioſum profeſſum jam in tempore relaxationis. Ita Hoſtienſis, *ſum. tit. de voto, §. verum, & per quem n.17. & cap. ſuper eo n.2. de Regular.* & ibi Ioannes Andreas *n.4. ad finem.* Andreas. Abulenſ. Rayner. D. Anton. Abulenſis *c. 30. num.q.99.* Rayner. quem citat, ac ſequitur D. Antonin. *3. part. titul.16. cap.3. in fine.*

84. Quarta ſententia docet, quòd nec Prælatus, nec Capitulum Generale poteſt obligare ſuum ſubditum ad aliquid præter regulam, tamen quod ſi Religioſus profeſſus eſt tempore relaxationis regulæ, jam ex antiqua conſuetudine, quod poſtea Prælati poſſunt ipſum obligare ad obſervandum rigorem regulæ. Dixi *ſtante antiqua conſuetudine*, quia ſi illa relaxatio eſt modo introducta, ut non evadat in præſcriptionem, abſque dubio eſt, quod Prælatus poſſit obligare taliter profeſſum ad rigorem regulæ. Hæc ſententia eſt vera, eamque explico per ſequentes concluſiones, ubi multos Auctores adducam.

85. Dico primò, quod Prælatus Religionis ſolùm poteſt præcipere ea quæ ſunt ſecundum regulam Religionis, & ad ejus obſervationem conducunt, ea verò, quæ non continentur in regula, ſed ſunt ſupra, vel præter illam, nullo modo poteſt præcipere, nec ſubditi ei tenentur obedire: Hæc eſt valdè communis, eamque tenet D.Thom. multis in locis *quodlib.10. art.10. in corpore, 2.2. quæſt.104. art.5. ad 3.* & *2 diſt.44. quæſt.2. art.3.* & Sanchez *tom.2. in Decalog. lib.6. cap.2. num.15.* Ubi ferè quadraginta Auctores graviſſimos pro ea citat; & præter eos eam docent Suar. *lib.4. de leg. c.17. n.3.* & valdè late eam confirmat *to.3. de Relig. lib.10. cap.8. num.5. & 6.* eamque dicit communem inter Theologos, & Canoniſtas, Lorca *diſp.14. de legib. dubio appenſo.* Salas *diſp.8. ſect.12.* Bonacin. *tom.2. diſput.1. de leg. quæſt.1. punct.3. num.12.* M.Lezana *tom.1. Regul. c.4. num.9. & 13.* Qui omnes clarè docent, quod Prælatus non poteſt præcipere auſteriorem modum vivendi, majoremque obſervantiam, & rigorem non contentum in regula; tamen in uno caſu grandi, & extraordinario pro uno, vel altero actu, ut quod in proceſſione Religioſi tendant diſcalceatis pedibus, ad magis implorandam divinam miſericordiam, ut aliquando vidi: nam caſus extraordinarius non venit ſub communi lege. D. Thom. Sanchez. Suarez. Lorca. Salas. Bonacina. Lezana.

86. Probatur; primò auctoritate D. Bernardi *lib. de præcepto, & diſpenſatione, cap.7.* vbi ait: *Is, qui profitetur, ſpondet quidem obedientiam non tamen omnimodam, ſed determinatam ſecundum regulam;* & infra. Proinde ſi profeſſo ſecundum illam regulam Abbas meus mihi aliud fortè imponere tentaverit, quod non ſit ſecundum regulam, quænam mihi quæſo, in hac re neceſſitas imminet obſequenti? Solùm quippe id à me poſſe exigere arbitror, quod promiſi. Ita S. Pater, quod latè proſequitur etiam *cap.8.* D. Bernard.

87. Probatur hac unica ratione; quia Religioſus tenetur obedire ſuo Prælato, ratione voti obedientiæ; atqui votum obligat ſolùm iuxta formam, ac intentionem voventis; ergo cum vovens non promiſerit obedientiam abſolutè, ſed limitatè juxta ſuam regulam, materia voti ampliùs non eſt extendenda. Confirmatur, quia Prælatus Religionis eſt cuſtos, & executor regulæ. Huic noſtræ concluſioni aliqui volunt apponere duas limitationes. Prima, ſi Prælatus præcipiat auſterum modum vivendi, in pœnam delicti commiſſi. Secunda, ſi illa major auſteritas eſt neceſſaria ad obſervantiam regulæ, ſed neutra dicenda eſt limitatio, ut benè ex Navarro, Corduba, Sylveſtro notat Suar. *citato loco de Relig.* Nam id, quod dicit prima limitatio non procedit, quia illud non eſt dare auſteriorem vivendi modum, ſed punire delictum, ſicut & Prælatus poteſt damnare ad triremes. Nec etiam illud, quod dicit ſecunda limitatio, quia illud eſt quid virtualiter contentum in regula, nam qui præcipit finem, virtualiter præcipit media, ergo ſi illa major obſervantia eſt neceſſa- Navarr. Corduba. Sylveſt. Suar.

ria

ria ad obſervationem regulæ, virtualiter eſt præcepta in ipſa regula.

88. Argues contra concluſionem. Hodie in lege gratiæ, obedientia religioſa eſt perfecta obedientia Evangelica tradita à Chriſto D. Sed perfecta obedientia Evangelica non habet terminum magnitudinis juxta illud Chriſti D. Matth. 16. Matth. 16, *Si quis vult venire poſt me, abneget ſemetipſum*, ergo obedientia religioſa extenditur ad omnia. Confirmatur ex D. Baſilio D. Baſil. *Regula 6.* ubi ait: *Obedientiam nihil aliud eſſe, niſi ſui abnegationem.*

89. R. Concedendo maiorem, explicando minorem, quod quando obedientia Evangelica eſt abſoluta, & univerſalis, verum eſt, quod tunc non habet terminum; at vero ſi non ſit abſoluta, ſed ſecundum aliquem modum vivendi, tunc vltra talem modum vivendi non extenditur, & ideo ait D. Thomas D. Thom. 2.2. *quæſt.* 104. *art.* 3. *ad* 3. Quod obedientia eſt triplex. Una indiſcreta, quæ tendit ad illicita, alia perfecta, quæ ad perfectionem eorum, quæ ſunt licita, & honeſta ſe extendit. Unde Sancta Thereſia edidit votum faciendi illud, quod intelligeret eſſe perfectius. Tertia differentia eſt eorum, quæ ad votum obedientiæ pertinent, qua ſe Religioſi obligant ad agendum ea, quæ ad obſervationem regulæ ſpectant; ad confirmationem eodem modo eſt reſpondendum.

90. Dico ſecundò. Quòd generalis cum capitulo generali, vel cum maiori parte ſuæ Religionis non poteſt facere novas reformationes, quæ obligent Religioſos jam profeſſos, & non conſentientes in tali reformatione ad arctiorem, & aſperiorem modum vitæ non contentum in regula ſuæ profeſſionis. Hanc concluſionem tenent Vaſquez 1. 2. *diſp.* 154. *n.* 21. Vaſquez. Sylveſt. Sylveſt. *verb. Relig.* 6. *quæſt.* 6. Suarez *citato loco num.* 10. Suar. M. Lezana *tom.* 1. *Regul. cap.* 4. Lezana. *num.* 13. Sanchez *allegatus num.* 18. ubi multos Sanchez. citat, & addidit *num.* 19. ex Angelo, Sylveſtro, Angelus. Sylveſt. Corduba, Tapia, noſtram concluſionem eſſe Corduba. veram, eſto totum Capitulum Generale conTapia. ſentiat, nemine diſcrepante, adhuc non obligari alios Religioſos non conſentientes, obligantur tamen conſentientes in tali reformatione, & omnes alii, qui poſtea profeſſionem emiſerint, quia illi profitentur juxta regulam, & conſtitutiones, ut ſunt de facto.

91. Probatur ratione primò concluſio hic applicata. Probatur ſecundò; quia talis auſteritas, ac vivendi modus, non ſolùm reſpicit ipſos Religioſos in particulari, ut ſingulos; ergo ut omnes obliget, ab omnibus debet approbari, juxta *regulã* 29. *de regulis iuris, in* 6. Regul. juris. *Quòd omnes tangit ab omnibus debet approbari.*

92. Dico tertiò, quod Romanus Pontifex non poteſt obligare Religioſum profeſſum ad arctiorem vitæ modum ſupra regulam ſuæ profeſſionis. Ita Sylveſter proximè citatus *in fine.* Leſſius *lib.* 2. *de juſtitia, cap.* 41. *dub.* 9. *num.* 74. §. *Hinc ſequitur*, Corduba *in expoſitione regulæ S. Franciſci, cap.* 15. *quæſt.* 2. *dict.* 2.

93. Probatur noſtra concluſio, quia Summus Pontifex non poteſt obligare ad omnia opera Concilii, & ad auſterum modum vivendi, verbi gratiâ, ad ſemper jejunandum, ad domandas carnes perpetuo cilicio, ut omnes fatentur, ergo Summus Pontifex non poteſt ad hæc obligare Religioſum hoc non habentem ex regula ſuæ profeſſionis. Antecedens eſt certum: conſequentia probatur, quia peculiaris poteſtas ſuper omnes fideles, quam Summus Pontifex habet in Religioſos, oritur ex voto obedientiæ, quam promittimus Romano Pontifici, tanquam primo capiti, ac ſupremo Generali totius Ordinis, atqui hæc obedientia non eſt omnimoda, ſed limitatè juxta regulam, ergo ultra illam non poteſt aliquid præcipere.

94. Suarius *citatus tom. de Relig. cap.* 8. *num.* 11. Suar. ait, quod Pontifex non poteſt obligare Religioſum ad auſterum modum vivendi ſupra regulam ratione voti obedientiæ, ut ratio concluſionis convincit, ait tamen ratione ſupremæ poteſtatis poterit obligare, quia licèt non poſſit obligare omnes fideles, ut ait ipſe, ad omnia opera Concilii, tamen ratione ſtatus Religioſi poterit obligare, ſi hoc ſit expediens ad ſtatum Religioſum, licèt Ordinariè loquendo hoc non ſit conveniens.

95. Hæc doctrina Suarii, ut ab eo traditur, nobis non placet, quia ſi ratione ſtatus Summus Pontifex poteſt præcipere aſperiorem modum vivendi ſupra regulam, ergo poterit præcipere omnem perfectionem poſſibilem ſtatui Religioſo, quod nemo dicet. Secundò, ſtatus Religioſus eſt ſtatus perfectus habens varios gradus perfectionis, ergo ſufficit, quod homo ſit in aliquo gradu illius perfectionis, ut illi qui habet regulam approbatam à Sede Apoſtolica, unde ſolebat dicere Clemens VIII. Clem. VIII. Religioſum benè obſervantem ſuam regulam canonizari poſſe. Tertiò, poteſtas Pontificis eſt in ædificationem, atqui ſi Pontifex præcipiat notabilem rigorem ſupra regulam, ut omnes ſint Carthuſiani, multi ſpectata fragilitate naturæ ſuæ non poterunt ſuſtinere talem rigorem, etſi deficiant ab ipſo ſtatu Religioſo, & ſic dabitur occaſio ruinæ, & erit in deſtructionem, ergo Pontifex non poteſt præcipere ipſum notabilem rigorem ſuper regulam, poterit tamen præcipere aliquid moderatum ad obſervantiam regulæ, & perfectionem ſtatus religioni, ſi occaſio temporum illud poſtulaverit, in hoc tanquam Prælatus Religionis, ac ſupremum caput Eccleſiæ, ut notat Leſſius Leſſius. citatus, poteſt obligare Religioſum ad acceptandum Epiſcopatum, quod non poteſt Prælatus Religionis.

96. Argues contra concluſionem, quia Bonifacius VIII. & Concilium Tridentinum induxerunt clauſuram omnibus Monialibus, quæ vitam multo auſteriorem reddit, & tamen illam profeſſæ non fuerant; nam ante Concilium exibant à Monaſterio. Secundò; Pius V. anno 1567. ſuo Decreto juſſit omnes Franciſcanos Conventuales, & Clauſtrales in Hiſpania viventes ejici à ſuis Conventibus, & tranſire ad aliquem Ordinem ex Mendicantibus, qui multo aſperiorem vitam continent, quam erat eorum priſtina. Confirmatur, quia Pontifex habet plenam auctoritatem in omnes fideles, ergo omnia licita, & honeſta poteſt eis præcipere.

97. Reſpondetur ad argumentum, & ad id, in quo fundatur de Monialibus, quod eis impoſita fuit clauſura perpetua tanquam quid conveniens (ſpectata malitia ſæculi hujus & ut quid

quid moraliter neceſſarium ad obſervantiam voti caſtitatis, & aliunde egreſſus Monialium à Monaſterio non eſt neceſſarius, ut eſt in Religioſis, qui exeunt ad opera pia, quæ inſerviunt, ac conducunt ad ſalutem animarum; imò addit Sanchez *n.* 43. quod Pontifex poterit ponere aliquam clauſuram Monachis, ut non facilè egrediantur.

Ad ſecundum exemplum dic, quod quamvis aliqui dubitarunt de illo Decreto Pontificis, fuit tamen juſtiſſimum, quia illi clauſtrales in Hiſpania degentes, vivebant cum magno ſcandalo, & multa relaxatione, merito ergo Pontifex juſſit eos expelli à ſuis Conventibus, & ad Mendicantes tranſire, quia illud judicatū fuit valdè convenientiſſimum ad obſervanda tria vota, quæ in profeſſione emiſerant. Ad confirmationem dic, quod Pontifex habet plenam auctoritatem circa omnes fideles quoad obſervantiam legis Dei, non verò ad præcipienda opera Concilii, ut eſt auſterus modus vivendi.

98.

QUÆSTIO VI.

De Religioſo vivente in Religione relaxata.

SUMMARIUM.

100 *Religioſus profeſſus in Religione, cujus regula eſt relaxata legitima præſcriptione non poteſt cogi ad novam reformationem, hæc relaxatio non poteſt dari in votis.*

101 *Relaxatio dupliciter poteſt introduci.*

102 *Si introducta eſt auctoritate Apoſtolica non eſt relaxatio, ſed moderatio.*

103 *At verò ſi talis moderatio eſt nociva, obſervationi regulæ poterit revocari.*

104 *Quando relaxatio in regula uſu longe introducta eſt, Prælati poterunt reformare, & num.* 105.

106 *Præoccupatur objectio, de profitente in regula relaxata, quia non poterit ad aliud obligari.*

100. SUperat etiam in hac materia explicandum, quod quando Religioſus profeſſus eſt in Religione, cujus regula eſt relaxata, & corrupta, ſtante jam legitima conſuetudine, ac præſcriptione, certum eſt, quod talis Religioſus non tenetur ad rigorem novum, ſicut qui jurat ſtatum alicujus Collegii, quod iam uſu eſt relaxatum, non tenetur ad illius rigorem, ut notat Suarez *citatus num.* 18. Ita etiam & Religioſus in Religione relaxata. Hæc autem relaxatio quoad vota, nunquam poteſt eſſe legitimè uſu introducta, ut advertit Sanchez *citatus num.* 26. quia vota obligant ex jure divino, jus autem divinum nunquam admittit præſcriptionem, ut eſt communis ſententia.

Suar.

Sanchez.

101. Si verò relaxatio ſit uſu introducta quoad alia regulæ, ut quoad jejunium, cilicium, clauſuram, tunc eſt quæſtio, an Prælati illius Religionis poſſint cogere Religioſos profeſſos in illa relaxatione ad rigorem regulæ primitivæ; & hæc quod dupliciter poteſt procedere. Primò, quando talis relaxatio eſt introducta auctoritate Apoſtolica, & tunc non eſt relaxatio, ſed moderatio antiqui rigoris. Secundò, quando talis relaxatio, jam antiquo uſu introducta eſt.

102. Dico quartò, quando moderatio regulæ auctoritate Apoſtolica introducta, Religioſi qui profeſſiſunt regulam taliter moderatam non poterunt compelli à Prælatis illius Religionis, ad ſervandum antiquum rigorem regulæ. Ita Suarius *cit. lib.* 4. *de leg. c.* 8. *n.* 17. Salas *diſp.* 8. *de leg. ſect.* 12. *n.* 58. *&* 62. Bañe 2. 2. *q.* 104. *artic.* 10. *dub.* 6. Bonac. *diſp.* 1. *de legibus, q.* 1. *punct.* 3. *n.* 18. Probatur, quia ratione voti nemo poteſt obligari ad acceptandum id, quod nec directè, nec indirectè vovit, ſed ille non vovit rigorem antiquum regulæ, nec vivere, aut obedire in illum, ergo non poteſt obligari ad acceptandam talem reformationem. Confirmatur, quia facta moderatione Pontificis, jam regula, quoad illum rigorem eſt derogata, ergo jam non poteſt obligari ad vivendum ſecundum legem derogatam per legitimum Superiorem.

Suar. Salas. Bañez. Bonacina.

103. Advertendum tamen eſt, quod ſi poſtea experientia videatur, quod talis moderatio ſit repugnans fini illius Religionis, quod poterit Pontifex & Prælati illius Religionis renuntiare talem mitigationem, & obligare Religioſos in illa ad vivendum ſecundum rigorem regulæ antiquæ, quia Prælati Religionis poterunt obligare ſuum ſubditum ad vivendum ſecundùm finem ſuæ regulæ, ergo & amputare ea, quæ tali fini repugnant.

104. Dico quintò, quod quando relaxatio in regula longo uſu introducta eſt, ſi Prælati velint facere reformationem, & regulam ad antiquum rigorem revocare, Religioſus, qui profeſſus eſt in illa relaxatione, tenetur ſtare tali reformationi. Ita multi Auctores, quos citat, ac ſequitur Sanch. *lib.* 6. *Decal. c.* 2. *n.* 35. Vaſq. 1. 2. *diſp.* 154. *n.* 25. 26. *&* 27. Reginald. *lib.* 18. *n.* 396. *§. Conſequens eſt.* Azor. *tom.* 1. *Inſtitut. lib.* 15. *c.* 11. *q.* 17. & alii.

Sanchez. Vaſquez. Reginald. Azor.

105. Probatur primò, quia ita factum eſt in multis Religionibus, quæ reformatæ ſunt auctoritate Superiorum. Secundò, quia vovens aliquam regulam, debet eſſe paratus, quantum eſt ex ſe ad bonum regulæ, & Religionis, atqui ad bonum regulæ, ac Religionis maximè conducit, quod pravæ conſuetudines illi adverſantes amputentur, ergo ſi hoc fiat, taliter profeſſus tenetur ſtare tali reformationi. Tertiò, qui ſe ſubjicit alicui regulæ, etiam ſe ſubjcit fini per illam intento, ſed ad conſequendum finem intentum per regulam, maximè conducit, ut regula in integrum obſervetur, ergo ſi hoc fiat, tenetur Religioſus ſtare, ergo qui profitetur aliquam regulam tempore relaxationis, virtualiter ſe ſubjicit reformationi ipſius regulæ ſi fiat, etiamſi ſit homo ſimplex, indoctus, ac id vota, quia talis ignorantia, ut notat Suarez *num.* 19. non excuſat involuntarium, & qui profitetur regulam, virtualiter vult bonum illius.

Suarez.

106. Ex quo ceſſat obiectio, quæ hic fieri poterat, quia hic profeſſus eſt regulam, ut ſic relaxatam, ergo non habuit intentionem ſe

vltra ad alia obligandum. Hoc tamen non poteſt dici, quia qui profitetur aliquam regulam, & voluntariè illi ſe ſubjicit, virtualiter vult conſequi finem regulæ, & bonum illius, ergo etiam ſe ſubjicit reſtaurationi regulæ, niſi ipſe, qui profeſſionem emiſerit, habuiſſet limitatam intentionem non ſe obligandi ad alia, niſi tantùm ad illam regulam relaxatam.

QUÆSTIO VII.

Inferuntur multa ex dictis valdè utilia ad varios caſus.

SUMMARIUM.

107 *Prælatus non poteſt cogere ſubditum ad ea, quæ non ſunt ſecundùm regulam, v. g. ad acceptandum Epiſcopatum.*

108 *Prælatus non poteſt præcipere aſperitates perpetuas non contentas in regula bene pro aliqua urgente occaſione.*

109 *Quando regula, ſeu Conſtitutio ſolum obligat ad pœnam; vel veniale non poteſt Prælatus obligare ad mortale.*

110 *Si in aliquo ſubdito multa ſit contumacia, tunc poterit obligari ſub mortali.*

111 *Obunius, vel duorum culpam non poteſt Prælatus ponere præceptum ſub mortali.*

112 *Prælati Religioſos viventes in Hiſpania non poſſunt cogere ut vadant ultra mare, niſi hoc habeant ex profeſſione.*

113 *Prælatus poteſt cogere ſuum ſubditum, ut audiat confeſſionem, & inſerviat Religioſo peſte laboranti.*

107. EX his inferes. Primò, Prælatum Religionis non poſſe cogere ſuum ſubditum, ad tranſeundum ad Religionem arctiorem, & ſtrictiorem, nec ad acceptandum Epiſcopatum, quia hæc nullo modo ſunt ſecundum regulam, nec pertinent ad ſtatum Religionis, nec fieri Epiſcopum pertinet ad Regularem vitam; & hoc eſt verum eſto in regula dicatur, obediendum eſſe Prælatis, ut dicitur *in regula Minorum, cap.* 10. & *in Conſtitutionibus Societatis, part.* 3. *cap.* 1. §. 23. & *part.* 6. *cap.* 1. Eſt enim ſenſus obediendum in omnibus, quæ ſunt ſecundum regulam. Tamen Summus Pontifex poteſt cogere Religioſum ad acceptandum Epiſcopatum. Ita Soto *lib.* 1. *de juſtitia, quæſt.* 2. *artic* 2. Valentia *ſecunda ſecundæ, diſp.* 10. *quæſt.* 3. *concluſ.* 6. Rodriguez *tom.* 2. *Regular. q.* 19. *art. vlt.* Bonacina *loco citato, n.* 18.

Reg. Minor. Conſt. Societ.

Soto. Valentia Rodrig. Bonacina.

108. Secundò inferes. Quod Prælatus non poteſt præcipere per ſe jejunia perpetua, vel aſperitates corporis non contentas in regula, nec ſubditus tenetur ei obedire, cum hoc ſit ſupra regulam. Dixi *per ſe*, quia in pœnam delicti commiſſi poterit præcipere. Ita Vaſquez *citato loco, num.* 20. Sylveſter *verb. Religio.* 6. *q* 6. Corduba *in expoſitione regulæ S. Franciſci, c.* 10. *quæſt.* 2. *Dict.* 6. Leſſius *lib. de juſtitia, cap.* 41. *dub.* 9. *num.* 75. & bene notant Auctores ultimi, quod Prælatus ob aliquam occaſionem, vel neceſſitatem publicam Eccleſiæ, poterit ad tempus præcipere omnibus aliquod jejunium, vel aliquid auſterum, & hoc videtur valdè conſentaneum regulæ.

Vaſquez. Sylveſt. Corduba. Leſſius.

109. Tertiò inferes, quod quando regula, vel Conſtitutio Ordinis ſolum obligat ad pœnam, vel ſolum obligat ad veniale, non poterit Prælatus etiam Generalis obligare ad illius obſervantiam ſub culpa mortali, quia hoc eſt iam facere novam regulam. Ita Vaſquez *1.* 2. *diſp* 154. *cap.* 3. *num* 21. Sanchez *citatus, l b.* 6 *in Decalog cap.* 2. *num.* 46. Salas, Ledeſma, Bonacina, Peirinus, quos citat, & ſequitur Bordonius *tom.* 2. *Reſolut.* 58. *n* 2. *& ſequentibus.* Leſſius *lib.* 2. *cap.* 41. *num.* 74. M. Fr. Anton. à Spiritu Sancto *tom.* 2. *Regul. tract.* 3. *diſp.* 6. *num.* 92.

Vaſquez. Sanchez. Salas. Ledeſma. Bonacina. Bordon. Fr. Anton.

110. Nota tamen quod quamvis regula, vel conſtitutio non obliget ad culpam, ſed tantum ad pœnam, tamen ſi in aliquo Religioſo detur magna tranſgreſſio, & multa contumacia, vel alia ſimilis cauſa, tunc ſecundum regulam poterit Superior hunc ſub mortali obligare immediatè ad talem obſervantiam. Ita Sanchez, Vaſquez, Ledeſma, Salas, quos referunt citati Bordonius *num.* 4. & Peirinus *de ſubdito, quæſt.* 1. *cap.* 5. §. 3. *Dicto* 2. Leſſius *ſuprà, num* 74. *verſic. Hinc ſequitur.* Et ratio eſt, quia in hoc caſu grandis trangreſſio, & contumacia, requirunt grande remedium, & pœnam delinquentis, ad obediendum.

Sanchez. Vaſquez. Ledeſma. Salas. Bordon. Leſſius.

111. Quartò inferes, quod propter unius, vel duorum culpam, non poteſt Prælatus ponere præceptum, quod obliget totam communitatem ſub peccato mortali. Ita Vaſquez 1. 2. *diſput.* 154. *cap.* 2. *n.* 21. Sanchez *lib.* 6. *in Decalog. cap.* 2. *num.* 46. Ledeſma, Salas, quos citat, ac ſequitur Peirinus *de ſubdito, quæſt.* 1. *cap.* 5. §. 3. *dict.* 2. Vivaldus *titulo de ſubdito, Inquiſit.* 1. *num.* 30. Et ratio eſt, quia vira aliquorum relaxata non debet nocere aliis obſervantibus, ut eis injciantur conſcientiæ laquei, hoc enim ipſis obſervantibus eſt notabile gravamen ſuper regulam, & ideo obedire non tenentur.

Vaſquez. Sanchez. Ledeſma. Salas. Peirin. Vivaldus.

112. Quintò inferes, quod non poſſunt Prælati, Religioſos viventes in Hiſpania, cauſa converſionis animarum, cogere ut vadant ad Indios, vel ultra mare, niſi hoc habeant ex profeſſione, quia res eſt valdè difficilis, & multis expoſita periculis corporis, & animæ. Ita Leſſius *citatus, cap.* 41. *dub.* 9. *num.* 75. Suarez *citat. cap.* 8. *num.* 6. Sanchez *loco allegato, n.* 47. Rodriquez *citata, quæſt.* 19. *art.* 7. Portel. *verb. Obedientia.*

Leſſius. Suarez. Sanchez. Rodrig. Port l.

113. Sextò inferes, quod Prælatus poſſit cogere ſuum ſubditum, ut inſerviat Religioſo peſte ægrotanti; & quantum ad ſæculares ſi non adſint Parochi, vel Parochiani, non ſufficiunt, ſi Religioſus eſt Ordine Mendicantium, poteſt cogi à ſuo Prælato, ut audiat confeſſiones peſte laborantium, quia Mendicantes ex jure ſunt coadjutores Epiſcoporum. Ita Rodriguez *tom.* 3. *Regul. q.* 3. *art.* 4. & Sanch z *citatus, num.* 40.

Rodrig. Sanchez.

RESO

RESOLUTIO XLI.

De Libertate, ſeu Immunitate Eccleſiaſtica.

QUÆSTIO PRIMA.

Immunitas Eccleſiaſtica eſt de jure Divino.

SUMMARIUM.

1 *Eccleſia, Eccleſiaſticæque perſonæ, eorúmque bona, ex jure divino ſunt immunes, ac liberæ à poteſtate ſæculari.*

2 *Ita apertè indicant Pontifices, ac Concilia in ſuo modo loquendi.*

3 *Probatur ex facto Ioſeph, ac ex verbis Chriſti Domini cum D. Petro in ſolutione tributi.*

4 *Nec obſtat, ſi dicantur, quod aliqui Auctores negent eſſe de jure divino, quia multo plures Auctores ſtant pro noſtra ſententia, & oppoſitam gravi cenſura afficiunt.*

Saltem negari non poteſt, quod hæc noſtra ſententia radicaliter eſt de iure divino. Ibid.

5 *Eccleſia ex jure divino habet poteſtatem acquirendi bona, & oblationes ad ſui fabricam, ac ſuſtentationem ſuorum miniſtrorum.*

1. IMMUNITAS Eccleſiæ tam in perſonis ſuis Eccleſiaſticis, quam in ejus bonis eſt de jure divino, ut eſt communis ſatis ſententia. Almainus *de Eccleſiæ poteſtate, c.*8. Bellarm. *lib.* 1. *de Clericis, c.*28. *propoſit.* 5. & *c.* 29. Suarez *contra Regem Angliæ, lib.* 4. *c.*9. Clavis Regia *lib.* 12. *c.*8. *n.*6 & alii multi apud ipſos. Et ex Canoniſtis multi, quos citant, ac ſequuntur Rolandus *to.*2. *conſil.* 23. *n.*18. Farinac. *de Inquiſitione, q.*8 *n.*2. Et pro hac ſententia pluſquam triginta Auctores referunt Cevallos *communes contra communes, tom.*4. *quæſt.* 510. Diana *to.*1. *tract.* 1. *de immunitate Eccleſiæ, Reſolut.* 1 & pro hac ſententia multa, & magna adducunt fundamenta.

Almain. Bellarm. Suarez. Clavis Reg. Roland. Farinac. Cevallos. Diana.

2. Et maximè probatur ex modo loquendi Sacrorum Conciliorum Colonienſe 1. *p. c* 20. ait: *Quod talis immunitas jure pariter divino, ac humano introducta eſt, & cap. Nequam, de cenſibus in* 6. ubi ait Bonifacius VIII. *Eccleſiæ, Eccleſiaſticæ perſonæ, ac res ipſarum, non ſolum jure humano, quin imo & divino à ſæcularium poteſtate ſunt immunes.* Et Concilium Trident. *ſeſſ* 25. *cap.* 20. *de reformatione* ait: *Eccleſiæ, & perſonarum Eccleſiaſticarum immunitas Dei ordinatione, & Canonicis ſanctionibus conſtituta eſt.* Et ita communiter loquuntur alia Concilia, de quo latè egi *in meo tractatu de immunitate Eccleſiæ* § 1.

Conc. Col. Bonif. VIII. Triden.

3. Deducitur ex multis locis Sacræ Scripturæ. Nam Ioſeph fecit omnem terram tributariam Pharaoni. *Præter terram ſacerdotalem.* Gen. 47. n. 22. cum exactores tributi Petrum interrogaſſent. Matth. 7. num. 23 *Magiſter veſter non ſolvit didrachma.* Chriſtus poſtea ut Petrum, in quo repræſentabatur tota Eccleſia, inſtrueret, interrogat. *Reges terræ, à quibus accipiunt tributum, vel cenſum, à filiis ſuis, an ab alienis.* Reſpondet Petrus *ab alienis.* Inde infert Chriſtus, *ergo liberi ſunt filii, ut autem non ſcandalizemus eos, vade ad mare, &c. invenies ſtaterem, illum ſumens da eis pro me, & te* Jubet Dominus dare pro ſe, & Petro, non quia debebant, ut perperā dicunt Hæretici, *Sed ne ſcandalizemus eos*, ad evitandum nempe ſcandalum ut advertit D. Ambroſius *in Annotationibus ad Exod. cap.* 3. & ait, *Non debebat filius Dei, non debebat Petrus, ſed ne ſcandalizemus, da eis pro me, & te.* Et rectè notat Gloſſa, ut expendi *tom.*4. *in Evang. c.*9 *q.*11. *n.*98. Quod eandem monetā, ſeu ſtaterem jubet Chriſtus dare pro ſe, & Petro, ut ſummam unionem cum eo denotaret, & Chriſtus erat liber à tributo, utpote verus filius, ut ipſemet Dominus dixit: *Ergo liberi ſunt filii* Et Petrus, in quo repræſentabatur ſtatus Eccleſiaſticus, omnéſque Eccleſiaſtici, ut vocati in peculiarem ſortē Dei; & quia Chriſtus Dominus dixerat Petro, *Vade da eis pro me, & te.* Intellexerunt Sacri Apoſtoli in Petro eſſe majorem aliquam excellentiam, ut notant D. Chryſoſt. D. Hieron. D. Remigius, D. Paſchaſ. nam ob hanc cauſam immediatè dixerunt Apoſtoli, *In illa hora acceſſerunt Diſcipuli ad IESVM, quis putas major eſt in regno cœlorum.* Matth. 18. n. 1. ut latè expendi *tom.*4. *in Evang cap.* 10. *q.*4.

Gloſſa. Tomus 4. D. Chryſ. D. Hieron. D. Remig. D. Paſchaſ. Matth. 18.

Dicent aliqui, quod quamvis noſtra ſententia ſit communium Auctorum, tamen multi Auctores tenent, quod non ſit de jure divino, ſed humano. Sed contra pro noſtra ſententia multo plures Auctores pugnant, ut tenent Cevallos, & Diana *citati*, qui pluſquam quinquaginta Auctores referunt, ex quibus multi oppoſitam ſententiā gravi cenſura afficiunt, utpote contra communem modum loquendi Summorum Pontificum, ac Conciliorum, ut videre eſt apud Farinac. *to.*1. *q.*8. *n.*2. Deinde ipſimet Auctores contrarii, ut notant Cevallos *in Defenſorio ad Regiam maieſtatem, à q.*899. *n.*107. Bellarm. *lib.*2. *de Clericis c.*28. 29. & 39. Suar. *lib.*4. *contra Regem Anglum, cap.*9. *n* 6. Layman *in Theologia Morali, lib.*4. *tract.*9. *cap.*8. *n.* 1. fatentur Romanum Pontificem habere poteſtatem immediatè datam à Chriſto. *Quodcunque ligaveris ſuper terram.* Eximendi Eccleſiaſticos, eorúmque bona à poteſtate ſæculari, atqui de facto illa exemit, ut conſtabit ex quæſtione ſequenti, ergo ſaltem radicaliter illa omnia ex jure divino ſunt exempta.

4. Diana. Farinac. Cevallos. Bellarm. Suarez. Layman.

Confirmatur, quia Eccleſia ex iure divino, ac naturali habet poteſtatem acquirendi bona temporalia, oblationes, ac donationes fidelium ad ſui fabricam, ac ſuſtentationem ſuorum Miniſtrorum. Vt colligitur ex *cap. ultim.* 10. *q.*1. & ex *cap.*1. & *cap.*3 *Pervenit* 16. *q.*7. & docent D. Thomas 2. 2. *q.*86. *art.*2. *q.*87. *n.*3. Alenſ. 3. *p. q* 53. *membr.*2 Covar. *lib.*1. *variar. cap.*17. Gutier. *lib.*2. *quæſtionum Canonicarum, cap.*21. Henriq. *quodlib.*4. *q.*28.

5.

Quæstio II.

Immunitas Eccleſiaſtica in omni Regno eſt de jure Canonico, & ſolvuntur argumenta cuiuſdam Recentioris.

SUMMARIUM.

6 *Immunitas Eccleſiaſtica eſt expreſſa de iure Canonico.*
7 *Multis locis iuris probatur, & n.* 8.
9 *Probatur ex factis multorum Pontificum.*
10 *Primum argumentum fundatur in falſa præſumptione, quod Eccleſia habeat multa bona, & n.*11.
12 *Et dato, quod bonis Eccleſiæ ſit Reſpublica extenuata, recurrendum eſt ad Pontificem.*
13 *Secundum argumentum reiicitur, nam facere legem, quod ſubditi non relinquant bona ſua Eccleſiæ, eſt contra Sacros Canones, & damnavit Paulus V. contra Venetianos, n.*14. *&* 15.
16 *In lege poſitum, ut bona quæ veniunt Eccleſiæ intra annum, vendantur, irrita eſt, & nulla.*
17 *Homines particulares in ſuis bonis poſſunt ponere conditionem, ne eorum bona tranſeant ad Eccleſiam, de eis non loquuntur leges, ſicut de Principibus, & num.* 18. *&* 19.
20 *Quartum argumentum de aliquibus Regibus, qui ſanguine, ac armis comparaverunt regna hoc eſt commune omnibus ferè Regibus Chriſtianis, & n.*21.
22 *Indeformatur argumentum pro noſtra ſententia ex prædicatione Evangelica.*

6. LEx, quæ prohibet ne Eccleſia valeat habere bona immobilia, ac data recipere, evidenter pugnat cum jure Canonico, Bartol. Hoſtienſ. Archidiac. Vgolinus, Alexander, Menoch. Mattha, & alii multi, quos citant, ac ſequuntur Barboſa *in Collectanea ad lib.* 1. *Decretal tit. cap Eccleſia Sanct. Mariæ de Conſtit. n.* 2. Surdus *lib.* 3. *conſil.* 301. *n.*67. Cevallos *tom.*4 *communes contra communes, quæſt.*889. Ægidius Luſitan. *lib.*8. *Codic. de Sacroſanctis Eccleſiis, part* 5 §.2. *num.*111. & hi ultimi quatuor Auctores tenent legem Portugalliæ diſponentem, quod Eccleſia non valeat comparare bona immobilia ultra annum, eſſe contra jus Canonicum, ac proinde aliquo privilegio Apoſtolico, munienda ſit.

Bartol. Hoſtienſ. Archidiac. Vgolin. Alexand. Menoch. Barboſa. Cevallos. Ægid. ſi Lut.

7. Probatur. Primò, quia Principes ſæculares non poſſunt facere leges, ne ſubditi bona ſua Eccleſiis relinquant, nec quod Eccleſia ea valeat comparare, ac poſſidere, *cap.* 1. *de immunitate, in C.* Ubi Summus Pontifex Alexander IV. diſponit: *Ne liceat Principibus ſæcularibus ipſas Eccleſias & perſonas Eccleſiaſticas, ad diſtrahendum, vel alienandum, aut extra manum ſuam ponendum acquiſita, vel quæ deinceps acquirent aliquatenus coarctare.* Et idem determinavit Concilium Chalcedonenſe *cap. Bene quidem, diſtinct.* 6 & idem præcipitur ſub pœna excommunicationis *cap. finali, de immunitate, in* 6. quod latè probat multis Auctoribus adductis Navar. *lib.* 3. *conſil. de immunitate Eccleſiæ, conſil* 2. & ſubdit, quod illi, qui talia intendunt exequi nullo modo poſſunt cenſura eximi.

Alex. IV. Concil. Chalced.

8. Probatur ſecundò, quia omnes leges editæ à Principibus ſæcularibus contra libertatem Eccleſiæ, ſunt nullæ, nulliúſque valoris, nullo modo poſſunt executioni dari, *cap. Adverſus, de immunitate Eccleſiæ, cap. Sancta Maria, de Conſtitut. cap. Decernimus de judiciis, cap. Finali, de rebus Eccleſiæ non alienandis, cap Noverit, de ſententia excommunicationis, cap Sacroſanctæ, de elect. cap. Bene quidem, diſt.* 96. *Authentica caſſa, & irrita, Codi. de Sacroſanct. Eccleſ.* & latè probant Gloſſa, Filinus, Abbas, Angelus, Paulus Caſtrenſis, Julius Clarus, Ioannes Andreas, & alii multi, quos citant, ac ſequuntur Barboſa *ad cap. Sanct. Maria.* Fagnanus *de juſta ſententia Pauli V. contra Venetios, part.* 3. *fol.* 42. Surdus *de immunitate, titul.* 2. *quæſt.* 15. *num* 61. Ægidius Luſitan. *lib.* 1. *Cod. de Sacroſanct. part.* 5. §. 2. *num.* 3. & contrarium magnis cenſuris prohibetur in Bulla Cœnæ *cap.* 18. & Concilium Tridentinum *ſeſſ.* 22. *cap.* 11. *de reform.* & *ſeſſ.* 25. *cap.* 20. *de reformat.*

Gloſſa. Filinus. Abbas. Angelus. Caſtrenſ. Clarus. Andreas. Barboſa. Navar. Surdus. Ægid. Bulla Cœn. Trident.

9. Probatur tertiò, ex factis. Cum Henriquez Imperator feciſſet legem, ne ſæculares relinquerent bona ſua Eccleſiis, eum gravitèr redarguit Innocentius III. & ſub anathemate legem antiquare fecit, ſubdens, *Cum hujuſmodi conſtitutio tam divinis, quam humanis ſit legibus inimica.* Anno 1210. refert Abrahamus Bzovius *eodem anno, num.* 4. ſimilem legem fecit Imperator Theodoſius, cum videret Rempublicam pauperem, & bona Eccleſiæ multum creſcere, quam legem, utpote contra libertatem Eccleſiæ revocare fecit. D. Ambroſius refert *l.* 27. *&* 28. *Codice Theodoſiano.* Et etiam refert Baronius *anno* 390. *num.*9. & cum Venetiani anno 160. ſimilem legem feciſſent, eam condemnavit, reprobavit, ac annullavit Paulus V. utpote contra libertatē Eccleſiæ, ac Sacros Canones, ut multis documentis referunt citatus Fagnanus, & noſter Carmelita Fr. Marcus de Guadalaxara *Hiſtoria Pontificali, 5. lib.* 2. *part.* 2. *c.* 1. *&* 2. *in*

Bzovius. D. Ambr. Paulus V. Fagnanus. Guadal.

Ponuntur argumenta cuiuſdam recentioris.

10. Sic argumentatur. Princeps ob bonum communē ſuæ Reipublicæ, abſque ullo odio in Eccleſiam poteſt facere legem ex convenienti ratione, ut ejus ſubditi ſua bona non relinquant Eccleſiis, ac Monaſteriis, ut tenent Tiraquell. Calder. Aymon, Alciatus, Covar. quos citant Caldas Pereira *ad tit. empt. & vendit. n* 36. Cabedo 2. *part. deciſion.* 115. Cum ergo in multis partibus redditus Eccleſiarum, ac Monaſteriorum ſint valdè pingues, & largiter ſufficiant ad ſuſtentationem, & aliunde Reſpublica ſit debilitata, ac extenuata in bonis, videtur conveniens, quod Princeps ponat limitem in acquirendis bonis ab Eccleſia.

Tiraquel. Calderin. Aymon. Alciatus. Covar. Cald. Berer. Cabedo.

11. Reſpondetur, quod argumentum nullam vim habet. Primò, ut argumentatur Cardin. Bellarmin. *contra Venetianos.* Talis lex non eſt neceſſaria ad conſervationem Reipublicæ, nec

Bellarm.

nec in Italia, nec Germania, nec Gallia, nec in Hispania, ergo nec in illo Regno; inde infert Cardinalis Bellarm. quod sit de jure Gentium, ac omnium nationū non prohibere Ecclesiis, ut valeant bona comparare. Secundò, falsum est id, quod dicitur nempe, quod Ecclesiæ, ac Monasteria, in Italia, Gallia, ac Hispania sint valdè opulenta, & multis abundent: nam ordinariè loquendo sūt in magna paupertate, & multis indigēt, & Monasteria multas necessitates sustinēt, ut facta bona inquisitione constabit; & lex, quæ fundatur in falsa præsumptione, falsa, & nulla est, ut tenet communiter Baldus, Panormitanus, Filinus, Navarrus, Covar. & alij innumeri, quos citant, ac sequuntur Soto *lib. 1. q. 6. art. & in 4. dist. 22. q. 1. art. 3.* Suar. *3. de leg. cap. 23. n. 9.* Clavis Regia *lib. 3. cap. 7. num. 8.* Lorca *de leg. disp. 21. ad finem.*

Panormit. Felin. Navarr. Covar. Soto. Suar. Clavis Reg. Lorca.

12. Secundò, dato casu argumenti, quod Respublica minuatur, cum bonis, quæ ab Ecclesia acquiruntur, nunquam Principibus licet talia statuta facere, sed debent recurrere ad Romanum Pontificem, ei suas rationes exponendo, ut docent Paulus Castrensis *l. fin. Codic. de Sacrosancta Eccles. num. 6.* Angelus *l. filius familias. §. Divi, ff. de legatis, 1.* Iulius Clarus *lib. 5. Receptar, §. finali, quæst. 82.* Bellarminus *lib. 1. de Clericis, cap. 27.* Cevallos *communes contra communes, quæst. 899.* Et hæc doctrina procedit in tam vehementi casu, quod etiam in gravi necessitate, si ipsa temporis spatiū concedat Princeps sæcularis non potest sine recursu ad Pōtificem, impedire, ac sumere bona Ecclesiastica; ut docent idem Cevallos *citata, quæst. num. 193.* Mathesilan. *singular. 110. nu. 8.* Surdus *de Alimentis, tit. 2. quæst: 15. n. 61.* Lapus *allegat. 92. num. 7.* Suarez *contra Reg. Angliæ, cap. 36. num. 6. &* 8. Valenzuel. *contra Venet. op. 11. &* 47. Auctores vero allegati in argumento pro contraria sententia loquuntur in casu dispari, ut notat Ægidius Lusit. *n. 7.* & videntur significare de hac re supplicandum esse à Pontifice.

Paul. Castr. Angelus. Clarus. Bellarm. Cevallos. Cevallos. Mathesil. Surdus. Lapus. Suar. Valenzuel. Ægid.

13. Secundò, sic argumentatur. Non repugnat libertari Ecclesiæ, quod Princeps faciat legem, qua prohibeat, ne subditi sui relinquant sua bona Ecclesiis: nam talia bona sunt in manu, ac potestate sæculariū, ac proinde sunt subiecta Principi, ac ejus legi. Deinde Princeps potest facere legem, quod si ejus subditi velint relinquere bona sua Ecclesiis hoc valeant facere, ea tamen conditione, ut Ecclesia talia bona intra certum temporis spatium, verbi gratiā, intra annum, vendat, seu à se aliena faciat: nam talia bona trāseunt ad Ecclesiam affecta hoc onere, & inde videtur, quod Ecclesia sit astricta ad tale onus quod videtur desumi ex *l, si convenerint, 8. §. si fundus, ff. de pignor: & act.* & ex *l. si debitor 12. Cod. de distract. pignor.* Bartol. *l. Rescripto, §. sciendum, n. 5. ff. muner: & honor.* Iason *l. Placet, Cod. de Sacrosanct. Eccles. n. 71.* Baldus, Decius, Guillelmus, Valascus, Caldas Pereira, quos refert Gabriel Pereira *manu Regia, cap. 67. n. 16.* & hoc argumentum existimat habere magnam vim.

Bartol. Iason. Baldus. Decius. Guillelm. Valasus. Cald. Pereir.

14. Argumentum nullius est valoris, ac momenti apud nos Catholicos Romanos: nam totum quod assumit, est contra sacros Canones, ac Decreta Romanorum Pontificum: nam quod ait, etsi repugnat libertati Ecclesiasticæ, facere legem, ut dimittant bona acquisita, non tamen repugnat tali libertati facere legem, ne amplius alia bona acquirat. Hoc apertè contrariatur *cap. de immunitate Ecclesiæ* ubi expressè Alexander IV. ut jam retuli *supra, n. 7.* prohibet, ne Principes faciant legem, qua prohibeant, ut Ecclesia non habeat *bona jam acquisita, vel deinceps acquirenda.* Nota verbum *Deinceps acquirenda.* Et *cap. finali eodem Titulo*, ubi sub pœna excommunicationis prohibentur Principes edere legem, qua cogantur Ecclesiastici *bona obtenta vendere, vel emere de futuro.* Et in hac consequentia procedunt omnes Textus adducti primo, & secundo fundamento.

Alex. IV.

15. Id verò quod ait, quod Principes possunt facere legem, ne subditi sui relinquant bona sua Ecclesiis, hoc expresse repugnat cum citatis textibus; & talem legem fecit Henricus Imperator, ut jam dixi *supra, n. 9.* eam damnavit Innoc. III. & sub censuris eā fecit revocare. Similem legē fecit Theodosius Imperator, & D. Ambros. eum coēgit talem legem revocare, & hac nostra ætate similem legem fecerunt Venetiani, & Summus Pontifex Paul. V. eam damnavit. Venetiani fecerūt legem contra libertatem Ecclesiæ, quæ quinque capita habebat, ad quæ omnia reducebantur: & Tertium Caput erat, ne ejus subditi relinquerent bona sua Ecclesiis, quæ res magnam controversiam excitavit inter Sanctam Sedem Apostolicam, ac illustrem Rempublicam Venetam, & multis factis tractationibus cum Viris Doctissimis, ac Vniversitatibus Salamanticæ, Complutensi, Parisiorum judicatum fuit unanimi consensu talem legem esse contra Sacros Canones, ac libertatem Ecclesiæ, & sic talem legem reprobavit, damnavit Paulus V. & Venetiani compulsi sunt censuris talem legem revocare, ut tanquam filij obedientes Ecclesiæ fecerunt per publicum edictum die 22. Augusti anno 1607. ut referunt noster Carmelita Guadalajara *in Historia Pontificali, 5. part. lib. 3. cap. 1. §. En averrecebido* Fagnanus *de justa sententia Pauli V. contra Venet. part. 3. fol. 41. &* 42.

Innoc. III. D. Ambr. Paul. V. Guadalajar. Fagnanus.

16. Ad id verò quod ait, quod talia bona transeunt ad Ecclesiā cum illo onere, ut intra tale tempus vendātur, & alienentur, tale onus non ponitur in illis bonis prout sunt in manu sæculariū, sed in manu Ecclesiasticorum, ut bene notat Fragosus *de potestate Ecclesiæ, part. 2. cap. 6. num. 22.* Deinde hoc apertè repugnat cum *cap. 1. de immunitate*; ubi Alēx IV. *Ne liceat Principibus sæcularibus ipsas Ecclesias, & personas Ecclesiasticas, ad distrahendum, vel alienandum, aut extra manum suam ponendum acquisita, vel quæ deinceps acquirent*; & hæc, & similia sunt quædam fraudulentia contra Sacros Canones, quæ maximè reprobantur *c. Quanto, de Privil.* & latè probant Panorm. Bartol. *l. filiifamilias, §. Divi ff. de legatis 1. n. 12.* Alexander *volum. 2. consil. 211. n. 7.* Suarez *contra Reg. Anglia, lib. 4. c. 33. n. 6.* Mattha *de jurisdict. part. 4. centur. 1. cas. 6. n. 16.* Durandus *in Bulla Cœnæ, lib. 2. Can. 15. q. 19. num. 83.* Ægidius Lusitan. *lib. 1. Cod. de Sacrosanct. Ecclesia, part. 5. §. 2. num. 4.*

Alex. IV. Panorm. Bartol. Alexand. Suar. Mattha. Durand. Ægid. Lusit.

17. Argumentantur tertio particulares homines Reipublicæ abſque eo, quod contradicãt libertati Eccleſiaſticæ, & abſque ulla licentia Romani Pontificis, poſſunt diſponere de rebus ſuis, ſive in teſtamento, ſive in donationibus, clauſula appoſita, ut nunquam hujſmodi bona, ad Eccleſiam, ſeu Monaſteria, ſeu perſonas Eccleſiaſticas deveniant, ut de facto dantur multi majoratus in Hiſpania, ac Portugallia, tali conditione affixa, & talis donatio, ſeu inſtitutio eſt valida cum ſit facta abſque odio Eccleſiæ, ut tenet Covar. *lib. 1. Reſolu. cap. 1.* D. cius *conſ. 426.* Rippa *l. ex facto §. ſi quis Rogatus ff ad Trebellian. num. 38.* Fernandus Arias *l. 15. Tauri, n. 64.* Rubius *in Repetitis, Rubrica de donation. inter virum, & vxorem, §. 16. num. 4.* Molina *to. 3. tract. 2 diſp. 27. ad fin.* ergo videtur etiam quod Princeps abſque eo, quod contradicat Eccleſiæ libertati ſine licentia Summi Pontificis poteſt prohibere ne bona immobilia veniant ad Eccleſiam.

Covarr. Decius. Rippa. Arias. Rubius. Molina.

18. Reſpondetur primò, quod non valet argumentum de caſu comprehenſo in lege, ad caſum in illa non contentum, & maxime in materia odioſa, ut latè probat Filinus *in Proœmio Decreti.* Anton. Gomez *in §. ex maleficiis, n. 13. inſtituta de action. omnium Iudicum, n. 47.* Franciſcus Coſcius *repetitione in Capitulum Tranſlato, n. 50.* Caſtro *lib. 1. de poteſtate legis, cap. 71. documento 3.* Rebellus *de obligatione Iuſti. lib. 1. p. 1. q. 6. & 7.* Clavis Regia *lib. 3. c. 8.* Salas *diſp. 21. ſect. 13.* Sacri autem Canones diſtrictè, ac expreſsè præcipiunt, ne Principes, ac Magiſtratus ſæculares impediant Eccleſias acquirere bona, nec etiam impediant, ut eorum ſubditi ſua bona relinquant Eccleſiis, inde non eſt formandum argumentum ad homines particulares, de quibus leges non loquuntur. Sit exemplum *cap. finali, de immunitate, in 6.* ſub pœna excommunicationis mandatur Principibus, ac Magiſtratibus, ne ita diſponant, ut ſui ſubditi Clericis, aut perſonis Eccleſiaſticis non vendant aliquid, nec molant triticum, nec panem coquant, & tamen ſi homo particulari, hoc præſtiterit, & noluerit aliquid vendere Clerico in nullam cenſuram incidit, cum de ipſo lex non loquatur.

19. Deinde eſt diſpar ratio in Principe, ac in homine particulari: nam homo particularis habet plenarium dominium ſuorum bonorum, ut ad ſui beneplacitum valeat de eis diſponere, niſi interveniat aliqua lex repugnans, & ideo Pater non poteſt filium privare ab hæreditate, ut cum multis notat Molina *de Primogenit. cap. 13.* At vero Princeps habet altum, & ſublime dominium in ipſis bonis prout reſpiciunt bonum commune Reipublicæ, illiuſque membrorum, atqui Clerici, & Religioſi (quamvis habeant aliquas exemptiones) ſunt Reipublicæ membra, & inde eis fit magna injuria, ac gravamen, ſi priventur ſuo jure, ac ab acquirendis bonis, quæ eis obveniunt, vel ad eos pertinent, ut tenent Decius *cap Eccleſia Sanct. Mariæ de Conſtitut. num. 3.* Caſſanatus *de conſuetud. Burgundiæ, §. 10.* Alexander *volum. 2. conſil. 211. num. 7.* Ægid. *Luſitan. leg. 1. de Sacroſanct. Eccleſ p. 5. §. 2.* & alij.

Molina. Decius. Caſſanatus. Alexand. Ægid.

Quartò, argumentatur Caldas Pereira *ad titulum emption. ac venditionis, cap. 18. num. 35.* quod Reges Portugalliæ ſuum Regnum, illiuſque terras acquiſiverunt, ac comparaverunt, armis, & ſanguine; & hac de cauſa majorem, & ampliorem habent juriſdictionem tanquam datam à Summis Pontificibus, quam cæteris Principes. 20. Caldas.

Hoc argumentum nihil probat, nam quamvis Summi Pontifices magna liberalitate multa conceſſerint Sereniſſimis Regibus Portugalliæ ob eorum eximium zelum in fidem Catholicam, non inde ſequitur quod ipſi valeant facere legem prohibentem, ut ſubditi eorum ne relinquant bona ſua Eccleſiis abſque privilegio Apoſtolico. Secundò, id quod aſſumit in argumento militat in omnibus ferè Regibus, ac Principibus Chriſtianis ferè omnes omnia regna ſua comparaverunt armis, & ſanguine; ſic Reges Caſtellæ, Aragoniæ, ac Barcellonæ fortiter pugnaverunt contra Maurorum exercitus, qui aliquando fuerunt tam copioſi, ut eſſent ferè ducenta millia hominum, & ſæpè viſus eſt D. Iacobus Apoſtolus in equo candido diſtricto gladio pugnans pro Chriſtianis, quæ magnæ victoriæ in multis Hiſpaniarum Eccleſiis celebrantur. Hiſtoria generalis Hiſpaniæ *folio 308. n. 44.* & *fol. 632. n. 34.* Sic & Germaniæ Imperatores magnis, ac duriſſimis bellis contra infideles, ut videre eſt ex Conſtantino Magno uſque ad præſens tempus apud Baronium, & Abrahamum Bozium, ſic & Sereniſſimi Reges Galliæ perpetua pugna contra Hæreticos, & Infideles, & Sereniſſimus Rex Ludovicus XIII. an. 1622. magno exercitu, magnáque obſidione mari, terráque expugnavit, ac devicit Arrochelam, ſentinam, ac receptaculum omnium Hæreticorum, per tot annorum ſæcula inexpugnabile, eámque ſubjugavit ad Eccleſiam Catholicam, ſic & Sereniſſimi Reges Poloniæ, Vngariæ, ut patet ex eorum Annalibus, & referunt per ſingula tempora Baronius, Bozeius, Gadalaixa. 21. D. Iacob. Hiſtor. Hiſp. Baron. Bozius. Lud. XIII. Gadalaixa.

Ex quibus validum formo argumentum contra adverſarios. Infideles in ſuis bonis, & terris habent legitimum jus, & dominium, à quo non poſſunt expoliari à Principibus Catholicis, niſi titulo prædicationis Evangelicæ: nam Chriſtus Dominus dedit hanc poteſtatem ſuæ Eccleſiæ prædicandi Evangeliũ in toto orbe, ſic enim ipſe dixit ſuis Apoſtolis, Marc. 16. n. 15. *Euntes in mundũ univerſum prædicate Evangelium omni creaturæ.* Cum autem Mauri, ac Infideles nollent admittere prædicatores Evangelicos, inde Reges, ac Principes Chriſtiani tanquam miniſtri Eccleſiæ Dei, ex poteſtate ei facta à Chriſto Domino habent jus, ut Reges Infideles valeant expoliare, ac ejicere à ſuo Regno, ac dominatione, ut prædicatores Evãgelii introducantur, & ab omni moleſtia, injuria, ac gravamine cuſtodiantur. Et hæc eſt communis ſententia Theologorum. Ita Caietan. 2. 2. *q* 10. *art.* 8. Maior *in 2. diſtinct. 44. quæſt. 3.* Soto *in 4. diſt. 5. quæſt. unica, artic.* 10. Victoria *Relect. 1. de indiſc. 2. part. num. 2.* Suarez *de fide, diſp. 18. ſect. 3. n. 7. & 8.* quod optimè colligunt *cap. Scitur. q. 8.* Si ergo regnum comparatũ, ac acquiſitũ fuit titulo miniſtrorum Evangelii, quo 22. Caietan. Maior. Soto Victoria. Suar.

quomodo ergo fieri poteſt, ut ipſi miniſtri Evangelici priventur debita, ac convenienti ſuſtentatione ex ipſo regno, quod eorum intuitu fuit obtentum; nec valet dicere ut annis elapſis aliqui dixerunt, quod ad talem ſuſtentationem ſufficit ſtipendium Miſſæ, quod eſt valdè tenue, & maximè hodie, cum res uſuales magno pretio excreverint.

23. Gabriel. Pereira. His, & aliis fundamentis Gabriel Pereira *manu Regia, tom. 1. cap. 67. n. 9.* intendit probare legem Portugaliæ prohibentem, ne Eccleſia aliqua bona immobilia denuo acquirat ſine Regis licentia non eſſe contrariam iuri Canonico, nec ſacris Canonibus repugnare, & cum non potuiſſet habere patrocinium in aliquo textu ad ejus patrocinium ad aliquas rationes, ac congruentias frivolas, recurrit, indeque meritò contra ipſum inſurgunt, ac graviter arguunt Diana *to 2. tract. 2. de immunitate Eccleſiæ, Reſol. 13.* Anguianus *de legibus, diſput. 32. ſect. 3. n. 2.* Fragoſus *de poteſtate Eccleſiæ, part. 2. cap 6. num. 2.* Fagnan. Valenſuela, Ægydius Luſitant. *cit.* & cum ego eſſem procurator Apoſtolicus, ad immunitates Eccleſiaſticas in Regali Curia Madriti an. 1636. mihi ſæpè dictum fuit à Viris Doctiſſimis, ac profeſſoribus utriuſque juris in Academia Salmanticenſi, ac Complutenſi non eſſe conterendum tempus, nam evidenter lex erat contra jus Canonicum, ſolum de privilegio Apoſtolico an daretur, erat tractandum, & inquirendum.

Diana. Angian. Fragoſus. Fagnan. Valenſuela. Ægid. Luſit.

QUÆSTIO III.

De lege Portugalliæ prohibente ne bona immobilia comparentur ab Eccleſia ultra annum ſine Regis licentia?

SUMMARIUM.

24 *Motivum ſcribendi hunc tractatum.*

25 *Regis Portugalliæ utraque manus dextera & Rex Sebaſtianus filius obedientiſſimus Eccleſiæ vult nominari.*

26 *Reges Portugalliæ ſummo zelo ad fidem Catholicam propagandam.*

27 *Luſitani euntes in Indiam, prædicantes Chriſti fidem miſſi à Regibus Portugalliæ vaticinantur ab Iſaia.*

Epiſtolæ, quas Reges Portugalliæ mittebant in Indiam ad gubernatores, ad propagandam fidem vaticinantur ab Iſaia Propheta, ibid.

28 *Reges Portugalliæ maximè ſolliciti de bono ſui Regni.*

29 *Alphonſus Rex fecit legem de bonis denuo non acquirendis ab Eccleſia, reprobat Honorius III.*

30 *Sanchius perſiſtit, & deponitur è Regno.*

31 *Alphonſus Gomez Bolonia, creatur Regni Gubernator poſtea factus Rex juramento, non ſtat, & n. 32. & 33.*

34 *Moritur Rex, Alphonſus inſigni pietate, ac obedientiâ in Eccleſiam Catholicam, quam ſemper habuerant Reges Portugalliæ, & num. 35.*

36 *Dionyſius Rex facit concordiam cum Papa Nicolao IV. & numero 37. & 38.*

39 *Vrbanus VIII. ſeverum diploma dat in hac re.*

40 *Maximè laudandus Rex Ioannes IV. ob ſummam ejus obedientiam in Eccleſiam Catholicam, & n. 41.*

24. CVm hæc lex eſſet jam valdè à tempore antiquo, & ejus exequutio quieſceret, tamen magno ardore res renovata eſt anno 1635. uſque ad annum 1639. cum multa bona ab Eccleſia auferrentur, generoſo, ac forti animo reſiſtit vir illi præclariſſimus Apoſtolicus Illuſtriſſimus Dom. Alexander Caſtracani Eſpicopus de Nicaſtro Apoſtolicus collector Regni, cenſuris impoſitis, multis habitis conſultationibus, tandem viſum eſt, ut Apoſtolicus Procurator de hac remitteretur ad Regalem Curiam *Madriti*, & factâ conſultatione cum Prælatis Religionum, ego omnium minimus ad tantum negotium fui electus, & multis mihi datis monumentis tam ex Archivio Romano Vaticano, quam ex Archivio Vlyſipponenſi, vulgò *Torre de Tombo*, quam ex Archivio ſanctæ Sedis Bracharenſis, ac Vlyſipponenſis edidi amplum tractatū cùm viginti duobus Brevibus Apoſtolicis, qui tractatus manuſcriptus habetur in noſtra Bibliotheca Vlyſippon. & facit juſtum volumen, illiuſque facti ſunt pluſquam quadraginta tranſumpti manuſcripti ab omnibus ferè Religionibus, ac à multis viris doctis, hic tantum facio veluti quoddam reportorium tam de his, quæ in hac re contigerunt, quam de Brevibus Apoſtolicis circa hanc materiam editis à Romanis Pontificibus, notatis locis, ubi habentur, & videri poſſunt, nihil de meo addens, ut ita inſerviam multis viris doctis, ut apprimè ſciant, & agnoſcant veritatem; cætera verò, rationes, fundamenta, ac ſolutiones adverſariorum, remitto, ad meum tractatum.

Alexander. Caſtracani.

25. De noſtris ſereniſſimis Regibus Luſitaniæ dicam hic quod dixit Mag. D. Ambroſius de ſuo præclariſſimo Imperatore Theodoſio, qui veluti ſtrenuiſſimus Dux. *Quod utraque manu pro dextera utebatur.* Iudic. 3. num. 15. ſic & ille ſcilicet Theodoſius *una manus dextera erat ad cuſtodiendam, augendam, ac venerandam Eccleſiam. Altera manus illi dextera erat ad ſui imperii munimen cum benignitate, ac Clementia erga ſubditos.* Hac utraque manu dextra maximè inſigniti fuerunt noſtri Sereniſſimi Reges Portugalliæ, una manu dextera ad augendam, ac cuſtodiendam Eccleſiam Catholicam, eique in omnibus obediendum, quòd maximè, ac inſigniter apparet in Sereniſſimo noſtro Rege Sebaſtiano, qui primus inter omnes Reges Reipublicæ Chriſtianæ extitit, qui in publico conſiſtorio Vlyſippone facto, & publico iuramento præſtito Sacrum Concilium Tidentinum acceptavit, ejuſque obſervantiam ab eo in omnibus habendum, ſicque edicto Regio præcepit per totum Regnū publicari; ut ab omnibus maximè ita obſervaretur, cujus rei cauſa Pius V. Summus Pontifex ei multū gratulatur quodam indulto, ac Brevi, *Chariſſime in Chriſto* datum die 5. Ianuarii 1670. & inde ipſe Pontifex per Epiſt. quærit à noſtro Rege Sebaſtiano ob tot

D. Ambroſ. Iudic. 3. Sebaſtianus. Pius V.

merita in Eccleſiam Catholicam, quoniam agnomine velle inſigniri; nam Reges Hiſpaniarum Catholici Gallorum Chriſtianiſſimi dicebantur, reſpondet Sereniſſimus Rex, nulla alia nomenclatura ſe velle nominari, *niſi tantum filium obedientiſſimum Eccleſiæ.* Refert Vaſconcellos *de Regibus Portugalliæ.*

Vaſconcel. 26. Hæc fidei generoſitas ſemper maximè reſplenduit in noſtris Portugalliæ Regibus, ut in Sereniſſimis Principibus Emmanuele, ac Ioanne Tertio, qui frequenter ſcribebant ſuis gubernatoribus, ac Proregibus indiarum, ac Braſilienſium, ac aliarum partium, quod potius cogitarent de amplianda, ac dilatanda Chriſti fide, quam de ejus dominatione amplianda. Frequenterque dicebat Magnificus Ioannes Tertius ſe maximè eſſe ſo icitum in India, Braſilia, cæteriſque partibus debellandis, ac ſubjungandis, ut ibi omnium colla ſubmitterentur Eccleſiæ Romanæ, quam quod ſuo obtemperarent imperio, & ut ibi potius victricia Chriſti trophæa erigerentur, quam quod ſua vexilla ibi collocarentur, ut ſcribit Franciſcus de Andrade *in chronica de Rege Ioanne Tertio part. 2. cap. 15.* unde pleno ore, & alta voce noſtros Sereniſſimos Portugalliæ Reges dicam Miniſtros, & coadjutores Apoſtolorum, ait D. Auguſtin. lib. 3. confeſſionum cap. 4. *Qui Chriſti fidem ſeminant per orbem, miniſtri, ac coadjutores ſunt Apoſtolorum.* Tales fuerunt noſtri Sereniſſimi Reges; nam in Europa expulſis Mauris in Regnis Portugalliæ, & Algarbiorum, per ipſos nomen Chriſti eſt exaltatum; in Aſia ſexaginta duos Reges ad fidem Chriſti ſubjugarunt: ſic & in America, in Regno Braſiliæ per ſpatium 700. Leucarum gentes ad fidem Chriſti adduxerunt: in Africa, Septa, Tangere, Mazagam Chriſti nomen portaverunt; merito ergo noſtri Reges dicendi ſunt miniſtri, ac coadjutores Apoſtolorum ſecundum Divum Auguſtinum.

Ioannes III. Andrade. D. Auguſt

27. Imò noſtri Magnifici Reges Luſitani, in expeditione ad Indiam, videntur vocari ab Iſaïa Angeli veloces, ait Propheta c. 18. n. 1. *Væ terræ cymbalo alarum, quæ eſt trans flumina Æthyopiæ, qui mittit in mare legatos in vaſis papyri ſuper aquas. Ite Angeli veloces ad gentem convulſam, & laceratam ad populum terribilem.* De noſtris Luſitanis vaticinatur Iſaias, ut exponunt, ac interpretantur Rebellus, *de obligat. juſtitiæ lib. 18. quæſt. 23.* Ioannes Lucena *in vita Sancti Xaverii lib. 5. c. 21.* Peneda *de Rebus Salomonis lib. 4. cap. 14. §. 3.* Seraphinus Freites *de iuſto imperio Aſiatico c. 4. num. 8.* latè Malveda *lib. 13. de Antichriſto c. 12. §. cæterum pagina 131.* Solorzanus *de jure Indiarum, tom. 1. lib. 1. c. 15. num. 21.* ait Propheta, *væ terræ.* Forerius legit: *Heu terræ* nam *væ* in ſcriptura non ſemper ſignificat lamentationem, ſed etiam ut notant Sanchez, Cornelius, aliquando eſt verbum exhortationis ad Luſitanos, tanquam exhortans loquitur Propheta, & magna emphaſi appellat *terræ cymbalo alarum*; ſeu ut vertunt ſeptuaginta *Navium alarum.* Chaldæus; *in navibus de terra*, ac ſi dicat Propheta ô gens terræ Luſitanæ, valdè perita arte navigandi in navibus per mare, quarum velà ventis impulſa ſonitum cymbalorum imitantur, vel inter navigandum inſtar avium volantium perſtrepunt, ad hunc modum legunt Symanchus: *Sonitus alatus.* Vatablus, *innumbrantis alis.* Pagninus legit, *umbræ alarum*, quia navis dum extenſis velis navigat, quandam umbram, ac ſimilitudinem avium alarum refert. Subdit Propheta: quæ eſt *trans flumina Æthiopyæ*; nempe in valle remota, ac diſtanti regione, *mittit legatos in mare.* Dei impulſu, ac nutu *in vaſis papyri.* Talis enim dicebatur materia, quæ erat ſpecies quædam de junco, ex qua naves olim fiebant, ut tradunt Herodot *lib. 2.* Plinius *lib. 6. cap. 22. & lib. 7 cap. 53.* Strabus *lib. 17.* Solonius *c. 5. & 6.* & ſic canit Lucanus *lib. 4.*

Rebellus. Lucena. Beneda. Freites. Malveda. Solorzan. Foterius. Sanchez. Cornelius. Septuag. Chaldæus. Symanch. Vatabl. Pagn. Herodot. Plinus. Strabus. Solonius. Lucanus.

— *Sic cum tenet omnia Nilus.*

Conſeritur bibula Memphitis cymba papyro.

Ait Propheta *Mittit legatos in mare.* Ipſos nempe prædicatores Evangelicos, quos exhortans Iſaias ait. *Ite Angeli veloces.* Vos nempe prædicatores Luſitani. *Ite* tanquam Angeli veloces ad conculcandum tam longum maris ſpatium. Et cum ait, *mittit legatos in mare*: ad Reges Luſitaniæ dirigit ſermonem, qui ipſos prædicatores, tanquam Angeli ſuperiores mittebant. Et ubi noſtra vulgata habet *mittit in vaſis papyri* Septuaginta, & Regia legunt *Epiſtolas papyraceas* quas noſtri Reges mittebant ad Gubernatores Indiarum, ac Braſilienſium ad erradicandam idololatriam, & ad plantandam, dilatandam, ac propagandam Chriſti fidem. Et ſubdit text. *Ad gentem convulſam, & dilaceratam, & populum terribilem.* Vatablus in ſcholis, id eſt Indios, & quamvis Propheta eos non nominat, moribus tamen depingit. *Ad gentem convulſam.* Pagninus, *ad gentem expilatam*, ut pote omni dictamine, ac judicio naturali, nam bruta animalia, ut elephantes, ſimias pro Deo adorabant; *dilaceratam.* Pagnin. *gentem lineatam.* Forerius *gentem lineæ*, nam ob calorem terræ, veluti lacerata veſte, & linea, tanquam nudo corpore incedunt. *Populum terribilem.* Seu ut legunt ſeptuaginta *populum peſſimum.* Syriacus, *populum fœdum*; nam ita ille populus erat terribilis, peſſimus, ac fœdus, ut humanas carnes manducarent, humanum ſanguinem biberent, & illis paſcerentur. Sed lux Evangelica exorta per prædicatores Luſitanos, ita emutantur ut qui erant dæmonum mancipia, fiant filii Dei IESU CHRISTI, ac hæredes Regni cœlorum ex quibus quamplurimi præclariſſimi, ac ſanctiſſimi viri prodierunt: multi inclyto, ac illuſtri martyrio per varia tormentorum genera Laureati, alii in omni virtutum genere mirificè ſe exercentes floruerunt. Ita ut de quibuſdam faciat mentionem Martyrologium Romanum, ac aliquæ Sacræ Religiones de eis feſtum celebrant.

Septuag. Regia. Vatabl. Pagnin. Pagnin. Forerius. Septuag. Syriacus.

28. Alteram manum dexteram habuerunt noſtri Sereniſſimi Reges Portugalliæ erga ſuum Regnum, illud Deo favente ex poteſtate Sarracenorum magnis partis victoriis comparaverunt, præclaris triumphis ab invadentibus hoſtibus illud cuſtodierũt, valdè gloriosè debellantes omnes ejus adverſarios; indeque egreſſi victoricia Luſitanica trophæa, per omnes quatuor orbis partes portaverunt, ac gloriosè extulerũt. Unde Ioannes Freire inſignis Poëta

Preire.

Poëta loquens cum Luſitania obtinens quatuor orbis partes ſic canit.

Si plures eſſent potuiſſent vincere plures.
Non capitur brevibus gloria tanta locis.

Et in his, ac cæteris omnibus ſummam benignitatem, ac clementiam erga ſuos Vaſſallos declarantes, ac oſtendentes, ita ut diceret Rex Ioannes III. quod ſuos clientes, non ut ſubditos, ſed ut filios chariſſimos, ſemper habebat in corde, ut teſtatur Andrade de rebus Ioannis III. Hinc merito in ejus ſepulchro inter cætera ejus magnalia legitur, quod erat dictus *Pater patriæ*, tantoque amore, tantoque flagrabantur noſtri Sereniſſimi Reges erga ſuam patriam, ergaque ſuũ Regnum cumque iſtud Portugalliæ non eſſet multum amplum, nec dilatatum, timentes ne pietate fidelium omnia devolverentur ad Eccleſiam. Ioan.III.

29. Alphonſus ſecundus. Sereniſſimus Rex Alphonſus ſecundus condidit legem anno 1220. ne Eccleſia poſſet denuo emere aliquas poſſeſſiones, hoc tunc lex continebat, tũc Honorius III. Summus Pontifex per Epiſtolam ſuam paternaliter die 4. Ianuarij 1221. admonet Regem ut refertur in Monarchia Luſitan. 4. *part lib.* 13. *cap* 23. Pius Rex aliquorum miniſtrorum perſuaſione non acquievit, ut ſupponit Summus Pontifex, & ideo Honorius idem Tertius die 22. Decembris ejuſdem anni 1221. per ſuam bullam legem reprobat, cum alio brevi Illuſtriſſ. Regi habetur in Archivo Regio. vulgo Torre do Tombo *lib.* 1. *Bullarum fol.* 10. & ad longum refertur in Monarchia Luſitana, 4. *part c.* 25. *ſequenti cap.* 26. narratur ejus mors; Tunc ut piiſſimus, ac Chriſtianiſſimus Rex deſiſtens ab omnibus, ac omni executione legis, ſe ſubiiciens, ac ſubmittens Romano Pontifici, in ſuoque Teſtamento multa largitur ampla munera ſedi Apoſtolicæ, D. Iacobo Compoſtellæ, aliiſque multis locis piis, ut conſtat ex ejus teſtamento citato *cap.* 26. Honor. III. Torre do Tombo. Monarch.

30. Mortuo Rege Alphonſo ſucceſſit in Regnũ filius ejus major natu Dominus Sancius ſecundus Capellus dictus, quia ut ſcribit Andræas de Reſcende cum eſſet puer, & gravi morbo laboraret, indutus fuit quodam habitu regulari, & cum clavem Regni teneret, primo ſuo anno compoſitionem fecit, cum Illuſtriſſimo D. Stephano Archiepiſcopo Bracharenſi ſuper res Eccleſiaſticas, reſtituens omnia Eccleſiis, ut conſtat ex quadam ſcriptura, quam refert Illuſtriſſimus D. Rodericus à Cunha Archiepiſcopus Bracharenſ. & poſtea Vlyſipponen. in Catalogo Archiepiſcopor. Sedis Bracharen. *tom.* 2. *cap.* 23. *num.* 1. Sed non perſeveravit, eique multum reſtitit, ac ſe oppoſuit D. Stephan. Archiepiſcop. Brachar. quem ob ſuas præclaras virtutes Honorius III. appellavit *Nobile Eccleſiæ membrum*, ut refertur in citato Catalogo Brachar. *cap.* 22. & cum nihil proficeret, certiorem fecit Summũ Pontificem Gregorium Nonum, qui paternaliter admonuit Regem, & per ſuam bullam dat magnam juriſdictionem D. Stephano. Bulla incipit: *Venerabili Fratri Archiepiſcopo* datũ anno 1238. die 15. Aprilis habetur manu Regia *tom.* 1. *fol* 256. *num.* 15. & cum Sancius aures non dediſſet, hæc extitit, una ex cauſis, ob quam Innocentius IV. anno 1245. die 24. Iulij de Concilio Eminentiſſimorum Cardinalium, eum depoſuit à Regno, illiuſque regimen tradidit fratri ſuo Alphonſo comiti Boloniæ, ut refertur *cap. grandi. de ſupplenda negligentia Prælatorum in* 6. & circa hanc diſpoſitionem Regis Sancij, aliam bullam edidit ipſe Innocentius IV. & incipit *Dilectis filiis Baronibus*, ſervatur in Archivio Eccleſiæ Bracharenſis, eamque adducit Fragoſus de *Poteſtate Eccleſiæ lib.* 3. *cap.* 21. Monarchia Luſitana *tom.* 4. *in Appendice fol.* 276. D. Stephan. A Cunha. Gregor. IX C. Grandi. Innoc. IV. Fragoſus. Monarch. Luſitana.

31. Creatus Sereniſſimus Alphonſus Regni gubernator, ac Regni futurus ſucceſſor, cum Sancius ejus frater non habuiſſet filium, Pariſi in publico conſiſtorio, multis aſtantibus teſtibus multas capitulationes juramento firmavit *die* 6. *Septembris* anno 1245. quæ capitulationes referuntur manu Regia, *tom.* 1. *fol* 207. Monarchiæ Luſit. *tom.* 4. *lib.* 14. *c.* 27. & in ſummario, ſeu Appendice *fol.* 284. & incipiunt, *Ego Alphonſus comes Boloniæ*; & inter cætera continebatur, quod bona ablata ab Eccleſia, Eccleſiaſticiſque perſonis reſtitueret, & ab omni gravamine, ac injuria cuſtodiret, & quod non impediret, quod Eccleſia alia bona denuo acquireret. Manu Reg. Monarchias

32. Tamen mortuo Sancio Rege Toleti, cum ipſe Alphonſus creatus eſſet Rex Tertius nomine, aliquorum iniquorum conſilio inſtigante promiſſioni non ſtetit, ſed legem jam revocatam iterum ad praxim reduxit, contra Eccleſiæ libertatem. Tunc Dominus Archiepiſc. Brachar. D. Marchinus Epiſcopus D. Egas Conimbr. Epiſcopus Ægitenſis D. Vincentius, Epiſcopus Viennenſis D. Martinus, & Epiſcopus Eborenſis, ac alij Prælati hujus Regni convenerunt ad Pontificem Gregorium X. ut deſcribitur à D. à Cunhs in *Catalogo Archiepiſc. Brachar part.* 2. *cap.* 31. *n.* 7. Tunc Pontifex paternali benevolentia miſit quandam bullam Alphonſo Tertio Regi datam anno 1272. die 28. Maij & incipit *Tam grãdis honoris*. Admonens eum de ſua obligatione reducens ei in memoriam juramentum præſtitum. Bullam refert Bzovius *in ſuis Annalibus tom.* 13. *ad citatum annum* 1272. Gregorius. A Cunha. Bzovius.

33. Cum Rex admonitionibus Pontificiis non acquieſceret Gregorius X. Summus Pontifex pro defenſione Eccleſiæ conceſſit quandam bullam, & incipit *ex debito Paſtoralis officij*. Datam Romæ die 3. Septemb. anno 1275. habetur apud Monarchiam Luſitan. *tom.* 4. *lib* 15 *cap.* 41. poſt datum tale diploma, antequam in Portugallia publicaretur, mortuus eſt ipſe Summus Pontifex Gregorius, & cum noſter Luſitanus, ac Vlyſipponẽſis Ioannes XXI. ad Summum Pontificatum eſſet elevatus amore patriæ maximè deſideravit, ut res Portugalliæ componerentur; miſſo nuncio Apoſtolico Fr. Nicolao Ordinis Minorum Bullam Gregorij X. in tota Portugallia publicavit, ut refertur in *Monarchia Luſitana lib.* 15. *c.* 42. Gregor. X. Monar. Luſ. Ioan. XXI. Monarch. Luſit.

34. Cum ergo Rex Alphonſus perveniſſet ad mortem multis editis pœnitentiæ, ac contritionis ſignis, oſtẽdens ſe ſummam obedientiam erga ſanctam ſedem Apoſtolicam vehementiſſime recõmendavit filio ſuo Dionyſio Regni ſucceſſori concordiam, pacem, compoſitionemque cum Romano Pontifice; multaque, & ampliſſima dona largitus eſt multis

Eccleſiis,

Eccleſiis, hoſpitalibus, ac aliis piis locis, multaſque, & magnas eleemoſynas per pauperes mandavit diſtribui, multaque anniverſaria, ac magnum numerum Miſſarum pro anima ſua fieri decrevit, quod totum conſtat ex ejus teſtamento, quod refertur in Monarchia Luſitana 4. *part. fol.* 270.

Monarch. Luſit.

35. Sciant, ſciant, & agnoſcant Auctores extranei ſummam pietatem, ac obedientiam noſtrorum Regũ Portugalliæ in ſanctam Eccleſiam Romanam, quòd quando faciebant leges, & ſtatuta, prout intelligebant neceſſaria eſſe ad conſervationem ſuorum Regnorum; tamen in fine ſuarum legum apponebant, quod ſi aliquid in ſuis legibus eſſet contrarium Decreto Summorum Pontificum *tanquam non leges haberentur*; ut conſtat ex quodam libro parvo fol. 25. cujus titulus eſt *foral antiquo de ſanctarem*: habetur in Archivio Regio, vulgo *Torre do Tombo* refertur Monarchia Luſitana. 5. *part. integ geſta Regis Dionyſij lib.* 16. *c.* 63. § *Doque elle.* Quod ut maximè notatu digniſſimum hic appoſui, quæ ſi vidiſſent Bzovius ad annum 1222. & Fumaſius *in ſua Republica lib.* 6. *cap.* 41. non tam indebite ac irreverenter loquerentur de Sereniſſimo Principe, tam pio, ac devoto in Eccleſiam.

Foral. de Sanctarem. Monarch. Bzovius. Fumaſius.

36. Mortuo Alphonſo ſucceſſit in Regnum filius ejus majornatu Dominus Dionyſius, qui ſtatim omni affectu, totiſque viribus appoſuit ad concordiam ſuper hanc rem faciendam cum ſede Apoſtolica, & cum in Roma jam adeſſent procuratores ſtatus Eccleſiaſtici D. Fr. Tellus Archiepiſcop. Bracharen. D. Americus Epiſcopus Conimbricen. D. Fr. Bartholomæus de Sylveſt. D. Ioannes de Lamego. Pro parte Regis fuerunt D. Martinus cantor majnr, id eſt chantre Eborenſis D. Ioannes Martinus canonicus Conimbricenſis, deſignatus Epiſcopus Vlyſippon. tunc alta, & divina providentia Summus Pontifex Dei Eccleſiæ erat Nicolaus IV. qui ut magnus Pater ſummo ſtudio exoptabat pacem, ac concordiam in hac re, idque commiſit quatuor Cardinalibus; quatuorque conditionibus appoſitis ut conſtat, ex prima, & ſecunda bulla. *Prima conditio.* Quod Procuratores Eccleſiaſtici, ac Regis convenirent inter ſe. *Secunda.* Quod totum fieret, ac determinaretur præſẽtibus quatuor Cardinalibus expreſſè nominatis in bulla. *Tertia.* Quod prædicti Cardinales, totum determinatum, ac reſolutum referrent ſuæ ſanctitati: *Factaque nobis per eoſdem Cardinales de præmiſſis relatione fideli.* Conditio *Quarta.* Quod ſua ſanctitas ſua ſuprema auctoritate, totum confirmaret, quæ concordata facta eſt per quadraginta articulos.

Bulla prima & ſecunda.

37. Quod totum negotium determinatum, & abſolutum eſt à ſua ſãctitate, per novem bullas Apoſtolicas, quæ habentur in Archivio Regio *lib* 5. *fol.* 79. Regis Dionyſij, & eas apud me habeo tranſumptas ex ipſo Archivio Romano Vaticano; & præcipuam bullam hujus concordatæ ait Gabriel Pereira *manu Regia, tom.* 1. *fol.* 223. quòd eam non potuit in lingua Latina invenire; tamen, ut ſcribit Doctor Franciſcus Brandam 5. *part. Monarchiæ Luſitanæ, lib.* 16. *cap.* 63. in Archivio Regio eſt in lingua Latina, & etiam in Archivio ſanctæ Sedis Vlyſippon. *fol* 297. & 298. & hæc concordata facta eſt, die 6. Ianuarij anno 1289. ſecundo anno Pontificatus Nicolai IV.

Pereira. Monarch. Luſit.

38. Ipſi articuli facti ſunt ad evitanda aliqua gravamina, quæ Eccleſiaſtici patiebantur, ut notat Illuſtriſſimus Rodericus à Cũha *in Catalogo Brachar. part.* 2 *cap.* 39. *num.* 4. *fol.* 125. Ipſos quadraginta articulos ad longum referunt Gabriel Pereira proximè citatus, Bzovius ad annum 1289. Vvading. *ad annum Religionis* 82. *nu.* 20. juxta compoſitionem prædictæ concordatæ Martinus Pires Cantor major, id eſt Chantre Eborẽſis, Regis nomine, prædictam cõcordatam acceptavit, ſub juramento obſervandam, quòd etiam magna animi alacritate, ac promptiſſima voluntate præſtitit D. Rex Dionyſius ſub juramẽto coram Regni magnatibus, ut ad longum refertur in Monarchia Luſitana citata 5. *part. lib.* 15. *c.* 63. Et poſtea, cum aliquæ dubitationes pullularent, facti ſunt undecim articuli, de quibus multa dixi *in noſtro citato tractatu præcipuè*, §. 3. 4. *ac* 5. factis, & publicatis prædictis articulis, facta eſt magna pax, ac tranquillitas inter Regem, ac Sedem Apoſtolicam, retenta Eccleſiæ authoritate, præeminentia, ac libertate.

Pereira. Bzovius. Vvading. ACta.

39. Poſtea verò tempore labente ab anno 1634. uſque ad annum 1639. dura tempeſtas in hac re exorta eſt, & multa à fidelibus relicta Eccleſiis auferebantur. Tunc ſanctiſſimus Dom. Vrbanus VIII. per ſuũ Collectorem Illuſtriſſim. Dom. Alexandrum Caſtracani Vlyſippone Virum ſanè Apoſtolicum, & per Illuſtriſſimum Dom. Laurentium Campegi Madriti Nuntium Apoſtolicum, multa paterno affectu exoptavit componere, cujus rei coram Deo, ego teſtis ſum, cum ibi eſſem Procurator Apoſtolicus. Inde ipſe Sanctiſſimus Dominus Vrbanus VIII. dedit quoddam diploma valdè rigidum, ac ſeverum in hac, & incipit, *Quamvis juxta canonicas ſanctiones.* Datum Romæ die 5. Iulij anno 1638. in quo ſua ſanctitas motu proprio, ac de certa ſcientia, plenitudine poteſtatis revocat, ac annullat, caſſat, ac irritas facit, ac reddit omnes, & ſingulos actus, & ſententias, & proceſſus factos ſuper hanc rem, multis impoſitis pœnis, quod diploma fuit publicatum menſe Decembris ejuſdem anni, & ejus tranſumptum habeo apud me.

Urban VII.

40. Et cum tota civitas Vlyſipponenſis per ferè quindecim menſes magno dolore fidelium, hac de cauſa rigido interdicto laboraret, Deus benignus, & Clemens reſpiciens, & videns Regnum Portugalliæ, juxta promiſſum factum primo, ac Sereniſſimo Regi Alphonſo Henriquez prima die Decembris in ſabbato anni 1640. magna Regni gratulatione, ac omnium gaudio acclamatus eſt Rex noſter legitimus Ioannes IV. & cũ hujus rei nuntiũ accepiſſet in *Villa Viçoſa* maximè notatu digniſſimum eſt, quod primum ejus Decretum, primum ejus verbum fuit, quod ipſe deſiſtebat ab exequutione legis contra libertatem Eccleſiæ, quod promptiſſimè obediens ſe ſubiiciebat voluntati, ac diſpoſitioni Romani Pontificis, quo uſque cum eo de hac reageretur, ac concordia fieret, quod veluti

Alphonſus. Rex Ioãnes

ebiberat

ebiberat à ſupremo omnium capite Chriſto
Hebr. 10. Ieſu, de quo ait Paulus ad Hebræos 10.n.5. & 10. *Ingrediens mundum dicit: In capite libri ſcriptum eſt de me; ut faciam Deus voluntatem tuam.* Ex Pſalm. 39. num. 7. Vbi communiter Patres notant, cum primum Chriſtus Dominus ingreſſus eſt in mundū in utero Virginis primum ejus verbum in capite libri ad ſuum Æternum Patrem, extitit ſummæ obedientiæ erga eam, *ut faciam Deus voluntatem tuam*, ut ſemper haberet uniformem, ac concordatam voluntatem cum eo.
D. Anſelm. D. Anſelmus ad citatum locum Pauli ſic ait in perſona Chriſti, *Quia voluntatem meam, quam juxta naturam humanitatis habeo, divinæ voluntati tuæ prorſus concordem feci.* Hoc divinum, & ſublime affatum Deo inſpirante, hauſit Sereniſſimus noſter Rex Ioannes IV. cum primum in Regnum eſt ingreſſus, ad illum manum admovit, ut profunde obediens, voluntatem ſuam concordem faceret cum Chriſti vicario, ut ab illo in nullo diſcreparet.

45. Cum perveniſſet Decretum Regis ad Vlyſipponem Illuſtriſſimus Dominus Rodericus à Cunha, congregatis Doctiſſimis Viris hujus civitatis Vlyſipponenſis, inter quos etiam omnium minimus ego adfui, lectum eſt Regis Decretum; & cum tota civitas interdicto opprimebatur ob exequutionem legis, contra Eccleſiæ libertatem, à qua executione Sereniſſimus Rex deſiſtebat, ſe in omnibus ſubiiciens Romano Pontifici. Reſolutum fuit interdictum jam ceſſaſſe, & jam ablatum eſſe declarandum, ex illo certo, & communi principio Thelogorum, quod ceſſante cauſa cenſuræ, ceſſat & ipſa cenſura, & ita ſequenti die 6 Decembris feſtivitate ſancti Nicolai ſupradicti 1640. interdictum eſt ab atum, magna feſtivitate, ac applauſu, cum in illa feliciſſima die Sereniſſimus Rex Ioannes IV. exceptus ſit communi omnium lætitia, ac gratulatione in hac civitate, poſtea Hieronymus Batallim ex Regis licentia exercens ſuū officium etiam auctoritate Apoſtolica declaravit interdictum ceſſaſſe, & eſſe ablatum.

46. Et ad majorem hujus rei firmitatem ipſemet Rex Ioannes IV. Decretum dedit regia manu ſua firmatum die 2. Ianuarij 1651. quo præcepit omnibus ſuis miniſtris, judicibus, ac Senatoribus Regiis, ut in his, quæ pertinebant ad capellas, ac bona Eccleſiarum nullo modo ſe audeant intromittere, aut aliquid innovare, quoad uſque de his rebus ultima fiat reſolutio cum ſancta ſede Apoſtolica: ecce quanto jure, & optima ratione Sereniſſimus Rex Sebaſtianus dixit, quòd Reges Portugalliæ nulla alia nomenclatura inſigniri volebant, niſi tantum ut filij obedientiſſimi Eccleſiæ dicerentur.

* *
*

RESOLUTIO XLII.

De Miraculis.

QUÆSTIO PRIMA.

Quid ſit Miraculum, & quid ad eius naturam petineat?

SUMMARIUM.

1 *Vnde nomen Miraculi derivatur.*
2 *Miraculi definitio.*
3 *Miraculum eſt opus ſolius Dei, ſignum, ac ſigillum divinitatis.*
4 *Miraculum eſt Dei teſtimonium, loquela, ac pignus.*
5 *Miraculum eſt opus rarum, & extraordinarium.*
6 *Miraculum eſt ſupra virtutem omnium naturalium cauſarum.*
7 *Ad excellentiam miraculi pertinet, quod fiat celeriter, ac confeſtim.*
8 *Miracula non ſemper fiunt celeriter, ſed aliquando paulatim, ac ſenſim.*
9 *In miraculis maximè conſideranda perſeverantia in effectu.*
10 *Explicatur tempus quo ad vocem Ioſue Sol ſtetit ad evidentiam miraculi.*
11 *Ad evitantiam miraculi requiritur multiplicatio actuum.*
12 *Sanitas morbi dum quis B. Virginem, verbi gratiâ, deprecatur hic & nunc miraculoſa reputatur.*
13 *Duplex eſt miraculum, unum ſecundum eſſe, alterum ſecundum dici.*

1 NOMINE miraculi incipiamus. *Miraculum* deducitur à verbo Græco, Græcus. & etiam fluit à verbo Hebraico *Tama*, Hebraicus. & ſignificat admirari cum ſtupore, ac vehementia, nam cum miraculum ſit opus extraordinarium ſuper omnem vim, ac concurſum naturæ creatæ, inde magnam admirationem, & ſtuporem inducit; unde ex miraculis, quæ Chriſtus D. faciebat frequenter in turbis, ac populo multa erat admiratio. Matth. 8. *num.* 27. 9. *num.* 33. & 15. *num.* 31. Marci 1. *num.* 27. & 2. *n.* 12. Luc. 9. *n.* 43. Ioan. 4. *num.* 22. Matth. 8. Matth. 9. Marc. 1. Luc. 9.

2 Sic definitur miraculum, eſt opus extraordinarium, & rarum præter legem ordinariam Dei, & ſupra omnem virtutem cauſarum naturalium. Hæc definitio deſumitur ex D. Thoma 1. *part. quæſt.* 105. *art.* 7. & 8. *lib.* 3. *cõtra gentes c.* 101. & ex D. Auguſtino *lib.* 3. *de Trinitat. cap.* 4. & 5. & *lib.* 26. *contra Fauſtum c.* 3. & *ſequentibus*, & *lib.* 6. *de Geneſ. ad liter. c.* 13. Hinc clare patet quāta ſit ejus excellentia, ac majeſtas. D. Thom. D. Auguſt.

3 Opus eſt ſolius Dei, ut multoties canit Regius Vates Pſalm. 71. num. 18. *Benedictus Dominus Deus Iſraël, qui facit mirabilia ſolus*, & Pſalm. 135. num. 4. *Qui facit mirabilia ſolus*, & Pſalm. 85. num. 10. *Quoniam magnus es tu faciens mirabilia: tu es Deus ſolus*, D. Auguſtinus Pſalm. 71. Pſalm. 135. Pſalm. 85. D. Auguſt

ſtinus ibi, inde colligit Propheta, quia Deus ſit ſolus, quia ipſe ſolus facit mirabilia. Inde mirabilia, ſeu miracula ſunt ſigna Divinitatis, ſic & Ioannes de miraculo in nuptiis Cana: *Hoc fecit initium ſignorum Ieſus in Cana Galilæa* ca.2.n.11.& de miraculis Chriſti, ait ei Nicodemus. *Nemo poteſt hæc ſigna facere quæ tu facis, niſi fuerit Deus cum eo.* Ioan.3.n.2. Noſter D. Cyrillus Alexandrinus ibi: *Talia ſigna, ſeu miracula à ſolo Deo veniunt, & inde miracula ſunt divinitatis ſigna.* Loquens Chriſtus D.de cœleſti pane, *Quem filius hominis dabit vobis. Hũc enim Pater ſignavit Deus.* Ioan.6.num.27.Græcus legit: *Hunc Pater ſigillavit Deus.* Illud *Hunc* ad filium refertur, ut ſuo loco dixi ex D.Chryſoſtomo, Euthymio, Theophylacto, D.Thoma, D.Bonaventura, id eſt hunc filium ſuum Æternus Pater, operibus, ac miraculis, tanquam quibuſdam ſigillis demõſtravit, ac diſtinxit à cæteris hominibus, ut filium ſuum, ac Salvatorem mundi; miracula ſunt tanquam ſigilla divinitatis, ut docet D. Thomas 3.*part. quæſt.* 43. *art.* 1. Sigillum apud nos eſt tãquam ſignum, ſeu ſtigma, quo res agnoſcitur ut alicujus certæ perſonæ diſtinctæ à cæteris: ſic & miracula ſunt ſigilla divinæ omnipotentiæ, quo ejus divina virtus in tali facto, ſeu opere agnoſcitur, ut ſuum opus, & nullius alterius.

Ioan.2. Ioan.3. Ioan.6. Chryſoſt. Euthym. Theophyl. D.Thom. D.Bonavent Græcus. D.Thom.

4. Hinc divina miracula dicuntur Dei teſtimonia, quia teſtificant, ac demonſtrant ejus divinitatem. Ioannis 5.num. 36 ait Chriſtus *Ego autem habeo teſtimonium majus Ioanne.* Explicat D.Chryſoſtom.homil.39.ejus nẽpe opera, & miracula, quæ etiam dicuntur Dei loquela. D.Auguſtin. Epiſtol. 49. quæſt.6. *Deus mirabilibus operibus loquitur.* Et D. Chryſoſt.homil.34.in Matthæũ. *Miraculum dicit quoddam pignus divinæ omnipotentiæ.*

Ioan 5. D.Chryſ. D. Auguſt. D.Chry.

5. Dicitur in definitione *opus extraordinarium præter legem Dei ordinariam*, quia Deus de lege ordinaria multa miracula operatur, quæ ut ait D. Auguſtinus, homines non admirantur, ut ex parvo grano multa multiplicentur, ut terra fructus producat ad ſatiandam tantam hominum multitudinem. Sic ait D.Auguſt.*tract.*24.agens de Miraculo quinque panũ. Ioan.6.ait: *Majus enim miraculum eſt gubernatio totius mundi, quam ſaturatio quinque millium hominum de quinque panibus; & tamen hoc nemo miratur, illud miratur homines, non quia majus eſt, ſed quia rarum eſt.*

D.Auguſt. Ioan.6.

6. Dicitur *ſupra virtutem omnem cauſarum naturalium*, quia multa poſſunt fieri ex abdita natura rerum, quæ nobis videbuntur mira, nã virtus, ineſt ut dicitur in herbis, & lapidibus, quarũ naturas optime agnoſcit diabolus, quibus applicãdo activa paſſivis, poterit ſanare morbos incurabiles, vel etiam aliqua, quæ mira proveniunt à qualitatibus occultis rerum, verbi gratiâ in Africa jugulatur cervus, cujus cor inventum eſt ferro transfixum, & pomum quoddam præciſum ab arbore dat multos ſaltus, & alia, de quibus extant plures libri de mirabilibus naturæ: & ideo libri, quos compoſuit Salomon de lignis, cedris, herbis, ac radicibus, *3.Reg.4.nu.* 33.& *Sap.7. nu.*20. Quia in illis ponebant homines ſpem ad vitam, ſanitatem conſervandam, & obtinendam ſanctiſſime juſſi ſunt cremari.

3.Reg.4. Sap.7.

Ad excellentiam miraculi maximè pertinet, quod celeriter, ac confeſtim fiat, ſic & Chriſtus, ordinarie loquendo, miracula operabatur, ſic ad vocem Chriſti filius viduæ Naim ſurgit vivus, *& cœpit loqui.* Luc.7. n.15.ſic & Petrus ſanans claudum ad portam templi dicitur Actor.3. num.7.*Et apprehenſa manu ejus dextera allevavit eum: & protinus conſolidatæ ſunt baſes ejus, & plantæ.* Expende illud *protinus.* Syriacus *in momento.* Recte D.Baſilius in Pſal.115.expendens vocẽ Petri *Surge, & ambula.* Sic ait Sanctus Doctor: *Hanc vocem per Spiritum, dicto ocyus, efficacia operis conſecuta eſt. Et hoc miraculi argumentum celeritas in operando.*

7.

Luc.7. Actor.3. Syriacus. D.Baſil.

Et quamvis ad præſtantiam miraculi maximè pertineat, quod confeſtim, & indilate, ac veluti in momento fiat, non tamen id ſemper contigit ob altos divinæ Providentiæ fines, ſed paulatim, ac ſenſim. Cœcus à Chriſto D.curatus, *primum vidit homines ambulantes ut arbores* Marc.8.num.24.non diſcernens homines ab arboribus, quemadmodum qui procul hominem vident, tanquam molem, lineamenta non diſtinguunt. Cauſa fortaſſis fuit, ut ibi dixi, quia Chriſtus ſuam potentiam moderatus eſt ob cœci fidem nondum perfectam; ſic & Petrus dum ad vocem Chriſti firmiter credit, ambulat ſuper mare, cum vento valido inſurgente dubitat, cœpit mergi. Matth. 14.*num.*3. ut paulatim beneficium, quod ei conferebatur ex virtute Chriſti, pluris faceret; ſic & Parens meus Elias ut puerum ſuſcitaret, *expandit ſe, atque menſus eſt ſuper puerũ tribus vicibus* 3.Reg.17.n.21. ſic & Eliſæus, ut ſuſcitaret puerum, *oſcitavit puer ſepties, & aperuit oculos ejus* 4. Reg. 4. num.15.ſic & Apoſtolus Paulus ut mortuum ſuſcitaret, *Incubuit ſuper eum, & complexus eſt.* Actor.20.n.10.ardentiſſimo charitatis vinculo, & Naaman, dum ſepties lavatur in Iordano à lepra mundatur 4.Reg.5.n. 14. Sic & multi alij.

8.

Marc.8. Matth.14. 3 Reg.17. 4 Reg.4. Actor.20. 4.Reg.5.

9. In miraculis iſtis agnoſcendis maximè conſideranda eſt, ut cum communi ſententia notat Suar. *de fide, diſp.3.ſect. 3.num.*9. Diuturnitas effectus, ac perſeverantia in opere, quæ eſt efficax veritatis indicium; nam quæ arte fiunt cito evaneſcunt, mors Lazari benè probata eſt per quatuor dies, & ejus vita cum poſtea per multos annos fuerit Epiſcopus Maſſilienſis. Paralyptici benè demonſtratur infirmitas, cum in ea ſteterit per triginta, & octo annos, & ejus ſanitas, dum tollit grabatum, & ambulat, & poſtea invenitur in templo, Ioan.5.*num.*13.

Suar. Ioan.11. Ioan. 5.

10. Ad vocem Ioſue: *Stetit Sol in medio cœli, & non feſtinavit occumbere ſpatio unius diei,* Ioſue 10.nu.13.de quo agens Eccleſiaſt. 46. *num.*5.ait: *Una dies, tanquam duo,* ut ibi notant expoſitores Lyrã. Abulenſ. Corn.& alij, quod juxta cõputũ noſtræ Europæ, in qua dies ſunt duodecim *horarum ſtetit Sol ſpatio unius diei*, id eſt ſpatio duodecim horarum, & illa dies habuit viginti quatuor horas, & ut ipſi Auctores adverunt in Palæſtina dies ſunt majores, ſcilicet quatuordecim, vel quindecim horarum, ſtetit ergo Sol ſpatio quatuordecim, vel quindecim horarum, & illa dies habuit viginti octo vel triginta horas. Ad quid

Ioſue.10. Eccleſ.46. Lyran. Abulenſ. Cornel.

quid ergo tam accuratè explicat Scriptura tempus, quo Sol in ſuo curſu fixo ſiſtit pede? Ad quid inſuper tempus, quo ſtetit nobis declarat? Notat Serarius *in Joſuë citato loco, q.25.* D.Auguſtino *lib.21. de Civit. c.8.* quod Caſtor, & alii dixerunt cœleſtia luminaria per brevem, morulam naturaliter poſſe in ſuo curſu ſtare, ac ſiſtere, inde Scriptura divino afflatu explicat tempus, quo Sol ſtetit, quod non fuit brevi morula, nec una, vel altera hora, ſed quatuordecim, vel quindecim, horis, ut ex perſiſtentia, ac perſeverantia Solis in uno loco, veritas miraculi ſit comprobata, & omnis contraria ſuſcipio procul abigatur.

Serarius. D. Auguſt.

11. Ad evidentiam miraculi non ſufficit unus, vel alter actus, ſed requiritur multiplex actus, ſic Paralyticus ſanatus ambulat portans lectulum, & poſtea invenitur in templo, ut ſupra dixi. Claudus ſanatus à D. Petro in porticu templi, introivit cum eo in templo, ambulans, & exiliens. *Actor. 3. num.* 8. præ gaudio multipliciter ſaltans greſſus dabat. De Magno Parente Elia ait Eccleſiaſticus 48. n. 3. *Deiecit de cœlo ignem ter, & ſic amplificus eſt Elias in mirabilibus ſuis.* Vatablus *in miraculis ſuis.* Ad hoc dicitur, quod deiecit de cœlo ignem ter, & ſi ſemel dejeciſſet ignem nonne ſat erat, ut diceretur magnus, ac præclarus in miraculis ſuis. D. Auguſt. *de mirabilibus Sacræ Scripturæ*, ait: *Ter publicatur ignis ejectus, ut divina virtus clareſcat.* Res valdè magna eſt, quod ignis à cœlo deſcendat, nonne ſat erat, quod hoc ſemel fieret, *ut divina virtus clareſceret.* Ad quid requiritur trina emiſſio? Si ſemel ignis deſcenderet ad vocem Eliæ, diceretur hoc factum caſu, vel naturaliter; at verò cum fit ſemel, iterum, ac tertio, non caſu, nec naturaliter, ſed divina virtute factum demonſtratur, *ut divina virtute clareſcat.*

Joan. 5. Actor. 3. Eccleſ. 48. D. Auguſt.

12. Hic tamen advertendum eſt, quod dum quis pro ſua infirmitate Chriſtum Dominum, vel Beatam Virginem deprecatur, & ſe ſanum invenit, illa talis ſalus miraculoſa reputatur: nam quamvis fieri poterat, quod ibi morbus faceret terminum, tamen ſalus, quæ per cauſas ſecundas venit, ut perfecta ſit, valdè lento gradu, & morosè fit; Multis præviis diſpoſitionibus antecedentibus, quæ multum temporis ſpatium requirunt, ut ſi quis viride lignum in ignem iniiciat, non ſtatim formam ignis recipit, ſed prius præcedunt quam plurimæ diſpoſitiones, ſiccitatis, caloris, & aliarum, & poſtea ſuccedit ignis forma; ſic & ſanitas naturalis antecedentibus diſpoſitionibus, ſenſim venit. Paulatim febris remittitur; paulatimque, manus digiti, v.g. incipiũt extendi. Et eſto ibi & nunc in hoc temporis momento, naturaliter morbus remittatur, tamen corporis membra, ut arteriæ, venæ ex illo pravo humore, manent offenſæ, debiles, ac extenuatæ, ut ſuas rectas, uxpeditæ operationes, non valeant exercere; v.g. ſi quis patiatur unum ſymptoma, vulgò *Accidente.* Cum ab illo expeditur, non ſtatim in rectas, & conſuetas actiones prodire poteſt, ſed interpoſito aliquo tempore; quod ſubdito tantum miraculosè fit; inde miraculum ſanati Claudi à D. Petro, maximè clareſcit, quod ingreſſus ſit cum illis Petro, & Ioanne in templum ſtatim ambulans, exiliens & laudans Deum. *Actorum 3. num.* 8.

Actor. 3.

quod ſi eſſet ſanitas naturalis fieri non poterat ſola illa, quæ eſt à Deo, breviter, & non multa temporis mora fit, etſi aliquando ob altos Divinæ Sapientiæ fines ſenſim veniat, tamen non multum immoratur, ſed cito, & velociter fit. Ait Chriſtus Dominus Centurioni, dum pro ſuo ſervo deprecatur. *Vade, ſicut credidiſti fiat tibi: & ſanatus eſt puer in illa hora.* Matth. 8. num. 13. Chaldæus habet, *in illo momento.* Divus Chryſoſtomus *homil* 27. apud Divum Thomam ait, *Vbi velocitatem admirare, neque enim ſolum curare, ſed inopinate, & in momento temporis, hoc facere, virtutem Chriſti oſtendebat.* Deinde illa ſimultas imperij Chriſti cum ſanitate, hic & nunc divinam virtutem declarat, ut docet Divus Auguſtinus *ſerm. 6.*

Matth. 8. Chaldæus. Chryſoſt. D Auguſt.

13. Notandum eſt ex communi doctrina Theologorum, quod miraculum in duplici differentia poteſt conſiderari, vel eſt miraculum ſecundum eſſe vel ſecundum dici. Miraculum ſecundum eſſe tunc datur, quando ſubjectum nullam habet potentiam, nec activitatem, nec proportionem ad actum, verbi gratiâ, ſi hic calamus meus modo loquatur, modulatè cantet, & compoſitè ſaltus det, cum calamus nullam habeat potentiam, nec activitatem ad tales actus, eſt miraculum ſecundum eſſe, quia divina virtus dat illi potentiam ad illa operanda. Aliud dicitur miraculum ſecundum dici, quando ſcilicet ſubjectum habet potentiam, & activitatem ad actum, datur tamen impedimentum in arteriis, & muſculis, verbi gratiâ, cæcus habet potentiam ad videndum, datur tamen impedimentum in organo viſus; Claudus habet pedem ad ambulandum, eſt tamen obſtaculum in arteriis, ac nervis.

QUÆSTIO II.

Ex multiplici fine miracula à Deo fiunt.

SUMMARIUM.

14 *Nullus intellectus poteſt explicare Dei mirabilia, ac miracula.*

15 *Miracula neceſſaria ad fidem Chriſti prædicandam, in quo erant completa omnia Prophetarum oracula.*

16 *Miracula Apoſtolorum, ac diſcipulorum ad eorum prædicationem firmandam.*

17 *Miracula Chriſti, ac ejus diſcipulorum fuerunt vera.*

18 *Talia miracula non fuerunt facta virtute naturali.*

19 *Talia miracula non fuerunt facta, arte dæmonis, & num.* 20.

21 *Deus ſæpè facit miracula in bonum ſervorum ſuorum, & etiam in pœnam iniquorum.*

22 *Miracula fiunt aliquando à Deo in confirmationem alicuius veritatis.*

23 *Deus ſæpè facit miracula ad honorandos, ac nobilitandos ſervos ſuos in oculis aliorum.*

24 *Deus facit miracula per ſacras Imagines,*

ut maximè ſint in honore, ac veneratione.

14. Pſalm. 105. AIt Regius Vates Pſalm. 105. nu. 2. *Quis loquetur potentias Domini, auditas faciet omnes laudationes.* Chaldaicus legit, *Omnes fortitudines ejus.* Quod ad miracula refert Euthymius; *Et auditas faciet laudes ejus;* Euthym. Chaldæus. id eſt, ut explicat ipſe Chaldæus, quis poteſt tot ejus mirabilia declarare, annuntiare, cum in numero, majeſtate, ac magnitudine excedat omnem intellectum creatum, quomodo ergo etiam intellectus ipſe poterit aliquid de eis dicere.

15. Primò. Miracula fuerunt nec ſſaria ad fidem Chriſti introducendam, ac prædicandam in toto orbe, per Ieſum Chriſtum filium Dei Caput noſtrum, ac per ejus Apoſtolos. Ideo cum Baptiſta mitteret ſuos diſcipulos, ut hanc veritatem ex Chriſti ore diſcerent, reſponſum acceperunt: *Cæci vident, claudi ambulant, leproſi mundantur.* Matth. 11. Matth. 11. num. 7. ac ſi diceret, ea miracula fac o, quæ tãquam ſigna evidentia Prophetæ prædixerunt de vero Meſſia, Iſai. 53. de quo Iſaias, ait cap. 35. num. 5. *Deus ipſe venet, & ſalvabit vos. Tunc aperientur oculi cæcorum, & aures ſurdorum patebunt: tunc ſaliet ſicut cervus claudus, & aperta erit lingua mutorum.* Et ut præclarè notarũt D. Iuſtinus Martyr *in Dialogo cum Triphone.* D. Iuſtin. Et D. Athanaſius D. Athan. *de Verbi Incarnatione*; & D. Ambroſ. D. Ambr. *in cap. Luc.* 7. quia licet aliquis Propheta feciſſet aliquod miraculum, nullus tamen fecit hæc omnia ſimul, niſi ſolus Ieſus Chriſtus filius Dei unde optimè ait D. Ambr. citatus, *Argumentum Meſſiæ ejus miracula.* Et ideo Chriſtus Ioan. 15. Dominus dixit Ioan. 15. n.... *Si non veniſſem, & opera non feciſſem, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent; at nunc excuſationem non habent de peccato ſuo.*

16. Sic, & neceſſe fuit ad prædicandam, ac introducendam fidem Chriſti in orbem, ut ejus Apoſtoli, ac diſcipuli facerent miracula, inde ait Chriſtus Dominus ſuis Apoſtolis. Matth. 10. Matth. 10. num. 78. *Euntes prædicate, dicentes, quia appropinquavit regnum cœlorum, infirmos curate, mortuos ſuſcitate, leproſos mundate, dæmones eiicite.* Sic ait Apoſtolus 2. Cor. 12. 2. Corinth. 12. num. 12. *Signa Apoſtolatus mei facta ſunt ſuper vos in omni patientia, in ſignis, & prodigiis, & virtutibus.* Et idem ait Hebr. 2. de cæteris Apoſtolis. *Hebræor. 2. num. 3. & 4.* Et quod hæc ſigna ad fidem Chriſti plantandam fuerint neceſſaria, latè docent Tertullianus Tertull. D. Irenæus. *de Præſcript. Hæretic. cap.* 10. D. renæus D. Auguſt. *lib. 2. cap. 56. & 57.* D. Auguſtinus *lib. 13. contra Fauſtum, cap. 6. & lib: 22. de Civitate, cap. 8.* ubi ait, *Miracula fuiſſe neceſſaria, ut mundus crederet.*

17. Nec poteſt dici, ut Pagani dixerunt, & refert Origenes *lib. 1. contra celſum*, miracula Origenes. illa Chriſti non fuiſſe vera, ſed contra, Iudæi quamvis dicerent quod in potentate dæmonis illa faciebat, nũquam tamen auſi ſunt dicere, miracula non fuiſſe vera: nam verè mortui erant ſuſcitati, cæci videbant, leproſi mundabantur, & eſto ex abundantia admittatur, ut præclarè argumentatur Divus Auguſtinus lib. 22. de Civitate, cap. 5. *Si per Apoſtolos Chriſti, ut eis creder.tur, miracula facta eſſe non credunt, hoc nobis unum grande miraculum ſufficit, quod terrarum orbis ſine miraculis credidit.* Nullum ſanè majus miraculum, quam quod fides Crucifixi, *Chriſtum Crucifixum, Iudæis ſcandalum, gentibus ſtultitiam.* 1. Corinth. 1. num. 23 ſine ullo miraculo, nec prodigio ſubjiceret totum orbem, Reges, Principes, Sapientes, & Philoſophos, prædicata, ac promulgata per homines pauperes, ignobiles, & ſine litteris, niſi tantum efficacia ſuæ veritatis omnia ad ſe adducere, nullum ſanè majus miraculum cogitari poteſt. 1. Cor. 1.

18. Nec poteſt dici Chriſti miracula, vel Apoſtolorum facta fuiſſe virtute naturali; nulla virtus naturalis poteſt mortuum ſuſcitare, cæco à nativitate dare viſum, quod bene, ac optimè Philoſophi agnoſcentes affirmarunt à privatione ad habitum regreſſum dari non poſſe; deinde nulla virtus naturalis valet agere in remotum, ac diſtans. Chriſtus Dominus multa miracula eſt operatus in ſubjecta, ac diſtantia, quibus dedit ſanitatem, ac ſalutem, ut patet in puero Centurionis. *Matt. 8. num. 13.* Matth. 8. In filio Reguli. *Ioan. 4. n. 50.* Ioan 4. In filia Chananææ. *Matth. 15 num. 28.* Matth. 15. Deinde virtus naturalis utitur medio proportionato ad effectum; at Chriſtus contraria effectibus aliquando adhibuit, ut cæco lutum impoſuit ad reſtitutionem viſum. *Ioan. 9. num 6.* Ioan. 9. lutum autem magis poterat inſervire ad privationem, quam ad reſtitutionẽ viſus. Deinde virtus naturalis agit tempore, & applicato aliquo remedio, at Chriſtus in inſtanti, & ſola voce, & imperio. *Adoleſcens tibi dico ſurge.* Luc. 7. n. 14. *Lazare exi foras.* Ioan. 11. n. 44. ergo ſola virtute divina hæc fiebant miracula. Luc. 7. Ioan. 11.

19. Nec poteſt dici Chriſti miracula, ac Apoſtolorum facta fuiſſe virtute, & induſtria dæmonis, ut Iudæi blaſphemo, & impio ore dixerunt. *Matth. 12. num. 24.* & etiam Pagani, ut referũt D. Auguſtinus *lib. 22. de Civitate, cap. 8.* Origenes *lib. 2. contra Celſum*, qui magicis artibus Chriſti miracula tribuebant: nam quamvis dæmones optimè agnoſcant rerum naturas occultas, & inde aliqua operentur ſuper naturæ vires, quæ applicando activa paſſivis nobis videntur mira, ac miracula, quo pacto magis pharaonis aquas verterunt in ſanguinem, & alia mirabilia fecerunt. *Exod. 7.* tali applicatione rerum poſſint aliquæ infirmitates ſanari, tamen nulla induſtria, ac arte dæmonis poſſũt fieri aliqua, quæ Chriſtus fecit; nulla enim dæmonis arte fieri poteſt, ut mortui ſuſcitentur, & quod cæcus à nativitate viſum recipiat, quæ tamen Chriſtus fecit. Deinde ſi arte dæmonis poſſunt aliquæ infirmitates ſanari, hoc eſt applicatione aliquarum rerum, & aliquali mora, at Chriſtus frequenter miracula operabatur in inſtanti, & ſola voce, & imperio. Matth 12.

20. Deinde Chriſtus Dominus faciebat in confirmationẽ ſuæ doctrinæ, qua prædicabat, appropinquaſſe regnum cœlorum, ſe eſſe verum Meſſiam, ac filium Dei, ſic ſuſcitaturus Lazarum. *Ioan. 11. num. 41* dixit, *Pater gratias tibi ago, &c. propter populum, qui circunſtat, hæc dixi, ut credant, quia tu me miſiſti.* Qua etiam doctrina ſua Chriſtus docebat omnes beatitudines paupertatis, manſuetudinis, Ioan 11.

puritatis,

puritatis, humilitatis, omnéſque virtutes, ac juſtitas, quibus omne regnũ diaboli, omnéſque ejus inſidias, ac machinationes deſtruuntur, ac diſſipantur. *Nunquid Satanas in ſe ipſu diviſus eſt, quomodo ſtabit regnum ejus.* Luc. 11. num. 17. Quomodo fieri poteſt quod diãbolus faciat miracula ad confirmandam doctrinam, in ſui ruinam, ac deſolationem, ergo Chriſti miracula, Apoſtolorum, ac diſcipulorum ejus ſolum erant facta divina virtute, ad plantandam ſanctam Chriſti fidem, ad ſalutem animarum, ac deſtructionem diaboli, hanc plenariam poteſtatem ad confirmationem fidei dedit Chriſtus Dominus ſuis Apoſtolis, ac eorum nomine Prædicatoribus Evangelicis, ut jam dixi *ſuprà in hac quæſt. num.* 16. & patet ex multis aliis locis. *Luc.* 14. Luc. 14. *n.* 51. *Marc.* 16. *n.* 17. Marc. 16.

21. Secundò, fiunt etiam miracula à Deo in ſalutem, & bonum ſervorum ſuorum, & ut etiam iniqui, & mali per ea puniantur. Sic & tot ſigna, ac prodigia in Ægypto, ut habes *à cap.* 7. & deinceps in bonũ, & ſalutem Iſraël à Deo facta ſunt. Et ut etiam per illa obduratio, ac iniquitas Pharaonis, ac Ægyptiorum puniretur, ut notat Theodoretus *ad c.* 7. *Exodi verſ.* 11. ad illa verba: *Devoravit virga Aaron*, ſic ait ille, *Mutabant illi*, ſcilicet Magi, *Virgas, in ſerpentes, ſed virga Moyſis virgas illorum devoravit, mutabant aquam in ſanguinem ſed ſanguinem in priorem naturam reducere non poterant: produxerunt illi ranas, ſed moleſtias, & incommoda ranarum Ægyptiis, auferre non poterant, ſicut fecit Moyſes. Conceſſit itaque Deus magis talia facere, ut etiam per ipſos caſtigaret Ægyptios: non tamen conceſſit eis ut illatam plagam auferre poſſent; non ergo fuit contentus Deus plagis à Moyſe illatis, ſed etiam per Magos adauxit, ac ſi Regi diceretur, quia punirite delectat, tuorum etiam ſervorum opera & te caſtigabo, & gravius plectam.* Theodor.

22. Tertiò, fiunt etiam à Deo ad confirmationem alicujus veritatis, ſeu rei miſſæ ab eo, ſic ait Divus Gregorius lib. 27. Moral. cap. 8. *Miracula ſunt in defectum probationis & ſunt auxilium humanæ rationis*, ut mens noſtra aſſentiat alicui veritati, & ideo miracula fiunt ſæpè ad diverſas veritates confirmandas, ſic ut filij Iſraël crederent Moyſen à Deo miſſum ad eorum libertatem, dat Deus ei poteſtatem ad facienda multa miracula. *Exod.* 4. *à num.* 1. ut Pharao, & Ægyptij agnoſcerent Moyſen à Deo miſſum, ut educeret populum de eorum poteſtate, dat Deus ei amplam facultatem ad multa prodigia edenda. *Exod.* 7. *à num.* 3. Sic Gedeoni, ut certus fieret de victoria conſequenda, dat Deus multa ſigna in vellere. *Iudic.* 6. *num.* 36. Ad confirmationem, quod Elias erat vir Dei, & partes Dei agebat; deſcendit ignis de cœlo, 4. *Regum* 1. *num.* 10. ſic & in ſignum ſalutis Reges Ezechiæ, datur ei regreſſus ſolis, 4. *Reg. cap.* 20. *num.* 10. D. Gregor. Exod. 4. Exod 7. Iudic 6. 4. Reg. 1. 4. Reg. 20.

23. Quartò. Sæpè Dei potentia operatur miracula ad honorandos, ac nobilitandos ſervos ſuos. Poſtquam Parens meus Sanctus Elias ſuſcitavit filium mulieris Sarepthanæ, ait ipſa ad illum, *Nunc in iſto cognovi, quoniam vir Dei es tu*, 3. Reg. 17. num. 24. nam & ſimulier antea habuiſſet magnam opinionem de ſanctitate Eliæ, tamen per hoc miraculum, quod Deus per ipſum eſt operatus, in multo majori æſtimatione eſt habitus: ait ibi Abulenſis *quæſt.* 38. ut eum mulier reputaret, *tanquam maximum omnium Prophetarum.* Et ut ipſe Deus ait: *Quicunque glorificaverit me, glorificabo eum*, 1. Regum 2. num. 30. Chaldæus legit, ſicut & Hebræus, *Honorantes me honorabo.* Sanctus Sixtus Papa epiſtola de malis Doctoribus, *qui honorificaverint me honorificabo eos.* Quæ verba tractans D. Paſchaſ. *lib.* 9. *in Matth.* ait: *Quicunque glorificaverit me ſuis operibus, glorificabo eum meis donis.* Dominus Deus multum abundans in miſericordia, ac miſeratione, qui eum honorant, ac glorificant ſuis operibus, virtutibus, ac meritis, doctrina etiam, & prædicatione eum ipſe honorat, ac glorificat ſuis donis divinæ gratiæ ſanctificãtis, & etiam gratiarum, ac miraculorum, ut luceant eorum opera coram hominibus, ut glorificent Patrem, qui eſt in cœlis, ac etiam ipſos miniſtros, per quos dignatus eſt tot, & tanta mirabilia operari. Abulenſ. 1. Reg. 2. Chaldæus. Hebræus. D. Sixtus. D. Paſchaſ.

Pro Sacris Imaginibus.

24. Hac de cauſa, Deus multa mirabilia, ac miracula operatur per ſacras Imagines Chriſti Domini, Beatiſſimæ Virginis Mariæ, ac Sanctorum, quia in ipſis protorypon repræſentatur, ut docet Eccleſia ab eius exordio, & maximè à 7. Synodo Generali act. 7. & frequenter per omnia Concilia. Et tandem Tridentinum *ſeſſ.* 25. docent, *Imaginibus debitum honorem, & venerationem impertiendam, non quod credatur in eis ineſſe aliqua Divinitas, propter quam ſint colendæ, ſed quoniam bonos, qui eis exhibetur, refert ad prototypa, quæ repræſentant*; quia ut docet Doctiſſimus Epiſcopus Ioannes Æchius *lib.* 2. *contra Lutherũ*, Inde Deus dignatur, multa, & magna mirabilia per ſacras Imagines edere, tum ad firmandum cultum, & venerationem eis debitum, ut docet Sancta Eccleſia Catholica; tum etiam ad manifeſtanda præclariſſima merita Chriſti, Deiparæ, ac Sanctorum, cum ob eorum Imagines, ac repræſentationes tot miracula quotidie fiunt; tum ut homines excitentur, ac permoveantur ad ipſas ſacras Imagines honorandas, ac venerandas, & ſic ſæpè vidimus ob miracula facta ab aliqua ſacra Imagine magna templa ædificari, magnàque dona ei offerri, ac multa paſſim frequentia revereri. Trident.

QUÆSTIO III.

Quomodo vera miracula agnoſcenda, & diſtinguenda ſint ab his, quæ fiunt virtute, & pacto Dæmonis?

SUMMARIUM.

25 *Divina virtute, ac arte Dæmonis fiunt aliqua ſimilia.*

26 *Sunt aliqua miracula, quæ nullo modo poſſunt fieri arte Dæmonis.*

27 *Dæmon facit mira mediis naturalibus adhibitis, Deus verò ſua potentia, ac virtute.*

28 *Miracula, quæ à Deo veniunt, ſunt in bonum noſtrum; quæ verò à Diabolo, in perniciem, & damnum.*

29 *Miracula Dei fiunt per bonos, & ſanctos; Diaboli verò per malos, & iniquos.*

30 *Ex fine, ad quem ordinantur, agnoſcuntur vera, vel falſa miracula.*

31 *Quod ex ipſiſmet exemplis explicatur, & magis declaratur motivum ex quo miracula agnoſcenda ſunt.*

25. SOlus Deus facit, ejùſque divina virtute fiunt mirabilia, ac miracula, ut jam notavi *in exordio primæ quæſtionis*; tamen arte dæmonis applicando activa paſſivis, fiunt aliqua, quæ oculis noſtris videntur mira, & quæ quandam ſimilitudinem habent cum ipſis divinis miraculis. Elias ſanctiſſimus de-
4.Reg.1. duxit de cœlo ignem, 4. *Regum.* 1. *num.* 10. &
Eccleſ.48. *Eccleſiaſt.* 48. *num.* 3. & de Antichriſto di-
Apoc.13. citur Apocalypſ. 13. num. 13. *Fecit ſigna magna, ut etiam ignem faciat de cœlo deſcendere in conſpectu hominum.* Moyſes in Ægypto divina virtute convertit aquas in ſangui-
Exod.7. nem. *Exod.* 7. *num.* 20. fecerunt & ſimiliter malefici Ægyptiorum. *Ibidem, num.* 22. Quod etiam ſimiliter dicitur de ranis *cap.* 8. *num.* 6.
Exod.8. & 7. Ecce valdè ſimilia fiunt virtute Dei, & arte dæmonis, quomodo hæc agnoſcenda, & diſtinguenda ſunt, inquirit præſens quæſtio.

26. Notandum eſt, ut jam notavi, & advertunt Michaël de Medina *de Recta in Deum fide, cap.* 7. Vaſquez *tom.* 1. *ad tertiam partem, diſputat.* 57. *cap.* 3. *ſtatim in principio.*
Medina. Vaſquez. Toletus. Toletus *in cap.* 3. *Ioan. Annotat.* 2. Quaſdam eſſe infirmitates, quæ arte, & induſtria dæmonum poſſunt curari, conficiendo aliquod remedium ex herbis, vel aliis rebus, quarum naturas, ac qualitates ipſe optimè agnoſcit, & velociſſimè applicando talia, aliud eſt miraculum, quod nullo modo poteſt à dæmone præſtari, verbi gratiâ, mortuum ſuſcitare; nulla enim vis naturalis reducere poteſt animam à corpore divulſam, ac ſeparatam; ecce quoad mortui ſuſcitationem, quoad alia opera eſt quæſtio. Ad quæſtionẽ.

27. D.Auguſt. Reſpondet primò Divus Auguſtinus *lib.* 3. *de Trinitate, cap.* 8. quod dæmones faciunt aliqua dupliciter, quæ videntur valde mira, & tanquam miracula, per virtutem cauſarum naturalium, quas illi optimè agnoſcunt; hæc verò faciunt vel in apparentia, per ſenſuum illuſionem, ac deceptionem; quæ cito evaneſcunt; vel per applicationem aliquarum rerum, verbi gratiâ, ad ſanandas quaſdam infirmitates, ut Magi in Ægypto incantationibus ſuis, aquas verterunt in ſangui-
Exod.7. nem. *Exod.* 7. *num.* 22. ſimiliter & ranas per
Exod 8. incantationes. *Exod.* 8. *num.* 7. At quæ fiunt divinitus, nulla cauſa naturali adhibita, ſed tantum virtute divina, quæ ſuperat omnem concurſum naturalium, & ita Moyſes aquas convertit in ſanguinem, ſola ſuarum manuum elevatione, vel etiam ad alia portenta elevata virga. Sic ait D. Auguſt. *quæſt.* 79. inter quæſtiones 83. *Magi mira faciunt per privata commercia cum Dæmone: Sancti verò ea faciunt publica adminiſtratione, & juſſu ejus, cui omnis creatura ſubjecta eſt.*

Secundò. Miracula, quæ fiunt à Deo, ſunt 28.
in bonum noſtrum, ſive ſpirituale, ſive corporale; quæ vero veniunt à Diabolo, utrumque damnum ſecum afferunt; miracula, quæ Chriſtus Dominus faciebat, eos, quos corpore ſanabat, & etiam anima illuminabat, ut patet in cæco à nativitate, quem Chriſtus ſanavit, qui inveniens Chriſtum in templo, *procidens ipſum adoravit*, confiteens eum verum Deum. *Ioan.* 9. *num.* 38. & ut ibi dixi, ita communi- Ioan.9.
ter docent Sancti Patres. Noſter D. Cyrillus D Cyrill.
Alexandrinus, D. Auguſtinus, D. Hieron. & D.Auguſt.
alii, at ea, quæ fiunt à dæmone, tendunt in D.Hieron.
damnum noſtrum. Veniat iterum Theodo- D Auguſt.
retus datus ſuperiori quæſtione. *Magi mu-* Theodor.
tabant aquam in ſanguinem, ſed ſanguinem in priorem naturam reducere non poterant; produxerunt illi ranas, ſed moleſtiam, & incommoda ranarum Ægyptiis auferre non poterant, ſicut fecit Moyſes; conceſſit itaque Deus Magis talia facere, ut etiam per ipſos caſtigaret Ægyptios, non tamen conceſſit illis, ut illatam plagam auferre poſſent. Conſidera latum diſcrimẽ inter ea, quæ fiũt virtute Dei, ac arte Dæmonis; Moyſes convertit aquas in ſanguinem, ſed in ſubſidium Ægyptiorum, reducit in propriam naturam; è contra Magi convertunt aquas in ſanguinem, ut Ægyptios affligãt, ſed ab hac moleſtia eos non valent liberare; & Diabolus inſtigavit Magos, ut aquas ſanguineas, & ranas facerent, ut cor Pharaonis magis eſſet obduratũ, ac inobediens Deo.

Tertiò. Arnobus *lib.* 1. *adverſus gentes*, ait 29.
quod miracula ſunt agnoſcenda per ſuos Authores, ac proinde quæ faciunt viri fideles, probi, juſti, ac Sancti facta ſunt Dei virtute: quæ vero faciunt improbi, flagitioſi, ac ſæpe malefici, ſunt falſa, & arte dæmonis conficta; tamen Deus aliquando, & valdè rariſſimè interventu malorum, facit aliqua miracula ad eorum iniquorum majorem confuſionem, vel ad majorẽ veritatis confirmationem, ut videmus in Balaam. *Numer.* 22. *n.* 23. & *Numer.* Num.22.
24. *n.* 17. Proindéque ſi per iſtos malos Deus Num.24.
facit aliquod miraculum, eſt in confirmationẽ veritatis, nũquam verò falſitatis, quia alias Deus cooperaretur mendacio, & eſſet teſtis illius, quod eſt omnino impoſſibile, ut docet D. Auguſt. D Auguſt.
lib. de utilitate credendi, cap. 6. & D Thom.
latius D. Thomas 3. *p. q.* 43. & *q.* 44. & Cani- Caniſius.
ſius *lib.* 5. *de Deipara, cap.* 15. & Bellarm. *lib.* Ballarm.
4. *de Notis Eccleſiæ, cap.* 14. & ſatis diffusè Boſſius.
Boſſius *lib.* 1. *cap.* 3. 4. & 5.

Quartò dico quod ſentio, & hoc diſcurſu ex- 30.
plico, quo ſæpè in probatione miraculorũ ſactarum imaginum uſus ſunt; miracula, quæ fiunt virtute divina in eo maximè agnoſcuntur diſtincta ab his, quæ fiunt arte Dæmonis ex fine ad quem ordinantur, ea enim quæ tendunt ad gloriam, ac honorem Dei, & Sanctorum, bonum Eccleſiæ, & ædificationem fidelium, hæc à ſolo Deo veniunt; ea verò quæ à flagitioſa, iniqua, inordinata, ac vana intendunt, impoſſibile eſt, quod à Deo veniant, ſed tantum à Diabolo naſcuntur;

Sic

Sic ait D. Auguſt. *cit. q. 79.* inter quæſtiones 79. *Magi faciunt, quæ videntur miracula, quærentes gloriam ſuam; Sancti vero faciunt miracula quærentes gloriam Dei.*

31. Itaque illa, quæ nos convertunt ad Deum, & avertunt à mundo, à ſolo Deo ſunt, ea verò quæ nos avertunt à Deo, & convertunt ad mundum, ac diabolum, ab ipſo Diabolo ſunt, quod in propoſitis exemplis fit manifeſtum. Parens Elias, & Antichriſtus deducunt ignem de cœlo. Elias eo fine ut ſolum verus Deus creator cœli, & terræ, adoretur ut verus Deus, non verò Baal idolum, Deus falſus in hominum deceptionem, & hoc proveniebat, à ſolo Deo. E contra Antichriſtus deducet ignem de cœlo in terram, ut ipſe qui eſt filius perditionis, adoretur, & ſedeat in templo, tanquam Deus, ut ait Paulus ad Theſſaloniſſ. & non adoretur Ieſus Chriſtus unigenitus filius Dei, hoc tantum ſolius Diaboli eſt machinamentum. Deinde Moyſes faciebat prodigia in Ægypto, ut Dei mandatis obtemperaretur. *Dicit Dominus dimitte populum.* Et Magi faciebant, ut & continerentur; inde hoc opus diaboli erat; illud verò Dei omnipotentis.

QUÆSTIO IV

De miraculis, quæ fiunt per ſacras imagines, quomodo ut vera agnoſcenda?

SUMMARIUM.

32 *Miracula, quæ fiunt per ſacras imagines, inde ut vera agnoſcenda ex his, quæ à tali miraculo veniunt, ac reſultant.*

33 *Diabolus non poteſt velle confirmare cultum imaginum per miracula.*

34 *Ex ſacris imaginibus multum proficiunt Chriſtiani in ſpiritualibus, & inde conteritur caput Diaboli.*

35 *Satanas ſe transformat in Angelum lucis ſuis operibus detegitur, ac etiã Dei virtute.*

36 *Quod multis exemplis confirmatur.*

37 *In dubio an ſit miraculum pro non miraculo judicandum.*

32. Ex his, quæ proximè dixi *in fine ſuperioris quæſtionis*, patet quomodo vera miracula, quæ ſæpè fiunt per ſacras imagines agnoſcenda ſunt, ab his, quæ fiunt induſtria, ac arte dæmonis: in his enim miraculis maximè conſiderandum, quod ex eis provenit, ac ſequitur, & frequenter multiplex virtutum actus, fides ſcilicet, qua creditur Dei potentia; ſpes, qua per hanc ſacram imaginem multorum donorum à Deo fiduciam concipimus; charitatis, quia tali miraculo multum excitamur ad diligendum Deum, & etiam ad venerationem, ac adorationem ſacrarum imaginum, ac earum cultum multis donis, ac magnificis muneribus amplificãdum; hæc autem omnia, quæ tantum conducunt ad honorem Dei, ac ſuorum ſervorum, ſolum à Deo provenire poſſunt: *Omne donum perfectum deſurſum eſt deſcendens à Patre luminum.* ut ait Beatus Iacobus *in ſua Canon. c. 2. num. 17.* Taléſque virtutum actus nullo modo à Diabolo provenire poſſunt, ipſe enim omnibus ſuis machinationibus juxta Apoſtolum *ad Epheſ. 6. num. 11.* inſidiatur animabus noſtris, ut ab eis valeat eradicare, ac expellere omnem virtutis actum, & plantare omne turpe, & vitioſum; & ſic ſe transformet in Angelum lucis, ex ſuis operibus, ac etiam ex divina virtute ſtatim agnoſcitur, ut dicam *quæſtione hac num. 35.* Iacob. 2. Epheſ 6.

Deinde miraculà, quæ fiunt per ſacras imagines ab arte Dæmonis non poſſunt exoriri: nam ut docent Sacra Concilia Generalia. Septima Synodus *Actione 4.* Concil. Senonenſ. *in decreto fidei.* Cõcil. Epheſin. Conſtantinop. & latè docẽt noſter Vvalden. *tom. 3. de Sacramentalibus, c. 50. cum ſeqq.* & Agebardus Epiſcop. *lib. de vera Relig. Sancta Eccleſia Catholica à ſuo exordio ſacris imaginibus communi adverſario adverſatur.* Quod dupliciter explico, videns Diabolus quantam utilitatem ex ſacris imaginibus participent fideles, cum ex earum aſpectu maximè rapiantur in Deum, ut ſtatim dicam, inde ipſe Diabolus per ſua membra Hæreticos nẽpe tam antiquos, quam modernos, ſacras imagines vult ablegare, & expellere. Deus tamẽ, ut rectè argumentatur Ioannes Kchius *lib. 3. contra Lutherum*, perpetuis, ac perẽnibus miraculis cultum ipſarum imaginũ in ſua Eccleſia firmat, ac corroborat; ſi ergo Deus tantis miraculis deſtruit machinamentũ Diaboli intendentis in damnum fideliũ ſacras imagines abolere, qua conſequentia veniet, quod Diabolus velit etiã miraculis earum cultum magis munire, ac ſtabilire, ergo miracula, quæ per ſacras imagines fiunt, non à Diabolo, ſed ſolum à Deo veniunt. 33. Sept. Synod Senonen. Vvalden. Agebard. Ioan. Kch.

Deinde iterum redeo ad illa verba, *Sancta Eccleſia Catholica à ſuo exordio ſacris imaginibus communi adverſario adverſatur.* Quis valebit explicare, quantũ fideles ex aſpectu ſacrarum imaginũ proficiant in Dei cultu, veneratione, ac amore. *Quid enim ſunt imagines ſacræ,* (ut ſæpè dixi & iterum dicam) *quam libri expanſi ante oculos noſtros, qui à neſcientibus legere leguntur.* Ruſticus videns Chriſtũ crucifixum inde maximè inflammatur ad diligendum ipſum Deum, & Dominum, qui in tantum illum dilexit, ut pro ejus ſalute mortis ſubiret tormentum. Item videns D. Frãciſcum nudis pedibus, ſacco indutum, inde haurit documenta ſuæ ſalutis, & qua via eundũ eſt in cœlum. Præclarè D. Gregorius Mag *lib. 9. epiſtol. 9.* ait, *Quod legentibus Scriptura, hoc præſtat idiotis pictura.* Vnde Divus Gregorius Nyſſenus *Oratione de Sancto Theodoro*, ait: *Solet etiam figura tacens in pariete loqui, maximéque prodeſſe.* Nam etſi pictura mortua ſit, vivos tamen in nobis generat affectus amoris, devotionis, ac cõpũctionis vidẽtibus ad vivũ effigiata, ſeu depicta myſteria vitæ, & mortis Chriſti, utinde in largum lachrymarum imbrẽ nos defendamus; nam ut dicitur *tunc cor dolet, cum oculus videt* ſi ergo ſacræi magines tam magnum fructum ſpiritualẽ in nobis generant, quomodo fieri poteſt, ut Diabolus inſidiator animarum noſtrarum, qui in nobis intendit extinguere omne bonum ſpirituale, miraculis ad ſacras 34. D. Gregor. Mag. D. Nyſſen.

imagines nos intẽdat, promovere, ac excitare, quarum interventu tantum gratiarum augmentum percipimus.

35. Sed dices. Apoſtolus Paulus ſcribit 2. Corinth. 11. num. 14. *Ipſe Satanas trãsfigurat ſe in Angelum lucis*, quod ſæpè facit per ipſas ſacras imagines, ac ſacrarum rerum repræſentationes, ut ex multis hiſtoriis conſtat, ut ſtatim.

D Chryſ. D Thom. Reſpondeo cum D. Chryſoſtomo, D. Thoma *ibi*, quod ſtatim manifeſtatur ex ſuis operibus, quod ſit Princeps tenebrarum, & Diabolus tentans, & ſic ait Gaudentius Brixienſis Epiſcopus apud Benedictum Iuſtianum. *Quid mirum ſi Satanas tranſigurat ſe in Angelum lucis? Probant* (ſcilicet ejus opera) *utique eum eſſe Angelum tenebrarum, qui ſe Angelum lucis oſtendere conatur, ut fallat.* Ex operibus ad quæ ſuadet, & inſtigat, oſtenditur, quod Diabolus ſit, & qui ſe in Angelum lucis transfiguraverat, ex operibus, ac factis deprehenditur Angelus tenebrarum.

Gaudent. Iuſt'n.

36. Quod multis exemplis declaratur, cum quidam Monachus ex Ordine S. Noberti fervidè contemplaretur Myſterium Trinitatis, eum Diabolus in ſpecie Angeli ſic alloquitur, ob tua merita dignus es, ut videas Trinitatem, his dictis apparuit tria geſtans capita, Trinitatem ſe eſſe conteſtans: Monachus divino afflatu cognoſcit Diabolũ, eúmque miſerrimũ omnium creaturarum appellat. Ita refert Surius *in ejus vita die 6. Iunij, cap. 19.* Idem ſimiliter de altero Monacho Præmonſtratenſi ſcribit Sigebertus *ad annum.* 1121. Vincentius *lib. 26. c. 29.* Cum etiam alter Monachus rigida diſciplina ſe verberaret coram imagine Chriſti crucifixi, Diabolum tanquam in perſona Chriſti loquentem audivit, *ego nolo mortem peccatoris*: cui Monachus, *O bone Ieſu agnoſco Diaboli vocem*; refert Sophronius *in prato ſpirituali, cap. 45.* eandem ſimilem hiſtoriã de S. Feriardo ſcribit D. Gregor. Turonenſis *lib. 2. de vita Patrum, cap. 10.* & apud Suar. *die 1. Auguſti.* Idémque narratur de S. Martino Turonenſi, de S. Antonio Abbate, & noſtra Sancta Magdalena de Pazzi, ac aliis multis Sanctis. Proindéque quamvis Satanas ſe transformet in Angelum lucis, tamen ex ſuis operibus, ac verbis ſe oſtendit principem tenebrarum, & maximè etiam ex divina virtute illuminante corda ſuorum juſtorum, quia etiam non ſentiunt illum fervorem, ac conſolationem ſpiritualem, quem quando ipſe verè Chriſtus adeſt.

Surius. Sigebert. Vincent. Sophron. D. Gregor. Turon. Surius.

In dubio miraculi.

37. Quando dubitatur an miraculum ſit, an non. Pro non miraculo judicandum, quia poſſeſſio eſt pro natura, & pro his, quæ ordinario, ac communi concurſu fiunt, & non pro his, quæ extraordinario, ac ſuperiori ope, ſuper vires naturæ fiunt, qualia ſunt miracula, pro quo faciunt ea, quæ in omnibus meis libris; verbo *miraculum* dixi, quod in his, quæ fieri poſſunt viribus naturæ, nõ ſit recurrendum ad miraculum.

RESOLUT. XLIII.

An anima Samuelis verè apparuerit Sauli?

QUÆSTIO PRIMA.

Proponuntur circa hanc rem variæ ſententiæ.

SUMMARIUM.

1 *Refertur hiſtoria Textus.*
2 *Breviter ponitur difficultas quæſtionis.*
3 *Omittitur quædam ſententia aliquorum.*
4 *Ponitur prima ſententia negans.*
5 *Ponitur ſecunda ſententia, vera, & affirmans.*
6 *Ponitur tertia ſententia, utramque ſuperiorem antecedentem probabilem dicens, ac judicans.*

Omnes illius Auctores in modo dicendi non conveniunt, ſed valdè diverſimodè rem explicant. Ibidem.

PRo hujus rei fundamento, præmittenda eſt hiſtoria, quæ narratur 1. *Regum.* 28. quod cum Saul vehementer urgeretur ob bellum gerendum cum Philiſthæis ſequenti die, à muliere pythoniſa poſtulavit, ut ei ſuſcitaret Samuelem jam demortuum, mulier acquieſcens Regis dictis ait ad Saulem ibi num. 13. *Deos vidi aſcendentes de terra: dixítque ei: Qualis eſt forma ejus? quæ ait, Vir ſenex aſcendit, & ipſe amictus eſt pallio. Et intellexit Saul, quod Samuel eſſet, & inclinavit ſe ſuper faciem ſuam in terra, & adoravit. Dixit autem Samuel ad Saul: quare inquietaſti me, ut ſuſcitaret?* &c. Saulique dixit Samuel omnem futurum eventum belli, ut revera contigit: dicens, *Cras autem tu & filij tui mecum eritis.* Hanc eandem hiſtoriam, breviter refert *Eccleſiaſt.* 46. *num.* 23. agens de Samuele ait: *Poſt hæc dormivit, & notum fecit Regi, & oſtendit illi finem vitæ ſuæ, & exaltavit vocem ſuam de terra, in prophetia delere impietatem genti.* Hoc poſito veniamus ad quæſtionem.

1. 1. Reg. 28. Eccleſ. 46.

2. Et in ea eſt magna difficultas, quod fuerit vera anima ſua det hiſtoria & *Primi Regum*, quia dixit Samuel *quare inquietaſti me*; & in Eccleſiaſtico quod dixerit *Regi finem vitæ ſuæ.* Quod non fuerit vera anima, inde ſuadetur, quando fieri potuit, quod anima Samuelis juſti, & Sancti de Limbo Patrum fuiſſet educta per Pythoniſam arte magica ac Dæmonis induſtria; & inde in varias ſententias abierunt Patres, ac Doctores.

3. Et omitto opinionem aliquorum, quos tacito nomine refert Petrus Comeſtor *in hiſtoria Eccleſiaſt.* 1. Regum 25. qui dixerunt corpus tantum Samuelis ſuſcitatum fuiſſe cum ſpiritu vivifico quodam ſine ejus anima, quã dicunt manſiſſe in ſuo loco, in quo antea erat; quæ ſentẽtia multis abſurdis implicatur: nam

Comeſtor.

nam Samuel locutus eſt, quod ab Spiritu corporeo non poterat provenire, niſi tantum ab anima: Tum quia Doctores non contendunt de corpore, ſed de ipſa anima, an venerit.

4. D.Cyrill. Tertullian. D.Baſil. Rupert. Synaita.

Prima ſententia tenet animam Samuelis non apparuiſſe Sauli. Ita noſter D.Cyrillus Alexander. *lib.6. de Adorat. in ſpiritu*, Tertull. *lib. de anima, c.57.* D.Baſil. *in cap.8. Iſaiæ*, licèt *epiſt.80.* ſententiam mutaverit, Ruper. *in Comment. lib.2. Reg. c.17.* Anaſtaſius Sanaita *q.19.* ubi contrariam ſententiam, impiam vocat, *& in 1. Reg. cap.28.* Procopius, Strabo, Burgenſ. *Addit. 2 ad Lyran.* Euſtathius Archiepiſcopus Antioch. & Martyr *in diſſertatione contra Origentem de engaſtrinytho.* Methodius Bazarenſis Epiſcopus, & Martyr *in libro de engaſtrinytho*, Nicenus *in epiſtola ad Theodoſium.* Pionius Presbyter, & Martyr apud Metaphraſten in ejus vita 1. die Februarii, Philiaſtrius *de hæreſibus, c.26.* Guillielmus Pariensis *lib. de univerſo 1. part. circa finem*, Turrecremata *in cap. Nec mirum 26. quæſt. 5.* Vatablus *in ſcholiis ad 1. Reg. cap.18.* Ianſenius *Eccleſiaſt.46.* Gregorius Syncellus *in hiſtoria Chronolog. ab exordio Mundi*, Matthias Feliſius *in elucidatione 1. Præcept.* Martinus Martinez *lib.9. hypotep. Regula 21.* Ioan. Arboreus *l.17. Theoſophiæ.*

Procop. Strabo. Burgen. Euſtathius. Methodius. Bazarenſis. Nicenus. Pionus. Philiaſtr. Guillelm. Turrecre. Vatabl. Ianſeni. Ioan. Arb.

5. Galatin. Caſſalius. Victoria. Caietan. Malveda. Sanchez. Cornel. Eſtius. Bonartius. La Torre. Joſephus. Lyran. Abulen. Suar. Pallarius. Mendoça. Bellarm. Rua. Deltius. Blauca. Pereira. Oleaſter. Salian. Torneli. Burg. Malder. Valeſius. Iodoc. Coci Caſtro. Soto.

Secunda ſententia aſtruit veram animam Samuelis Saüli apparuiſſe, eique vitæ exitum denuntiaviſſe: hanc ſententiam affirmantem expreſsè tenent Petrus Galatinus *lib. 6. de Arianis, c.8.* Gaſpar Caſſalius *lib.4. Axiomatum, diſp 1. c.3.* Victoria *ac Magia, q.5. n.19. ad 1.* Caietan. Malveda. Sanch. Cornelius, Eſtius *ad 1 Reg. cap.28.* Bonartius *Eccleſ.46.* Raphael de la Torre *2.2. q.95. art.3. diſp.3.* Ioſephus *lib.6. Antiq. c.11.* Lyra *in 1. Reg. c.28.* ibi Abulenſ. *q.28.* Suarez *tom.1. de Relig. lib.2. de ſuperſtit. cap.16. n.15. & tom 2. in 3. part. diſp.42. ſect.2.* Michael de Palatios *in Iſaiam, prolog 2.* Mendoça Auguſt. *q.5. ſcholaſtica, n.8.* Bellarm. *tom.1. lib.4 cap.11. n.2. l.2. de Purgator. c.6.* Rua *tom.2. controverſ.7. poſit. fol.317.* Delrius *lib.2. diſquiſit. Magicarum, quæſt.6. & quæſt. 16.* Torreblanca *de Magia, lib.2. cap.27. n.31. & de jure ſpirituali, lib.1. c.3. n.44.* Pereira *ad cap.7. Exod. n.48.* Oleaſter *in Annotationibus litteralib. ad cap.24. Numeror.* Salian. *anno Mundi 2979. n.76* Torniellus *Annalium, to.1. anno 2979.* Burgenſ. *1. Reg.28.* Malder. *de juſtitia, tract.10. cap.8. dub.3.* Valeſius *de ſacra Philoſophia, c.33.* Jodocus Coccius *tom.1. Theſauri Cathol. lib.5. art.10.* Caſtro *de punit. Hæretic. lib.1.* Soto *in 4. diſt.45. q.1. art.4.* Petrus Gregorius Toloſ. *de Republic. lib.15. c.5. n.8.* Freites *in tract.* Cunha *de ſolicitanti*, & alii multi Doctores, quos citant, ac ſequuntur Noſtri Elias à ſancta Thereſia *to.1. legationis Eccleſiæ militantis, lib.1. cap.23. n.15.* & Fr. Antonius à Matre Dei *in Præludium, ſeu Iſagogia ſacræ Scripturæ, Præl. 1. dub.14. n.317. fol.116.*

Fr. Elias, Fr. Anton.

6. D.Auguſt. Eucherius. Rabbanus. Beda. Hugo. Iſidor. Clar

Eſt tertia ſententia, quæ utramque opinionem dicit probabilem, quam videtur tenuiſſe D. Auguſtinus in epiſtola ad Simplicianum, dicens, utraque opinio cohærent cum textu; hanc ſententiam expreſsè tenent Eucherius, Rabbanus, Beda, Hugo, Iſidor. Clar. *1. Reg.28.* qui Auguſtini verba ad Simplicianum tranſcribunt D. Iſidor. *lib.8.* Origenes *c.9.* Namcherus *volum.5. Chronographiæ Gen.32.* Caſtro *lib.2. de juſta Hæretic. punitione, c.14.* Soto *de juſtitia, & jure lib.8. art.2. quæſt.3.* & alii, quos ſuppreſſo nomine citat Petrus Comeſtor *in Hiſtoria Eccleſiaſtica, 1. Reg.28.* & pro ſe adducunt D. Gregor. Nazianzen. *orat.3.* Ubi *Samuel per ventriloquam attrahitur, aut attrahi videtur.* Omnes tamen iſti Auctores in modo explicandi non conveniunt: Nam quidam dicunt veram animam Samuelis apparuiſſe Dei virtute, alii apparuiſſe dæmonis aſtu.

Origen. Nancher. D.Iſidor. Caſtro. Soto. Comeſtor.

QUÆSTIO II.

Reſolvitur ſententia pro parte affirmativa.

SUMMARIUM.

7 *Secunda ſententia eſt veram Sumuelis animam apparuiſſe Saüli.*

8 *Hanc ſententiam tenent Tertullianus, D. Auguſt in. D. Thomas, & n.9.*

10 *Hanc ſententiam docent alii Patres.*

11 *Probatur primò ex contextu Eccleſiaſt.* Dormivit, notum fecit Regi.

12 *Ponitur, & ſolvitur inſtantia Ianſenii, ac maximè ex multis refutatur, & n.13.*

14 *Probatur ſecundo ex verbis Eccleſiaſtici,* Exaltavit vocem ſuam de terra.

15 *Ex eiſdem Eccleſiaſtici verbis in Prophetia delere impietatem gentis, cum Syriaco. Probatur iterum.*

16 *Probatur Tertio noſtra ſententia ex 1. Reg. 28. ex multis verbis ponderatis, ac examinatis.*

7. Mihi veram ſententia eſt veram Samuelis animam è limbo Sanctorum Patrum revocatam Saüli apparuiſſe. Ita Auctores citati *ſuperiori quæſtione in ſecunda ſententia*, eam tenent communiter Patres. Ita Tertullianus *lib.3. adverſus Marcion. cap.5.* & de Samuele loquens ait.

Tertullian.

Talibus in vita ſpatio laudabilis exit,
Vt quoque poſt requiem Prophetica jura teneret.

8. D. Auguſtinus libro *de cura pro mortuis*, quamvis videatur oppoſitam ſententiam tenere, in hanc maximè inclinat; quia ex eo probat, mortuos vivis apparere, quia Samuel demortuus Saüli vivo apparuit, & futura de eventu belli ei prædixit. Scripſit autem D. Auguſt. hunc librum poſt illos, quos ad ſimplicianum ſcripſerat, ut patet ex *lib.2. Retract. cap.1. & 64.* Nam libri ad ſimplicianum fuerunt primi, quos D. Auguſt. factus Epiſcopus ſcripſit, librum autem *de cura pro mortuis* multo poſt elaboravit, in illoque aperte retractat ſententiam, quam antea tradiderat. Clarius, & *in libro de octo dulcitiis quæſtionibus, q.6.* ubi apertè oſtendit ſe retractaſſe priorem ſententiam. Sic ait: *Sed quam non fruſtra dixerim pedetentim in hoc genere ſimulatam Samuelis imaginem Pythoniſſæ miniſterio præſentatam, exiſtimare debere, ne inquiſitionibus diligentioribus præſcribamus, mea poſterior*

D. Auguſt.

inquiſitio declaravit, quando inveni in libro Eccleſiaſtico, ubi Patres laudabantur ex ordine, ipſum Samuelem ſic fuiſſe laudatum, ut prophetaſſe etiam mortuus diceretur. Ex quo apertè patet, quod quamvis D. Auguſtinus prius exiſtimaverit, ſimulatam Samuelis imaginem apparuiſſe, tamen facta maiori inquiſitione, ac diligentia, prælecto libro Eccleſiaſtico, ſimpliciter, & abſolutè veram Samuelis animam apparuiſſe judicavit.

9. D. Thom. Eccleſ. 46. In hac eadem ſententia eſt etiam D. Thomas, nam licet in aliquibus locis videatur utramque partem probabilem judicaſſe, tamen 1. part. quæſt. 89. art. 8. ad 2. ſic ait: *De Samuele dici poteſt, quod ipſe apparuit, per revelationem divinam, ſecundum hoc, quod dicitur Eccleſiaſtici 46. quod dormivit, & notum fecit Regi finem vitæ ſuæ: vel illa apparitio fuit procurata per Dæmones; ſi tamen Eccleſiaſtici authoritas non recipiatur, propter hoc quod inter canonicas ſcripturas, apud Hebræos non habetur.* Cum omnes Catholici teneantur Eccleſiaſticum recipere, inde ſecundum aſſertum D. Thomæ, nullus poteſt negare, veram Samuelis animam apparuiſſe, nam ſi illa apparitio eſt phantaſtica, ſolum hoc poteſt dici ab eo, *ſi Eccleſiaſtici non recipiatur auctoritas.*

10. Origen. D. Baſil. D. Ambr. D. Zen. Hanc ſententiam tenet Origines, *De engaſtrimytho.* D. Baſilius epiſtol. 80. ubi mutat ſententiam, quam antea docuerat *ad c. 8. Iſai.* D. Ambroſ. ad cap. 1. Lucæ dicens, *Samuël poſt mortem ſecundum ſcripturæ teſtimonium futura non tacuit.* S. Zeno Veronenſis *ſerm. de Reſurrect.* loquens de Samuele ait, *Saüli Regi deſideranti ſine ambiguitate non tantum ſuam præſentiam exhibet, ſed etiam ad conſulta reſpondet, liberiúſque canit mortuus, quam canere conſueverat vivus; unde libet exclamare: profectus potius eſt, quam mortuus.*

11. D. Auguſt. D. Thom. Eccleſ. 46. Probatur. Primo fundamento D. Auguſtini, ac D. Thomæ ex Eccleſiaſtico, ubi Patres ſuo ordine laudantur, & de Samuele dicitur cap. 46. num. 23. *Poſt hæc dormivit, & notum fecit Regi, & oſtendit illi finem vitæ ſuæ.* Ubi ex eo laudatur Samuël mirifice, quia adhuc poſt mortem ſpiritu prophetico reſpenduerit; At ſi non eſſet verus Samüel, ſed dæmon, qui in ejus figura & forma Saüli vitæ finem prædixit; quæ laus inde decantatur de Samuele. Quod confirmo meo judicio efficaciter. In eodem contextu de vero Samuele dicitur, quod *dormivit*, ſimul poſita copulativa *&*, adjungitur *notum fecit Regi, & oſtendit illi finem vitæ ſuæ*, ergo ſicut illud *dormivit* refertur ad verum Samuelem, ſic & illud ſecundum, *notum fecit Regi*; valdè alienum eſt, quod in eodem contextu verborum, ac cum copulativa *dormivit* referatur ad veram perſonam Samuelis, & illud immediatum *Notum fecit Regi* ad phantaſticum Samuelem.

12. Innſeni. Nec ſat eſt ſi dicas cum Ianſenio, ad Samuelis laudem pertinere, quod non permiſerit Deus dæmonem mentiri, cum in perſona Samuelis loqueretur, ac proinde ſi dæmon immediate illam prophetiam diceret, tamen Samueli tribuitur, quia propter illum, & propter ejus nomen, conceſſa eſt à Deo.

13. Sed contra, & primo; ex nullo fundamento cogimur ad tam violentam Textus expoſitionem. Secundo, quia ut dixi in confirmatione, Sicut illud *dormivit* refertur ad veram perſonam Samuelis, ſic & illud prophetavit *notum fecit Regi*. Tertiò. Aliqui Authores oppoſitæ ſententiæ dicunt, quod Samuel edoctus fuit à Deo, & inde ipſe docuit diabolum de futuro eventu, ut illum annuntiaret, & intimaret Sauli. At quid hæc? cum facilius eſſet, quod Samuel illa Saüli diceret.

14. Eccleſ. 46. Probatur ſecundo ex eodem Eccleſiaſtico citato loco; *exaltavit vocem ſuam de terra, in prophetia delere impietatem gentis.* Singulas has dictiones expendamus, quæ aperte oſtendunt Samuelem, non dæmoni fuiſſe locutum, *exaltavit vocem ſuam de terra.* Hoc eſt diſtincta, aperta, alta, & clara voce dixit, in quo maximè diſcriminatur, & diſtinguitur à voce Magorum, ac eorum, qui arte diaboli aguntur, qui ſemper ſubmiſſe, obſcure, ac cum ambage loquuntur, & ideo Pythoniſſæ, ventriloquæ dicuntur, quia tanquam è ventre confuſos ſonos, ac tanquam inarticulatos videntur edere, ut obſervant Abulenſ. *ad 1. Reg. c. 28. q. 9.* Viven. *in lib. 7 de civitate, cap. ultimo.* Rodiginus *lib. 8. c. 10.* Leo Allatius *in ſyntagmata de engaſtrimatho. c. 5.* Ut ergo agnoſceremus non dæmonem, ſed Samuelem fuiſſe locutum, ait alta voce dixiſſe, ſicut de Chriſto D. dicitur Ioan. 11. voce magna clamaſſe: *Lazare veni foras.* Lyranus ibi ait: *Ad declarationem miraculi, quia ſi dixiſſet in ſilentio, poſſent dicere adverſarii, quod verba Magica dixiſſet.* Abulen. Viven. Rodigin. Allatius. Ioan. 11.

15. Eccleſiaſt. Syr. acus. Pergit Eccleſiaſticus citato loco: *In prophetia delere impietatem gentis.* Syrus vertit. *In prophetia ad ceſſare faciendum peccata.* Ecce clara eſt vox Prophetæ, & non diaboli, cujus vox, & machinatio eſt, non ad ceſſanda peccata, ſed ad ipſa multiplicanda, non ad delendam impietatem, ſed ad ipſam maximè plantandam, ac propagandam; ergo vox eſt ſancti Prophetæ, cujus mens, ac intentio tota eſt abolere, ac extirpare peccatum, & ideo in pœnam peccati, ac impietatis populi, prædixit Samuel tantam cladem futuram in Populo, ut inde omnes cauti fierent ad talia peccata fugienda: Et ideo propter hunc locum Eccleſiaſtici D. Auguſt. & D. Thomas tenent hanc ſententiam.

16. 1. Reg. 28. Ariſtoteles. D. Thomas. 1. Petri. Iob 1. Probatur tertiò ex 1. *Reg. c. 28.* ubi ille qui apparuit Saüli, *ſenex dicitur Samuel*, quod proinde pro ejus perſona propriè accipiendum eſt, & non pro ejus figura, ſeu imagine, ac proinde de ejus anima intelligendum eſt, quæ eſt quid præcipuum in homine, ſemper enim res videtur ſupponi, ac accipi, pro eo quod in ea eſt præcipuum, ut ex Philoſopho docet D. Thom. 1. 2. *q. 106. art. 1.* Ac proinde Samuelis nomine illius anima eſt ſubintelligenda, quod ex multis denotatur, tum ex venerabili forma, qua apparuit, ita ut Pythoniſſa, quæ bene agnoverat diabolum, ait, *Deos video aſcendentes*, & Saül inclinavit ſe in terram adorans. Deinde Samuel ait, *Quare inquietaſti me.* Quia enim maximè juſtorum animabus, quæ in pace requieſcunt, convenit potius, quam corpori, quod corruptioni eſt obnoxium, & multo minus diabolo, qui ſemper circuit, quærens quem devoret, ut ait Petrus, & apud Iobum *circuit terram.* Deinde ait Samel

Samuel ad Saül, *faciet Dominus sicut locutus est in manu mea.* De regno ab ipso Saüle auferendo, ut ei prædixerat Samuel. Vivens. *1. Reg. 15. num. 13.*

QUÆSTIO III.

Ponuntur, ac solvuntur argumenta Primæ sententiæ.

SUMMARIUM.

17 *Ponitur primum argumentum ex authoritate D. Augustini, & D. Hieron.*
18 *Explicantur sancti Patres.*
19 *Argumentum ex Decreto Gratiani ponitur.*
20 *Explicatur, quod allegationes in Decreto Gratiani non plus habeat authoritatis, quam in codice suorum Authorum.*
21 *Arguitur tertio, quia videtur valdè alienum, quod anima Sancti Prophetæ Samuelis obediret arti magicæ Dæmonis.*
22 *Anima Samuelis venit non ex arte Dæmonis, sed ex imperio Dei, quod ex multis probatur.*
23 *Quando aliquod malum intentatur, Deus multoties prævenit, ac impedit ne fiat.*
24 *Quinto arguunt cur Samuel dixerit* quare inquietasti me.
25 *Dolet Samuel, quod fuerit vocatus incantationibus.*
26 *Quintum argumentum, ac solutio, quod Samuel, & Saül erant simul quoad conditionem mortuorum, n. 27. & 28.*
29 *Deus Saüli noluit respondere per vivos ad majorem pœnam Saülis.*

17. SIc Authores primæ sententiæ, pro ea primo argumentantur, Samuelis animam de facto Saüli non apparuisse, & probant authoritate D. Augustini. *lib. 2. de Doctrina Christiana c. 23. & lib. 2. quæst. ad Simplician.* Vbi in eam partem inclinat, ut non verus Samuelis spiritus apparuerit, sed aliquod phantasma, vel imaginaria illusio dæmonis arte conficta. Et confirmatur ex D. Hieronymo ad cap. 6. Matth. in fine, ubi ait: *In Samuelis phantasmate Pythonissa loquebatur ad Saülem:* ergo non vera Samuelis anima, sed quoddam phantasma loquebatur.

D. Augustini.

D. Hieron.

18. Respondetur D. Augustinum *in citato lib. 2. de Doctrina Christiana*, illam sententiam solum per modum instantiæ, & exempli attulisse, ad quod sufficit, quod aliorum opinionem judicaret probabilem; intendebat ibi D. Augustinus probare, Magis non esse adhibendam fidem, etiamsi aliquid verum eveniat, ex iis, quæ prædicunt. Ad locum *ex epistola ad Simplicianum* dicimus, quod etsi in illo loco tenuerit eam sententiam, postea eam retractavit, ut dixi superiori quæstione in limine. Ad D. Hieronymum dicimus, quod Sanctus Doctor nullam partem huius sententiæ ex se determinat; nam ad *c. 7. Isiæ* ait, agens de hac quæstione, *quod plerique affirmant*, & ad *c. 13. Ezechiel* Solum dicit, *Pithonissa visa est Samuelis animam suscitasse.* Et si Patres fuerunt in hac quæstione valdè dubii ex eo erat, quia pro tunc Ecclesiasticus non erat receptus, ut Canonicus, ut modo est, cum ergo hic ait, quod in Samuelis phantasmate Pythonissa loquitur Saüli; intelligit quod ipsa Samuelis anima in phantasmate, seu corpore aëreo, ut juxta graves Doctores dicitur de Moyse apparuisse in Transfiguratione, ut dixi *tom. 4. in Evangel. c. 8. q. 12.* Sic intelligitur in præsenti, quod ipsa Samuelis anima in corpore aëreo, seu phantasmate apparuit.

19. Arguunt Secundo. Quia hæc sententia, Ecclesiæ sententia iam videtur determinata, & resoluta. Nam *cap. illud 26. quæst. 2.* & *in cap. Nec miram 26. quæst. 5.* expressè declaratur, ac dicitur, non Samuelis animam, sed ejus spectrum, dæmonis præstigiis Saüli apparuisse.

Cap. Nec mirum.

20. Negatur antecedens; nam Canones, seu authoritates appositæ in Decreto Gratiani, non magis obligant, nec maiorem autoritatem habent, quam in suis propriis authoribus ac proinde non ibi plus vendicant, quam dum sunt in Codice suorum Authorum, ita docent Caietan. *2. 2. q. 81. art. 5. dub. ultimò ad 1.* Soto *l. 7. de justitia, q. 3. art. 1.* Bellarm. *l. b. 2. de Romano Pontifice, cap. ultimo,* Suar. *de legibus, lib. 4. c. 5. n. 5.* Sanchez *de matrim. lib. 9. disp. 12. n. 3. & 5.* Salas *de leg. disp. 8. sect. 13.* Machado *tom. 1. lib. 3 part. 4. tract. 2. documento 3.* Valentia *tom. 3. q. 6. disp. 6. de voto, punct. 6.* Villalobos *tom 1. tract 2. difficult. 7.* Angian. *de leg. lib. 2. controvers. 9. n. 4.* Butrius *in proœmio Decretalium §. sanè n. 10. & 17.* Rebuffus *in repetit. l. quod iussit* in Glossa *magna n. 10. ff. de re judicata.* Emmanuel Rodriguez, Megala, Alciatus, & alii, quos citat, ac sequitur Diana *part. 3. tract. 6. Resol. 26. & part. 5. tract. 14. Resol. 68.* Ac proinde in decreto Gratiani solum illa habent rationem juris Canonici, ut benè advertit Anguianus *citat. n. 22.* quæ sunt Decreta Conciliorum, ac Pontificum, cætera verò eandē authoritatem habent, prout sunt apud suos Authores, loca illa quæ adducuntur in citato loco à Gratiano, sunt ex D Augustino *in libro de cura pro mortuis*, vel de epistola ad Simplicianum, quam sententiam retractavit ex lectione Ecclesiastici, ut jam dixi *q. 2. n. 8.* Vnde authoritas D. Augustini nihil facit contra nos.

Caietan. Soto. Bellarm. Suar. Sanchez. Salas. Machado. Valentia. Villalobos. Angian. Butrius. Rebuff. Glossa. Rodrig. Megala. Alciat. Diana.

21. Dices tamen sapientium dicta, quæ allegantur *in Digestis* habent vim legis; ergo similiter Sanctorum dicta, quæ continentur in Decreto. Negatur consequentia, nam illa dicta Iurisprudentium habent vim legis, non tantùm quia sunt *in Digestis*, sed quia Iustinianus Imperatoriis authoritatem dedit, tanquā si fuissent ab ipso Imperatoris ore prolata, & ab ejus propriis constitutionibus emanantia, ut patet ex *l. 1. Cod. de veteri jure enucleando*, at talis authoritas non reperitur in Decreto Gratiani, nec aliquis Pontifex ei dedit talem authoritatem. Nam Pius IV. Pius V. Gregorius XIII. curarunt, ut ipsum Decretum Gratiani, ut liber maximè utilis ab erroribus Typographi expurgatus, imprimeretur, nam in antiquis editionibus plusquam quadraginta errores inveniri testantur Felinus *in c. 2. de rescript. n. 43.* Cœpola *de cognitione librorum iuris Canonici, n. 18.* Tiraquellus *de nobilitate*

L. 1. Cod. Pius IV. Pius V. Greg. XIII. Felinus. Cæpola. Tiraquel.

tate, c. 31. *n.* 538. Rojas *de hæreticis*, *part.* 1. *n.* 58. & alii.

22. Arguunt tertiò; quia illa figura, ſeu umbra Samuelis, obedivit Pythoniſſæ, eiuſque magicæ arti, proindeque ejus incantationi, dæmoniſque vi, ac poteſtate ſuſcitata videtur: Pythoniſſa non alium, niſi tantùm ſuum Pythonem, id eſt dæmonem familiarem evocavit: hoc autem valdè impium, & alienum eſt, ſentire de anima ſancti Samuelis Prophetæ, ut obediens eſſet, & veniret ex dæmonis imperio, fuit ergo, quæ apparuit larva dæmonis, non anima Samuelis.

23. Reſpondetur ad argumentum, quod Samuel apparuit, non obediens Pythoniſſæ, nec ejus arti, ſed imperio, ac juſſioni Dei; imò Deus pervenit, & impedivit omnem incantationem, quod ex multis patet, quia ubi primum Saül conſuluit Pythoniſſam, ſtatim abſque ulla mora, antequam ipſa ſua carmina magica, ſuoſque ritus magicos exerceret, ad Samuelem invocandum, ſtatim mulier vidit
1. Reg. 28. Samuelem 1. *Reg.* 18. *num.* 12. Secundò, quia mulier videns Samuelem, turbata eſt, cum adeſſet, antequam invocaret, quia ſi poſt ejus invocationem veniret, non turbaretur. Tertiò; quia mulier videns Samuelem, ipſum non agnovit, ſed ait, *Deos vidi aſcendentes.* Si autem Samuel adeſſet per ejus invocationem, benè eum agnoſcet, venit autem Samuel non ex incantatione magica dæmonis, ſed ex juſſione Dei, qui voluit impedire artis magicas, & eas prævenire, ac antea reſpondere, ut
Caietan. ait Caietanus, ut ita eſſet evidens, quod non dæmon, ſed Propheta ex Dei imperio reſpondebat, quod ſicut ipſe principium regnandi Saüli annuntiaverat, ita & finem vitæ, & re-
D. Auguſt. gni propter ſua demerita prædiceret, D. Auſtin. *ad Simplicianum*, *lib.* 2. *quæſt.* 3. & ait: *Non eſt abſurdum credere ex aliqua diſpenſatione divinæ voluntatis permiſſum fuiſſe, & non invitus, nec dominante, aut ſubjugante magica potentia, ſed volens, atque obtemperans occultæ diſpoſitioni Dei, quæ & Pythoniſſam illam, & Saülem latebat, conſentiret ſpiritum Prophetæ oſtendi aſpectibus Regis, divina eum ſententia percuſſurus.*

24. Quòd autem, cum aliqua mala intentantur, Deus prævenians impediat, ne ipſum malum perficiatur, patet. Nam cum Balaam vellet conſulere dæmonem pro Balac Rege Moab, prævenit eum Angelus Dei, ut illam, altam ac illuſtrem de Chriſto Domino, ac Iſraël prophetiã, per ipſummet Balaam edidit,
Num. 22. *Numer.* 22. *n.* 32. Similiter cum Rex Ochoſias ægrotaret, & pro ſua ſalute mitteret legatos, ad conſulendum Beelzebub idolum, prævenit eos in itinere Elias, & propter illud peccatum, ex Deo mortem prænuntiavit, ac intimavit,
4. Reg. 1. 4. *Reg.* 1. *num.* 16.

25. Arguunt quartò; ille, qui apparuit, conquæſtus eſt de Saüle, quia Nicromantiæ virtute ipſum evocaverit, non juſſu Dei, inde
1. Reg. 28. evocatus ait: *Quare inquietaſti, me ut ſuſcitarer*, c. 28. n. 15. Ergo ille apparens, non venit ex juſſione Dei, cujus imperio ad nutum, maximè juſti obtemperant; ergo ille, qui apparuit, non erat ipſemet Samuel juſtus, ſed quod dam dæmonis ſpectrum. Et confirmatur, quia audiens Saül, quod Samuel apparebat: *Inclinavit ſe in terram, & adoravit*, citato cap. 28. n. 14. Si autem eſſet verus Samuel talem adorationem ſibi deferri non permitteret, quia ſoli Deo hanc dandam eſſe, ipſe Samuel ſæpè docuerat, ergo non erat ipſemet Propheta, ſed dæmon ejus loco.

Reſpondetur ad argumentum, quod Samuel conqueritur, non quia juſſus eſt à Deo, 26.
quia tunc non invitus veniebat cum maximè obediens, & volens eſſet obtemperans Deo, ſed conqueritur, quod ſuſcitatus fuiſſet per media illicita artis magicæ, quod ei maximè diſplicebat, & quamvis Saül non fuerit cauſa, fuit tamen occaſio ad talia peccata committenda, imò ex hoc maximè confirmatur noſtrum aſſerunt; quia diabolus actionibus Magicis, ac pecaminoſis non inquietatur, ſed potius delectatur, & maximè congaudet, dum mediis incantationibus evocatur in hominum perniciem. Ad confirmationem dicimus; Gen. 23. 1 Reg 24. 1. Reg. 25. D Thom.
quod adoratio latriæ ſoli competit Deo; at verò Duliæ, ſeu obſervantiæ datur viris ſanctis, & magnis; ſic Abraham adoravit filios Heth, *Gen.* 23. *n.* 7. David adoravit Saülem, 1. *Reg.* 24. *n.* 9. Abigail Davidem, *ibid.* 25. *n.* 23. de quo videndus eſt, D. Thomas 2. 2. *q.* 84. *art.* 1. *ad* 1.

Arguunt quintò; Samuel dixit ad Saülem: 27.
Cras autem, tu, & filii tui mecum eritis, 1. Reg. 1. Reg. 28.
28. n. 19. Samuel, ut juſtus erat in limbo Sanctorum Patrum, Saül autem ut impius deſcendit ad infernum damnatorum, utpotè moriens in actuali delicto magicæ, ac diabolicæ invocationis.

Reſpondetur quod illud *mecum eritis*, ſignificat generaliter, ac confusè ſtatum defunctorum, ac proinde idem eſt, ac ſi diceret: *Cras tu, & filii tui moriemini, & mecum eritis in ſtatu mortuorum*, diſpari tamen ſorte; nam Samuel in limbo Patrum receptus eſt, ſicut & de Ionatha multi dicunt, & ait Beda: *Nec* Beda.
enim ibi Saül malus, ubi Ionathan bonus meruit recipi, D. Auguſt. *lib.* 2. *ad Simplicianum*, *q.* 3. D. Auguſt.
ſic ait in perſona Samuelis: *Mecum eris, non ad æqualitatem fælicitatis, ſed ad parem conditionem mortis refertur, quod uterque homo fuerit, & uterque mori potuerit, iamque mortuus mortem vivo prænuntiabat.*

Arguunt ſextò: nam 1. *Reg.* 28. *num.* 8. ex- 29
preſè dicitur, quod Saüli Deus nec per viſionem, nec per Prophetas reſpondere voluerit 1. Reg 28.
ac proinde qui per Prophetam adhuc vivum reſpondere noluit, multo minus per Samuelem iam defunctum id efficeret. Reſpondetur negando ſequi Deum, qui noluit reſpondere per vivos, non reſpondiſſe per defunctum, quia utrumque maioris indignationis erat ſignum, itaut Saül, qui receſſerat à Deo, ex omni parte vehementer coarctaretur, tam à vivis, quàm à mortuis; à vivis, à quibus non habebat reſponſum; & à mortuis, ab illo nempe, à quo inauguratus fuerat Rex, dirum nuntium privationis Regni, ac vitæ, quia dignus erat hac pœna.

Quæ

QUÆSTIO IV.

An defunctorum animæ aliquando veniant ad nos superstites, ac viventes?

SUMMARIUM.

30 *Animæ separatæ sua naturali virtute non possunt venire, ac apparere.*

31 *Animæ defunctorum, sive sint in Cœlo, sive in Purgatorio, seu Inferno arte dæmonis non possunt venire, & apparere viventibus.*

32 *Vnde apparitiones, quæ faciunt dæmones fingentes se esse animas, sunt phantasmata arte dæmonis.*

33 *Et quando dæmon in corpore Dæmoniaci loquitur nomine defuncti mentitur.*

34 *Reprobantur aliqui, qui promittunt se post mortem apparituri.*

35 *Sæpè ex permissione Dei animæ apparent viventibus.*

30. PRimò dicimus de naturali potentia tam ipsarum animarum, quam dæmonis, postea de Dei virtute est agendum. Et primò certum est anima separatas sua naturali virtute non posse tales apparitiones efficere, risque multum repugnare; ut docet D. Thomas 1. *p. q.* 117. *art.* 4. & ait: *Non potest anima naturali virtute movere aliquod corpus, cum enim sit naturalis forma humani corporis, non habet vim movendi secundum locum, nisi corpus quod informat, & vivificat, quare anima defunctorum, neque assumere corpora, nec cum illis ad vivos venire possint.* D. Thomam sequuntur Caietanus ibi, ac communiter omnes Theologi. Anima separata cum sit naturalis forma sui corporis, aliud corpus secundum locum non potest movere, quia per respectum ad extraneum corpus, non est illius forma, per respectum ad proprium corpus, illud est redactum in pulverem, & anima non habet vim ad illud iterum componendum, & esto demus quod tale corpus adhuc superstes est, jam est informatum alia forma cadaveris, quam anima separata non potest expellere, nec valet producere sui unionem, ad tale corpus, nec potest sua naturali vi corpus aëreum efformare, quia anima separata nullam habet vim ad movendum corpus externum, ut ait Divus Thomas, & cum ipsa sit spiritualis, non potest agere per se in corpus materiale.

D.Thom. Caietan.

31. Nec tales animæ potestate, aut arte dæmonum possunt venire: Quia *Beatorum animæ in manu Dei sunt*, ut dicitur Sapient. 3. num. 1. & Deuteron. 33. num. 4. *Deus dilexit populos: omnes sancti in manu illius sunt.* Damnatorum autem animæ, perpetuis (Divino judicio) sunt addictæ suppliciis, & sine ejus permissione nequit diabolus finere egredi: *Vinculis æternis sub caligine reservavit*, Judas Apostolus *num.* 6. Animæ autem, quæ sunt in Purgatorio utpotè quæ à Deo durissimo carceri sunt mancipatæ, absque ejus licentia, inde exire non possunt, ac proinde cum in gratia, ac justitia sint confirmatæ, iam sunt in manu Dei, nemo de manu eius valet rapere, *Ioan.* 10. *num.* 28. Nihil in eis diabolus valet efficere, D. August. *lib. de cura pro mortuis, c.* 16. Petr. Thyræ, *libro* 1. *de apparit. spirituum, c.* 11. Petrus Bensfeld. *de confess. malefic. sub.* 2. *conclus.* 2.

Sapien. 3. Deutor. 33. Iudas Apost

Ioan. 10. D. August. Petr. Thyræ. Bensfeld.

32. Vnde apparitiones, quas faciunt dæmones, fingentes se esse animas defunctorum, ut in errorem inducant, sunt spectra, & phantasmata, ut tradunt Tertullian. *lib. de Anima, cap. ultimo* S. Thomas *part.* 1. *q.* 117. *art.* 4. Soto *lib.* 8. *de justitia. q.* 2. *art.* 2. *col.* 4 *vers. Sed rogas.* Pedrosa *in summa in* 1. *præcepto*, §. 10. Delrius *disquisit. magic. quæst.* 27. *sect.* 7. Sanchez *in Decalog. tom.* 1. *lib.* 2. *c.* 38. *num.* 23. Qui etiam bene advertunt, quod quamvis bona consulant, petantque suffragia fieri, aut aliquid restitui, id efficiunt gratia facilius illudendi, ac decipiendi.

Tertullian. D.Thom. Soto. Pedrosa. Delrius.

33. Quando autem in dæmoniaco dæmon se esse animam alicuius defuncti dicit, semper mentitur, ut tradunt Abulens. Martinus Delrio, quos citat Sanchez *allegatus num.* 24. quia anima defuncti nunquam aliud corpus ingreditur, & ut citati Doctores aduertunt id, quod prædscribunt, aliquando faciendum, aut quia circunstantes se obligarunt, aut quia aliud quod dicunt, in se est bonum, ac proinde ratione suæ bonitatis faciendum. Tamen advertit Thyræus *de Apparitionibus spirituum c.* 15. *n.* 20. dæmonibus nec bona consulentibus, obediendum esse, eo quod omnia bona, quæ consulunt, sunt dolosa, & tendunt in perniciem nostram.

Abulens. Delrius. Thyræus.

34. Unde non est temere imitandum, quod antiquitus ab aliquibus factum legimus, mutuo promittentibus, ut præmoriens superstiti appareret, certiorem eum de suo statu facturus, & quamvis res secundum se considerata, valeat culpa carere, ut docent Auctores statim citandi, quia tamen talis apparitio non est in potestate morientis, & objectum est expositum illusioni dæmoniacæ, ideomerito id reprehendunt Cirvelus *de superstitionibus part.* 3. *c.* 11. & Friburgus *in summa confessor. lib.* 1. *titu.* 11. *q.* 23 Martinus del Rio *lib.* 2. *disquisitio. Magicar. quæst.* 26. *sect.* 7.

Cirvelus. Friburg. Delrio.

35. Tamen concedendum, aliquas animas in cœlo beatas, aut in Purgatorio existentes, in infernove detentas, id Deo permittente ob aliquas justas causas, aliquando viventibus apparuisse, ut de Samuele est dictum *suprà quæst.* 2. sic & Judæ Machabæo apparuerunt Onias Sacerdos, & Jeremias Propheta, qui extendens manum dexteram dedit Judæ Machabeo gladium ad pugnandum contra adversarios populi Dei. 2. *Machab.* 15. *à n.* 12. & 13. &c. quod & multis aliis exemplis probant Martinus Delrio, Thyræus & eodem libro per multa capita.

1. Machab. Delrius. Thyræus.

* *
*

RESO

RESOLUT. XLIV.

An aliquando laudabile ſit, vel ſaltem licitum propria manu mortem comparare?

QUÆSTIO PRIMA.

Poauntur ea, quæ pro voluntaria morte inflicta pugnant cum exemplis.

SUMMARIUM.

1 *Nil eſt aliud diu vivere, quam diu torqueri,*
2 *Fuerunt aliqui, qui dicerent, non ſolum licitum, ſed laudabile ſeipſum interimere.*
3 *Fuerunt aliqui, qui amore mortis ſe vivos concremarunt.*
4 *Hæc ſententia probatur ex aliquibus locis ſcripturæ.*
5 *Probatur hæc ſententia auctoritate Patrum.*
6 *Comprobatur exemplo ſanctarum Virginum.*
7 *Pro hac re multas alias matronas in exemplum adducit D. Hieron.*
8 *Quod etiam confirmat exemplo Lucretiæ.*
9 *Multi etiam fuerunt viri, qui ſe ipſos occiderunt amore æternitatis.*

1. PRæſens vita omnium miſeriarum officina eſt, ſolus ille illam claudi dolebit, qui quietam odit, ferias malorum reſpuit, quique perenni vita, perennes appetit pœnas, & in perpetuis ærumnis æternare, unde rectè ait D. Auguſt. D. Auguſtin. *ſerm.* 17. de verbis: Domini: *Nihilque eſt diu vivere, niſi diu torqueri.* Et ideo multi laboribus pleni illam exoptâre, D. Chryſ. unde opportune ait Chriſoſtom. homil. 49. in Matth. *Omnibus laborantibus dulcis eſt finis, viator libenter interrogat, ubi ſit manſio; mercenarius frequenter computat, quando annus compleatur; agricola ſemper tempus meſſis expectat, & mulier prægnans ſemper de decimo menſe cogitat.* Sic & ærumnis plenus mortem operitur, de illaque ſemper cogitat. Hoc poſito.

2. Fuerunt Donatiſtæ, qui *Circumcelliones* dicebantur, qui non ſolum exiſtimabant licitum, ſed opus eſſe eximium, & magni meriti, atque quoddam martyrij genus, quod aliqui ferro, vel igne ſe ipſos neci darent, alioſque vel minis additis, vel precibus cogerent, ut D. Auguſt. eos interficerent, ut refert D. Auguſtinus *Hæreſi* 69. & dicebantur *Circumcelliones*, vel Philaſtr. ut Philaſtrius ait *Hæreſi* 37. Circuitores, quia varias terras circuibant, ut invenirent aliquos, à quibus interficerentur, & hac de cauſa aliquando latrocinia faciebant. Hujus Petilian. erroris Auctor fuit Petilianus Donatiſta.

3 Ex alio capite etiam apud Iudæos fuerunt *Gymnoſophiſtæ*, qui vocabantur Samonei, qui pulchrum, & elegans dicebant occupare diem fati, ſeu mortis, & vivos ſe cremari jubebant; quia ſcilicet vitam, ut quandam naturæ ſervitutem inviti patiebantur, & mortem expectare pro decore habebant, de quo latè agunt Cælius Rodrig. *lib.* 13. *c.* 25. Quintus Curtius *lib.* 8. Tiraquel. *in annotat. ad c.* 25. *lib.* 2. Alexand. ab Alexand.

Hæc ſententia, ſeu error à ſacra Pagina 4. ſcuta protectionis aſſumpt. D. Paul. *Hebr.* 11. Hebræo 11. *n.* 32. Sanſonem in Catalogo Sanctorum adſcribit, qui ſe ipſum occidit. Elezearus ſummè laudatur à D. Ambroſio *lib.* 1. *Officior. c.* 40. D. Ambroſ. qui ſe ipſum Elephanto, quem occidit oppreſſit, 1. *Machab.* 6. *n.* 46. ſuoque voluntariè ſepultus eſt triumpho; de Razia, præclaræ ejus laudes deſcribuntur, 2. *Machab.* 14. *n.* 37. 2. Machab & ſtatim dicitur de eo, *n.* 42. quòd elegit: *Nobiliter mori potius quam ſubditus fieri peccatoribus*, & gladio ſe peremit, non occumberet autem nobiliter, ſi ſe occidere feciſſet contra rationem. Deinde ex obſervantia legis maximè ejus probitas demonſtratur. Saül etiam, admoto ad pectus mucrone proprii gladii ei incumbit ad mortem comparandam, *Reg.* 31. *num.* 5. quòd facinus plures excuſant, de quo 1 Reg. 31. agit Salianus ad annum 2979. *n.* 125. Salian.

Quòd etiam ex mente Sanctorum confirmatur, D. Hieronym. explicans illud Ionæ 1. 5. num. 11. *Mittite me in mare*; ubi ſe ultro ad D. Hier. necem offerebat, ſic ait Sanct. Doctor: *In perſecutionibus non licèt propria perire manu abſque eo ubi caſtitas periclitatur.* Ergo juxta mentem ſancti Patris, ubi caſtitas in diſcrimen vocatur, licitum erit mortem propria manu ſibi infligere, D. Ambroſius *lib.* 3. *de* D. Ambroſ. *Virginibus*, idem aſſumptum probat exemplo Pelegia. Pelagiæ Virginis Antiochenæ, ac duarum ſororum, ac matris earum, quarum iſta ſcilicet Pelagia ſubverſis prius idolorum aris, ſe ferro peremit; iſtæ verò una cum matre ſe in fluvium demerſerunt. Vbi ſanctus Doctor, ibi loquens in perſona harum Virginum, proponit multas rationes, quibus eorum placitum comprobare, ac approbare reſolvit.

6. In hac eadem ſententia cum D. Ambroſ. Euſebius. eſt Euſebius Cæſarin. *lib.* 8. *Eccleſiaſt. hiſtoriæ c.* 17. Ubi ſummis laudibus celebrat factum S. Sophron. Sophroniæ Romanæ, quæ cum intelligeret, quod à Mazentio Tyranno evocabatur, ut ejus eleganti pulchritudine frueretur, ſuum cubiculum ingreſſa, Deum flexis gentibus orans, ſuam pudicitiam Deo conſecrans, accepto mucrone pectus, ac viſcera tranſverberavit. Quod hæ fœminæ in hac nece ſibimet ipſis inferenda non peccaverint, inde optime probat *Euſebius proximè citatus*, quia Eccleſia Catholica, pretioſa, ac honorifica martyrum morte concelebrat. His merito adnumeranda B. Appollonia Virgo, quæ ſe expe- D. Apollon. diens è carnificum manibus in ignem ſe iniecit, cujus feſtum celebrat Eccleſia, die 9. Februarii: Cujus glorioſum martyrium multum Mantuan. celebrat noſter Mantuanus, & de eo agunt Euſebius. Euſebius *lib.* 6. *c.* 34. Nicephorus *lib.* 5. *c.* 3. Necephor. 6

Breviter hic adnectam, præclariſſimas matronas, quas magnopere laudat. D. Hieronymus *epiſtol.* 11. *& lib.* 1. *adverſus Iovinianum*, D. Hieron. Carthaginis ſcilicet Reginam, quæ magis ardere voluit, quam Regi Hiarbæ nubere, & Aſdrubalis vxorem, quæ apprehenſis utraque manu liberis, in ſubiectū ſe præcipitavit incen

incendium, ne pudicitiæ damna sentiret, necnon & trecentas Matronas ex genere Theutonum, quæ in captivitatem redactæ, cum cognovissent, se aliis viris captivitatis conditione tradendas esse, ut fidem prioribus servarent, mane suffocatis laqueo faucibus repetæ sunt, mutuis se tenentes complexibus.

8. D. Hieron Valer. Max. His etiam astringam cum D. Hieron. Lucretiam illam Romanæ pudicitiæ ducem, ut eam dicit Valerius Maxim. *lib. 6. cap. 1.* quæ violenter oppressa à Tarquinio, se ipsam interemit; puduit enim turpitudnis alienæ in se commissæ, etiamsi non secum, & nolens violatæ pudicitiæ supervivere, maculam corporis cruore delevit, ut dixit D. Hieronym. *lib. 1. ad Iovianian.*

9. His etiam fœminis maximè ab antiquitate laudatis adjungendi sunt viri illustres, qui cœlum appetentes sibi ipsis manus intulerunt, ut Cleanthes Chrysipp. & Zeno, & Empedocles Poëta Siculus, qui immortalitatem novo mortis genere affectans, se in Æthnam conjecit, ut cum repente non appruisset, translatus in Deum crederetur, quod optimè confirmat Romanæ Sapientiæ princeps Cato Vtic. *Cato Vticensis*, Vir sapiens, & doctus, quem mirificè laudat D. Augustt. D. Augustt. *lib. 1. de Civit. c. 23.* qui lecto Platonis *libro de æternitate*, ejus aviditate se ipsum interemit. Hæc sententia non solum exemplis, sed etiam rationibus dandis *q. 5.* Confirmatur.

Quæstio II.

Veritas Catholica statuitur, magno pondere Doctorum, ac utriusque.

SVMMARIUM.

10 *Resolutio vera, & Catholica, quod nullus potest semetipsum interimere.*
Probatur Resolutio magno numero Doctorum. Ibid.
11 *Probatur ex jure Canonico, quod magnas pœnas imponit semetipsum interficienti.*
12 *Probatur nostra vera resolutio ex pœnis, quas leges civiles imponunt semetipsum interficienti.*

10. CErta, & Catholica resolutio est: absque Dei auctoritate, ac ejus peculiari impulsu illicitum esse, aliquem se ipsum interimere. Hanc veritatem latè docent, ac tuentur D. Augustt. D. Augustinus *lib. 1. de Civitate, à cap. 17. usque ad cap. 27. & lib 1. contra Petilianum, c. 24. & lib. 2. cap 49. & lib. 2. ad Marcellian. Comitem, c. 21.* & aliis in locis. Optatus Milevit. Milevitan. *lib. 3. contra Donatistas.* D. Chrysost. D. Chryſ. *homil. 87. in Ioan.* D. Hieronymus D. Hieron. *epist. 25. ad Paulam super obitu Blesillæ.* Origen. Origenes. *tract. 2. in Iob.* ad illud, *Benedic Deo, & morere.* Lactant. Lactantius *lib. 3. de falsa Sapient. cap. 18.* D. Bonav. D. Bonavent. *in 3. disputat. 37. in exposit. literæ.* D. Thom. D. Thomas *secunda secundæ, quæst. 59. artic. 3. ad 2. & 64. artic 5. & quæst. 124. artic. 2. ad 2. & 3. part. q. 47. artic 6. ad 3.* D. Thomam sequuntur Caietan. Caietan. Bañez, Salon. Aragon Malderus, Noster Philippus à Sanctiss. Tri- Bañez. Sylveira Opuscula.

nitate, Ioan. à D. Thoma *citata, quæst. 64. artic. 5.* Sylvester, Victoria, Sotus, Covarruvias, Philarc. Petrus de Navarra, quos citant, ac sequuntur Lessius *lib. 2. cap. 9. dub 6.* Molina *de justitia. tom. 4. tract. 3 dub. 9.* Lugo *de justitia, disput. 10. sect. 1.* Simancas *de Catholicis institut. titul. 18. num. 26* Andræas Alciatus *lib. 6. Parergon. cap. 27.* Tiraquell. *de nobilitat. cap. 3. num. 559.* Philiaster, Castro, Ioannes Andræas, & alii multi, quos citat, ac sequitur noster Fr. Antonius à Matre Dei. *Præludio 1. Sacræ Scripturæ, digress. 4. num. 347. fol. 133.*

Salon. Aragon. Malder. Philipp. Ioan. à D. Thom. Sylvest. Victoria. Sotus. Covar. Philiar. Lessius. Fr. Anton.

11. Probatur primò, assertum, quia tam leges Ecclesiasticæ, quam civiles gravissimè puniunt illos, qui se ipsos interficiunt; quoad leges Ecclesiasticas ex Concilio Bracharensi *1. cap. 34.* ubi dicitur: *Placuit, ut hi, qui sibi ipsis, aut per ferrum, aut per venenum, aut per præcipitium, aut suspendium, aut quolibet modo violentam inferunt mortem, nulla pro ipsis in ob ationc commemoratio fiat, neque cum Psalmis ad sepulturam eorum cadavera deducantur.* Excipiuntur ab hac ex *cap. Parte 2. de sepulturis*, qui non sponte, sed casu, vel vi illata ab alio invitus se præcipitavit, ut ex utroque Textu colligunt Doctores, eos qui voluntariè se occiderunt, privandos Ecclesiastica sepultura: nam quamvis Concilium Bracharense prohibeat tantum Officium sepulturæ, eo ipso prohibet locum sepulturæ in Ecclesia, qui enim indignus est, ut pro eo Ecclesia fundat preces, consequenter indignus est ut habeat locum sacrum Sepulturæ. Ita Covarr. *in cap. Almæ mater, & lib. 2. variarum, cap. 1. num. 11.* Navarrus *consil. 7. de sepult.* Suarez *de censuris disp. 35 sect. 1.* Barbosa *de Officio Parochi, part. 3. cap 36. num. 49. & in Collectanea ad cap. Placuit 23. q. 5.* Rodrig. *tom. 3. quæst. 61. artic. 1.* Anton. Gomez *tom. 3. variar. cap. ultim. num. 8.* Ioan. Sanchez *in Selectis, disp. 36. num. 2.* Farinacius *in praxi criminali, part. 5. q 128 num. 28.* Julius Laborius *variar. lucubrat. tom. 1. tit. 2. cap. 11. num. 28.* Sayrus *Clavi Regia, lib. 7. cap. 9. num. 1.* Azor. *lib. 9. cap. 31. quæst. 5.* Menochius *de Arbitrar. casu 284. num. 35.*

Brachar. Covar. Navarr. Suarez. Barbosa. Rodrig. Ant. Gom. Ioan. Sanch. Farinac. Laborius. Sayrus. Azor. Menoch.

12. Quoad leges civiles. Probatur ex *l. si quis aliquid, § finali, ff. de pœnis, & ex l. Omne delictum, §. Qui se vulneraverit, ff. de miliari.* Ubi occidens se ipsum punitur infamia; ubi per leges, qui se ipsos occidunt, vel occidere faciunt, vel intentant, infames fiunt, etiam morte non secuta. Ita Joan. Andreas *in Additionib. ad speculatorem, tit. de pœnis, §. 1.* Igneus *in l. 1. §. si sibi manus, ff. ad Syllam. n. 17. & 20.* Tiraquel. *de Nobilitate, c. 3. n. 559.* ubi adducit *legem qui rei, §. Sic autem, ff de bonis eorum, qui sibi mortem conscierunt.* Et apud Gentiles erant statutæ speciales pœnæ contra eos, qui se occiderunt, ut scribit Aristot. *3. Etchic. cap 7. & lib. 5. cap, 11* & Æschines *orat. in Ctesiphontem*, ait, qui se ipsum necaverit, manus, quæ hoc peregit, abscinditur, & separatim à corpore sepelitur.

12. L. Omne. Ioan. Andr Igneus. Tiraquel. Arstot. Æschines.

Quæstio II.

Probatur eadem veritas D. Thomæ rationibus, ac aliis etiam magni ponderis.

SUMMARIUM.

13 *Probatur primò, ex naturali inclinatione, quares appetit ſuam conſervationem.*
14 *Ex charitate qua quilibet tenetur ſe ipſum diligere.*
15 *Ex lege abſolutè prolata non occides.*
16 *Secundum Scripturã hominis inclinatio dicitur ad malum ſecundum partem ſenſitivam, & n.17.*
18 *Probatur ſecundò, ex gravi damno, & injuria, quæ fit Reipublicæ.*
19 *Reſpublica non poteſt dare licentiam ut quilibet ſe occidat, & n.20.*
21 *Probatur tertiò, quia ſolus Deus eſt Dominus vitæ.*
22 *Confirmatur, quia ille, qui occidit ſervum alienum injuriam facit Domino.*
23 *Etſi homo accepit Dominium omnium rerum tamen in ſe ipſum.*
24 *Qui ſe alteri vendit, non dat illi dominium, in vitam, & corpus ſuum, ſed tantum in ſuas actiones, & n.25.*

13. D. Thom. NOſtram veram, ac certam reſolutionem probat Divus Thom. 2.2. quæſt. 64. artic. 5. *Quia naturaliter quælibet res ſeipſam amat, & ad hoc pertinet, quod quælibet res conſervat ſe in eſſe, & corrumpentibus reſtitit quantum poteſt, & ideo, quod aliquis ſe ipſum occidat, eſt contra inclinationem naturalem, & contra charitatem, qua quilibet debet ſe ipſum diligere.* Ex quibus ſic formatur hæc ratio, quincunque agit contra inclinationem naturalem, & amorem, quem recta ratio dictat, ſi eſt in re gravi, peccat mortaliter contra jus naturale, ſed qui ſe occidit facit in re gravi contra inclinationem naturalem, & contra amorem, quem recta ratio dictat, ergo peccat mortaliter. Minor probatur, quia unaquæque res natura duce, ac recta ratione dictante, propriam vitam amat, & illius contrariis reſiſtit, quantum poteſt.

14. Confirmatur. Primò, ex charitate debet quilibet diligere ſe ipſum pluſquam proximum, *Charitas bene ordinata incipit à ſe ipſa*, & ideo regula diligendi proximum, ex ſe ipſo eſt accipienda; dicitur enim, *Diliges proximum ſicut te ipſum*; ergo ſi occidēs proximum, facit contra charitatem, ac illius præceptum, quod dicit, *non occides*: multo magis contra illam agit, qui ſe ipſum occiderit.

15. Confirmatur ſecundò, quoniam lex abſolutè, & ſimpliciter prolata eſt, lex ait, *non occides*; & non addit proximum tuum, ſed lex quæ prohibet falſum teſtimonium, dicit *falſum teſtimonium non dices adverſus proximum tuum*; & tamen in hoc præcepto etiam comprehenditur ille, qui adverſus ſe dicit falſũ teſtimonium; ergo etiam à fortiori in illo præcepto *non occides*, non ſolum intelligitur ille, qui occidit proximum, ſed etiam qui ſe ipſum occidit, & hac ratione D. Auguſt. *lib. 1. de Civit. cap. 2.* probat noſtrum aſſertum. D. Auguſt.

16. Obicies contra rationem D. Thomæ. De inclinatione naturali ſic: hominis inclinatio nõ eſt ad bonum, ſed ad malum. *Geneſ. 8. n. 21.* Geneſ. 8. dicitur, *Senſus enim, & cogitatio humani cordis in malum prona ſunt ab adoleſcentia ſua*, & Sapient. 12. n. 10. de peccatoribus agens ait, *Nequam eſt natio eorum, & naturalis malitia ipſorum*: ergo malitia naturalis eſt, ac proinde inclinatio ad malũ, & non ad bonũ naturalis eſt. Sap. 11.

17. Reſpondetur ad locum Gen. Scripturam ibi non agere de inclinatione naturali hominis, quæ congenita eſt cũ ipſa natura, ſed de actibus partis ſenſitivæ, quæ frequẽter tendunt in obiecta ſenſibilia, ac delectabilia, & ideo aliquando contra rectam rationem, & inde dicuntur proni eſſe ad malum. Ad locũ Sapientiæ reſpondetur cũ D. Th. 1. *p. q. 63. art. 4. ad 2.* D. Thom. quod idem etiã tradunt Hugo, & alij expoſitores ad citatum locum; malitiam dici *naturalem*, non quia aliqua natura mala creata ſit à Deo, ut dixerunt *Manichæi*, ſed quia malitia peccatorum, nimis inveterata, & radicata eſt in aliquibus, ut in Pharaone, ut per conſuetudinem, quæ eſt altera natura, quaſi in naturam verſa ſit, de quo videndus eſt D. Auguſt. *lib. 2. de nuptiis, & concupiſc. cap. 8.* Hugo. D. Auguſt.

18. Probatur ſecundò, noſtrum aſſertum ex D. Th. *citato loco*, nemini licet ſpoliare aliũ re ſua, cum gravi damno, & injuria illius, ſed qui ſe occidit ſpoliat rempublicam re ſua, quia quilibet homo eſt Reipublicæ, ac pars illius & quælibet pars, id, quod eſt, eſt totius, ergo nemini licet ſine gravi Reipublicæ injuria ſe ipſũ occidere. Unde ait Ariſtot. 5. *Ethic. c. ult.* qui ſe occidit, facere injuriam civitati. Sic ait: *Quapropter eſt inſtituta ignominia quædam adverſus eum, qui ſibi mortem conſcivit, ut civitati injuriam facienti.* D. Thom. Ariſtot.

19. Argues contra hanc rationem ex injuria illata Reipublicæ; at ſi Reſpublica det conſenſum, & licentiã, ut aliquis ſe occidat, tunc non fiet injuria Reipublicæ, & tamen occidens ſe peccabit; ergo ratio nõ ſtat. Confirmatur, quia ſi quis ſit ſolitarius, nullíque Reipubl. addictus, occidẽdo ſe, nulli Reipubl. facit injuriã, & tamen peccabit; ergo ratio illa non eſt bona.

20. Reſpõdetur. Quod quamvis Reſpublica habeat poteſtatem ad occidendos malefactores, non tamen habet dominium in vita ſuorum ſubditorũ, qui bene, & honeſtè vivũt, & ideo pro libito non poteſt dare cuiquã licentiã ut ſe occidat: nã ipſius Reipublicæ eſt procurare bonum commune, & cuſtodire vitam ſuorum civium, hoc autẽ jus violat, qui ſe, vel alium occidit, & mutilat. Ad confirm. dicimus, quod ille ſolitarius, ad aliquam communitatem pertinet: nam alicuius terræ, ac patriæ filius eſt; & eſto ipſe ſolus ſit in mũdo, & nulli Reipublicæ faciat iniuriam, peccat tamen contra ſe, & contra Deum, ut eſt dictum; ad ſolum Deum pertinet occidere, & vivificare. Ratio autem D. Thomæ procedit de rebus communiter, ac ſecundum præſentem ſtatum.

21. Probatur tertiò, ratione eiuſdem D. Thomæ. Quia homo nõ eſt dominus vitæ ſuæ, ſed ſolus Deus, qui occidere, & vivere facit, à quo illam homo dono accipit, ergo nequit homo de illa pro libito diſponere, ac illam deſtruere; D. Thom.

ſtruere : nam talis rei deſtructio proprius eſt actus Domini, ſub cujus poteſtate eſt, qui valet de illa ad ſuum beneplacitum facere quidquid ei placuerit.

22. Confirmatur. Ille, qui occidit ſervum alienum, injuriam irrogat proprio domino, & qui alienum ſubditum punit, injuriam facit judici illius, cujus judicium uſurpat; ergo cum ſolus Deus ſit Dominus vitę hominis, qui Dei ſervus eſt, ad ſolum Deum, Dominũ, ac judicium de illius vita pertinet, juxta illud Deut. 32. n. 39. *Ego occidam, & ego vivere faciam*; ergo magnam injuriã Deo facit, qui ſe ipſum occiderit. Hac eadem ratione utitur *Socrates* apud Platonem *in Phædone*, ut eandem concluſionem probet, ac confirmet. Dicens, quod *ſicut Dominus iraſcitur ſervo, ſi ſe voluerit interimere, ſic & Deus niſi ipſe jubeat.*

Deuter. 32.

Socrates.

23. Argues contra hanc rationem. Homo accepit à Deo dominium omnium rerum : *Omnia ſubjeciſti ſub pedibus ejus.* Pſal. 8. ergo etiam reſpectu ſui ipſius; & ſi dominus eſt, qui præeſt domui, & in illam habet imperium, ſic & homo interiori domui ſuæ præeſt, & in illa habet dominiũ. D. Zeno *ſerm. de duplici tentatione poſt medium* ſic ait: *Recordare, ô homo, quis eſt, qui largitus eſt tibi teipſum*: ergo homo habet dominium in ſe ipſum.

Pſalm. 8.

D. Zeno.

24. Reſpondetur; quod Deus homini dedit dominium omnium rerum, quæ ſũt extra ſe, dominium autem vitæ hominis Deus ſibi reſervavit. Et ratio eſt, quia Deus nõ concedit aliquid contra jus naturæ; jus autẽ naturæ dedit homini inclinationem naturalem, ut ſe conſervaret, ac proinde negavit poteſtatem, ut de ſua vita pro libito diſponere.

25. Inſtabis, & probo, quod homo in ſeipſum habet dominium. Homo poteſt ſe ipſum alteri vendere, ergo in ſeipſũ habet dominiũ, qu in alterũ transfert. Reſpondetur, qui ſe ipſũ vendit, nõ alteri dominiũ ſui dat, ſed ſolũ quoad aliquas operationes ſuas, quas propriè vẽdit: nam dominus, qui emit ſervũ, non habet dominium in vitam, ac corpus ſervi. ut poſſit illum occidere, aut membra corporis mutilare, aut ſecare, ſed ſolum illius operationes poteſt in proprium uſum, vel alienum convertere.

QUÆSTIO II.

Satisfit argumentis ab exemplis, ac ab auctoritate petitis in quæſtione prima

SUMMARIUM.

26 *Viri, & fœminæ in Scriptura ſe ipſos occidentes hoc fecerunt ex impulſu Dei.*

27 *Idem dicimus de Sanſone, quem martyrem appellat D. Bacharius.*

28 *Idem dicimus de Eleazaro.*
Razem, etſi à peccato aliqui excuſant, D. Auguſt. D. Thomas condemnant. Ibid.

29 *Fœminæ Gentiles ob ignorantiam excuſandæ. Sancta Apollonia, Sancta Pelagia ex impulſu Spiritus ſancti.*

30 *D. Hieronymus bene agnovit præceptum de morte ſibi non infligenda.*

31 *Explicatur Sanct. Doctor.*

32 *Contra Hæreticos, quibus exoſa eſt caſtitas, ponuntur fœminæ ſe ipſas occidentes.*

33 *Lucretia, & alij fecerunt ex imbecillitate animi.*

GEneraliter ad exempla adducta ex Scriptura, quæ viros, vel fœminas laudat ſe ipſos occidẽtes vel quia ab Eccleſia inter Martyres recenſentur, dicimus hoc factũ fuiſſe ex ſpeciali revelatione, vel impulſu Dei, ſic ait D. Auguſt. cit. lib. 1. de Civit. Dei, cap. 25. *Cum Deus jubet, ſeque jubere ſine ullis ambagib. intimat, quis obedientiã in crimẽ vocet? Quis obſequium pietatis accuſet?* Sícque quõ Abrahamus Deo jubente voluerit filium jugulare. 26.

D. Auguſt.

Idem dicendum eſt de Sanſone, ut docent D. Aug. *cit. lib. 1. de Civit. c. 26* D. Thomas 2. 2. *q. 64. art. 5. ad* 4. Innoc III. *in c. Gaudemus de divortiis.* Et D. Ambr. *epiſt. 24. ad Vigilium*, & quod zelo honoris Dei motus fuerit, patet ex religioſa ejus invocatione, ac priſtina fortitudine reſtituta; & inde inter Martyres eum annumerat S. Bacharius *epiſt. ad Ianuariũ.* Deinde poteſt dici, quod Sanſon directè intendit occidere Philiſthæos Dei hoſtes, & per accidens ſe ipſum occidit. Ita Lyran. Abulenſ. Caietan. Serar. & alij *ad c. 16. Iudic. n. 28. & 29.* Salian. *ad annum mundi 2899. n. 45.* 27.

D. Auguſt. D. Thom. Innoc III. D. Ambr. Bachar. Lyran. Abulenſ. Caietan. Serarius. Salianus.

Sic etiam dicendum de Eleazaro, qui ob commune populi bonũ, ſuppoſuit ſe Elephãto, quem occidit, illiùſque ruina ſepultus eſt. Raziam autem quem etſi à peccato excuſare volunt, ibi Lyran. & M. Lezana *tom. 1. Annalium Carmelit. ad annum 3893. n. 12.* quia in Textu dicitur *amator Civitatis, & vir bene audiens.* Tamen, quia ipſe ſe non interemit pro Dei honore, ac amore patriæ, ut populum ſuum liberaret, ut Sanſon, & Eleazarus, inde eum à peccato non excuſat D. Auguſt. *citat.* Imò D. Thomas 2. 2. *q. 64. art. 5. ad* 5. ait, quod in illo facto non veram fortitudinem oſtendiſſe, ſed magis quandam animi mollitiem, nõ valentis mala pœnalia ſuſtinere. Et D. Auguſt *epiſt. 61.* ait Raziam, eligẽdæ mortis non ſapientem fuiſſe, ſed impatientem potius ferendæ fortunæ adverſæ. 28.

Lyran. Lezana. D. Auguſt. D. Thom. D. Auguſt.

De Saüle, & Rabbini eum velint à peccato excuſare, tamen eum in illo facto deliquiſſe, eſt cõmunis ſententia. Ita Lyran. Abulenſ. Burg. Salianus jã citatus. Ad id quod dicitur de virginibus, quæ ſemetipſas occiderunt, ne virginitatem perderent, ſi à peccato volumus excuſare dicendõ eſt hoc feciſſe ex ignorantia quadam invincibili, exiſtimantes licitum eſſe ob cuſtodiendam virginitatem mortem ſubire. De Beata Apollonia, Pelagia, ac aliis ſimilibus hoc feciſſe dicimus ex impulſu Spiritus ſancti. Ita D. Ambroſ. Euſebius. 29.

Rabbini. Lyran. Abulenſ. Burg. Salian. D. Ambr. Euſebius.

Tota difficultas eſt ad locum D. Hier. *Non licet propria manu perire, abſque eo ubi caſtitas periclitatur.* Leſſius *lib. 1. de juſtitia, c. 9. dub 6. n. 23.* & alij, quos refert, & impugnat Cardin. Lugo *tom. 1. de juſtitia, diſp. 10. ſect. 1. nu. 16.* non reputant inconveniens dicere, quod Sanctus Doctor fuerit in ea ſententia ob cuſtodiam virginitatis licitam eſſe mortem ſibi inferri; abſit tamen quod Maximus Doctor tam generalis præcepti habuiſſe ignorantiam, cujus etiam multi Barbari, ac Ruſtici ignorant ã non habent, maximè cum ipſemet 30.

Leſſius. Lugo.

D.Hieron.*epiſt.25.ad Paulam*,in Chriſti perſona dicat: *Nullam animam recipio, quæ me nollente ſeparatur à corpore.*

31. Gloſſa. Aragon. Salon. Beñez. Turrecr. Barboſa. Cenedo. Cantic. 4. Ideo dicendum eſt cum Gloſſa *ad cap. Non noſtrum, 23.q.5.* ubi referuntur verba D.Hierony. Ibi Turrecremata,& etiam Aragonius, Salon,Bañez *citati ſuprà.q.2.n.10.* Barboſa *in tract de Dictionibus,dict.2.* Cenedo *poſt librum Canonicarum, & practicar. quæſtion.ſingular.2. n.4.* particula *Abſque*, ut intelligatur dictionem ſubſequentem non agi de illa. *Cantic.4. num.1.* dicitur, *Quam pulchra es amica mea, abſque ab eo quod intrinſecus latet*: non indicatur latentia non eſſe pulchra, ſed erat pulcherrima, cum dicitur ergo *abſque eo* denotatur, quod ſponſa in externa facit eſt valdè pulchra, abſque eo quod intrinſecus latet,de quibus modo non agimus, ſic cum ait Divus Hier. *Non licet manu propria perire abſque eo dum caſtitas particlitatur.* Illa particula *abſque* D. Hieron. *eo*, ita eſt, ac ſi dicat D. Hieron. de caſtitate ſervanda modo non ago, ſed ab hac quæſtione me abſtineo.

32. Ad alia loca ex eodem Sancto Doctore de fœminis Gentilibus ſemetipſas occidentibus. Non proponit Sanctus Doctor eas, ac ſi dignæ habeantur laude, aut imitatione ſint dignæ,ſed ex illis Hæreticos redarguit, quibus exoſa eſt caſtitas; & ex hoc etiam Chriſtianas fœminas confundit,quæ ut caſtè vivant, leviora non tolerant. Lucretiam optimo jure Ovid. condemnant Ovidius *in Faſtis*,dum de illa ait:

Succubuit famæ victa puella metu.

33. D.Auguſt. Et melius D.Auguſt. *citato lib.de Civit.c.19.* de Lucretia loquens ait: *Quod ergo ſeipſam, quoniam adulterium pertulit, occidit, non eſt pudicitiæ charitas, ſed pudoris infirmitas.* Per quod etiam patet ſolutio ad omnia alia exempla Gentilium,quos ad ſibi inferendam mortem, non magnitudo animi,ſed imbecillitas quædam, cordíſque mollities coëgit, ut ait Ariſtor. Ariſtoteles *3. Ethicor.cap.7.*& Lypſius Lypſ. *lib.3. Manudict. Diſſert.23.*

QUÆSTIO V.

Ponuntur, ac ſolvuntur argumenta contra noſtram reſolutionem.

SUMMARIUM.

34 *Primo poteſt quis alium occidere, ergo & ſeipſum.*

35 *Poteſt quis occidere alium ex juſto titulo, etiam & ſe ipſum, ſi Deus inſpiret.*

36 *Poteſt quis in multis caſibus non conſervare ſuam vitam, ergo & ſe ipſum occidere.*

37 *Magna eſt differentia inter præceptum negativum, & affirmativum.*

38 *Solvuntur exempla adducta in argumento.*

39 *Condemnatus ut veneno moriatur,non poteſt illum per ſe ſumere, nec Iudex poteſt cum ad hoc obligare.*

40 *Qui rigida pœnitentia utitur, non ideo hoc facit,ut vita brevior ſiat, ſed ut Deo ſatisfaciat:*

41 *Qui ſe occidit licet non peccet contra iuſtitiam, peccat contra charitatem.*

42 *Licet homo per peccatum tranſeat in conditionem brutorum, non poteſt tamen inde occidi, & n.43.*

44 *Peccatum majus malum, quam infamia,& mulier in articulo poſita, imploret Dei auxilium, ut provideat, & inſpiret quid agendum, & n.45.*

34. OPpoſita ſententia contra noſtram veram, ac Catholicam reſolutionem, non ſolum pugnat multis exemplis,magna Patrũ auctoritate,ut vidimus *q.1.* ſed etiam rigidis argumentis. Et primò. Non magis eſt contra quintũ Decalogi præceptũ, ſe ipſum occide- Decalog. re,ac occidere alium, ſed in multis caſibus licitum eſt alium occidere;quia hoc non eſt ita intrinſecè malum,ut multoties non liceat,ergo etiam aliquando licebit ſe ipſum occidere.

35. Ad argumentum reſpondetur.Concedo majorem,diſtinguo minorem; licitum eſt alium occidere,vel publica auctoritate ſecundum leges juſtitiæ, vel ſe defendendo cum moderamine inculpatæ tutelæ, concedo; quia Deus ita diſpoſuit, quod ratione juſtæ defenſionis poſſit quis alium occidere.Similiter licita erit ſui,vel alterius occiſio, ſi Deus alicui jubeat, vel interius divinitus inſpiret, quod ſe, vel alium occidat,ut diximus ſuperiori quæſtione de Samſone, Beatis Apollonia, ac Pelagia.

36. Secundò argumentantur, eodem præcepto tenetur quilibet non occidere ſe ipſum, ac ſuam vitam conſervare, ſed in multis caſibus licitum eſt propriam vitam non conſervare, v.g poſſum in naufragio,quando una ſola tabula eſt,illam dare amico,etſi ego pereã,cum inimicus me aggreditur, poſſum me non defendere, tempore peſtis potero infirmis miniſtrare Sacramenta, etiamſi mors certiſſimè ſit futura: Condemnatus ad moriendum veneno,vel fame,poteſt illud ſumere,vel à cibo clanculum oblato abſtinere; imò poteſt etiãſi ad fugiendum pateat aditus non fugere.

37. Reſpondetur ad argumentum; præceptum negativum ſe non occidendi ſemper, & pro ſemper obligat,ad abſtinendam ſe à tali actione,ex qua mors per ſe, vel ex intentione ſequatur,niſi Deus aliud jubeat.At præceptum affirmativum conſervandi vitam non obligat pro ſemper ad ponendum omne medium,quo poſſit vita conſervari, vel abſtinendum ab omni illo, quod poteſt ei nocere; quo poſito patet ſolutio ad adducta.

38. Cum inimicus me invadit, probabile eſt poſſe me nõ me defendere,maximè ſi ex ipſa defenſione proveniat aliquod dedecus, alias exiſtimo quod tenetur quiſque ſe defendere: ex charitate eximia, poſſum tabulam dare proximo, dummodo mea vita non ſit valdè neceſſaria Reipublicæ,& maximèinterveniẽte aliqua ratione honeſta; certum eſt, quod peſte laborantibus poſſum inſervire, de quo videndus eſt Diana *5.part.tract.4.Reſolut.28.* Diana. & *Reſolut.42.*An verò condemnatus,ut fame pereat, poſſit abſtinere à cibo abſcondite Malder. oblato?Affirmant Malderus,Azorius,Leſſius, Azor. & Sotus apud Dianam *citatum,Reſol.41.* ne- Leſſius. gant verò cum D.Thoma *2.2.q.69.art.4.* Ca- Soto. jetan.Bañez,& alii apud eundem Dianam,& D Thom. hoc mihi eſt probabilius, quia ut ait D. Tho. Caietan. *Non ſumere, eſſet ſe ipſum occidere.* Bañez.

Condemna

39. Condemnatus autem juſtè ad moriendum veneno, nequit illud voluntariè haurire, ut docent Lugo, Comitolus, Petrus Navarra, & alii apud Dianam *citatum Reſol. 29.* Quidquid in contrarium dicant Victoria, Aragonius, Corduba, imò etiamſi Iudex juſtè condẽnaret reum ad mortem, non tamen poteſt condemnare, ut ipſemet ſibi mortem inferat, ut docet D. Thom. *cit. loco*, & damnanda eſt conſuetudo aliquarum Gentium, ut apud Japones dicitur, ut reus ſit mortis ſentẽtiæ executor, vel venenũ bibendo, vel ventrẽ ſuum ferro ſecando.

Lugo. Comitol. Navarr. Diana. Victoria. Aragon. Corduba. D. Thom.

40. Dices. Licitum eſt vitam breviorem facere aſperitatibus, jejuniis, etiam ex conſilio confeſſorum: ergo etiam erit licitum jubente Judice in pœnam criminis ſe ipſum occidere. Negatur conſequentia; nam ille qui facit rigidam pœnitentiam, non id primario intendit, ut vita abbrevietur: nam ſi id tali intentione præſtet, peccabit mortaliter; ſed id quod primario intendit redigere carnem in ſervitutem Spiritus, Deo placere, & ſatisfacere pro peccatis, licet per accidens inde proveniat, ut vita abbrevietur.

41. Arguitur tertiò. Homicidium inde eſt peccatum, in quantùm juſtitiæ contrariatur, ſed nullus poteſt ſibi ipſi injuſtitiam facere, ut docet Ariſtot. 5. *Ethic. cap. vlt.* quia ſicut juſtitia eſt ad alterũ, ita & injuſtitia, ergo nullus peccabit occidendo ſeipſum. Reſpondetur, homicidium ſui non ſolum eſſe peccatum, prout contrariatur juſtitiæ, ſed etiam prout contrariatur propriæ dilectioni, proindéque qui ſe occidit, non peccat contra juſtitiam, ſed contra charitatem, per reſpectum verò ad Deum, ac Rempublicam; peccat contra juſtitiam, cõtra Deum, quodammodo contra iuſtitiam commutativam: nam quamvis hæc detur inter æquales, tamen quantum ad rem ablatam, cum uſurpet dominium Dei, cum ipſe ſolus ſit Dominus vitæ, & quoad Rempublicam peccat contra juſtitiam legalem; qua Reſpublica habet jus ad cuſtodiendam ſuorum vitam.

Ariſtot.

42. Arguitur quartò. Cuilibet licet occidere bruta animalia; atqui homo peccando decidit à dignitate humana, & tranſit quodammodo in beſtiarum ſervitutem, ut ait D. Thom. 2. 2. *q. 64. art. 2. ad 3.* ergo cuilibet licebit illum occidere, quia illius mors cedit in bonum communitatis, ſicut imperfectum ordinatur ad perfectius. Confirmatur. Peccator eſt membrum putridum, & reipublicæ nocivum; ſed quilibet poteſt ſibi ipſi membrum putridum amputare ob bonum totius, ergo etiam poterit propter bonum reipublicæ, ſe totum perimere, utpote membrũ putridum reipublicæ.

D. Thom.

43. Ad argumentum, concedo majorem, & etiam minorem, nego conſequentiam, quia licet per peccatum homo tranſeat in ſervitutem brutorum, poteſt tamen ſurgere, & ab illa miſera conditione ſe expedire, ac in ſortem filiorum Dei tranſire, quia Deus dat locum pœnitentiæ, & ab ipſa ſorte futura contingenti non poteſt ſe homo privare. At bruta nunquam à tali conditione poſſunt ſe liberare. Ad confirmationem dicimus, quod nullus tantum ex ſuo judicio poteſt membrum putridum abſcindere, hoc faciendum eſt judicio, medici, & tunc poteſt membrum abſcindi quando nulla eſt ſpes ſanitatis, at homo, quãvis magnus peccator ſemper poteſt habere ſpem, quod mediante gratia Dei reſurgat.

Arguitur quintò. Licitum eſt, ut majus malum evitetur, minus admittere, ſed aliquando per occiſionem ſui ipſius vitat quis majus malum, ſcilicet ignominiam, infamiam, quæ in hominum æſtimatione, eſt majus malum, quam mors, vel evitat violentiam caſtitatis, ergò ſaltem tunc erit licitum ſeipſum occidere. Confirmatur. Ponamus caſum, fœmina pro certo habet, quod opprimenda ſit à Tyranno, & timet ex ſua fragilitate, quod libidine illecta conſentiat, etiamſi violenter rapiatur, ergo ne anima peccato polluatur, poteſt per excidium corporis remedium procurare; ut videtur ſentire D. Ambroſ. *lib. 3. de Virginibus, de B. Pelagia*, ut retulimus *q. 1.*

44.

D. Ambroſ.

Reſpondetur negando maiorem, quia peccatum commiſſum, in ſui occiſione majus malum eſt, quam infamia, ac ignominia, quæ morte duplicatur, quod probi, & docti imbecilitati tribuunt. Ad illud, quod dicitur de fœmina in tali caſu, debet ipſa implorare divinum auxilium, ut violentæ oppreſſioni non conſentiat, vel Deus provideat remedium, & inſpiret quid faciendum, ſicut inſpiravit Pelagiæ, quam Deo plenam dicit B. Ambroſius, ut eius mors, non humano arbitrio, ſed divino conſilio tribuatur, pro quo maximè videndus D. Auguſtinus *citato lib. 1. de Civitate Dei. cap. 25.*

45.

D. Ambr.

D. Auguſt.

RESOLUTIO XLV.

Vita conſervanda.

QUÆSTIO PRIMA.

Vita etſi multum ſit æſtimabilis, & pro eius conſervatione laborandum, tamen multa incommoda faciunt, ut ejus finis, & mors deſideretur.

SUMMARIUM.

1 *Vita unde dicta, & miſeriarum plena, & brevi tranſiens.*
2 *In pœnitentia agenda non ſunt multum ſcrupuloſi viri Sancti.*
3 *Ad vitam conſervandam ſolum tenemur mediis ordinariis uti, & non extraordinariis.*
4 *Etſi nemo poſſit ſe occidere, tamen pro vita ſpirituali, in abſtinentia eſt laborandum.*
5 *Qui bibit in infirmitate aquam cum nive, etiamſi medici contradicant, non peccat mortaliter*

VITA ſecundum Ariſtotelem, libro de vita & morte, *eſt manſio animæ in corpore*; proindéque ab ipſa anima proveniunt omnes actiones vitales. Inde vita per ſe ipſam eſt multum amabilis, ac æſtimabilis ſuper cætera temporalia, ut latè Tullius *lib. 1. Rhetoric. cap. 6.* Tamen cum ipſa valde plena ſit miſeriis, & valdè incertus eius finis, non pro ea multum laborandum: nam ut dicitur Eccleſ. 9. *Nemo eſt qui ſemper vivat,*

Ariſt.

Tullius

Eccleſ. 9.

Proverb. *& qui hujus rei habeat fiduciam*, & Prov. 27. *Ne glorieris in craſtinum, ignorans, quid ſuperventura pariat dies.*

2. Et cum ex naturali naturæ inclinatione, ac appetitu, unumquodque enim appetit ſui cõſervationem, indeque tenetur homo ad ſui conſervationem, media convenientia adhibere; & quamvis jejuniis, pœnitentiis, auſtero, & rigido modo vivendi videatur vita abbreviari, tamen in hoc non ſunt multum ſcrupuloſi, viri ſancti, & juſti, ferventes, ac pleni amore Dei, ut carnem ad ſervitutem ſpiritus redigant, ut notat Granado 2. 2. *controverſ. 3. tract. 6. diſp 2. ſect 3. n. 12.* Et idem etiam faciunt multi viri pro ſatisfactione ſuorum peccatorum, ſi hoc faciunt hac conſideratione rectè faciunt, ſi verò ea intentione hoc præſtent, ut ipſa vita conſummetur, pereat, ac abbrevietur, tunc erit peccatum mortale, quia homo non eſt dominus ſuæ vitæ, ut dixi ſuperiori *Reſolut. quæſt. ultima.*

Granado.

3. Victoria. Leſſius. Deinde, ut docent Victoria *de relect. tempor. n. 9.* Leſſius *de juſtit. lib. 4. c. 3. dub. 2. n. 12.* Bonum virtutis eſt præſtantius vita; unde propter illud poteſt vita deſeri. Deinde cum vita non ſit ex bonis ſupernis, & ſemel neceſſariò deſerenda, non tenemur eam niſi mediis ordinariis, ſecundum proportionem noſtræ conditionis fovere, & propagare; quod exemplis explicatur, verbi gratiâ, non tenemur in obſidione veſci canibus, felibus, muribus, & calceorum ſegmentis, &c. nec tenemur pretioſiſſimis uti medicamẽtis, vel cibis, ad morbi, aliàs lethalis curationem; nec teneor mutare ſolum, & aliam civitatem ſalubriorem inquirere, etiamſi medici dicant hoc ad vitam neceſſarium, ita etiam habet Granado citatus, & Diana *part. 5. tractat. 4. Reſolutio c 33.*

Granad. Diana.

4. Si verò dicas, quod non poteſt, cui unicus eſt dies vitæ ſeipſum occidere; ergo non poteſt abſtinentiis vitam ſibi ad aliquos annos abbreviare. Nego conſequentiam, ſiquidem in primo caſu committitur peccatum propter homicidium, cum homo non ſit dominus vitæ ſuæ. In ſecundo autem caſu homo dirigit, ac gubernat vitam ſuam ad Dei obſequium, ne caro concupiſcat adverſus ſpiritum, ſed in Dei obſequio perſeveret, & qui opera pœnitentiæ exercet, vitæ temporali minus accommodata, non agit contra rationem, imò potius ſecundum illam, in ſervitutem redigens carnem ſuam, ut vivat vita ſpirituali, quæ multo excellentior, ac pretioſior eſt vita corporali.

5. An verò quis teneatur ſub mortali, non bibere aquam, vel vinum nive refrigeratum, quia exinde prævideat, quod citius moriatur? Ad hoc dubium reſpondent negativè Martinus Bonacina *in noviſſimis additionibus, tom. 2. de controverſ. diſp. 2. quæſt. ultima ſect. 1. punct 7. n. 9.* ubi aiunt noviſſimi Doctores, quibus adhæret Rodrig. *de perfectione ſtatus Religioſi*; eos à mortali excuſarit, qui nivem ad tollendum vini, vel aquæ calorem adhibent, etiamſi inde prævideant fore ut citius pereant, hæc enim videtur levis, & indirecta, ac remota cooperatio ad mortem. Ita etiam Diana 5. *part. tract. 4. Reſol. 27.*

Bonacina. Rodrig. Diana

6. An liceat alicui ſuam mortem deſiderare pro evitanda injuria, aut aliquo dedecore in ſua perſona, ac ſtatu? Affirmativè reſpondent Coninch. *de Charitate, diſp. 27. n. 136.* Lugo *tom. 1. de juſt. diſp. 16. ſect. 7. num. 149.* Quòd quamvis vita hominis ſecundum ſe, & phyſicè loquendo ſit incomparabiliter majus bonum omnibus bonis fortunæ, & ipſo ſuo ſtatu; Tamen vita ipſa ſine honore, ſive honeſto ſtatu, & cum magna miſeria, ac injuria conjuncta, magnum malum eſt: gravius tamen viris cordatis amiſſo ſtatu, ac cum dedecore vivere, quam cum honore, ac ſuo ſtatu integra mors. Deinde quia vita de ſe brevis eſt, & poſt aliquot annos amittenda, quare conſervatio vitæ, pro aliquo brevi tempore, non excedit in æſtimatione profuſionem ſtatus, & bonorum fortunæ, quarum conſervatio prout in peſteris continuatur, videtur eſſe valdè longa, & aliquo modo æterna, quæ memoriæ conſervatio apud poſteros, meritò ab aliquibus longiori vitæ præfertur.

Coninch. Lugo.

QUÆSTIO II.

Vtrùm à lege humana poſſit homo obligari ad exponendam vitam ſuam, notabili, ac evidenti periculo ad eam perdendam.

SUMMARIUM.

7 *Status præſentis quæſtionis.*
8 *Prima ſententia ait nullam legem humanam poſſe obligare cum periculo vitæ.*
9 *Secunda affirmat omnes leges obligare cum periculo vitæ.*
10 *Tertia, & vera quod leges humanæ non obligant niſi pro bono communi, & n. 11.*
12 *Hæc tamen obligatio initiatur à jure naturali, & determinatur in particulari à jure humano.*
13 *Jus naturale dictat conſervare vitam, niſi bonum commune aliud poſtulet, & n. 14.*
15 *Leges ordinariè non obligant cum periculo vitæ, niſi quando hoc requirit bonum commune.*
16 *Hoc oſtenditur in legibus tam Eccleſiaſticis, quam divinis, & n. 17.*
18 *Lex obligat ad mortem eſt medio neceſſario ad conſervationem Reipublicæ.*
19 *Obſervantia legis quando obligat, conſideranda cum omnibus circunſtantiis.*
20 *Hæc autem obligatio non ſolum oritur à jure naturali, ſed etiam ab humano.*
21 *Tunc bonum commune anteponendum particulari, quando magis requiritur ad conſervationem Reipublicæ, & n. 22.*
23 *Quod lex humana obliget in re gravi ac peccatũ mortale, non inde ſequitur, quod obliget ad grave periculum vitæ, & n. 24.*
25 *In tertio argumento proponuntur multa exẽpla, quæ quæſtione ſequenti ſolvuntur.*

7. DIximus ſuperiori Reſolutione, in nullo caſu poſſe hominem ſuis manibus ſe occidere, ac vitam ſuam profundere, cum ad illius conſervationem maximè homo teneatur, & quomodo de illius conſervatione ſit agendum

agendum diximus ſuperiori quæſtione; nunc explicandum reſtat, an ex aliqua lege poſſit homo obligari, ut ſe evidenti periculo exponat, ad ipſam vitam perdendam. Et in hac re.

8. Prima ſententia tenet hamanam legem non poſſe obligare cum periculo vitæ ad ſui obſervationem. Ita Angelus *verb. Excommun.* 8. *num.* 18. Almainus *in Moralib. tract.* 1. *cap.* 3. & in hanc propendet Sylveſter *verb. Metus, quæſt.* 7.

Angelus. Almain. Sylveſt.

9. Secunda ſententia tenet leges humanas obligare cum periculo vitæ. Ita Caietã. 2. 2. *q.* 96. *art.* 4. & 2. 2. *quæſt.* 125. *art.* 3. quod ita exiſtimat, non ſolum procedere de aliqua lege in aliquo peculiari caſu, ſed etiam de omnibus legibus humanis communiter latis, quod maximé aſſeverat eſſe certum: & pro hac ſententia citatur etiam Adrianus *in* 4. *quæſt.* 3. *de clavibus*, Henricus *tract. de Synod. Epiſcop. poſt.* 3. *part. art.* 1. *num.* 271.

Caietan.

Adrian. Henricus.

10. Tertia vera, ac communis ſententia eſt, quod lex humana de facto, ordinariè loquendo non obligat cum periculo vitæ, poteſt tamen obligare ob bonum commune. Ita Soto *lib. de juſtit. quæſt.* 6. *art.* 4. *in fine*, Ledeſma 2. *part. quæſt.* 10. *art.* 5. Covar. *in cap. Alma mater*, 1. *part.* §. 3. *num.* 9. Vaſq. 1. 2. *diſput.* 161. *cap.* 2. Suar. *libl.* 3. *de leg. cap.* 30 *à nu.* 4. Salas *diſp.* 11. *ſect.* 1. *num.* 4. Sayro *Clavi Regia, lib.* 3. *cap.* 7. *nu.* 32. Lorca *diſp.* 33. 33. §. *Oppoſita*, Valentia *diſput.* 7. *quæſt.* 5. *punct.* 6. *quæſt.* 4. Caſtro Palaus 1. *part. tract.* 3. *diſput.* 1. *punct.* 16. *n.* 1.

Sotus. Ledeſma. Covar. Vaſquez. Suar. Salas. Sayro. Lorca. Valentia. Palaus.

11. Dico primò: Lex humana, ſive civilis, ſive Eccleſiaſtica poteſt obligare cum diſpendio vitæ ratione boni communis. Ita Authores ſecundæ, & tertiæ ſententiæ. Probatur hac ratione, in Republica datur poteſtas ad agendum de communi bono illius, ejuſque conſervatione, ſed ad id conſequendum multoties requiritur, ut obliget cum diſpendio vitæ; ergo ita obligare poteſt. Major eſt certa; minor probatur, quia Princeps, apud quem eſt poteſtas regendi populum, poteſt te exponere periculo mortis, ne tota gens pereat, & taliter expoſitus teneris ſubire illud periculum, quia ſi ab illo periculo, ac præcepto te poſſes excuſare, eo quod non videris magis obligatus, quam quilibet alius, non poſſet tunc Princeps efficaciter providere bono communi, ut huic bono provideatur, obligaris obedire cum periculo vitæ, facta tui deſignatione; nam quamvis ante deſignationem, & præceptum non eſſes obligatus ſpecialiter, poſita tamen aſſignatione, obligatus es ſine dubio; ergo urgente bello poteſt Princeps obligare milites ad pugnam, & graſſante peſte ad permanendum cum infirmo.

12. Nec obſtat ſi dicas, quod in his caſibus non obligat lex humana, ſed naturalis, non obſtat hoc, quia lex naturalis obligat totam rempublicam, ac cives in communi, non tamen obligat hunc, vel illum determinatè: & cum non ſit major ratio de uno, quam de alio, determinatio hujus differentiæ ad Principem pertinet, ergo applicare obligationem his, vel illis perſonis poteſtatis eſt humanæ proindeque quamvis talis obligatio ſit radicata, ac initiata à jure naturali, completur, ac determinatur in particulari à præcepto humano, ac principis hic, & nunc.

13. Argues contra hanc concluſionem. Vnuſquiſque tenetur ex jure naturæ tueri, & conſervare ſuam vitam, ſed jus naturale præponderat juri humano, ergo jus humanum non poteſt obligare ad dandam vitam. Confirmatur 1. Quia legiſlator non eſt Dominus vitæ, & mortis, ergo non poſt ſe obligare ad dandam, ac perdendam vitam pro opere honeſto, & nõ neceſſario ad ſalutem; eſt enim opus ſupererogationis, ac cõſilij, & hoc in ſe eſt difficillimum; atqui talia opera non poſſunt præcipi lege humana, ergo talis lex non poteſt obligare ad dandam vitam,

14. Ad argumentum reſpond. Quod unuſquiſque tenetur conſervare propriam vitam, non interveniente bono communi Reipub. unde hoc exigente teneris vitam dare. Ad 1. Confirm. dic, quod tantum convincit, quod Princeps, cum non ſit Dominus vitæ & mortis, non poteſt præcipere exponere vitam ſine rationabili cauſa, hac vero ſtante, maximè. Ad 2. confirmationem opus ſupererogationis tunc non poteſt præcipi lege humana, quandiu in ſe tale eſt; at vero ſi ex circunſtantia tranſit in obligationem pro conſervando, ac tuendo bono communi, tunc maximè poteſt præcipi; dare eleemoſinam opus eſt conſilij, at proximo exiſtente in extrema neceſſitate, jam non eſt conſilium, ſed opus præcepti.

15. Dico 2. Leges humanæ ordinariè non obligant cum periculo vitæ, niſi quando hoc requirit neceſſitas boni communis. Ita Authores. 3. ſententiæ. Probatur, quia Princeps, vel Reſpublica, cum non ſit dominus vitæ, & mortis, non habet dominium induſcriminatim ſuper vitam civium, ſed tantum convenientem uſum, ergo non poteſt ex levibus, & ordinariis cauſis cogere cives ad dandam vitam. Probatur, quia lex humana debet eſſe moraliter poſſibilis, & facilis, ergo ſine urgentiſſima cauſa, non poteſt præcipere rem difficilem, ut eſt dare vitam: nam tam gravis cauſa non ordinarie, ſed raro ſolet cõtingere.

16. Confirmatur ex legibus Eccleſiaſticis, quas nemo tenetur ſervare cum periculo vitæ, & ſalutis, ut patet in præcepto jejunij, abſtinendi à carnibus, audiendi miſſas, recitandi horas Canonicas; hæc enim non obligant cum notabili vitæ periculo, ut eſt communis omnium ſententiæ.

17. Idem etiam oſtenditur in legibus divinis, quæ tantum ex voluntate Dei, ac Vnigeniti Jeſu Chriſti Filij ejus, poſitæ ſũt, ut benè notat Vaſquez *citatus nu.* 12. quæ non cadunt in materiam intrinſece malam, & prohibitam ex lege naturali, tales leges divinæ non obligant cum notabili vitæ periculo, & ideo David ex neceſſitate, ut dixit Chriſtus Dom. *Matth.* 12. *num.* 3. Licitè comedit panes propoſitionis, 1. *Reg.* 21. *num.* 4. quos laïci non poterant comedere. *Num.* 28. *num.* 29. & idem etiam patet in legibus de receptione Sacramentorum. Item etiam in præcepto integritatis confeſſionis; nam grave periculum excuſat ab ejus integritate materiali. Item etiam videtur in ſanctificatione diei feſti, & aliis. Dixi, quando materia non eſt intrinſece prohibita ex lege naturali, quia cum hæc ſit intrinſecè mala, verbi gratia dicere unum mendacium,

Vaſquez. March. 18. 1. Reh 21.

dacium, nec ad evitandam mortẽ licita ſunt.

18. Sed jam quæres quomodo cognoſcendum ſit legem humanam obligare cũ periculo vitæ? Reſpondetur, quod quando obſervantia legis magis conducit ad bonum commune, quam vita civium, tunc lex obligat cum diſpendio vitæ; quando autem obſervantia legis ſit magis utilis bono communi, quam vita civium, hoc prudentis judicio eſt ſtandum. Ita Vaſq. *citat. num.* 8. Salas *num.* 5. Lorca *diſp.* 23 §. *Hæc ergo ſolv.* Et ratio eſt, quia ut ſuprà diximus, quod legiſlator pro bono cõmuni poteſt præcipere ad ſubeundum periculum cum evidenti vitæ periculo; ergo credendum eſt velle obligare cum tali periculo vitæ, quando obſervantia legis magis conducit ad bonum commune, quam ipſa vita, & ideò judicio ſuperioris exiſtimo ſtandum eſſe in hac re.

Vaſquez. Salas. Lorca.

19. Vt tamen hanc regulam magis percipias, nota cũm Suar. *num.* 7. Sayro *num.* 37. & Palao *num* 3. quod res præcepta, ſeu obſervantia legis, non debet ſumi per ſe ſolum, ſed cum omnibus circunſtantiis; ſic audire miſſam non obligat cum periculo vitæ; at ſi ab infideli in contemptum fidei Catholicæ, prohibear audire miſſam, tunc teneor cum periculo vitæ audire. Item ſi tyrannus imperet contra præcepta, ex quorum violatione daretur ſcandalum puſillorum, verbi gratiâ, comedere carnes die ſabbathi, tunc cum periculo vitæ teneor non comedere. Et ratio eſt, quia bonum commune Religionis præpõderat bono particulari; at ſi ad tollendum ſcandalum ſufficeret aliqua proteſtatio exterior, tunc non teneret exponere vitam periculo.

Suar. Sayrus. Palaus.

20. Dices; obligatio in his caſibus non provenit à lege humana, ſed lege naturali præcipiendo, ut fides confiteatur, ſcandalum non eſſe dandum. Reſpondeo, quòd etiam talis obligatio provenit nõ ſolùm à lege naturali, ſed etiam à lege humana. Primò, quia ſi non eſſet lex naturalis obligans ad illa, lex humana poterat obligare. Deinde quia illud præceptum audiendi miſſam, non comedẽdi carnes die ſabbathi, in ſe eſt humanum; ergo ex præcepto humano in tali occaſione obligat. Probatur quia ille, qui comederet carnes in tali circunſtantia, non ſolum committeret peccatum contemptus contra Religionem, ſed etiam committeret peccatum contra virtutem præceptam, nempe temparantiam.

21. Argues primo cum Caietano. Lex humana ſi eſt juſta, ordinatur ad bonum commune, ergo omnis lex humana etiam obligat ſubditos cum diſpendio propriæ vitæ. Probatur conſequentia. Bonum cõmune præferendum eſt privato, & homo pro bono communi tenetur vitam dare, quælibet enim pars pro bono totius debet ſe exponere, ergo cum omnis lex ſit pro bono communi omnis lex obligat ad periculum vitæ.

Caietan.

22. Reſpondetur concedendo antecedens, negando conſequentiam, ad probationem dic, non ſemper bonum commune anteponendum eſſe graviſſimo bono particulari, ut eſt vita, ſed quando tale bonum commune magis requiritur ad conſervationem reipublicæ, quam bonum particulare, quia ſine tali bono particulari Reſpublica poteſt ſalva conſiſtere, non vero ſine illo bono communi, quo extincto exinguitur Reſpublica.

23. Argues ſecundò. Poteſtas humana tanta eſt, ut poſita lege poſſit facere, ut id quod non erat peccatum ſit peccatum, atqui non licet peccare mortaliter, imo nec venialiter pro conſervanda vita, ut dicitur in *c. ita ne* 32. *q.* 3. ergo lex humana eo ipſo, quod obligat ad peccatum à fortiori obligat ad grave periculum vitæ. Confirmatur, quia gravior eſt mors animæ, quam corporis, ſed lex humana obligat ad mortem animæ, nempe ad peccatum mortale, ergo ad mortem corporis.

24. Ad Argumentum reſpondetur, quod totus diſcurſus eſt verus, ſi conſequentia intelligatur de lege non ceſſante; at nos dicimus, quod quando adeſt periculum vitæ, legis obligatio ceſſat, & ideo quando pro conſervanda vita, neceſſarium eſt non obſervare legem, tunc eam non obſervare, non eſt peccatum mortale, quia tunc ceſſat obligatio legis; quod etiam in lege naturali cernitur, quæ licet obliget dare eleemoſynam extremè indigenti; tamẽ ſi qui daturus eſt eleemoſynam, eandem extremam patitur neceſſitatem, non tenetur ad talem eleemoſynam. Ad confirm. dicitur, quod licet mors animæ, prout privat gratia, ſit gravior, tamen mors corporis prout eſt irreparabile damnum, eſt quid graviſſimum; nam in manu hominis poſito Dei auxilio eſt recuperare gratiam; At in manu hominis non eſt recuperare vitam corporalem deperditam; quod latius explicat Salas de *peccatis tract.* 15. *diſp.* 5. *ſect.* 3. *num.* 27. & 29. Deinde dico, quod mors animæ, & corporis ſunt in diverſo genere, una eſt ſpiritualis, alia corporalis; & una non ſequitur ex alia, qui extremè indigenti non dat eleemoſynam, peccat mortaliter, & tamen non inde incurrit in mortem corporalem.

Salas.

25. Argues Tertiò, & multis exemplis. *Primò* Homo tenetur potius mori, quam cõtrahere, & conſummare matrimonium gradibus prohabitis jure Eccleſiaſtico, verbi gratiâ cum conſanguinea. Secundò Sacerdos tenetur potius mori, quam celebrare Miſſam ſine veſtibus ſacris, & ſine altari, ac aliis ex jure poſitivo requiſitis. Tertiò, non licet communicare cum excommunicato, quamvis mortis periculum immineat, ut dicitur *cap. ſacris de ijs, qui virt. exemplo.* Quartò; Carthuſianus, non poteſt comedere carnes, etiamſi nullum aliud remedium habeat ut vitam ſerret. Quintò; Chriſtiani captivi remigantes in triremibus Turcarũ in bello contra Chriſtianos, incidũt in excommunicationem Bullæ Cœnæ, & tamen ſi non remigaverint incurrunt in manifeſtum periculum vitæ. Sextò, aliquando in bello navali, ne naves veniant in poteſtatem inimicorum ex Principis mandato, milites ſibi ſubjiciunt ignem, & pereunt, ergo ſæpe leges humanæ obligant ad mortem. Pro ſolutione argumenti ſit.

C. Sacris.

QUÆSTIO III.

Solvuntur exempla, & multi, ac varii caſus appoſiti in argumento.

SUMMARIUM.

26 *Ob bonum commune Reipublicæ Chriſtianæ non potet homo celebrare, ac conſummare matrimonium ſine diſpenſatione.*
27 *Contemptu in coactaſin non poteſt homo celebrare ſine veſtibus ſacris*
28 *Textus* ex cap.ſacris *exponendus de eo,qui celebrat cum comtemptu.*
29 *Circa Carthuſianos prima ſententia affirmat etiam in evidenti periculo vitæ.*
30 *Secunda quæ ſolum tempore famis.*
31 *Tertia, quod in extrema neceſſitate poteſt ſecluſo ſcandalo.*
32 *Chriſtiani captivi remigantes in navibus Maurorum contra Chriſtianos, non peccant, nec incidunt in excommunicationem.*
33 *An milites in bello navali poſſint injicere ignem in navim, quidam affirmant.*
34 *Negant alij.*
35 *Diſtinctione utendum.*

26. IN tertio argumento multi, & varij caſus proponuntur. Ad primum dico quod in eo caſu poteſt homo amphibologicè dicere, ut ait Suar. *cit. lib. 3. de leg cap. 30. num. 14.* ſe eam ducere in matrimonium, non tamen conſummare matrimonium, ſi verò cogatur eam ducere, ac conſummare matrimonium, probabile aliqui exiſtimant apud Sanchez *lib. 7. de Matrim. diſp. 5. num. 4.* Quòd ſine culpa poteſt eam ducere, ac conſummare matrimonium, quia ſtat ratio, quia lex Eccleſiaſtica non obligat cum diſpendio vitæ ſed contra hoc urget, quia nullus audebit dicere, quod matrimonium ſine Parocho, & teſtibus celebratum gravi interveniente metu ſit validum, ideo melius dicendum eſt cum ipſo Sanchez *citato loco*, quod non poteſt fieri, ut tale matrimonium ſit validum, quia lex Eccleſiaſtica obligat cum diſpendio vitæ, quando hoc requiritur ad bonum commune, licet ergo illa impedimenta, & metus ex jure Eccleſiaſtico dirimant matrimonium; & eſto probabile ſit, quod metus etiam ex jure naturali excuſet, tamen lex impedimentorum maximè conducit ad bonum commune Eccleſiæ, obligat ergo cum diſpendio vitæ, nam ſi talis metus efficeret, ut matrimonium contractum cum impedimento dirimenti eſſet validum, daretur via contemnendi impedimenta, & ad multa dubia, ac quæſtiones cum grandi damno Reipublicæ Chriſtianæ.

Suar. Sanchez.

27. Ad ſecundum exemplum dicendum cum Authoribus tertiæ ſententiæ, quod ſi quis cogatur etiam cum vitæ periculo celebrare ſine veſtibus ſacris in contemptum fidei, vel cum aliorum ſcandalo, non poteſt celebrare, quia magis præponderat reverentia Sacramenti, quam vita hominis particularis; ſi vero fingatur caſus, quod cogatur celebrare ſine contemptu, ac ſcãdalo, ſed ob indiſcretam devotionem, tunc ſine peccato poteſt. Non verò inde inferas poſſe celebrare ſine veſtibus ſacris ad communicandum infirmum, ut notat Vaſquez *citatus, num. 5.* quia communicatio non eſt medium neceſſarium, & præceptum communicandi in morte non obligat, niſi cum copia ſacerdotis legitimè miniſtrantis, Vaſquez.

28. Ad tertium, ad text. *cap. Sacris de iis, qui vi, & metu.* Vbi Pontifex ait, quod ab excommunicatione non liberatur ille, qui ex metu agit cum excommunicato, textus exponendus eſt de illo, qui agit cum excommunicato contempta poteſtate clavium. Ita Navar. *in ſumma cap. 27. num. 36.* Covar. *in cap. Alma mater, part. 1. cap. 3. num. 9.* Graffius *in Aur. deciſ. lib. 4. cap. 13.* Suar. *tom. 5. diſput. 4. ſect. 3. num. 12.* Azor. *Inſtit. moral. part. 1. lib. 1. cap. 11. quæſt. 1.* alias interpretationes ad dictum Textum affert Barboſa *in collectanea.* Navarr. Covar. Graffius. Suar. Azor. Barboſa.

29. Ad quartum exemplum dicimus valdè laudabile eſſe ſtatutum Carthuſianorum, ut pro reformatione Religionis potius permittant ſe mori, quam manducare carnes; tamen ad præſentem quæſtionem in ea triplex eſt ſentẽtia. Prima aſtruit in extrema neceſſitate tã morbi, quam famis, non poſſe Carthuſianum comedere carnes, quia reformatio, & bonum Religionis præponderat particulari. Ita Valentia 2. 2. *diſp. 5. quæſt. 13. punct. 4.* Sotus, Corduba, Panormitan. quos referunt Salas *diſput. 11. ſect. 2. num. 28.* Diana *in dubijs Regul. tom. 3. Reſolut. 39.* Valentia. Sotus. Corduba. Bañez. Salas. Diana.

30. Secunda ſententia ait; quòd cauſa vitandi morbum, etiamſi à medicis præcipiatur, tanquam extremum remedium ad vitam nõ poteſt; at verò Carthuſianus ſit in extrema neceſſitate, & nulli alij ſint cibi, niſi carnes, ait quod poteſt eas comedere; tum quia ſtatutum non obligat, niſi quando alij ſunt cibi; tum quia valdè irrationabile eſt, ut homo ſe ſinat fame perire. Ita Vaſquez 1. 2. *diſp. 162. n. 14.* Salas *citatus n. 22.* Lorca *diſp. 23.* Vaſquez. Salas. Lorca.

31. Tertia vera, & communior ſententia aſtruit, quod in extrema neceſſitate ſecluſo ſcandalo poteſt Carthuſianus comedere carnes, ratio eſt, quia nulla lex comprehendit extremam neceſſitatem, *cap. Exijt de verborum ſignificatione 2.* nullum votum obligat in extrema neceſſitate; nam in materia voti ſemper intelligitur, niſi aliud neceſſitas poſtulet, ut ait Azor. *citandus 3.* Quia nec bonum Religionis illud requirit, rationabiliter loquendo, quia ſatis eſt quod pro nullo alio caſu ſit comeſtibilis, niſi pro extrema neceſſitate, & ad aliunde homo habet jus naturale ad conſervandam propriam vitam. Ita Covar. Gerſon, Medina, & alij, quos citat, ac ſequitur Rodrig. *tom. 2. Regular. quæſt. 100. art. 1. concluſ. 2.* Azor. *tom. 1. lib. 5. cap. 6. quæſit. 7.* Leſſius *lib. 4. cap. 3. n. 12.* Suar. *lib. 6. de leg. cap. 7. num. 9.* Bonac. *tom. 2. diſp. 8. quæſt. 8. punct. 2. num. 16.* Sà *verb. Relig. num. 58.* Covar. Gerſon. Medina. Azor. Leſſius. Suar. Sà. Bonacina.

32. Ad quintum exemplum dico, quod Chriſtiani captivi, qui remigant, ac gubernant naves Turcarum contra Chriſtianos, non incidunt in excommunicationẽ Bullæ Cœnæ, niſi ex eorum auxilio, clarè & manifeſtè conſtet, quod victoria magni momenti, vel notabilis

tabilis perſonæ, utpote Regis ſit eripienda à Chriſtianis in magnum damnum Reipublicæ Chriſti, ratio eſt, quia lex Eccleſiaſtica non obligat cum tanto vitæ diſcrimine, nec bonum Reipublicæ Chriſtianæ in ordinario bello hic, & nunc, verbi gratiâ ad ſurripiendam unam navem tantum obligat. Deinde dico, quod non peccant mortaliter remigando, ſi bellum ſit tantum de bonis externis, auro, argento, vel mercibus pretioſis agitur, quia illi remigantes ſũt in extrema neceſſitate, in qua omnia ſunt communia. Deinde, illa actio remigandi eſt indiferens, & varius eſt eventus belli, & fieri poteſt, ut Chriſtiani ſint victores, & illi à captivitate liberentur; & idem dicendum eſt de illis, qui præſtant neceſſaria ad bellum, muniunt caſtella, locant domos meretricibus. Ita Molina *tom. 1. diſp.* 115. Sanchez *lib. 1. Decalog. cap. 7. n.* 18. Vaſq. Villalobos, Azor, Covarr. & multi alij, quos citant, ac ſequuntur Bonac. *tom. 2. diſp. 2. quæſt. 4 punct. 2. §. unico. n.* 25. Sapientiſſimus M. Fr. Anton. de Souſa *in Bullam Cœnæ, disp. 31. n. 6.* Filliuc. *tom. 2. tract. 22. cap. 5. num.* 147. Diana *tom. 1. tract. Miſcell. 5. Reſol. 34.*

Molina. Sanchez. Vaſquez. Villalobos. Azor. Covarr. Bonacina. Souza. Filliucius. Diana.

Ad ſextum exemplum, quod in bello navali, ne milites cum navi veniant in poteſtatem inimicorum, poſſint ipſi ignem iniicere in navim, & ſe in mare præcipitare, affirmant Sylvius *in 22. quæſt. 64. art. 5. ad* 4. Marchanjus *in Reſol. Paſtorum ad Decalog. cap. 5. quæſt. 8. caſu* 4. Leſſius *lib. 2. cap. 9. dub. 6. num.* 34. Ubi ita ait excuſari poſſunt noſtri milites, & ſocij navales, qui ſæpè fortiſſimè cum hæreticis prælio navali dimicantes, cum jam videant navim in poteſtatem inimicorum venturam, communi conſenſu ignem pulveri iniiciunt, & ſe mari committunt, ne ipſi, & navis veniant in hoſtium poteſtatem; non enim intendunt ſui interitũ, ſed ne hoſtis navi cum publico damno potiatur, & ut ſeipſos, ſi qua ratione poſſint, morti certiſſimæ ab hoſte inferendæ eripiant, ita citatus Leſſius, & poſt illum eodem modo Malderus 2. 2. *tract. 3. cap. 1. dub. 16.*

33. Sylvius. Marchin. Leſſius. Malder.

In hoc caſu multum dubitat Iacobus Gordonus in Theologia morali *tom. 1. lib. 5. q. 4. cap. 1. §. 2. dub.* 4. Tamen contrarium tenet Diana *tom. 5. tra. 4. Reſol. 26.* ex eo quod Auctores ſupracitati ſupponunt, quod milites occidendi ſunt ab hoſtibus, quod in bello cum Mauris non accidit; imò moraliter contrarium eſt certum; nam Mauri milites vivos ſervant, ut poſtea captivos vendant, vel illi ſe ipſos redimant.

34. Gordon. Diana.

Hic caſus multa diſtinctione explicandus eſt, ſi milites certiſſime intelligunt, quod ab hoſtibus injurioſe ſint occidendi; vel quod ex capta navi locupletiſſima, hæretici, ac infideles potentiores facti ſunt, in damnum Chriſtianæ Reipublicæ, tunc non videtur improbabile, quod igne injecto valeant procurare mortem ſuam, quia plus ponderat bonum Reipublicæ Chriſtianæ, quam eorum vita ſi autem contrarium pro certo habetur, cum Diana conſenſio quod ſupradictis circunſtantis non intervenientibus, non poſſunt ſibi ignem iniicere.

RESOL. XLVI.

Oracula vivæ vocis.

QUÆSTIO PRIMA.

Proponuntur, quæ ſunt certa in hac materia.

SUMMARIUM.

1 *Quid ſit Oraculum vivæ vocis.*
2 *Conſtitutio Gregorij XV.*
3 *Conſtitutio Vrbani VIII.*
4 *Solum revocantur vivæ vocis Oracula, quæ erant ante Vrbanum.*
5 *Derogantur Oracula quoad forum internum, & externum.*
6 *Valde probabile quod indulgentiæ non ſint derrogatæ.*
7 *Probabile, quod gratiæ, quæ ſunt mere favorabiles, & in nullum detrimentum Eccleſiæ, quod non ſint revocatæ.*
8 *Privilegia, quæ ſunt univerſalia pro tota Eccleſia non revocantur.*
9 *Per hæc non revocantur illa Oracula, quæ ſunt mere declarationes, & explicationes privilegiorum.*
10 *Quid dicendum de illis, quæ habent tractum ſucceſſivum.*

QVÆSTIO eſt difficillima ob multas, & varias expoſitiones à Doctoribus datas, & ut in hac quæſtione clare procedamus, hic apponemus, quæ ſunt cõmunia, & tanquã certa habẽtur; poſtea duabus quæſtionibus ſequẽtibus Authorũ placita cũ noſtra ſẽtentia proferemus, & ut à nomine incipiamus: *Oraculũ vivæ vocis* eſt gratia ore tenus facta à Summo Pontifice ſine ſcriptura, & cũ nõ poſſit probari ſcriptura authentica, per teſtes verificetur. 1.

Primò; Gregorius XV. die 2. Iulij 1622. dedit Bullam, quæ incipit: *Romanus Pontifex in ſpecula*, ſic ait Pontifex: *Motu proprio, & ex certa ſcientia, ac matura deliberatione noſtris, de qua Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine; omnia, & ſingula indulta, facultates, privilegia, gratias, & conceſſiones quaſcũque ſpirituales, & Eccleſiaſticas, tã ad forũ interius, quam exterius ſpectant, ac tam ad ſupplicationẽ partium, quam motu, ſcientia, & poteſtatis plenitudine ſimilibus à Sede Apoſtolica, quæ tamen vivæ vocis oraculo hactenus quantocumque, & qualitercumque, ex quavis etiam de neceſſitate exprimenda cauſa quibuſvis Collegijs, &c.* Ordinibus Mendicantium, non mendicantium, etiam Societatis Ieſu etiam ad inſtantiam quorumcumque Prælatorum; *tenore præſentiũ revocamus, caſſamus, tollimus, abrogamus, & annullamus, ac revocata, caſſa, ſublata, abrogata, annullata, viribuſque, & affectu vacua fore, & eſſe, neque in poſterum cuiquam ſuffragy poſſe, vel debere decernimus, & declaramus.* Excipit tamẽ vivæ vocis oracula, quæ fuerint firmata propria manu S. R. E. Cardinalium; 2. Gregor. XV.

&

& eſt Bulla Gregorij XV. 27. habetur apud Bullarium Cherubini *tom. 3. fol. 422.*

3 Urban. VIII. Poſtea Vrbanus VIII. die 20. Decembr. ann. 1631. & incipit: *Aliàs felicis recordationis.* Et ait Vrbanus *Gregorius Papa XV. prædeceſſor noſter, ut ſubnaſcentibus jugiter variis difficultatibus, & abuſibus, ex privilegijs à Sede Apoſtolica vivæ vocis oraculo ſæpenumero conceſſis obviam iret; & cum experientia rerum magiſtra compertum ſit, conceſſiones, & gratias vivæ vocis oracula etiam à S.R.E. obtentas, & ipſorum manu firmatas, ſæpè ab his, in quorum favorem emanarunt, minus canonica interpretatione extendi, & perperam in diſciplinæ Eccleſiaſticæ detrimentum executioni demandari. Idcirco motu proprio, & ex certa ſcientia, ac matura deliberatione noſtris, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, omnia & ſingula privilegia, facultates, licentias, & gratias quaſcumque per Summos Pōtifices prædeceſſores noſtros, ac per nos, vivæ vocis oraculo, & S.R.E. Cardinalium quorumcumque manu firmata, quibuſcumque Generalibus, Provincialibus, cæteris ſuperioribus cujuſcumque Ordinis, ſtatuti Congregationis, etiam Societatis Ieſu, ſive ad inſtantiam Imperatoris, Regum, Principum quorumcumque, quæ omnia tenore præſentium revocamus, caſſamus, annullamus, ac irritamus*; & eſt Bulla 121. Vrbani, habetur apud Cherubinum *tom. 4. Bullar. fol. 181.*

4. Ex his conſtitutionibus Apoſtolicis. Primò certum, quod revocata ſunt vivæ vocis oracula, quæ extabant ante bullam editam Vrbani VIII. ipſe ait: *Conceſſa per Pontifices prædeceſſores noſtros, ac per nos.* Si vero extant poſt aliqua oracula ipſius Vrbani, ac ſucceſſorum ejus, verbi gratia Innocentij X. Alexand. VII. Clementis IX. ſunt vera, & valida cum omni ſuo effectu, nam ſolum ſunt revocata antecedentia, nō vero ſubſequentia.

5. Leandr. Secundò contra Leandrum de Martia, ac alios dandos quæſt. ſequenti, aſſerentes, quod ſi admittantur vivæ vocis oracula quoad Regulares derogata per Summos Pontifices, eſt tantum quoad forum externum, non internum. Contrarium expreſſe conſtat ex Conſtitutione Gregorij XV. Derogat enim Pontifex omnes facultates, conceſſiones, ac privilegia, tam ad forum interius, quam exterius à Sede Apoſtolica obtenta vivæ vocis oraculo, ut ſuprà in hac quæſt. *num. 2.*

Gregor. XV

6. Tertiò, per hanc derogationem factam quoad vivæ vocis oracula, non intelliguntur indulgentiæ conceſſæ, quia juxta Navarrum *conſil. 17. de pœnitentia, nu. 3.* Vbi docet quòd indulgentiæ non comprehenduntur ſub nomine privilegiorum, gratiarum, ac indultorum, quia juxta regulas Cancellariæ, à Summo Pontifice initio ſuæ Aſſūptionis ſolent revocari omnia indulta, gratiæ, & facultates, & tamen ſub illis nō veniunt indulgentiæ, ſunt enim maxima privilegia; & gratiæ omnino favorabilis, & ideo ad ſui revocationem indigent ſpeciali expreſſione, ita Peirinus *tom. 3. ad hanc conſtit. Vrbani VIII. cap. 12. num. 1. ad finem*, Bordonius *tom. 1. Reſolut. 31. num. 4.* Pellizarius *tom. 2. tract. 8. cap. 1. ſect 5. nu. 313.* Lezana verò *verb. Oracula vivæ vocis num. 5. ad finem*; quòd Indulgentiæ veniunt gratiarum nomine, ac proinde cum in his conſtitutionibus revocentur omnes gratiæ, revocantur etiam indulgentiæ.

Peirin. Bordon Pellizar. Lezana.

7. Quartò; probabile eſt etiam, quod privilegia, gratiæ, quæ ſunt omnino favorabiles, & in nullum ſunt detrimentum Eccleſiæ, ſed in maximam devotionem, ac ædificationem fidelium, ut recitare officium B Virg. in ſabbatho non impedito, quod non ſint revocata in his conſtitutionibus, ut colligitur conſtitutione Vrbani VIII. cauſa finalis, quæ movit Summos Pontifices ad hanc revocationem, extitit detrimentum Eccleſiaſticæ diſciplinæ, ſic dicitur ibi: *Minus Canonica interpretatione extendi, & perperam in diſciplinæ Eccleſiaſticæ detrimentum demandari*: Cauſa finali, ſeu impulſiva ampliat, & reſtringit conſtitutionem, *l. cum Pater, §. Dulciſſimis, ff. de legatis 2.* quem refert & ſequitur Panormit. *in cap. Eccleſiæ, de immunit. Eccleſiæ, n. 5. & 6.* Sed uſus talium privilegiorum in nullum detrimentum Eccleſiaſticæ diſciplinæ cedit, ſed in magnam utilitatem, ac bonum fidelium, & ad eorum devotionem augendam; ergo in tali revocatione non comprehendun- tur. Ita citat. Pellizar. & Bordon *n. 3.*

Urban. VIII. L. Cū pater. Panormit. Pellizar. Bordon.

8. Quintò; in his conſtitutionibus Gregorij, ac Vrbani non revocantur ea vivæ vocis oracula, quæ ſūt univerſaliter pro omnibus fidelibus, ac pro tota Eccleſia, ut eſt illa oratio: *Sacroſanctæ, & individuæ Trinitati*; nam prædicti duo Summi Pontifices Gregorius, & Vrbanus non revocant abſolutè omnia vivæ vocis oracula; ſed tantum illa, quæ conceſſa fuerunt: *Superioribus, & perſonis cujuſcumque Ordinis, Congregationis, Inſtituti, & Societatis, vel ipſis Ordinibus, Congregationibus, Inſtitutis, Societatibus.* Ita habent prædictæ conſtitutiones; ergo cum ſint derogatoriæ privilegiorum, & non ſunt ultra extendendæ præter id, quod exprimunt; ac proinde tātum de Regularibus agunt, eorumque vivæ vocis oracula derogant, & non aliorum. Ita docent Reverendiſſimus *M. Statius dignißimus Generalis Carmelita in Inſtruct. pro Carmel. cap. 20. num. 8. & 9.* M. Lezana *verb. Officium Divinum num. 13.*

Gregor. Urban. Statius. Lezana.

9. Sexto; per has Conſtitutiones Gregorij, & Vrbani non videntur revocari, ac annullari, vivæ vocis oracula, quibus ſanctitas ſua, aut alij Summi Pontifices, privilegia Regularibus conceſſa, aut decreta Summorum Pontificum, aut ſacrorum Canonum, aut Concilij Tridentini, aut aliorum Conciliorum, explicant, aut declarant in Concernentibus ad Regulares dummodo prædicta vivæ vocis oracula non contineant aliquam gratiam, privilegium, aut indultum; ſolum enim revocantur, aut caſſantur: *Omnia, & ſingula privilegia, facultates, licentiæ, & gratiæ quæcumque vivæ vocis oraculo conceſſa.* Vt in eiſdem literis exprimitur; Alia vero vivæ vocis oracula quæ privilegia, licentiæ, & facultates, & gratiæ non ſunt, ſed tantum meræ declarationes, aut explicationes, non ſunt revocata à ſanctiſſimo. Ita M. Lezana *tom. 1. Summæ. cap. 3. num. 1.* Peirinus *tom. 2. Conſtit. Minim. in Conſtit. 8. Pauli. V. num. 1.* Bordon. *tom. 1. Reſol. 31. num. 7.*

Lezana. Perin. Bordon.

10. Septimò, quæres quid dicendū de illis, quæ habent tractum ſucceſſivum, verbi gratiâ habuit

buit quis gratiam vivæ vocis oraculo à Papa, ut eſſet Magiſter, & Præſentatus, exierunt Decreta revocatoria Gregorij, & Vrbani. Quid ſentiendum? Reſpondeo. Quod ſi Religioſus non erat in actuali poſſeſſione ipſius gratiæ, quod ipſa expiravit, & illa non poteſt uti; ſi vero iam erat in poſſeſſione ipſius gratiæ, bene in illa perſeverat, ut colligitur ex Bulla Gregorii XV. ibi ait: *In iis videlicet, quæ non ſint ſortita effectum, tenore præſentium revocamus.* Illa gratia iam erat ſortita ſuum effectum, & tempus futurum cum præſenti copulatur per modum unius. Ita in hac Reſolutione convenire videntur Peirin. *tom. 2. privileg. Minim. in Conſtit. Gregor. XV.* Lezana *citat.* & Bordon. *num. 2.*

Gregor. XV.

Peirin. Lezana. Bordon.

QUÆSTIO II.

Ponitur ſententia negans privilegia Regularium eſſe annulata per revocationem Oraculorum vivæ vocis.

SUMMARIUM.

11 *Prima ſententia tenet, per revocationem oraculorum, oracula pro Regularibus non eſſe revocata.*

12 *Probatur, quia in multis Pontificijs bullis, ipſa vivæ vocis oracula ſunt poſita, & ita jam tranſeunt in Bullam authenticam, & n. 13. 14.*

15 *Leo X. conceſſit, ut vivæ vocis oracula haberent vim, ac ſi eſſent conceſſa in bullis, ut cætera privilegia.*

16 *In confirmatione privilegiorum dicunt Summi Pontifices motu proprio, ac ex certa ſcientia, quæ clauſula importat novam conceſſionem.*

11. HIc eſt Cardo, & tota difficultas hujus rei, multi, & graviſſimi Authores tenent, quod privilegia Regularium, quæ ſunt vivæ vocis oracula per revocationem oraculorum vivæ vocis, quod non ſint revocata, ſed quod modo ſunt in ſua viridi, ac valida obſervantia ut antea. Ita Sapientiſſ. Mag. Stratius noſtræ ſacræ Religionis Carmelitarum Generalis. *In inſtructione ad ſuos fratres, c. 20.* Thom. Hurtadus *tom. 2. tract. 12. cap. 1. §. 21. nu. 1168. cum ſequenti. & tom. 1. tract. 2. c. 6. reſolut. 22. num. 250.* Marcus Vidalius *in arca Theolog. moral. tit. de juriſdict. Inquiſ. 4. num. 15.* Pellizar. *tom. 2. tractat. 8. cap. 7. num. 131. & 132. & tract. 4. cap. 7. num. 5.* M. Lezan. *tom. 1. cap. 3. num. 21. & tom. 2. verb. Oracula vocis, num. 7.* Poſſentius *in recollect. quæſtion. moralium, cap. Miſcellaneo pro Regulari ante, ſectione 1. fol. 44.* Baſſæus *verb. Privileg. 5 n. 8.* Martinus de S. Ioſeph *in mon. confeſſorũ, tom. 1. lib. 1. de matrim. tract. 43. num. 4.* Ioannes de Saria *in fine ſummæ, tract. de Regularibus, dub. 1.* Leandrus de Murcia *in expoſitione Regulæ D. Franciſci, quæſt. 20. ad cap. 6. num. 5.* Vbi ait quod ſaltem in foro conſcientiæ non ſunt revocata, Laurentius de Peirinis *in privilegijs Minim. tom. 3. c. 12. Conſtit. 28. Vrbani VIII. in ſcholijs, n. 1.* Samuellius Dominicanus *in praxi de ſepultu-*

Stratius. Hurtadus. Vidalius. Pellizar. Lezana. Poſſentius. Baſſæus. Martin. Saria. Leandr. Peirin. Samuel.

ris, Præludio 3. Appendicis, num. 1. cum ſequentibus, Fr. Antonius de Spiritus ſancto *in directorio Regular. tom. 1. tract. 2. diſp. 1. ſect. 1. n. 36. & 37.* Hieronymus Garcia *in Politica Regulari tom. 1. tract. 8. difficult. 1. dub 6. n. 6.*

Anton. Garcia.

Probatur, quia multi Pontifices Romani conceſſerunt vivæ vocis oraculo multa privilegia Religionibus, quæ poſtea alij Pontifices per ſuas bullas plumbeas, & authenticas motu proprio, ac ex certa ſcientia, & plenitudine poteſtatis confirmarunt, ac approbarunt; *ac ſi eorum tenores de verbo ad verbum,* &c. in præſenti eſſent inſerti; ergo jam prædicta vivæ vocis oracula non ſunt talia, ſed habentur ut in bulla authentica, & plumbea; ergo jam nõn veniunt in generali revocatione facta in oraculis vivæ vocis. 12.

Antecedens probatur, quod nempe multi Pontifices in ſuis bullis cõceſſerunt Religionibus ea privilegia, quæ erãt vivæ vocis oracula; ſic Pius V. in Bulla. *Etſi mendicantium;* refert Lezana *tom. 2. cap. 1. num. 12.* Gregorius XIII. in Conſtitution. *ex Benigna* apud Confect. *pag. 27.* & Sixti. *Etſi Mendicantium* apud Confect. *pag. 267* & Clementis VIII. *Ratio Paſtoralis* apud Confect. *pag. 286.* quod etiã conceſſit Paulus V. die 25. Maij 1605. Patribus Dominicanis, approbãs, ac confirmans eorum privilegia per quoſcunque Romanos Pontifices, ac per ipſum, & Sedem Apoſtolicam: *Sub quacumque verborum forma, & expreſſione in genere, & in ſpecie, & per ſolam ſignaturam, & vivæ vocis oraculo, aut alias quomodolibet conceſſa, ac ſemel, ſeu pluries confirmata, cum omnibus, & ſingulis in eis contentis clauſulis, decretis, & declarationibus, Apoſtolica auctoritate perpetuo cõfirmavit & approbavit, illiſque perpetuo, & inviolabile Apoſtolicæ firmitatis robur adiecit* Refert Pellizar. *citat. n. 131.* Similem conceſſionem eiſdem fere verbis fecit idem Pontifex Paulus V. noſtris Patribus Carmelitanis Diſcalceatis in ſua bulla authentica die 3. Aprilis 1610. & incipit: *Decet Romano Pontificiin ſupremo: ubi num. 13.* inter cætera, ſic ait: *Per quoſcunque alios Romanos Pontifices prædeceſſores noſtros, aut nos, dictamque Sedem, ſub quacumque verborum forma; & expreſſione, etiam per ſolam ſignaturam, ſive vocis oraculo, aut alias quomodolibet.* &c Refertur in compendio Privilegiorum bulla 4. Pauli V.

13.

Pius V. Lezana. Gregor. XIII. Pellizar.

Ergo illa, quæ erant tantum vivæ vocis oracula uſque ad Pium V. & Gregoriũ XIII. Clementem. VIII. Paulum V. cum per tot Pontifices repetantur in ſuis bullis authenticis, jam exuerunt naturam oraculorum vivæ vocis, & tranſierũt, in diplomata Authentica, quia aliàs ipſa oracula, fruſtras tot ac tantis vicibus repeterentur in bullis Apoſtolicis. 14.

Probatur ſecundò. Leo X. conceſſit fratribus minoribus, ut videre eſt in Bullario Rodriguez *tom. 1. fol. 317. num. 4. & in ſuis quæſtionibus tom. 5. quæſt. 7. art. 1.* Quod vivæ vocis oracula non eſſent minoris valoris, ac efficaciæ, quam ſi per bullam, aut breve ad perpetuam rei memoriam eſſent conceſſa; ergo cum oracula vivæ vocis habeant eandẽ vim, ac aliæ conſtitutiones Apoſtolicæ, ſequitur quod ſi iſtæ non revocantur per conſtitutionem Vrbani, neque etiam illa, quia ubi mili- 15.

Leo X. Rodrig.

tat

tat eadem, vel æquivalens ratio, ibi etiam militat eadem juris diſpoſitio, *l. Illud, ff. ad l. Acum ſimilibus.*

L. Illud.

16. Probatur tertiò, quia confirmatio Privilegiorum, in qua Summus Pontifex dicit ſe confirmare *ex certa ſcientia, ac ex plenitudine poteſtatis* habet vim novæ conceſſionis talium privilegiorum. Gloſſa *in cap. Quia diverſitatem, cap. Veniens, de tranſact. & cap. 2. de pactis.* Et idem affirmant Card. Tuſchus *verb. Confirmatio ex certa ſciētia.* Portel *in dub. Regul. verb. Privileg. Confirmatio. n.* 29. Suar. *lib.* 8. *de legib. cap.* 18. *n.* 12. Layman *lib.* 1. *tract.* 1. *cap.* 23. *n.* 16. *q.* 4. Et alij multi. Ratio eſt, quia aliquod novū creat hæc confirmatio ex certa ſciētia, & vim habet reddendi actum de invalido validum, & illud nullū confirmando, ſed omnia vivæ vocis oracula antecedentia per Pium V. Gregorium XIII. Clementem VIII. Paulum V. fuerunt ab his Pontificibus confirmata ex certa ſcientia per Bullas authenticas; ergo vim habent novæ conceſſionis, ergo non ſunt revocata per Conſtitutionem Vrbani VIII.

Gloſſa.

Tuſch. Portel. Suarez. Layman.

QUÆSTIO III.

Ponitur ſententia vera, & affirmans prædicta oracula vivæ vocis eſſe revocata.

SUMMARIUM.

17 *Vera ſententia, quod omnia vivæ vocis oracula conceſſa Regularibus ſint revocata per Gregorium XV. & Vrbanum VIII.*

18 *Probatur communi Auctorum fundamento, quia ſemper ſunt, & dicuntur oracula.*

19 *Probatur peculiariter ex intentione Pontificum, qui volunt tollere omnes abuſus, ac difficultates:*

20 *Probatur ex clauſula Bullarum non obſtantibus.*

21 *Probatur, quia alias Conſtitutio Vrbani erit fruſtratoria.*

Exploditur ſolutio Vitalis: Ibid.

22 *Aliqui dicunt, quod ſolum revocantur oracula conceſſa ad inſtantiam Regum:*

23 *Talis dicendi modus excluditur ex Bulla Vrbani VIII.*

24 *Ex auctoritate Bullarum apertè conſtat, & non eſt dubitandum.*

17. ESt mihi vera, & certa ſententia omnia vivæ vocis oracula conceſſa Regularibus fuiſſe, & eſſe revocata per Conſtitutiones Gregorii XV. & Vrbani VIII. Ita Cardinalis Lugo *in Reſponſionibus moralibus, lib.* 4. *dub.* 3. *num.* 2. Quintanadverſas *in Theologia Morali, tom.* 1. *tract.* 9. *ſingul.* 3. *num.* 1. Joſeph Rocaful. *in praxi Theolog. Moral. to.* 2. *part.* 3. *lib.* 7. *c.* 6. *num.* 44. Bordonius *tom.* 1. *Reſol.* 31. *num.* 4. Baldellus *tom.* 2. *lib.* 3, *diſput.* 34. *n.* 16. Portellius *tom.* 2. *Reſponſionum Moralium, cap.* 110. *ſeu ultimo*, ubi ſe retractat de oppoſita ſententia, quam tenuit *tom.* 1. *caſu ſeu*

Lugo. Quintanad Rocaful. Bordon. Baldell. Portel.

Sylveira Opuſcula.

cap. vlt. Antonius Eſcobar de Mendoça *to.* 1. *in Theologia Morali. lib.* 6. *ſectione* 2. *cap.* 13. *Problem.* 16. *num.* 144. & *cap.* 16. *Problem.* 3. *num.* 195. Diana *tribus in locis hanc quæſtionem pertractat, part.* 3. *tract.* 14. *Reſolut.* 17 & *part.* 20. *tractatu* 14. Miſcellan. 4. *Reſolut.* 24. *alias* 26. & *parte* 11. *tractatu* 6. *Reſolut.* 45. fortiter, efficaciter tenet hanc noſtram ſententiam, & ait eam approbari ab omnibus Tribunalibus Vrbis Romæ non dubito, ut à Sacra Rota, Sacra Pœnitentiaria & à Sacris Eminentiſſimorum Cardinalium Congregationibus.

Eſcobar. Diana.

18. Probatur primò, ab his Auctoribus oracula vivæ vocis, quamvis per Bullas confirmentur, & innoventur, aut etiam denuò concedantur, adhuc manent oracula vivæ vocis, & in ipſis Bullis tali nomine dicuntur; ergo manent ſubiecta huic revocationi. Antecedens oſtenditur, quia per confirmationem, aut innovationem, non mutatur natura, aut conditio rei: alias non eſſet ejus confirmatio, vel innovatio, ſed nova productio diverſæ rei: manet igitur oraculum confirmatum, id eſt; magis firmatum, & roboratum in ipſamet oraculi natura; non autem illam exuit, aut mutat in alteram naturam, aut denominationem privilegii Bullati.

19. Secundò, ſic ego eam probo, & hæc ratio me maximè ducit in hanc ſententiam, ait Sanctiſſ. Domin. Vrban. VIII. in ſua Conſtit. *Felicis recordationis Gregorius Papa XV. prædeceſſor noſter ſubnaſcentibus iugiter variis difficultatibus, & abuſibus ex privilegiis à Sede Apoſtolica vivæ vocis oraculo conceſſis*; ut iret obviam talia ſcilicet vivæ vocis oracula revocavit; ex quo expreſsè, & apertè conſtat, quod mens Pontificis in tali Conſtitutione edenda extitit, quia ex ipſis oraculis vivæ vocis pullulabant multæ difficultates, & abuſus, cum non conſtarent ex Scriptura, ſed ex verbis ore prolatis, & audientium teſtimonio inde facilè ex lapſu memoriæ, unum verbum poterat addi, minui, mutari, poſtponi, vel anteponi; & cum hæc vivæ vocis oracula conſtent ex teſtimonio aſtantium, unus teſtis poterat referre uno modo, alter alio modo, & inde naſcebantur multæ difficultates, abuſus ac confuſiones, quas Gregorius, & Vrbanus voluerunt erradicare, ergo quamvis aliqui Pontifices Pius V. Clemens VIII. confirmaverint Religionis privilegia etiam vivæ vocis oraculo, loquuntur in genere, non verò in particulari, prout ſub tali, & tali forma verborum ſunt prolata, nec eorum forma verborum referuntur in Bullis ipſis Pontificum, ſed tantum habentur ex teſtimonio audientium, ſeu aſtantium, ex quibus abuſus, ac difficultates emanant, quas Gregorius, & Vrbanus ſuis Conſtitutionibus intendunt delere, ac extinguere. Ergo per eos ipſa vivæ vocis oracula ſunt revocata, ac annullata, aliter Romanorum Pontificum intentio non perſiſtit.

20. Probatur: quia Gregorius XV. & Vrbanus VIII. revocantes, & annullantes omnia vivæ vocis oracula ponunt clauſulam, *Non obſtantibus* quibuſcunque conſtitutionibus, & litteris Apoſtolicis, ſub quacunque forma

verborum etiam cum clauſula derogatoria derogantium; atqui ſi aliquid obſtaret, ob quam oracula vivæ vocis non ſint derogata, ex eo eſt, quia habentur in aliquibus Conſtitutionibus Apoſtolicis, verbi gratiâ, Pij V. Clementis VIII. &c. Atqui Romani Pontifices, Gregorius, & Vrbanus annullantes vivæ vocis oracula ponunt clauſulam non obſtantibus quibuſcunque Conſtitutionibus Apoſtolicis, ergo Conſtitutiones prædeceſſorum Pontificum, non obſtant ad derogationem talium oraculorum.

21. Quartò probatur communi fundamento in hac materia, ex contraria ſententia ſequitur, Generalem Bullam revocatoriam factam ab Vrbano VIII. fuiſſe fruſtratoriam, quia juxta contrariam doctrinã, omnia oracula conceſſa uſque ad Gregorium XV. jam non erant oracula, ſed tantum privilegia Bullæ. Reſpondet Vidalius Vrbanum ſolum revocaſſe oracula à ſe conceſſa. Vidalius. Sed contra. Vrbanus expreſſè ait privilegia, *ac quaſcunque gratias per Summos Pontifices prædeceſſores noſtros, ac per nos, vivæ vocis oraculo.* Secundò reſpondet, quod revocantur, quæ non ſunt in libro authentico, hic autem liber authenticus juxta Peirinũ *in formul. Prælator. c. 3. Appendice 4. §. 2 litter. Z, folio mihi* 539. Iſte liber authenticus eſt ſubſcriptus manu Notarij, qui ex ore Sanctiſſimi audivit; at talem librum Authenticum his circunſtantiis, nec ego vidi, & facta bona diligentia, nullum inveni Auctorem, qui talem librum viderit, nec talis liber appareret, *& non apparentibus, ac non exiſtentibus, idem eſt judicium.* Peirin.

22. Nec dicas cum M. Fr. Antonio ab Spiritu Sancto *ſuperiori quæſtione allegato*, quod poſt Bullam Gregorij XV. Vrbanus VIII. anno 1624. conceſſit omnia vivæ vocis oracula, ut teſtatur Portel. *tom. 1. Reſponſ. Moral. fol. 909.* etſi poſtea idem Vrbanus VIII. revocavit omnia oracula anno 1631. die 20. Decembris, revocavit tantum illa oracula, quæ erant conceſſa ad inſtantiam Regum, vel Principum, vel Cardinalium auctoritate munita, relinquendo alia oracula abſque alia revocatione. Anton. ab Spir. Sanct. Portel.

23. Contrarium expreſſè conſtat ex citata Bulla Vrbani VIII. ut legenti patebit: nam in ea Pontifex revocat omnia vivæ vocis oracula etiam manu Cardinalium firmata, quibuſcunque Generalibus, Provincialibus, cæteriſque Superioribus Congregationibus, inſtitutis etiam Societatis: *Quacunque de cauſa etiam & neceſſitate exprimenda, occaſione, prætextu, vel colore, etiam intuitu, contemplatione, ſeu ad inſtantiam Imperatoris, Regum, & Principum quorũcunque.* Expende illud *etiam intuitu Imperatoris*; id eſt, omnia oracula revocat *etiam* ſeu quamvis conceſſa ſint intuitu, contemplatione Regum, ac Principum, ut patet ex illo adverbio *etiam*; ſi autem Vrbanus VIII. conceſſit anno 1624. poſtea revocavit anno 1631.

24. De auctoritate, ac publicatione horum Decretorum Gregorij XV. Vrbani VIII. nullo modo poteſt dubitari, cum hujuſmodi Bullæ referãtur in Bullario Cherubini citatis locis, & omnes ferè Auctores, qui poſt hæc Decreta edita ſcripſerunt; de illis faciunt mentionem, & illi qui Romæ approbanter M. Sacri Palatij ſua opera prælo dederunt, ut Cardinalis Lugo, M. Lezana, ac Diana.

RESOLUTIO XLVII.

Proceſſiones, & Præcedentia.

QUÆSTIO PRIMA.

Qui poſſit Proceſſiones indicere?

SUMMARIUM.

1 *Diſpoſitio Concilij Tridentini circa proceſſiones.*
2 *Ad Epiſcopum, ſeu ejus Vicarium pertinet convocare ad proceſſiones.*
3 *Abſente Epiſcopo Vicarij, Priores, Archipresbyteri poſſunt convocare.*
4 *An poſſit indicere proceſſiones ſolemnes in domibus Regularium, ipſis invitis, ſunt qui affirmant.*
5 *Verior ſententia negativa, quia illud eſt actus juriſdictionis ſpiritualis, à qua Eccleſiæ Regularium ſunt exemptæ.*

IN limine hujus quæſtionis, pro illius fundamento ponendum eſt Decretum Concilij Tridentini *ſeſſ.* 25. *cap.* 13. ubi exempti autem omnes tam Clerici ſæculares, quam Regulares quicunque etiam Monachi *ad publicas proceſſiones vocati, accedere compellantur, iis tantum exceptis, qui in ſtrictiori clauſura perpetuo vivunt.* Ita Sacrum Concilium Trident. 1. Trident.

2. Conveniunt ferè omnes, quod convocare ad proceſſiones pertinet ad Epiſcopum, ſeu ad Ordinariũ loci, & in ipſorum abſentia, ſeu ad eorum Vicarium Generalem, hoc enim pertinet ad munus Epiſcopale, & bene colligitur ex Tridentino *citato loco*, ubi diſponit, quod Epiſcopus quoad proceſſiones componat controverſias circa præcedentiam, & ſtatim conjungit convocationem ad tales proceſſiones; quæ convocatio ad aliquem debet pertinere, ad nullum autem alium, niſi ad Epiſcopum. Ita docent Innocentius *in cap. Cũ iter. n. 2. de ſententia, & re judicata.* Riccius, Campanella, & alij, quos citãt, ac ſequuntur Barboſa *de poteſt. Epiſcopi, p. 3. allegat. 8. 7 n. 3. &* 4. Pellizar. *tom. 1. tract. 5. cap. 11. q. 8 n.* 10. M. Lezana *tom. 4. verb. Proceſſion. n. 4.* Innocen. Riccius. Campanel. Barboſa. Pellezar. Lezana.

3. Optimè tamen advertit M. Lezana *proximè citatus*, quod licet Portel. *in dubiis Regul. verb. Proceſſiones, n. 7.* poſt Rodriguez *in Additionibus ad ſummam, tom. 4. c 105 n. 1. ad finẽ*, tenere videantur quod Priores, vel Archipresbyteri, in urbibus, vel oppidis, ubi non reſident Epiſcopi, non poſſint compellere Religioſos ad proceſſiones; intelligendum tamen eſt ſi tales non ſint Ordinarij locorum, vel proceſſiones illæ ſint inſolitæ, neque pro cauſa publica; ita etiam habet Cochier *de juriſdictione Ordinarij in exemptione, part. 2. q. 45. n.* 109. Et ratio eſt manifeſta, quia ſecundum Decreta Pontificum, certis diebus, ac etiam de Lezana. Rodrig. Portel. Cochier.

de cauſis celebrandæ ſunt proceſſiones, & aliquis debet ad eas vocare, nullus aptior, quam ille, qui Ordinarij locum tenet.

4. Cum autem ad Epiſcopum pertineat dirigere, ac determinare locum, ad quem proceſſio debet tendere. Quæritur nunc, an valeat Epiſcopus in Eccleſiis Regularium ipſis invitis proceſſionem ſolemnem ordinare? Affirmat M. Lezana *tom. 2. in mare magnum in Regulã Carmelitan. §. 75. num. 423.* ubi ſic ait. Si autem quæras, an poſſit Epiſcopus convocare ad proceſſiones Eccleſias Regularium. Reſpondeo affirmativè contra Portellum *in dubiis Regularibus, verb. Proceſſiones, num. 10.* & Tamburinum *to 1 de jure Abbatũ, diſp. 15. quæſt. 15. n. 12.* Et ratio eſt, quia hoc videtur jus Epiſcopale juxta dicta *tom. 4. verb. Proceſſio quoad Regulares, n. 4.* Et privilegiũ, de quo in præſenti, & alia ſimilia, quibus prohibentur Epiſcopi Cõventus publicos in Regularibus domibus convocare, intelligi debent de Conventibus odioſis, & contentioſis, aut præjudicialibus, non de illis qui cedunt in honorem & æſtimationem Religionum, quales ſunt proceſſiones. Ita M. Lezana.

Lezana. Portel. Tambur.

5. Tamen dicendum exiſtimo, non poſſe Epiſcopum, invitis ipſis Religioſis ordinare, ac diſponere proceſſiones in eorũ Eccleſiis, quia facere ac convocare proceſſiones generales, potius eſt officij, & juriſdictionis actus, quam honoris Epiſcopalis. Et confirmatur ex his, quæ dixi *ſuprà, Reſol. 31. q. 9. n. 45.* quia Eccleſiæ Regular. pertinent immediatè ad jus, & proprietatem Sedis Apoſtolicæ, & omnimodè ſunt exemptæ à juriſdictione cujuſcunque Ordinarij, ergo cõtradicentibus Regularibus nullum juriſdictionis actum poſſunt in eis exercere. Ita Tambutin. & Portellius *citati.* Inſuper idem docent Diana *par. 9. tract. 6. Reſol. 48.* Peirinus *tom. 1. in Conſtitut. 26. Leon. X. §. 24. num. 46.* & citat Vital. *ſuper Clement. Archiepiſc. n. 55.* Leandrus *part. 8. tract. 6. quæſt. 7.* Bordonius *tom. 2. Conſil. Reſol. 68. q. 6. n. 21.* ubi retractat ſententiam, quam habuit *tom. 1. Conſil. Reſolut. 7. num. 132.*

Diana. Peirin. Leandr. Bordon.

QUÆSTIO II.

Regulares, per quos vocandi ſunt, & ſub quibus pœnis?

SVMMARIUM.

6 *Prima ſententia ait, quod ſufficit vocari virtualiter.*

7 *Secunda, quod vocandi ſunt actualiter per Clericos.*

8 *Regulares non poſſunt compelli ad proceſſiones per cenſuras.*

9 *An Regulares Parochi valeant compelli cenſuris ab Epiſcopo, ut conveniant ad proceſſiones, ſicut & cæteri Parochi ſæculares vera ſententia eſt affirmativa.*

10 *Quæ ſententia optimè probatur ex* cap. Cum Capella, de Privilegiis.

6. AD primam partem quæſtionis. Quod non ſint vocandi Religioſi ad proceſſiones formaliter, ſed tãtum virtualiter, tenet Zerola *in praxi Epiſcop. part. 1. verb. Proceſſiones, §. Ad tertium*, quem ſequitur Pellizarius *to. 1 tra. 5. cap. 11. quæſt. 3. nu. 4.* Inquiunt Concilium dicere, quod vocẽtur, ne ſe excuſent, & ad hoc ſatis eſt, ut ſciant diem conſuetum, & ita ſufficit vocari virtualiter; & ideo non eſt opus ſemper actu vocari.

Zerola. Pellizar.

7. Communis, & certa ſententia eſt, quod Religioſi ſemper debent actu vocati, & non per publicum edictũ, ſed per Cleros, vel alios miniſtros aptos Ordinarij, aliàs non tenebuntur Regulares ad proceſſiones accedere; hoc indicat Concilium *vocati ad veniam*; quod denotat actualem, & communem vocationem. Ita Rodriguez *tom. 3. q. 36. art. 1.* Tamburinus *tom. 1. de jure Abbatum, diſp. 24. quæſt. 8. num. 2.* M. Lezana *tom. 1. cap. 9. nu. 47.* Peirinus *tom. 1. Privileg. Minim. in Conſtit. Sixti IV. §. 11. n. 37.* Bordon. & alij.

Rodrig. Tambur. Lezana. Peirin. Bordon.

8. Quoad ſecundam partem quæſtionis jam iſtam reſolvi, & latè tractavi *ſupra, Reſol. 37. quæſt. 1.* ubi magno numero Doctorum oſtendi Epiſcopum non poſſe compellere Regulares ad proceſſiones cenſuris, ſed aliis pœnis, v. g. privatione prædicandi, audiendi confeſſiones, vel ſequeſtratione aliquarum rerum temporalium, & præter Doctores ibi citatos idem docent Quaranta *in ſumma Bullarij, verb. Præcedentia, in fine*, ubi pro hac ſententia multas affert Cardinalium declarationes. Barboſa *in Remiſſion. ad Trident. ſeſſ. 25. cap. 13. de Regul. num. 5.* Henriquez *in ſumma, lib. 7. cap. 25. §. 7.* Rodriguez *in ſumma, tom. 1. cap. 74. n. 4* & *tom. 3. Reg. q. 36. art. 1.* Scortia *in Bullis ſelectis Theoremate 393. verſ. Si autem* Peirinus *1. part. Rituali notabili 3.* & *tom. 1. Privilegiorum ſui Ordinis, in Annotation. 2. Sixti IV. num. 6.* Diana *3. part. tract. 2. Reſolut. 76.* Pellizarius *tom. 1. tract. 5. c. 11. quæſt. 5. n. 6.* Fr. Anton. ab Spiritu Sancto *in Director. Regular. tract. 3. diſp. 6. ſect. 9. §. 7. n. 1562.* Belaſius *verb. Proceſſio, n. 5.* vide ſupra *Reſol. 37. q. 1. num. 3.* & 4.

Quoad 2. partem. Barboſa. Henriq. Rodrig. Scortia. Peirin. Diana. Pellizar. Fr. Anton. Belaſius.

9. Maximè tamen dubitatur, an ſaltem poſſit Epiſcopus compellere cenſuris Regulares Parochos, ſeu habentes curam animarum, ut ad proceſſiones accedant. Affirmativè reſpondet Pellizarius *loco citato, num. 7.* & ait, ſi loquamur de Regularibus habentibus curam animarum, ſicut hi tenentur ire ad omnes proceſſiones, ad quas conveniunt Parochi ſæculares, (idque licet aliqui eſſent Ordinis ſpecialiter exempti à proceſſionibus ita & poſſunt puniri ab Ordinario, etiam per cenſuras Eccleſiaſticas, æquè ac poſſunt alij Parochi ſæculares. Patet ex eo quod Regulares prout ſũt Parochi in omnibus rebus concernentibus munus Parochiale, eadem ratione ſubſunt Ordinario, ac ſubſunt Parochi ſæculares; ac proinde ſicut hi poſſunt per cenſuras adſtringi ad proceſſiones, ita & per eas poſſunt adſtringi Regulares curam animarum habentes.

Pellizar.

10. Quod optimè confirmo ex *cap. Cum Capella 16. de Privil.* ubi cũ Capellani Ducis Burgundiæ, multis privilegiis gauderent, ut eſſent exempti ab Epiſcopo, tamen illi, qui habebant beneficium Parochiale, ratione talis officij ſubjecti erant Epiſcopo, & cum

eo loquens ſic ait Text. *Sed in quantum ratione Parochialium Eccleſiarum, vel alias juriſdictionem tuam reſpicere dignoſcuntur, officii tui debitum in eoſdem liberè proſequaris.* De quo ibi Gloſſa, Abbas *in cap. vltimo, n.* 11. ibi Filinus *de foro compet.* Azevedo *l.* 3. *à n.* 118. *tit.* 16. *lib.* 8. *nou. Recopilat.* Covar. *practic. c.* 11. *n.* 5. *verſ. Poſſet.*

Gloſſa. Abbas. Filinus. Azeued. Covar.

QUÆSTIO III.

Ad Epiſcopum, ſeu Ordinarium pertinet componere differentias inter Clericos, ſeu Regulares, quæ exoriuntur proceſſionum occaſione.

SUMMARIUM.

11 *Textus Concilii circa controverſias.*
12 *Facultas data eſt circa controverſias ortas cum ſcandalo.*
13 *Epiſcopus componat controverſias ſummariè, & ſine figura judicii.*
14 *Per ſententiam Epiſcopi ſuſpenditur effectus ſuſpenſivus, non tamen devolutivus.*
15 *Remedium ad componendas controverſias, eſt quod expellantur litigantes, dum nolunt acquieſcere.*

11. Trident. VErba ſunt Concil. Trid. ſeſſ. 25. c. 13. de Regul. *Controverſias omnes de præcedentia, quæ ſæpè cum ſcandalo oriuntur inter Eccleſiaſticas perſonas tam ſæculares, quam Regulares, tum in proceſſionibus publicis, tum in iis, quæ fiunt, in tumulandis defunctorum corporibus, & in deferenda umbella, & aliis ſimilibus, Epiſcopus amota omni appellatione, non obſtantibus quibuſcunque componat.*

12. Facultas hic Epiſcopis data à Concilio, ad ſedandas controverſias ſuper præcedentia ortas inter perſonas Eccleſiaſticas, ſive ſæculares, ſive Regulares, intelligitur tantum, quando ex ipſis controverſiis ſequatur ſcandalum; Concilium autem ait de his, *quæ cum ſcandalo oriuntur.* Unde ſi illud non ſequatur, nulla videtur facultas commiſſa. Ita Barboſa. *in Collectanea ad citatum locum Concili*, cum Deciano *conſil.* 63. *n.* 10. *lib.* 2. Cenedo *Canon. quæſt. lib.* 1. *q.* 26. *num.* 17. Salgado *de Protect. Regia, tom.* 1. *part.* 2. *cap.* 9. *n.* 101.

Barboſa. Decian. Cenedo. Salgado.

13. Cum ergo juxta Textum Concilii pertineat ad Epiſcopum componere ipſas controverſias, ſemota omni appellatione, hoc eſt brevi manu, ſummariè, & de plano, ac ſine ſtrepitu, ac figura judicii; ita declaratum eſt à S. Congreg. refert Campanella *in Diverſor. ioinris, Ruberica* 12. *c.* 13. *n.* 120. Intelligitur autem, quod breviter componat ipſas controſias quoad effectum ſuſpenſivum dumtaxat, ut reſolvuntur Salgado *proximè citat. n.* 99. Armendar. *in Additionib. ad recopil. legum Navarre, lib.* 1. *tit.* 14. *& lib.* 28. §. 31. *n.* 10. Non tamen tollit effectum devolutivum. Ut tenet Rota Romana coram Cardin. Lancelloto *in Colonienſi Præcedent.* 9. *Iunii* 1627 §. *Non obſtat, quod Concilium.*

Campanel. Salgado. Armendat. Rota Rom.

14. Cum verò circa præcedentiam magna eſt controverſia; & res ſecundum juris diſpoſitionem, non poteſt determinari, & Patres nolunt acquieſcere; oportunum remedium ait Rodrig. *Tom. Reg. q.* 37. *art.* 3. utroque expellere, pro illa vice, ut in ſimili notant Innocentius, & Gondiſalvus de Villadiego apud eundem Rodrig. & Peirinus *tom.* 1. *Privileg. Minim. in Conſtit.* 2. *Sixti IV. n.* 57. M. Lezana *tom.* 4. *verb. Proceſſio. num.* 6.

Rodrig. Innocent. Gondiſal. Peirin. Lezana.

QUÆSTIO IV.

An Religioſi obligati ad proceſſiones ſub mortali teneantur accedere & etiam cantare?

SUMMARIUM.

15 *Tenentur ſub mortali adeſſe.*
16 *Hoc præceptum reſpicit primò Prælatos, deinde ſubditos, ſi impediunt ne alii vadant.*
17 *Quidam dicunt quod Religioſi non tenentur canere, niſi in proceſſionibus Litaniarum.*
18 *Standum eſt conſuetudini locorum, ac Regnorum;*

DIcendum eſt, quod Religioſi, qui tenentur ire ad proceſſiones, & vocati ſunt, ſub mortali tenentur adeſſe. Ita Pellizar. *tom.* 1. *tract.* 5. *c.* 11. *q.* 2. *n.* 2. M. Fr. Anton. ab Spiritu Sanct. *tom.* 2. *Director. Regular. tract.* 3. *diſp.* 6. *ſect.* 12. *n.* 1559. Leandr. *tom.* 8. *tract.* 6. *q.* 18. Et ratio eſt, quia Tridentinum *citatum, q.* 4. *ponit.* præceptum, & in re gravi, ut Religioſi vocati conveniant ad proceſſiones, cui autem violat præceptum in re gravi, peccat mortaliter, ergo & iſti non accedentes. 15.

Pellizar. Fr. Anton. Leandr.

Hoc autem præceptum poteſt conſiderari quoad Prælatos, & quoad ſubditos; quoad Prælatos autem, verbi gratiâ, Abbatem, Priorem, Guardianum, vel quemcunque alium Rectorem. Ratio eſt, quia quoties obligatio cadit in aliquod corpus myſticum alicuius communitatis, caput talis corporis, ratione ſui muneris, maximè tenetur curare, ut obligatio illa impleatur, quia ad ſuperiorem pertinet morere inferiores ad operandum, & ideo talis obligatio primò, & directè reſpicit ipſos Prælatos; reſpicit etiam ipſos ſubditos, non ſingillatim per ſe ſolum, ſed prout ſi ipſi advertunt fore, ut ſi ipſi omittant ire ad proceſſiones Conventus ſimpliciter non ſit interfuturus proceſſioni, eo quod non adſint alii, qui commodè poſſint ire ad eam, ſive quod in ea pauci degant Religioſi, ſive quod plures eorum ægrotent, vel aliquod aliud habeant legitimum impedimentum. 16.

Quantum ad ſecundum. M. Lezana *tom.* 4. *verb. Proceſſiones quoad Regulares, num.* 3. *in medio*, ait quod Sorbus refert Sacram Congregationem declaraſſe, Regulares ſic accedentes ad proceſſiones, teneri in illis cantare, quod tamen obſervari non video, niſi in ſolis proceſſionibus Litaniarum. Ita Lezana. 17.

Lezana. Sorbus.

Standum eſt conſuetudini Regnorum, ac 18.

Regio

Regionum: nam in Regnis Caſtellæ, ut accepi, non ſolent Religioſi canere, nec etiam in proceſſionibus Litaniarum, & in hoc noſtro Portugalliæ Regno ſolent Religioſi canere in omni proceſſione; & ideò talis conſuetudo ad evitandum ſcandalum ab omnibus obſervanda.

QUÆSTIO V.

Quinam Religioſi ſint de obligati accedendi ad proceſsiones, tum ex privilegio, tum ex conſuetudine?

SUMMARIUM.

19 *Religioſi, qui ex privilegio non tenentur accedere ad proceſsiones.*
20 *Diſtantes ab vrbe per medium milliare.*
21 *Excuſantur ob paucitatem Religioſorum, vel quia multi infirmantur.*
22 *Conveniens numerus, ut teneantur Religioſi accedere, eſt duodenarius.*
23 *Si verò in Conventu adſint hoſpites non tenentur accedere.*
24 *Religioſi etiam excuſantur accedere ad proceſsiones ob ſurpervenientem pluviam.*
25 *Exempti ſi ſemel accedant ad proceſsiones, vel ex devotione, vel quia invitati, an inde deperdant ſuum privilegium.*

19. Trident. PRimò, non tenentur accedere viventes in ſtrictiori clauſura, ut patet ex Trident. Secundò, eximuntur hi, qui vivunt in Collegio, & ſtudio, ac lectionibus dant opera per Bullam Pij V. *Etſi Mendicantium* Marzil. Tambur. Portel. Peirin. Marzilla *citat.* Tamburin. *de jure Abbat. diſp. 24. quæſt. 8.* Portel. *verb. Proceſsiones, num. 4. & 5.* Peirinus *in Additionibus ad prædictam Bullam Pii V.* Tertiò, noſtri Patres Carmelitæ Diſcalceati à Clemente VIII. Bulla *Religioſorum* anno 1596. & ex Paulo V. *Decet Romanum.* Bulla 4. anno 1610. *apud eorum Compendium.* Compend. Quartò, Carthuſiani Camaldulen. Benedictini, Bernardini, Patres S. Hieronymi *in Hiſpania*: Bulla Pii V. apud Capucinum *in Compendio, verb. Proceſsiones.* Capucin. Quintò, Patres Societatis JESU ex Gregorio XIII. Bulla *quæcunque.* Sextò, communiter omnes Clerici Regulares. Septimò, Patres Ioannis Dei, ut teſtatur Gavantus, *verb. Proceſsio, n. 12.* & ibi multi alii Religioſi, ſicut & apud Lucernam Regular. Cavan. Lucerna *verb. Proceſsio, n. 10.*

20. Sextò, non tenentur accedere ad proceſsiones Religioſi, quorum Conventus diſtat ab urbe, ſeu oppido per medium milliare, quod ſolum continet quingentos paſſus. Ita declaravit Sacra Congregatio Cardinal. apud Rodrig. *in Bullar. fol. 1200. col. 1.* ſub Clemente VIII. ubi dicitur *Regulares diſtantes ab urbe, ultra medium milliare, non poſſe compelli ab Epiſcopo.* Rodrig. Hanc declarationem referunt Marzilla *lib. 2. titul. 12. cap. 14. §. Exempti omnes.* Marzil. Barboſa. Barb. *de poteſtate Epiſcopi, allegat. 78. num. 21.* Quaranta *in ſumma Bullarii, verb. Privilegia Regul. pag. 406.* & *verb. Præcedentia, colum. 2.* Quaranta. Riccius *in praxi fori Eccleſiaſt. Reſol. 308. num. 3.* Piacius *in praxi Epiſcop. cap. 3. num. 47.* Riccius. Piacius.

21. Septimò, excuſantur Religioſi à proceſſionibus, ob paucitatem exiſtentium in Conventu debet accedere in numero decenti, debito, & conſueto. Ita declaravit Sacra Congregatio 30. Auguſti 1602. ut teſtatur Barboſa *lib. 1. de jure Eccleſiaſtico, cap. 43. numero 160* Novar. *Lucerna. Regul. verb. Proceſsio, num. 3.* Lezana *tom. 4. verb. Proceſsio quoad Regul. num. 3.* ex quo ſequitur, quod ſi in Conventu non ſit decens, & conveniens numerus excuſantur ab ipſis proceſſionibus illius Religioſi, & idem eſt, ſi multi infirmentur. Congreg. Barboſa. Novar. Lezana.

22. Si verò inquiras, quot Religioſi requirantur ad hunc convenientem, & debitum numerum. Reſpondet Bordonius *Reſol 7. num. 147.* & ex eo Pellizarius *tom. 1. tract. 5. cap. 11. quæſt. 11. num. 16.* quod ſaltem requiruntur duodecim Religioſi: nam ad minimum talis numerus eſt requiſitus, ut debito, & convenienti modo incedant, cum cruce, & candelabris. Bordon. Pellizar.

23. Si autem caſu contigerit, quod in tali Conventu non ſint duodecim Religioſi Conventuales, tamen eo die in Monaſterio adſunt multi Religioſi hoſpites, an teneantur cum hoſpitibus intereſſe proceſſioni Conventuales. Reſpondent citati Auctores negativè, quia hoſpites non ſunt ſubditi illius Monaſterii, ac proinde non tenentur ad ſatisfaciendas obligationes illius Conventus, & cum eis convenire Leandr. *citat. q. 27.* Leand.

24. Octavò, dubitatur an Regulares excuſentur à proceſſionibus ob ſupervenientem pluviam, & tempeſtatem. Affirmativè reſpondet Pellizarius *proximè citatus*, quia præcepta humana, & maximè Eccleſiæ, cujus jugum ſuave, & leve eſt, non obligant cum tanto incommodo, ac onere filiorum, quia etiam in tali eventu, datur Epicheiæ locus, & rationabiliter præſumitur Ordinarium non ægrè laturum Regularium abſentiam, ita citat Pellizarius, & Fr. Antonius ab Spiritu Sancto 2. *p. Direct. Regul. tract. 3. diſp. 6. ſect. 11. n. 1595.* Pellizar. F. Anton.

25. Ad calcem huius quæſtionis quæres. An Religioſi, qui ex privilegio, vel ex antiqua conſuetudine ſunt exempti à proceſſionibus, ſi aliquando ad eas invitati, vel ſua devotione accedant, intelligantur per talem acceſſum privilegium amittere, ut in poſterum compellantur venire. Reſpondendum eſt negativè cum Tamburino *citata diſputat. 24. quæſt. 8. num. 5. & 6.* Pellizarius *citato cap. 11. quæſt. 4. in fine* M. Lezana *tom. 1. Regular. cap. 9. num 47.* & *tom. 4. verb. Proceſsiones, num. 3.* & apud ipſum Barboſa, Portel. Novar. cum quibus etiam eſt Fr. Antonius ab Spiritu Sancto *citat. num. 1564.* quia ex tali acceſſu nullum ius acquiritur contra illos, nec exinde illi videntur renuntiare ſuum privilegium, nec ejus Conventus illud valet renuntiare in præjudicium totius Religionis. Tambur. Pellizar. Lezana. Barboſa. Portel. Novar. F. Anton.

Quæstio VI.

Ad quas proceſſiones tenentur Regulares accedere.

SUMMARIUM.

26 *Religioſi tenentur accedere ad proceſſiones communes vocati ab Epiſcopo.*
27 *Ad quas proceſſiones tenentur Regulares accedere.*
28 *Ex declaratione Cardinalium non tenentur accedere ad proceſſionem, quæ fit in octava corporis Chriſti.*
29 *Clementis VIII. conceſſit Patribus S. Eloy, ut ad nullas proceſſiones tenerentur accedere, niſi ad illas quinque aſſignatas.*
30 *Archiepiſcopus Olyſipponenſis voluit obligare Religioſos ad proceſſiones litaniarum, & prædicto privilegio ſe munierunt, & Archiepiſcopus quievit.*

26. REligioſi etiam exempti tenentur vocati accedere ad proceſſiones publicas & conſuetas, ac indictas pro bono communi, illiuſque honore, ut communiter reſolvunt Rodrig. Franciſcus Leo, Vgolin. ac multi alij, quos citat, ac ſequitur Barboſa *in collect. Concily Trident. ſeſſ. 25. cap. 13. ad Regul.* quod magis particulariter explicemus.

Rodrig. Leo. Vgolin. Barboſa.

27. Compelli poſſunt Regulares ab Ordinario accedere ad proceſſiones in feſto Corporis Chriſti, in Litaniis, quæ fiunt ante Aſcenſionem, non tamen in his, quæ fiunt in die ſancti Marci, ut ex declaratione Cardinal. tenent Belaſius *verb. Proceſſio, n. 6.* Moronius *reſp. 12. num. 16.* & etiam *in jubilæis*, ut habet Peirinus *ad Conſtit. 7. Pij V. §. 29. num. 25.* & etiam in proceſſionibus, quæ pro bono pacis Eccleſiæ, vel pro victoria cõtra infideles fiunt, Pius V. in Bulla *Etſi Mendicantium*, apud Peirin. *ibid.* Idem dicẽdum eſt de proceſſione, quæ fit pro peſte, vel alio grandi malo, non tamen pro proceſſione, pro Synodo celebranda, ut reſolvit Bordonius *tom. 2. Reſol. 68. nu. 46.* Benè tamen ad eam, quæ fit in adventu novi Epiſcopi, ut tenet Barboſa *de poteſtate Epiſcopi, allegat. 68. num. 2.* vel in adventu legati à latere, Rodrig. *tom. 3. quæſt. 36. art. 1.* Et tandem ad omnes proceſſiones, quæ ex antiqua conſuetudine Regni, Provinciæ, ac Diœceſis celebrantur, ut tenent Moronius *reſp. 12. v. 16.* Eraſmus à Cochier. *de Juriſdictione Ordinaria in exemptos part. 2. quæſt. 45. num. 109.*

Belaſius. Moronius. Peirin. Pius V. Bordon. Barboſa. Rodrig. Moron. Cochier.

28. Tamen Regulares non poſſunt compelli ad proceſſiones, quæ fiunt in octava corporis Chriſti, ſic declaratum eſt à Sacra Congregat. *die 9. Decembr. 1637.* & ſic habet Sacra Regularium Congregatio, reſpondet *Regulares ſupradictos nõ teneri in caſu propoſito accedere ad proceſſionem Sanctiſſimi Sacramenti, niſi in die ſolemnitatis corporis Chriſti, nullo modo poſſe cogi in octava, & ita ſervari mandavit.* Ita M. Lezana *to. 4. quæſt. Regular. verb. Proceſſio quoad Regulares num. 11.* & 12. ex ultima editione Venetiis unde non audiendus eſt Machado *tom. 2. lib. 4. part. 6. tract. 10. docu. ment. 6. num. 1.* contrarium affirmans, nec contra nos aliquid docent Auctores, quos ipſe citat, ut legenti patebit.

Sacr. Congr. Lezana. Machado.

Hic maximè notandum, & advertendum eſt, quod Clemens VIII. Patribus Sancti Ioannis Evangeliſtæ, vulgo Patribus S. Eloy, ut habetur in ſuo libro, cujus titulus eſt *liber Privilegiorum Patribus S. Eloy in 2. parte ex impreſſione Romana fol. 13.* Clemens VIII. eis conceſſit, ut ad nullas proceſſiones accedere tenerentur, niſi ad illas juxta Decretum Concilij Tridentini, ſcilicet *pro feſto corporis Chriſti, pro electione Summi Pontificis, ac ejus ſalute, pro peſte, fame, & bello*; & quod ad nullas alias accedere teneantur, quæ conceſſio magni ponderis eſt, explicat Decretum Concilij Tridentini. 29. Clem. VIII. Patres S. Eloy.

In Luſitania Religioſi non ſolent accedere ad proceſſiones Litaniarum, cum eſſet Archiepiſcopus Vlyſipponenſis Illuſtriſſimus Dominus Alphonſus Furtado de Mendoça voluit compellere Regulares, ut ad proceſſionẽ S. Marci, ſeu Litaniæ majoris accederent, & inde Religioſi etiam Mendicantes ſe prædicto privilegio prædictorum Patrum S. Eloy munierunt, quod ad talem proceſſionem non tenebantur, & re ſatis agitata Illuſtriſſ. Dom. Archiepiſcopus quievit, & ultra non proceſſit. 30. Archiep.

Quæstio VII.

An Regulares poſſint facere proceſſiones extra proprium Conventum?

SUMMARIUM.

31 *Aliqui dicunt Regulares poſſe facere proceſſiones extra conventum ſine licentia Epiſcopi*
32 *Oppoſita ſententia, & negativa eſt vera.*
33 *Quod intelligitur, niſi detur conſuetudo in contrarium, ut datur in Portugallia.*

AFfirmat Graffis *conſil. 20. de Regularibus* ex cap. *ſicut antiquitus 17. quæſt. 4.* licere Regularibus per triginta paſſus extra ambitum propij Monaſterij facere proceſſiones, eandem ſententiam tenent Machado *tom. 2. ſumma lib. 4. part. 6. tract. 10. documento 6. n. 3.* & probabilem judicat Pellizar. *tom. 1. tract. 5. cap. 11. quæſt. 16. n. 25.* 31. Graffis. Machad. Pellizar.

Oppoſita ſententia, & negativa eſt omnino vera, & pro ea multas afferunt Cardinalium declarationes Barboſa *de poteſtate Epiſcopi. Allegat. 78.* M. Lezana *tom. 1. Reg. cap. 12. num. 41.* & *tom. 4. verb. proceſſio quoad Regul. num. 8.* & 9. Zerola *in praxi Epiſcop. verb. Proceſſio part. 1. verb. Proceſſio. nu. 4.* Diana *part. 3. tract. 2. Reſol. 77.* Et ratio eſt, quia nemo poteſt inſtituere proceſſiones in territorio alieno, ſed tantum in ſuo, in quo habent juriſdictionem; atqui Religioſi ſolũ habent juriſdictionem in ſuo territorio, & non alieno, ut probat Campanel. *de diverſorio juris Rubric. 12. c. 13. num. 118.* ex Zabarela, & aliis. Illud verò *cap. Autem ſicut antiquitus.* Quod citant Graffis, & Machado ſolum determinat, quod Eccleſiæ omnes gaudeant privilegio immunitatis 32. Barboſa. Lezana. Zerola. Diana. Campanel.

per

per triginta, aut quadraginta paſſus, ex quo minime ſequitur, quod juriſdictio conventus Regularis extendatur ad tale ſpatium, cum potiùs Abbatis, ſeu Prioris territorium tantum dicatur Conventus, ſeu Monaſterium.

33. Hoc autem intelligitur niſi adſit conſuetudo in contrarium, qua ſtante bene poſſunt Regulares in illa perſeverare, ac continuare, pro quo duas declarationes factas à Sacra Congregatione Epiſcoporum, & Regularium affert M. Lezana *tom.4. Regul.verb.Proceſſio quoad Regul. n.8.* una edita eſt die 18. Maii 1640. altera 14. Februarii 2642. quibus declaratur *Regulares habentes conſuetudinem faciendi proceſſiones extra proprium ambitum poſſe illas continuare.* Et Portel. *in dubiis Regular. verb. Proceſs. num.8.* teſtatur, quod in Portugallia Regulares nulla petita licentia frequenter faciunt proceſſiones, pro pluvia, ſerenitate, ac aliis ſimilibus, in quo maximè laudantur ab Epiſcopo, & in omnibus noſtris conventibus in hoc Regno Portugalliæ frequenter magno populi concurſu fiunt proceſſiones Beatiſſimæ Virg. Mariæ de Monte Carmelo.

Lezana. Portel.

QUÆSTIO VIII.

De præcedentia inter cleros, ac Religioſos, & de ipſiſmet Religioſis inter ſe.

SUMMARIUM.

34 *Clerici præcedentiam habent ſupra cæteros Religioſos, & clerici quomodo habeant præcedentiam inter ſe.*
35 *Canonici Regulares præcedunt Monachos.*
36 *Poſt Monachos mendicantes; mendicantes præcedunt non mendicantes.*
37 *Carmelitæ habent præcedentiam ſuper Fratres B. Virg. de Mercede.*
38 *Inter Fratres mendicantes Dominicani habent præcedentiam.*
39 *Quoad alios mendicantes obſervanda eſt bulla Gregorii XIII. de præexiſtentia in loco.*
Bulla Gregorii eſt in ſua viridi obſervantia. ibidem.
40 *Clemens VIII. Solum derogavit prædictam bullam quoad Dominicanos.*
41 *In cæteris bulla Gregorii eſt obſervanda, quæ agit de Mendicantibus, & n. 42.*
43 *Sacra Congregatio determinavit, ut in præcedentia haberetur ordo, ſicut in Romana curia.*

34. CErtum eſt, & conveniunt omnes, quod clerici debent præcedere cæteros Regulares, ut declaravit Pius IV. in ſua conſtitutione *in ordine 75.* & rationis argumentum fundatur in ordine litteræ. Nam in titulo, *Ne clerici, vel Monachi*, primo loco ponuntur clerici, ſecundò verò Monachi, ut obſervat Lean. *tom. 8. tract. 6. quæſt. 13.* ergo in proceſſionibus priori loco ponendi ſunt clerici, & poſtea Religioſi. Inter cleros verò priori loco conſtituti ſunt Canonici Eccleſiarum cathedralium, in ſecundo Canonici Eccleſiarum collegiatarum, in tertio alii clerici ſimplicium Eccleſiarum, in quarto Canonici Regulares Sancti Auguſtini, in quinto Regulares ſecundum antiquitatem ſuorum ordinum, ſeu privilegia, ſeu præſcriptam conſuetudinem, aut exiſtentiam, ſeu prioritatem in loco.

Pius IV. Leander.

35. Et hoc magis explicetur. Canonici Regulares habent præcedentiam ſuper Monachos nigros, ut determinat Pius IV. in Bulla *ſedes Apoſtolica* anno 1564. ut notat Navarr. *tom.4. Regular. à n.4.* Tamburin. *tom. de jure Abbat. diſp.25. q.1.* Deinde inter ipſos Monachos præcedentia debetur Cœleſtinis ſupra Olivetanos, ex declaratione Sacræ Congregationis, & determinatione Rotæ apud Novarinum *præcedentia n. 15.* de quo etiam Tamburin. *verb. citat. num. 7.* & Barboſa ſtatim citandus.

Pius IV. Navar. Tambur. Novar. Barboſa.

36. Deinde poſt Monachos præcedentiam habent mendicantes, ut notant Novarius *citatus num.11.* & Tamburin. *citatus quæſt.8. num. 2.* Deinde mendicantes præcedentiam habent ſupra non mendicantes, ut conſtat ex uſu, ac conſuetudine Eccleſiæ, pluribuſque ſedis Apoſtolicæ quoad hoc declarationibus, ut teſtatur M. Lezana *tom. 4. verb. præcedentia num. 7.* Sunt enim mendicantes coadjutores Epiſcoporum, ac proinde alios præcedere habent, etſi Clerici præcedunt Regulares ex ordine literæ, ut notavi initio hujus quæſtionis, quia in titulo dicitur *Clerici, & Monachi.* primò nominantur clerici, deinde Monachi; ſic etiam in omnibus conſtitutionibus Apoſtolicis, primo nominantur Mendicantes, deinde non Mendicantes, ut patebit conſideranti ipſas Conſtitutiones Apoſtolicas, infra appònam Conſtitutionem Clementis VIII. ergo cum primo nominentur Mendicantes præcedentiam habent ſupra Mendicantes.

Novar. Tamburin. Lezana.

37 Et Patres Carmelitani habent præcedentiam ſupra Fratres B. Virg. de Mercede, ut cauſa controverſa determinatum eſt Deciſione Rotæ die 10. Martii anno 1600. de qua re extat Decretum Sacræ Congregat. eodem an. die 27. Aprilis, quod totum confirmavit Clemens VIII. in bulla quadam, & incipit: *Decet Romanum*, habetur *in 3. tomo Bullar.* & de hoc faciunt mentionem Tambur. *citatus*, Barboſa *de jure Eccleſiaſtico, lib. 1. c. 43. n. 187.* Novar. *citat. n. 9. & 10.* & Lezana *cit. n. 7.*

Sacra Rota. Sacra Cõgr. Clem. VIII. Tambur. Novarr. Lezana.

38. Inter Mendicantes, Fratres ſancti Dominici præcedentiam habent ſuper quoſcumque Religioſos aliorum Ordinum Mendicantium, ut determinavit, ac præcepit Pius V. in ſua bulla: *Divina diſponente*, in ordine 71. & pro ratione declarationis hanc apponit Summus Pontifex, quia ordo ſancti Dominici, *præ cæteris aliis Fratrum Mendicantium ordinibus à Sede Apoſtolica primo approbatus, & confirmatus fuerit.* Quòd etiam maximè confirmavit, ac corroboravit Clemens VIII. in ſua Conſtitut. in ordine 13. *Incipit inter cætera.*

Pius V. Clem. VIII.

39. Quoad alios Mendicantes obſevanda eſt bulla Gregorij XIII. quæ eſt 82. in ordine, & incipit: *Expoſuit Paſtoralis*, die 15. Iulii anno 1583. refertur 2. *tom. Laërtii*, & apud Naldum, Quarantam, Confetium, *verb. Præcedentia.* Et inter cætera derminat ibi Pontifex:

Greg. XIII. Laërtii. Quaranta. Confetius.

fex : *Itaut ſi contigerit nova monaſteria, aut donum alicuius Ordinis Mendicantium in loco, in quo alterius Ordinis ex dictis Mendicantibus monaſteria, aut domus prius erecta, aut inſtituta ſint, ille ordo qui prius monaſterium ſeu domum in loco habuerit, præcedat.* Quæ Conſtitutio Gregorii eſt in uſu, ac praxi, & ſua viridi obſervantia, ut probant ex multis declarationibus Cardin. Barboſa *de jure Eccleſiaſtico, lib. 1. c. 43. n. 182.* & 183. Novar. *verb. Precedentia, num. 13.* & quòd magis eſt Vrbanus VIII. litteris datis in forma Brevis die 18. Decembris an. 1637. apud Peirinum *in additam. ad Conſtit. 17.* approbat determinationes ſacræ Congregationis juxta Conſtitutionem Gregorii XIII. & eſſe in ſua viridi obſervantia docent communiter præter Barboſam, & Novarinum citatum Tamburin. *de jure Abbatum, tom. 1. diſp. 25. q. 8.* Lezana *verb. Præcedent. tom. 4. n. 6.* Pellizar. *to. 2. tract 8. cap. 6. n. 207.* etſi cæteri Capuccin. Naldus.

Barboſa. Novar. Peirin. Tambur. Lezana. Pellizar. Capuc.

40. Et ſolum Clemens VIII. prædictam Conſtitutionem derogavit quoad Fratres Dominicanos, ut quamvis ipſi poſt alios ædificaverint in aliquo loco habeant tamen ipſi præcedentiam. Ita ait Clemens in ſua citata Conſtitutione. *Itaut dicti Fratres ſancti Dominici immediatè poſt dictos* (ſcilicet Monachos) *ſubſequantur, poſt quos omnes alios Regulares, tam mendicantes, quam non mendicantes, cuiuſcumque Ordinis, vel Religionis exiſtant, incedent, & ſubſequentur, etiamſi Eccleſiæ, Capellæ, Conventus, Domus, & loca Regularia dictorum Fratrum Prædicatorum in locis prædictis, primo inſtituta, & fundata non fuerint, prout nos de facto id obſervare volumus, & præcipimus.*

Clem. VIII.

41. In reliquis Conſtitutio Gregorii eſt integra in tota ſua obſervantia, itaut cum Fratres S. Franciſci de obſervantia, antiquiores ſint, quam Fratres Tertiarij, tamen ſi iſti in loco Monaſterium, ſeu Conventum obtinuerunt erga illos ceſſat præcedentia Fratrum de obſervantia; ita multoties reſolutum eſſe à ſacra Congregatione tenet Novar. *Lucerna Regul. verb. Præcedentia num. 13.*

Novar.

42. Juxta hanc conſtitutionem Gregorii maximè notandum, quod illa agit de mendicantibus, quia ut jam ſupra dictum eſt, mendicantes juxta multas declarationes Apoſtolicas habent præcedentiam ſuprà Religiones non mendicantes. Inde Gregorius Papa ad tollendam omnem controverſiam declarat, ac determinat, qualiter Mendicantes ſe debeant habere inter ſe.

Greg. XIII.

43. Nota etiam, quod ad omnem controverſiam amovendam, Sacra Congregatio Epiſcoporum, ac Regularium decrevit, ac determinavit die 26. Auguſti 1593. quod præcedentia tam in proceſſionibus, quam in cæteris actibus publicis teneretur, ac haberetur, ut obſervatur *in Alma Vrbe Romana*, omnium Magiſtra, quam declarationem ſuprà ſcriptam Congregationis Dominus Cardinalis Alexandrinus retulit ſanctiſſimo Dom. Clementi VIII die 30. Auguſti 1593. quæ ei maximè placuit, & approbavit ordinem, præcedentiæ, quem in proceſſione habent ſacræ Religiones, ſcribit, & refert ex teſtimonio authentico, M. Lezana *tom. 4. Regular. verb. Præcendentia, num. 6. poſt medium.*

M. Lezana.

Lezena, verbo præcedentia *num. 7.* ait *Mendicantes autem præcedentiam habere ſuper non Mendicantes conſtat ex uſu, & conſuetudine Eccleſiæ, pluribuſque ſedis Apoſtolicæ quoad hoc declarationibus.* Jacobus Pignatellus à Sanct. Thoma, utriuſque juris doctor, *in Canonicis conſultationibus, conſultat. 137. num. 1.* ait præcedentiam ſum. ndam eſſe ex antiquitate. Ita declaratum fuit à Gregorio XIII. in lite orta ſuper præcedentiam in Caſtro Villarii inter Prædicatores, & Franciſcanos, juſſit attendendam eſſe antiquitatem loci, & ita etiam reſpondit Sacra Congregatio ſcilicet PP. Prædicatores habere, præcedentiam in locis, ubi habent uſum, & ſunt, quaſi in poſſeſſione, alias minime; ita etiam 8. Junii 1618. & 23. Septembris 1624. & 6. die ejuſdem menſis 1625.

44. Lezana. Pignat.

RESOL. XLVIII.

De Sepulturis.

QUÆSTIO PRIMA.

An qui inveniuntur mortui in Campo veluti duelli, valeant excuſari, ut admittantur ad ſepulturam Eccleſiaſticam?

SUMMARIUM.

1 *Caſus præſens hujus quæſtionis.*
2 *In dubio quilibet præſumitur bonus.*
3 *Mortuus non condemnandus niſi ex evidenti, & plena probatione.*
4 *Pœna duelli non conſurgit niſi ex pacto condicto, ac compoſito.*
5 *Iſti duo poterant convenire ad illum Campum, ut mutuo inter ſe convenirent, ac pactum inirent amicitiæ.*
6 *Iſti poterant convenire ad illum locum, & poſtea furore iræ accenſi rixati ſunt.*
7 *Poterant inter ſe rixare ad oſtendendam dexteritatem ſuam, ac ſuam fortitudinem.*
8 *Vt priventur Eccleſiaſtica ſepultura requiritur ſententia indicis.*

1. CAſus contigit, duo viri nobiles, qui habebant inter ſe magnas rixas, & controverſias in quodam campo ſemoto ab urbe, ſtrictis gladiis, inventi ſunt mortui. Quæſitum fuit à me an eſſent ſepeliendi in loco ſacro, pro illiſque Miſſæ ſacrificium offerendum.

2. Reſpondeo affirmative. Primo ex communi proloquio in dubio quilibet præſumitur bonus, *l. Meritò, ff. pro ſocio, l. quoties. §. qui dolo, ff. de probat. cap. unico de ſcrutin. in ordine faciendi, cap. dudum, & cap. de præſumpt.* Ibi Doctores communiter, unde dubium ſemper in meliorem partem eſt exponendum, per quam delictum evitetur Barto. *in l. non ſolum, §. ſed ut probari, ff. de oper. nov.* Nunc per Baldum *in l. precibus columna ſecunda verſ.* Scias

L. Merito. Bartol. Baldus.

Scias cod. de impuber. & multis aliis apud Maſcardum *de probat. volum. 3. concl. 1174.*

3. Et hoc maximè procedit quoad mortuos, qui ſunt perſonæ miſerabiles, & inter perſonas miſerabiles miſerabiliores, quia non poſſunt pro ſe loqui, nec ſe defendere, & ideò ſunt ſub Eccleſiæ protectione, *cap. Super quibuſdam in fin. de verbor. ſignificat.* Et ideo judex ex ſuo officio tenetur defendere, & ad eorum condemnationem non ſufficit quælibet ſuſpicio, ſed requiritur plena, & exacta probatio; nam quamvis Eccleſia valeat procedere contra memoriam hæretici defuncti, tamen ad hoc exigitur valdè plena, & clara probatio, quod longa ſerie probat Farinacius *de hæreticis. q. 197. num. 103.* & probat Catena *de officio ſanct. Inquiſitionis, part. 2. tit. 19. §. 5. n. 9.* ex ipſo Farinacio, Symanch. & aliis.

Farinac. Carena. Symanch.

4. Iſti duo viri, etſi inventi ſunt mortui in illo campo, non conſtat quòd tenderunt ad illum animo, & pacto ad faciendum duellum, quod requiritur ad contrahendas pœnas impoſitas duello, ut priventur ſepultura Eccleſiaſtica, & conſequenter cæteris ſuffragiis Eccleſiæ; nam duellum juxta Conſtitutionem Gregorii XIII. & Clementis VIII. conſtit in pugna orta ex condicto, & compoſito, ſcilicet pacto, quod in præſenti non probatur, ideo homines de tali crimine non ſunt habendi tanquam rei; nam delictum in dubio non præſumitur, ſed potius tunc ſupponitur abeſſe delictum, ut patet ex locis juris citatis, & *l. Prætor. §. docere. ff. de vi bonor. rapt. cap. Eſtote de reg. iuris Decretal.* & ibi communiter Doctores Flamin. Pariſ. *de reſign. benefic. lib. 13. quæſt. 1. n. 72. & lib. 14. quæſt. 7. n. 55.* & alii.

Greg. XIII Clem. VIII Flamin.

5. Secundò, iſti duo rixantes fieri poterat, ut ad illum locum convenirent animo non rixandi, ac debellandi, ſed petendi, & dandi mutuam ſatisfactionem, ac ut quilibet ſuam cauſam tueretur, etſi poſtea rixati ſunt, non incidunt in pœnas duelli, quia eo animo ad illum locum non convenerunt, ut tenent Lucius Florus *tract. de duello, cap. 6. §. 2.* Filliucius *tract. 15. cap. 5. q. 5. num. 107.* Naldus *in ſumma verb. Duellum. n. 2.* Barboſa *in collectanea Doctor. ad Concil. Trident. ſeſſ. 25. cap. 19. reform. §. nonò quæritur*, Diana *part. 3. tract. 6. Reſolut. 1. §. mater.* & alios citat.

Florus. Filliucius. Nardus. Barboſa. Diana.

6. Tertiò, & magis confirmatur ſuperior ratio; Quia qui calore iracundiæ accenſi, ac commoti, incontinenti ad locum duelli accedunt, ibique dimicant, à pœnis duelli excuſantur. Ita Flavius Cherubin. *in Bulla Pontific. to. 3. Pontific. 11. Clementina 8. in ſchol.* & ibi citat Ludovic. Lucenſem, Farinac. & Tuſchum, Barboſa citatus *in collectanea num 10.* Diana *citato loco, §. Dico undecimò.* Et inſuper citat Joannem Franciſcum Riccium, & Graffium, M. Lezana *in Conſult. conſult. 49. n. 11.* Quod fortiùs militat in præſenti caſu, quia non conſtat, quòd animo dimicandi convenerint ad illum locum, & fortè alio animo ad locum convenerunt, deinde ex alia occaſione furore accenſi rixati ſunt.

Cherubin. Lucenſ. Farinac. Tuſchus. Barboſa. Lezana. Diana. Franciſcus. Riccius.

7. Quartò, qui provocat ad duellum alterum, non animo pugnandi, ſed ut ſe oſtendat fortis, & animoſus, & maximè dexter in exercitio armorum cum bona ſecuritate facta nullum inferendi nocumentum, non incidit in pœnas duelli, ut docent Naldus *citatus, n. 2.* Filliucius, Diana, quos citat, ac ſequitur M. Lezana *tom. 3. verb. Duellum, n. 17.* de quo latè Trullench. *in Decalog. tom. 2. lib 5. cap. 2. dub. 13. n. 22.* Et unde conſtat, quòd iſti duo non tali animo accederent, & poſtea caſu, ac præter intentionem ſe occiderent.

Naldus. Filliucius. Diana. Lezana. Trullench.

Deinde maximè notandum juxta Extravag. Martini V. *Ad evitanda*, nullus in foro exteriori excepto notorio percuſſore Clerici reputandus, ut excommunicatus, ac privatus ab officiis Divinis ſine ſententia judicis, & ideò ut docent Stephanus Baunius *in Theologia Morali, diſp. 3. tract. 2. quæſt. 19.* Caſtro Palaus *tom. 1. tract. 6. diſput. 5. punct. 7.* Diana *part. 7. tract. 11. Reſol. 44.* quòd ut duellans occiſus careat Eccleſiaſtica ſepultura neceſſaria eſt declaratio criminis à judice facta, ſaltem quando delictum non eſt multum notorium. Deinde illud, quod colligitur ex illa citata Extravagante, *ad evitanda*, eſt tantùm de peccatore notorio, quia tergiverſatione excuſari poteſt, hic autem in præſenti ſunt multæ rationes, quæ delictum excuſare poſſunt, ut patet ex dictis; ergo nihil obſtat, ob quod Eccleſiſtica ſepultura ſint privandi.

8. Martin. V. Baunius. Palaus. Diana.

QUÆSTIO II.

An qui moritur ex vulnere accepto in duello ſit privandus Eccleſiaſtica ſepultura, ſicut & illi, qui inveniuntur mortui in actu de ſe peccaminoſo, & inde multi caſus reſolvuntur?

SUMMARIUM.

9 *Notorii peccatores privantur ſepultura Eccleſiaſtica.*

10 *Dicunt multi, quod ille qui moritur ſequenti die ex vulnere accepto in duello, ſit privandus ſepltura Eccleſiaſtica.*

11 *Oppoſita ſententia mihi vera, & certa.*

12 *Nec contra hoc faciunt Tridentinum, & Clemens VIII. loquuntur enim de illo, qui moritur in ipſo conflictu.*

13. *Adulteri deprehenſi in adulterio interfecti à marito ſepeliendi in loco ſacro, ſicut qui moritur in cornibus Taurorum, & meretrix mortua in domo amantis ſui.*

14 *In his melior pars eligenda, & ſemper præſumitur in extremis, quod homo agit de ſua ſalute æterna.*

15 *Idem dicendum, quando homo clauſus invenitur laqueo ſuſpenſus vel in puteum demerſus.*

PEccatores mortaliter notorios privandos eſſe ſacra ſepultura, habetur *ex Can. quibus, & ſequentibus 13. quæſt. 2.* & docet Gloſſa *in cap. Quia de uſuris*, Abbas *in cap. ex part. 1. in fine de ſepulturis, & cap. Fures de furtis*, Paludanus *in 4. diſt. 18. quæſt. 18. art. 1. §. quantum ad 4. concl. 5.* Sylveſter *verb. Sepultura, quæſt. 9. diſt. 7.* Sà *in ſumma, num. 3.* Layman *lib. 3.*

9. Gloſſa. Paludan. Sylveſt. Sà. Layman.

lib. 3. ſect. 5. tract. 5. cap. 12. num. 12. §. quartò omnis. Bonacin. *diſp. 2. de excommunic. extra bullam cœnæ quæſt. 3. punct. 4. n. 22. §. Adde.* Marchant. *in Reſolut. Paſtorali, tract. 5. de moribundo cap. 3. quæſt. fol. mihi 636.* & alii apud Bonacin. citatum.

Bonacina. Marchant.

10. Qui dicunt decertantem in duello privandum eſſe Eccleſiaſtica ſepultura, etiamſi ob vulnus acceptum non ſtatim ipſo die moriatur, ſed ſequenti die; nam ille dicitur mori in duello, qui ex vulnere accepto in ipſo duello moritur. Deinde quia privatio ſepulturæ impoſita eſt in deteſtationẽ criminis, ut aliis videntes duellum tam durè puniri, terreantur, & cauvant à committendo tam diro crimine, & inde privatio ſepulturæ non inducitur per modum cenſuræ, ſed juſtæ pœnæ.

11. Oppoſita ſententia mihi vera, ac certa videtur, eam tenent Plaza *de delictis, lib. 1 c. 23. n. 9.* & Ioannes Sancius *diſput. 36. n. 3.* & Menochius *de præſumptionibus, lib. 5. præſumpt. 1. num. 29.* Hurtadus de Mendoça *2. 2. diſp. 170. ſect. 1. j. 178.* Navar. Rodriguez, Villalobos, Graffis, Diana, Portel. Lezana ſtatim in variis caſibus citandi. Horum ratio eſt, quia nullus quantumvis peccator præſumitur immemor ſuæ ſalutis æternæ, ſed de illa maximè ſollicitus, & potiſſimum in extremis.

Plaza. Ioan. Sanc. Menoch. Hurtado. Navar. Rodrig. Villalob. Lezana.

12. Nec contra nos facit Concilium Trident. *ſeſſ. 25. c. 19. de reformat.* & Clemens VIII. *in ſua Conſtitut.* imponentes duellantibus in pœnam privationem perpetuam ſepulturæ Eccleſiaſticæ, ſi deceſſerunt in ipſo conflictu, ut patet ex verbis Clementis VIII. *Etſi in ipſo conflictu obierint ſepultura Eccleſiaſtica perpetuo privatos eſſe volumus?* proindeque ſi aliquo poſt tẽpore ex vulnere accepto in duello obierint, jam non ſunt privandi ſepultura Eccleſiaſtica, quia Conciliũ, & Pontifex loquuntur de illis, qui in ipſo conflictu, & non poſt ipſum occubuerint, & cum lex ſit pœna is, non eſt extendenda ultra caſum expreſſum, ſed potius reſtringenda, ut docent Portel. *tom. 2. in reſponſionibus Moralibus, part. 3. caſu 10. num. 4.* M. Lezana *tom. 2. verb. Duellum, n. 14.* Diana *tom. 2. tract. 16. Reſolut. 52. alias 54.* & eſt commune placitum apud juriſtas.

Trident. Clem. VIII. Portel. M. Lezena. Diana.

13. Ex ratione noſtræ concluſionis, quia unuſquiſque in extremis præſumitur maximè agere de ſua ſalute æterna. Adulteri deprehenſi in adulterio, & à marito interfecti ſepeliuntur in loco ſacro, ut docent etiam Graffis *tom. 1. conſil. lib. 3. de ſepultura conſil. unic. num. 6.* & Sancius *ſupra.* Qui idem dicit de rixantibus, & mutuo ſe occidentibus, licet in conflictu mortui occumberent, nullo pœnitentiæ ſigno exhibito; & de illis, qui in cornibus taurorum vitam perdunt, ut tenet Villalobos *to. 2. ſummæ, tract. 31. difficult. 3.* & propter hanc cauſam Navar. *lib. 3. conſil. de ſepultura, conſil. 4.* & Portellus proximè *citatus, num. 5.* docent, quod meretrix, duæ in domo ſui amaſij inventa eſt vulnerata eſt vulneribus confoſſa, & mortua poſſit in loco ſacro ſepeliri.

Graffius. Villalobos. Navarr. Portel.

14. Et generaliter loquendo Ægyd. Coninch *diſp. 14. de excommunicatione, dub. 8. concluſ. 5. n. 66.* ait ſepeliendum in loco ſacro excommunicatum, quoties dubitatur, utrum talis pœnitens diſceſſerit, & inquit, *quia melior pars præſumenda eſt*; quæ ratio maximè facit ad intentum, & ut amplius docet Hurtadus de Mendoça *2. 2. diſp. 76. ſect. 1. §. 21.* Quod tales ſepeliendi ſunt in loco ſacro, quia licet exterius nullum dediſſent pœnitentiæ ſignum, potuerunt tamen interius, quia præſumitur, quod homo in extremis, totis viribus agit de ſua ſalute æterna, & quia non conſtat, quod non egerint pœnitentiam internam, ideo ex Eccleſiæ conſuetudine pro eis fiunt orationes, & ſacrificia; quia ex hypoteſi, pro eis offeruntur, qui ſunt in ſtatu in quo illis proſint.

Coninch. Hurtadus.

Et magis confirmatur prædicta doctrina, 15.
quia ſi inveniatur homo clauſo ſuo oſtio à parte interiori laqueo ſuſpenſus, vel in puteo demerſus, ac ſuffocatus, ſepulturæ ſacræ donandus eſt, quia cauſa eſt criminalis, & in cauſa criminali non eſt procedendum contra reum, niſi probationibus luce clarioribus, *l. ſciant cuncti, ff. de probationibus, cap. ſciant cuncti. 11. quæſt. ultima*; & maximè contra mortuum, qui pro ſe non poteſt agere, nec dicere, & cum homo laqueo ſuſpenſus, vel in puteo demerſus agat contra propriam inclinationem naturalem de Conſervatione vitæ, & ideo potius præſumendum eſt, illud factum fuiſſe ex quadam amentia:, ſeu mentis alienatione, quam ex deſperatione, & ideo ſepultura non eſt privandus. Ita ad prædictum caſum reſpondent Navarr. *Conſil. 7. de ſepulturis lib. 3.* Rodriguez *tom. quæſt. Regula. q. 61. art. 1.* Villalobos *tom. 2. tract. 31. diffic. 3. n. 4.* Barboſa *de officio Parochi cap. 26. n. 29.* Diana *part. 5. tract. 3. Reſol. 100.* & pro hac ſententia citat etiam Marchantium, & Gnevenſem, & Iulium Lavorium.

L. Sciant. Navarr. Rodrig. Villalobos. Barboſa. Diana.

QUÆSTIO III.

An ſepultura unius, poſſit alteri donari, ſe vendi.

SUMMARIUM.

16 *Sepultura abſque ulla Simonia datur pro pretio, ſeu eleemoſyna.*

17 *Si patronum emit ſepulturam, ſeu Capellam pro ſe, ac ſuis hæredibus non poteſt alius ibi ſepeliri ſine ejus licentia.*

18 *Et ſecus factum fuerit, exhumandum cadaver alienum.*

19 *Si extinguitur progenies, jus ſepulchri tranſit ad Eccleſiam.*

20 *Tamen in tali caſu priores inſcriptiones non ſunt delendæ.*

21 *Hæredes ſunt, qui naſcuntur ex filiis, non extranei.*

22 *Si ſepultura fuit data abſolutè, poſſunt alii ſepeliri.*

23 *Si perpetua duabus conditionibus.*

16. EX communi uſu, ac conſuetudine populi Chriſtiani patet, quod vendere, & emere ſepulturam abſque Simoniæ labe fiat: Quia non venditur, prout quid ſacrum eſt, ſed prout quid materiale eſt, ſeu quatenus terra; ſic & vendi poſt calix conſecratus, & veſtis ſacra ratione materiæ, auri, & argenti, vt ex

multis

Suar. Bonacina. multis probant Suar. *tom.2.de Relig cap.14. num 6.& 17.*& Bonac *de ſimonia, q.4 §.6.n.1.* Deinde illud pretium non recipitur in pretium ſepulturæ, ſed ad fabricam Eccleſiæ, ac ſuſtentationem Miniſtrorum Eccleſiæ, ut ex Rodrig. Barboſa, Villalobos, Portel. tenet M.Lezana *tom.4.verb.ſepultura, n.14.* & ut benè notant Sanchez *tom.1.conſil.lib 2. cap.3. dub.14. n.3.* Diana cum aliis *part.2.tract.15. Reſolut.57.* Pro honoratiori loco ſepulturæ, majus pretium poſſe accipi. Et ratio eſt, quia venditur ibi quid temporale, ſcilicet honor, qui pendet ex hominum æſtimatione, & per accidens rei ſpirituali conjungitur.

Rodrig. Barboſ. Villalob. Portel. Lezana. Sanchez. Diana.

17. Ad quæſtionẽ cum diſtinctione eſt reſpondendum; ſi patronus ſeu Dominus emit ſepulchrum, vel capellam pro ſe, ac ſua familia, ſeu deſcendentibus, non poteſt ibi ſepeliri aliquis ſine licentia ipſius patroni. Ita Petrus Vbald. *de Canon.portion. part.12.n.5.* & alii, quos citat, ac ſequitur Bordon. *to.2. Reſol.51. n.80.* quod talis patroni licentia requiratur, probatur ex eo, quod ſicut in fundo, in quo quis habet uſum, Dominus in illo habitare non poteſt contra voluntatem uſurarii, l. *ſi habitatio, §. fin. ff. de uſu, & habit.* Sic nec Eccleſia, quæ eſt Domina directa ſepulturarum, & capellarum, poteſt habitare per ſe, vel per alium in ſepulchris aliis conceſſis.

Vbald. Bordon. L. ſi habitatio.

18. Unde ſi abſque licentia patroni extraneus ſepeliatur in ejus ſepulchro, poteſt ille cadaver extrahere quod reſtituendũ in proprio ſepulchro, idque patet ex *cap. Fraternitatem, & cap.ex parte cap.cum liberum de ſepultur. & cap.eodem in 6.* ubi mandatur exterrari corpora, & reſtitui propriis, ergo etiam & in hoc caſu, in quo recondita cadavera non dicuntur requieſcere in propriis ſepulchris, ſed alienis, hoc idem erit licitum; ex quo ſequitur quod inferens mortuum in alienum ſepulchrum, tenetur pœna violati ſepulchri, ut ex Lavot. tenet Bordon. *n.11.*

C. Fratern. C. Ex parte. Lavot. Bordon.

19. At verò ſi extincta eſt progenies illius, cui fuerat conceſſum jus ſepulchri, tale jus poteſt concedi aliis, cum tale jus redeat ad Eccleſiam, quia mortuo habente uſum, uſus redit ad proprietarium, ſic morte uſufructuarii, eiuſque deſcendentium, uſusfructus devolvitur ad proprietarium, *l.corruptionem C.de uſufructu*; ut docent Armilla Sylveſter *verb. ſepultura.* Rodriguez *in addit.ad ſummam tom.4. cap.131. num.2.*

Armilla. Sylveſt. Rodrig.

20. Notant tamen Bordonius *citato tom.2.Reſolut.51. n.72.* & Pellizar. *tom. 2. cap.5.ſect 4. num.151.* cum Vbaldo, Portellio, & aliis. In propoſito caſu, quod ſepultura unius detur alteri, tamen non debere deleri inſcriptiones ſepulchri, pro memoria inſculptas, *l.6. §. monumentum §. de relig. & ſumpt.funer.* quod confirmo ex eo, quia defunctus dedit pretium pro ſepultura tam ut ibi reponeretur, ac reconderetur ejus cadaver, quam ut etiam ibi ejus memoria permaneret.

Bordon. Pellizar. Vbald. Portel.

21. Advertit etiam Peyrinus *tom.3.Privileg.c.4. num.48.* ex Lamberto erit in ſepulchris ſolum ſepeliendos eſſe hæredes ſanguinis, eos nempe, qui naſcuntur ex filiis, & nepotibus, tam maſculis, quam fœminis; non verò hæredem extraneum, quamvis univerſalem, jus enim ſepulturæ non tranſit ad extraneos.

Peirin. Lambert.

Hic maximè notandum, quòd vel Eccleſia dedit alicui locum ſepulchri, ſimpliciter, & abſolutè, vel appoſita conditione, ut ſepultura ei eſſet perpetua. In primo caſu poſſunt alii ſepeliri in tali loco, quia ita habet Praxis univerſalis Eccleſiæ, & quia ut ait Portel. *tom.1.Reſp.mortali. part.2. caſu 20.n.1. in medio*; quia ſi per nudam donationum ſepulturæ factam alicui, prohiberetur conventus ne illa ſepultura alteri ulterius donare poſſet intra parvum tempus non maneret; in illa Eccleſia locus, ubi poſſent alii fideles ſepeliri, ſi ibi ſepulturam elegiſſent. 22

Portel.

At verò ſi ſepultura donata fuit, ut ei eſſet perpetua, tunc deficientibus hæredibus, poſſit alteri donari, ut modo dixi in hac quæſtione, ſervatis tamen duabus conditionibus. Prima, ut ibi maneant inſcriptiones pro memoria talis defuncti. Secunda, ut oſſa prioris defuncti non poterunt exhumari, vel alio transferri, inde enim magnum ſcandalũ fiet viventibus, magnaque injuria pro defuncto, ſine ejus culpa exhumare; nam defunctus cum viveret, fecit pactum cum Eccleſia pro illa ſepultura perpetua, & hac de cauſa dedit majorem eleemoſynam, & inde ſepulturam cum lapide expoſito ac aliis exornavit, ut ejus memoria ibi perpetuo remaneret; ergo nulla eſt cauſa cur pactum initum non ſit obſervandum, & ideo illius oſſa non ſunt exhumanda, nec inſcriptiones delendæ. In hac Reſolutione conveniunt Portel, & Bordonius citati ex Rodriguez *tom.2.Adition.ad ſummam verb.* 23.

Portel. Bardon. Rodrig.

RESOL. XLIX.

De ſuſpenſione, ac ejus abſolutione.

QUÆSTIO PRIMA.

An qui abſolutus, vel diſpenſatus eſt ab Epiſcopo, cum crimen eſſet occultum; & poſtea crimen factum eſt publicum, & manifeſtum, indigeatne nova abſolutione, vel diſpenſatione?

SUMMARIUM.

1 *Caſus quæſtionis.*
2 *Prima ſententia affirmans novam abſolutionem neceſſariam.*
3 *Primum fundam. ex Trident. facultate data, eſt ſolum ad forum interius.*
4 *Diſpenſatus in foro conſcientiæ poteſt accuſari, & puniri.*
5 *Diſpenſatus in articulo mortis tenetur comparere coram ſuperiore; & in dubio tutior pars eſt eligenda, & n.6.*
7 *Contraria ſententia vera.*
8 *Quia facultas abſolute conceſſa eſt pro utroque foro.*
9 *Quando facultas reſtringitur ad forum interius, ponitur pro foro conſcientiæ.*
10 *Facultas diſpenſandi late explicanda.*
Prædicta facultas non eſt delegata, ſed ordinaria, ibid.

11 *Cenſura ſemel rite ablata non reviviſcit.*
12 *Abſolutus in articulo mortis tenetur comparere, quia jura ita diſponunt, quod non datur in noſtro caſu.*
13 *Epiſcopus debet dare teſtimonium de abſolutione data.*
14 *Ad primum argumentum facultas data in Trident. non eſt reſtringenda ad forum interius.*
15 *Ad 2. ex eo quod delinquens poteſt deduci ad judicium exterius, non ſequitur quod abſolutio ſit nulla.*
16 *Solvuntur alia argumenta, & num. 17. & 18.*

1. CAſus. Quidam clericus falſis, & commentitis demiſſoriis ſuſcepit ordines ſacros, contraxit ſuſpenſionem, ut conſtat ex quadam Extravaganti Pii 11. quæ incipit. *Cum ex ſacrorum.* Et ex altera Extravag. Sixti V. quæ incipit, *ſanctum, & ſalutare*; & cum crimen eſſet occultum acceſſit ad Trident. Epiſcopum, qui virtute Concilii Tridentini *ſeſſ. 24. cap. 6. de reformatione*, abſolvit à ſuſpenſione incurſa; poſtea crimen deductum eſt ad judicium, & de illo Clericus & accuſatus, & convictus; tunc quæſitum eſt, an indigeat nova abſolutione, an illa prius obtenta pro foro interiori, valeat etiam nunc pro foro externo.

2. Prima ſententia loquendo de irrigularitate ait, quod talis diſpenſatio ſolum prodeſt pro foro interno, in quo eſt data, & non pro exterius Valerius. Tolerus. terno. Ita Joannes Valer. *de differentia utriuſque fori, verb. Irrigularitas, diff. 7. in fine.* Toletus *lib. 1. cap. 89 §. Hoc poſito ad finem*, ſic concludit, *exiſtimo diſpenſationem factam prodeſſe in foro interiori, non exteriori*, & multis poteſt hæc ſententia probari.

3. Primò ex ipſo Textu Concilii Trident. citato loco, facultas data ibi diſpenſandi, & abſolvendi eſt pro foro interno; ait Concilium *ex dilecto occulto provenientibus*; ea autem, quæ pertinent ad forum internum, non extenduntur ad externum. Ut tenent Garcia. Garcia *de benefic. part. 7 capit. 11. num. 51.* Barboſa. Barboſa *in collectanea ad citatum locum Concilii. num. 64. & de poteſt. epiſcop. allegat. 40. num. 29.* Rodrig. Sayrus. Rodrig. *in ſumma part. 1. cap. 168. in fine.* Sayrus *de cenſ. lib. 4. cap. 17. num. 23.*

4. Confirmatur. Primò, quia diſpenſatus in foro conſcientiæ poteſt inquiri, accuſari, ac puniri in foro judiciali, ut tenent Doctores Bertol. De Vecch. proximè citati, & Bertol. de Vecchis *diſp. 9. dub. 16. in fine*; ergo abſolutio in foro interno non videtur prodeſſe, cum non abſolvat reum à delicto.

5. Secundò. Diſpenſatus, vel abſolutus in articulo mortis, vel dato legitimo impedimento, eo ceſſante tenetur coram ſuperiore comparere. *cap. eos, qui de ſententia, excommunicat. lib. 6.* Cap. eos. Bonacina. Bonacin. *de excommunic diſp 2. quæſt. 4. punct. 5. num. 17.* ergo eandem obligationem habebit abſolutus ab Epiſcopo virtute prædicti Concilii Trid. quoniam inter unum, & alterum caſum nulla datur major ratio.

6. Tertiò, & ultimo. Quia in dubiis ſemper tutior pars eſt eligenda. *cap. Invenis de ſponſal.* cum ſimilibus; maximè quando vertitur in periculum animæ ut in præſenti quæſtione; ergo tutius eſt adire Pontificem pro obtinenda abſolutione in foro externo. C. Invenis.

Contraria ſententia mihi videtur vera, quod illa abſolutio data pro foro interno, quando crimen erat occultum, licet poſtea fiat publicum, alia abſolutio non eſt neceſſaria. Ita Navarr. *cap. 27. num. 41.* Sanchez *in Decalogum tom. 1. l. 1. cap. 11. num 12.* Suar. *de cenſuris tom 5. diſp. 7. ſect. 5. à num. 21. cum ſequen.* Bonac. *de cenſur. diſp. quæſt. 3. punct. 40. n. 3.* Layman *tom. 1. tract. 5. part. 1. cap. 7. num. 7.* & alij. 7. Navarr. Sanchez. Suarez. Bonacina. Layman.

Probatur; primò. Quia quando conceditur facultas abſolvendi, vel diſpenſandi abſque vlla limitatione, videtur conceſſa pro vtroque foro. Ita Navarr. Rodrig. Suar. Filiuc. quos citat, ac ſequitur Bonac. *cit. diſp. 1. q. 3. punct. 10. n. 2.* Atqui in Trident. dicto *cap. 6.* datur abſolute Epiſcopis poteſtas ad tollendas ſuſpenſiones, vel irrigularitas *ex delicto occulto provenientes*, abſque eo quod apponatur clauſula (*in foro conſcientiæ*) prout bene notat Suar. *3. part. 41 ſect. 2. n. 10. & 12.* in fine Sanch *citat. n. 12.* Garcia *de Beneficiis p. 11. c. 10 n. 140.* ergo facultas data eſt pro vtroque foro. 8. Navarr. Rodrig. Suarez. Filiuc. Bonacina. Trident. Sanchez. Garcia.

Quando verò prædicta facultas reſtringitur ad forum conſcientiæ, prout habetur *in 2. part. dicti c. 6. in* Trident. ubi dicitur *in foro conſcientiæ*, non poteſt abſolutio ad forum exterius extendi. Sanch. proximè *citat. n. 13.* Bonac. *n. 2.* Garcia. *n. 141.* & tamē ſi abſolutus his terminis ad judicium trahatur, & non ſit pars, quæ contra eum inſtet, non tenetur Iudex eum ad Papam remittere, excommunicatumque eum declarare in foro exteriori, Imo ſi Iudex id faceret, reputaretur iniquus, & male propenſus. Marc. Anton. Genuen. *in praxi c. 31. per tot.* &c. Joannes Valerius ſupra verb. *Abſolutus different. 2. n. 2.* Ægydius Coninch. *diſp. 14. dub. 16. n. 227.* Buſemb. *in Medulla Theolog. Moral lib. 8. dub. 15. art. 1.* 9. Trident. Sanchez. Garcia. Ant. Genu. Valerius. Coninch. Buſemb.

Probatur ſecundò. Quia quamvis diſpenſatio ſit regulariter loquendo, tanquam odioſa reſtringenda, ut late Sanchez *lib. 8 de matrim. diſp. 2 num. 1.* Attamen diſpenſandi poteſtas, de qua agimus, late eſt interpretanda. Idem Sanchez *citat. n. 1. & n. 12. cum ſequentibus.* Marc. Anton. proximè *cap. 25. num. 7. & cap. 67. n. 1.* Cum non reſtringatur ad forum internum, ut eſt probatum ſupra *n. 7.* debet extendi ad externum, quando nemini nocet, & ſi Papa contrarium voluiſſet, expreſſiſſet, & contra eum, qui legem dicere potuit apertius, larga eſt interpretatio facienda juxta Juria vulgaria, & poſt multos alios tenet Marc. Anton. *dicto cap. 25. n. 7.* 10. Sanchez. Marc. Ant.

Deinde, prædicta poteſtas non eſt delegata, ſed potiùs ordinaria, & inde maximè ampliandæ, ut habet ipſe Sanchez *citat. lib. 2. diſp. 40. n. 14. & 17. & citata diſp. 2. num. 10.* In quibus multos alios refert. 11. Sanchez.

Probatur tertiò; quia Cenſura ſemel rite ablata, non reviviſcit abſque *nova culpa*, ut tenet Suar. *to. 5. de cenſuris diſp. 7. ſect. 5. n. 23. 24. & 25.* Plane cenſura per abſolutionē, vel diſpenſationem ab Epiſcopo factam, quando 12.

erat

Trident. erat occulta, validè sublata manet ex Trident. *citato*, *c.* 6. ergo amplius non revivisçit, sed omninò est extincta.

12. Confirmatur ex eo, quia absolutus in mortis articulo, vel propter aliud impedimentum à casibus reservatis, eo cessante tenetur se præsentare Superiori, ex speciali juris dispositione, ut habetur *cap. Eos qui, de sent. excomm. in 6.* & *in cap. De cætero*, & *cap. Ea noscitur*, & Cap. Eos. Leandr. tenet Leandrus *p. 4. tract. 2. de excomm. disp. 17. q. 63*. Et tamen hujusmodi præsentatio nō fit ad novam absolutionem obtinendam: nam per primam absolutionē censura omnino est extincta, sed ut superiori pareat, eique constet, quod parti satisfecerit, unde infert Navarr. *c. 26. n. 26. §. An autem*. Quod si constet, quod parti satisfecerit, vel cum ea concordaverit, non tenetur se præsentare Papæ, vel Superiori; ita ex Navar. M. Cornejo *disp. 11. de excomm. dub. 1. §. Nota secundo*. Henriq. *lib. 13. c. 29. n. 2*. Avila, & alii cum Leandro *citata*, *disp. 27. q. 66*. Et dato quod tenetur se præsentare Superiori, ut aliqui volunt, non est ad obtinendam novam absolutionē, sed ut ostendat suam obedientiam erga Ecclesiam, quod non invenitur extra prædictos terminos, ut quando absolvitur virtute Jubilæi, vel Navar. Cornejo. Henriq. Avila. Leandr. Cornejo. Rodrig. Cruciatæ, ut ex ipso M. Cornejo, Rodriguez, Suario; & aliis notat citatus Leandrus *q. 69*.

13. Hic tamen maximè est advertendum, quod absolutio occultè data ab Episcopo, cum crimen esset occultum, tamen cum jam publicè crimen sit manifestatum, etiam per testimonium Episcopi debet manifestari absolutio data tempore nempe habili: nam si de censura publicè constat, & publicè debet constare de absolutione data. Ita Navar. *c. 27. n. 41*. Suarez *de censur. disp. 7. sect. 5. n. 26*. M. Lezana *verb. Absolutio, n. 7*. Filliucius *tract. 21. c. 9. n. 291*. Bonac. *de censur. disp. 1. q. 3. punct. 10. n. 3. §. Respondeo non*. Layman *lib. 1. tract. 5. p. 1. cap. 7. n. 2*. Navarr. Lezana. Filiuc. Bonacina. Layman.

14. Ad primum argumentum in contrarium respondetur, quod Tridentinum *citato loco*, dat facultatem ad tollendam irregularitatem, vel suspensionem provenientem ex delicto occulto, quod non coarctatur ad forum interius, siquidem non dicitur *in foro conscientiæ*, ut jam est notatum *suprà n. 8*. Ac proinde absolutio fuit data tempore habili, quando crimen erat occultum, & ex eo quod fit publicum, absolutio non invalidatur, sed tenet.

15. Ad secundum ex eo quod delinquens in judicio possit puniri, non inde sequitur, quod revivisçat censura ablata, ut jam probatum manet *n. 11*. v. g. quidam absolutus fuit à juramento falso, & postea crimen deducitur ad forum externum, & ibi punitur, nullus dicet, quod absolutio data sit nulla.

16. Ad tertium casus est valdè dispar, quia in nostro casu non habetur in jure, quod absolutus comparere debeat coram superiore deducto delicto ad forum contentiosum, nec quod per delationem incurratur nova censura; ut dictum est *suprà n. 13*.

17. Ad ultimum non sumus in casu, ubi tractetur jam de animæ periculo, quia quoad Deum censura jam extincta est, ut in confesso est apud omnes, sed solum tractatur de satisfactione offensæ, & in hoc nullum vertitur animæ periculū, ut tenent Doctores adducti *supr. n. 8*. & Sanchez *in Decalog. lib. 2. c. 12. n. 7*.

Deinde si de animæ præjudicio ageremus (quod non datur) hæc ultima opinio sequenda erat, tanquam tradita per Auctores classicos, qui ritè perpensis utriusque partis rationibus, eam sequuntur & Auctores contrariæ opinionis, scilicet Valerius, & Toletus, non jure, nec valida ratione nituntur, ut eos legenti patebit. Ita Bonacina *tom. 2. de peccatis, quæst. 4. punct. 9. num. 12*. 18.

Quæstio II.

Vtrum suspensio posita à iure, & publicè facta, cum non sit reservata tolli possit ab Episcopo?

SUMMARIUM.

19 *Casus quæstionis ponitur.*
20 *Pars negativa, & ejus fundamentum.*
21 *Ponitur sententia Henriquez.*
22 *Ponitur sententia vera, & affirmativa.*
23 *Probatur nostra sententia.*
24 *Ex Tridentino datur ratio ad tollendam suspensionem ex mala susceptione Ordinum.*
25 *Parochus solum habet jurisdictionem in f.ro interiori.*

CAsus contigit Quidam Clericus ficto patrimonio, seu fictis demissoriis suscepit Ordines sacros, cum crimen factum esset publicum, deductum est ad judicium; nunc quæritur, an à tali suspensione publica valeat Episcopus absolvere? Et hæc quæstio coincidit cum illa, an suspensio publica, quæ non est reservata, valeat ab Episcopo tolli? 19.

Negantem partem videntur tueri Turrian. *de censur. lib. 4. disp. 45. dub. 2*. Faber. *de censur. in 4. dist. 25. q. 1. disp. 6. cap. 2. n. 55*. Fundamentum est, quia si esset aliqua ratio ad absolvendum ab hac suspensione, esset deducta ex *cap. Nuper*, in quo agitur de absolutione ab excommunicatione, quam superior sibi non reservavit, potest inferior absolvere, atqui non eadem ratio militat in excommunicatione, ac suspensione, propter majorem necessitatem absolutioni; ab excommunicatione, quam absolutionis à suspensione; suspensio enim non privat à suffragiis Ecclesiæ, sicut privat excommunicatio, non privat receptione Sacramentorum; ergo quod conceditur in excommunicatione ob majorem necessitatem, non est admittendum in suspensione. 20.

Et etiam pro hac sententia videtur stare Henriquez *lib. 14. c. 20. in fine*. Sylvester, Panorm. & Filinus, qui dicunt non posse Episcopum absolvere à suspensione, quando imposita est propter delictum majus adulterio, bene tamen quando imposita est ob adulterium vel alia delicta leviora. 21. Henriq. Sylvest. Panorm. Filinus.

Simpliciter, & absolutè dicendum est, quando suspensio, licet publica, non est reservata, bene potest Episcopus ab ea absolvere, ac proinde optimè, & sine scrupulo potest cum Clerico tali dispensare, licet ipse ob tale crimen deductus esset ad forum contentiosum. 22.

Barboſa. Ita Barboſa *de poteſtate Epiſcopi, part. 2. alleg.* 8. *num* 24. Gutierrez *Can. lib.* 1. *c.* 26. *num.* 24. & 25. M. Cornejo *de ſuſpenſ. diſput.* 3. *dub.* 1. *dict.* 1. Avila 3. *part. diſput.* 6. *concluſ.* 4 Sayrus. *lib.* 4. *cap.* 16. *n.* 24. Suarez *de cenſuris, diſp.* 29. *ſect.* 1. *n.* 19. & 20. & *diſp.* 31. *ſect.* 1. *num.* 32. *in fine.* Salzedo *in praxi, cap.* 26. *littera E,* § 4 *Nec illud* Zerola *in praxi, part.* 2. *verb. Demiſſoriæ, pag.* 4. §. 1. *Qua pœna.* Bonac. *de ſuſpenſ. in particulari, diſp.* 3. *quæſt.* 1. *punct.* 11. *n.* 28. Fragoſus 2. *part. lib.* 8. *diſp.* 18. §. 4. *n* 8. *verb. Reſolutio.* Leandrus *de ſuſpenſ. tract.* 4. *diſp.* 5 *r.* 4. Machado *tom.* 2. *lib.* 4. *part.* 1. *tract.* 3. *document* 6. *n.* 1. Bellan. *de Sacrament. diſput.* 15. *dub.* 13. *num.* 35. Diana 5. *part. tract.* 10. *Reſolut.* 23. Alterus 2. *part. de ſuſpenſ. diſp.* 10. *c.* 1. *dub.* 4. §. *Reſpondeo, in fine.* Hurtad. *de ſuſpenſ. diſſic.* 12. *n.* 31. Caſtro Palaus *part.* 6. *diſp.* 4. *punct.* 9. *n.* 4. & multi alii apud ipſos, & tot Doctores citavi ad removendum ſcrupulum Domini mei Epiſcopi.

Optimè probatur noſtra concluſio ex *cap. Nuper, de ſententia excommunic.* Ibi dicitur: *Cum conditor Canonis abſolutionem ſibi non reſervat, tacitè inferiori concedit.* Et quamvis Textus loquatur de excommunicatione, tamen eadem ratio militat in ſuſpenſione, & ratio aſſignata in Text. cur talis poteſtas ad abſolvendum detur inferiori, non eſt quia excommunicatio impedit ſuffiagia, ſed quia conditor Canonis abſolutionem *ſibi non reſervat*, quod locum habet in ſuſpenſione. Deinde probarur hac ratione. Datur diſcrimen inter cenſuram reſervatam, & non reſervatam, quod nullum aliud eſt, niſi quod in reſervata voluit Superior, ut à nullo alio daretur abſolutio, niſi ab ipſo; in non reſervata voluit, ut ab alio poſſet dari abſolutio.

Et in propoſito caſu, quod ille, qui ordinatus ſine demiſſoriis poſſit ab Epiſcopo diſpenſari, conſtat ex Concilio Trid. *ſeſſ.* 23. *c.* 8. *de Reform.* ubi ad finem ait Concilium, *Ordinatus ad ſuſceptorum Ordinum excutionem,* quamdiu *proprio Ordinario videbitur expedire, ſit ſuſpenſus.* Vbi juxta mentem Concilii *à proprio Ordinario.* Quædam Declaratio Cardinalium ſic habet: *Talem ordinatum abſolvere pertinet ad illum Epiſcopum, ad quem pertinebat dare demiſſorias.*

Nec contra hoc facit Bulla Pii II. quæ incipit: *Cum ex ſacrorum*, quia præterquam quod abſolutio diſpenſationis non ſit reſervata, prædicta Bulla revocata eſt à Clemente VIII. per aliam, quæ incipit: *Romanum Pontificem*, & eam reducit ad terminos juris communis; ut notant Barboſa *de Epiſcopis, part.* 2. *allegat.* 8. *num* 24. Bonacina *de cenſuris, in particulari, diſput.* 3. *quæſt.* 1. *punct.* 11. *num.* 28.

Ad argumentum in oppoſitum adductum patet ſolutio ex dictis in concluſione: ad id, quod dicitur de Parocho, quia nec ipſe, nec alius Confeſſor Ordinarius poteſt talem ſuſpenſionem tollere, quia tantum habent juriſdictionem in foro interiori, ſeu ſacramentali, in quo nequeunt ſuſpenſionem auferre, quamvis valeant excommunicationem, quia ſuſpenſio non impedit abſolutionem à peccatis, ſicut impedit excommunicatio.

Quæstio III.

An ſuſpenſus ab ordine inferiori, cenſeatur, & habeatur ſuſpenſus ab Ordine ſuperiori, ut illum exercens incurrat irregularitatem, & mortaliter peccet?

SUMMARIUM.

26 *Suſpenſus à maiori non eſt ſupenſus à minori.*
28 *Prima ſententia negat.*
29 *Tamen eorum fundamentum non convincit.*
30 *Aliqui concedunt, ſi unus ordo poteſt exerceri ſine alio.*
31 *Oppoſita ſententia vera, licet mortaliter peccet.*
32 *Optimè probat M. Cornejo.*

SUppono quod ille, qui eſt ſuſpenſus à Superiori Ordine, non inde eſt ſuſpenſus ab inferiori: nam qui ſuſpenſus eſt à Sacerdotio, ne Miſſas celebret, nec inde ſequitur quod ſit ſuſpenſus à Diaconatu, vel Subdiaconatu, ut non valeat unam Epiſtolam, vel Evangelium cantare: nam qui prohibet majus, non prohibet id quod minus, & talis prohibitio eſt odioſa, ac proinde non eſt imponenda ſine expreſſo jure, quod in præſenti non datur. 27.

Tota quæſtio eſt, an ſuſpenſus ab inferiori ordine, valeat recipere, & exercere actum Superioris Ordinis? Multi, & graves Doctores negãt, quia Ordo inferior ſupponitur à Superiori, tanquam illius fundamentum: ergo ſublato ipſo fundamento, ſeu ordine inferiori, corruit, & nõ perſiſtit illud, in quo innititur. 28.

Tamen ratio non multum convincit: nam Sacerdos, qui manibus, ac pedibus caret, non valet Miſſam celebrare, nec Evangelium, vel Epiſtolam in ipſa Miſſa cantare, & tamen bene poteſt confeſſiones audire, & tamen decenter celebranti, non valet miniſtrare, ut Diaconus, vel ut Subdiaconus. 29.

Vnde multi Doctores apud Suar. *tom.* 5. *ad* 3. *p. diſp.* 26. *ſect.* 4. *n.* 8 dicunt hoc licitum eſſe, quando actus Ordinis Superioris, poteſt exerceri, & fieri, ſine interventu actus Ordinis inferioris, non verò quando illum involvit, ex quo inde inferunt, quod ſuſpenſus à Diaconatu poteſt audire confeſſiones, baptizare ſolemniter, &c. non tamen Miſſam celebrare, quia tunc cum ſtola, & manipulo debet legere Evangelium, quod eſt actus Diaconatus; & hanc ſententiam dicit Suarez probabilem. 30. Suarez.

Probabiliorem exiſtimat tamen oppoſitam ſententiam, ut etiam nobis videtur, & eam tenent M. Cornejo *to.* 2. *tract.* 5 *diſp.* 2. *de ſuſpenſ. dub.* 2. *q.* 3. §. *Limitatur hoc.* Ægid. Coninch. *diſp.* 15. *dub.* 2. *n.* 10. Præpoſitus 3. *p. q.* 3 *de ſuſpenſion. dub.* 2. *num.* 15 Layman *lib.* 1. *tract.* 5. *part.* 3. *c.* 1 *n.* 5. Diana 5. *part. tract.* 10. *Reſol* 5. licet iſte talis exercens actum Ordinis Superioris, cui Ordo inferior eſt prohibitus, valdè indecenter agat, & contra rectum Ordinem, ac proinde peccare mortaliter videatur tamen juxta prædictos Auctores irregularitatem non incurrit, quia iſte talis non facit aliquid directè ſibi per cenſuram prohibitum, ſed 31. Cornejo. Coninch. Præpoſit. Diana.

per

per quandam connexionem, ac conſequutionem illius, ad quod non eſt impeditus, & ſuſpenſus, irregularitates, & pœnæ non ſunt extendendæ ultra caſum expreſſum in jure, quæ ſunt intelligenda, quando per ſe ſolum exercet talem actum, v. g. ut Diaconus cantat Evangelium.

32. Et hoc totum optimè probat M. Cornejo, quia talis ſuſpenſio fuit tantum determinata à tali ordine inferiori, quia cenſura ex ferentis voluntate pendet. Argument. *cap. Cum voluntate, de ſententia excomm. & l. Si quis, ff. ſi certum petat.* ab eo tantum ſuſpenſus erit à quo lex, vel judex ſuſpendere voluit, ſicut Epiſcopus, qui primam tonſuram illiterato confert, ut habetur *cap. fin. de temporibus ordinationum, in 6.* collatione tantum primæ tonſuræ ſuſpenditur, & non à collatione Superiorum ordinum, ut notat Gloſſa *in dicto cap. final. verb. Dumtaxat*, quia ſic Pontifex ita velle ſignificavit, ut ſecundum rectum ordinem in eo puniatur, in quo peccavit, ſic & hic in præſenti dicendum.

Cornejo. Cap. Cum voluntate. Cap. final. Gloſſa.

RESOLVTIO L.

De Teſtibus.

QUÆSTIO PRIMA.

An in iudiciis Regularium nomina teſtium ſint manifeſtanda?

SUMMARIUM.

1 *Quæſtio hæc maximè agitata quotidie.*
2 *In levibus cauſis & ubi nullum reo eſt periculum, non ſunt publicanda.*
3 *Si Religioſus accuſatur à ſæcularibus, nomina publicanda.*
4 *Si per ſtatutum Religionis eſt prohibitum, ut teſtium nomina non publicentur, non ſunt danda.*
5 *Multi Auctores tenent, quod etiam in cauſis graviſſimis Religioſorum non ſunt teſtium nomina publicanda.*
6 *Probatur tum ex ſtatuto Toletano, tum ex jure, & n. 7.*
8 *Alii Auctores tenent, quod in cauſa graviſſima ſint danda, quod probatur ex* cap. finali, de Hæreticis.
9 *Index multa prudentia, ac Dei timore in hoc negotio procedat.*

1. HÆc quæſtio valdè frequenter eſt agitata in hac Regia Civitate circa Tribunal Illuſtriſſ. D. Nuntii, & ait Diana *citandus*, quod dum ſcriberet, maximè caſus præſens ventilabatur in Congregatione deputata pro negotiis Epiſcoporum, ac Regularium, & ut clarè procedamus certa ab incertis ſeparemus pro culparum; ac teſtium diverſitate, & Religionum Conſtitutionum.

Diana.

2. Et primò, conveniunt Auctores, quod in levibus cauſis; in quibus nullum reo imminet periculũ, nec in honore, nec fama, nec in his, quæ ad ejus uſum pertinent, valdè prudenter facit ſuperior, qui denuntiatorum, & teſtium nomina occultat, id enim maxime conducit ad animarum tranquillitatem, & pacem, inter Religioſos conſervandam, è contrario juſtè timeri poſſunt rixæ, & odia, in Religionis perniciem, & perturbationem excitanda.

3. Secundò, ſupponendum, quod quando Religioſus accuſatur ab extraneis, ac laicis, ei ſunt manifeſtanda teſtium nomina, ut tenent Rodriguez *tom. 2 q. 3. art. 1. in fine*, & *q. 13. art. 1. in fine*. Diana *part. 11. tract. 3. Reſolut. 7. in fine, §. Deinde nullo.* Quia laici multoties Religioſis infeſti ſunt, & valdè verendum eſt, ne per injuriam eos falſis accuſationibus, & depoſitionibus opprimere conentur, *can. Laicos, cap. Laici 2. part. 7.* & *cap. de cætero, de Teſtibus.*

Rodrig. Dia. a.

4. Tertiò, ſuppono, quod ſi per ſtatutum Religionis prohibetur, ne teſtium nomina pro pace conſervanda publicentur, tunc non ſunt danda: nam in tali eventu cum tota Religio in tali ſtatuto conſentiat, ut ſupponitur, etiamſi aliquis particularis Religioſus reus læſionem aliquam patiatur, non revelatis ſibi teſtium nominibus, id non obſtat, quia parvæ huic læſioni videtur renuntiaſſe per tale ſtatutum Religionis, quam voluntariè elegit, & in hoc caſu magis præponderat bonum commune pacis totius Ordinis, quam parva læſio ipſius particularis in cognoſcendo teſte ſibi contrario, cui pravæ læſioni renuntiatur per tale ſtatutum. Et majus eſt quod faciunt Patres Carthuſiani, qui per ſtatutum generale abſtinent à carnibus, etiam in hora, & periculo mortis, quia pro bono communi totius Religionis renuntiant bono proprio vitæ conſervandæ per uſum carnis in bonum commune Religionis, & etiam aliud exemplum tradit Sanch. *tom. 1. in Decalog. lib. 6. cap. 18. num. 43. & ſequentibus*, ubi probat licitum eſſe in aliqua Religione ſtatutum, ut crimen ſecretum in certa materia reveletur Prælato (maximè quando Prælatus eſt gravis, pius, ac prudens) idque non præmiſſa correctione fraterna: quia inquit tota Religio, & quilibet Religioſus renuntiavit juri ſuo, ut prius corrigatur per correctionem fraternam, quam denuntietur Prælato, quod probat proximè citato exemplo Carthuſianorũ, & pro hac ſententia citat Bañez, Valentiam, Petrum Ledeſmam, & Ribadeniram. Si hoc licet Cathuſianis, & aliis in denuntiatione delicti ſecreti, mobo p ædicto ratione ſtatuti facti in ſua Religione; à fortiori licitum erit, ſi talis Religio ſtatutum habeat, ne teſtium nomina publicentur, pro majori pace, & quiete conſervanda in Religione, in hoc minus periculum imminet, quam in duobus proximè citatis exemplis. Ita Portel. *tom. 1. Reſpond. Moral. part. 1. caſu 25. n. 14* & pro hoc etiam facit Rodriguez *to. 1. quæſtion. q. 3. art. 1. ad finem*, citat Hoſtienſem, & alios.

Sanchez. Bañez. Valentia. Ledeſma. Ribaden. Portel. Rodrig Hoſtienſ.

5. Tota difficultas eſt, an in cauſis criminalibus graviſſimis, in quibus de graviſſima punitione Rei agitur, graviſſiméque ejus fama, & honor periclitatur, tunc teſtes ſint publicendi. Communis ſententia eſt, quod teſtes non ſint publicandi. Ita Rodriguez *citatus*. Alderete *de Religioſa diſciplina tuenda, lib. 1. cap. 24. num. 8. & 9.* Pellizarius *tom. 2. tract. 9.*

Rodrig. Alderete. Pelliz.

Vict. Manc, Portel. *cap*,4. *ſect*.1. *n*.115. Victorinus Mancus *de modo procedendi*,*cap*.7. *n*.8. Portel. *citatus eodem*,*n* 14. Ita mordicus huic ſententiæ adhæret Miranda *q*.23.*art*.1.*concl*.2. ut dicat quod in hac parte procedendum eſt in cauſis Religioſorum,ut in cauſis fidei,quod non videtur probandum,quia crimen hæreſis eſt omnium turpiſſimum, ac maximè execrabile, & quod in eo obſervatur,non in quocunque alio crimine eſt obſervandum.

Miranda.

6. Statutum Toletan. Probatur primò, quia in Ordine Minorum datur ſtatutum generale Toletanũ,quod Prælati non dent Reo nomina teſtium, niſi fortè quando viderint periclitari juſtitiam Rei in graviſſima cauſa, quod ſtatutum à Sede Apoſtolica eſt confirmatum,teſte Portel.*in dubiis Regular.verb. Correctio fratern.*§. *Iudex*,*n*.12.& tale ſtatutum non fuiſſet editum, ac promulgatum à Patribus tam doctiſſimis Religionis tam graviſſimæ,niſi eſſet juſtum, ſanctum,ac laudabile ad multa odia, controverſias,ad diſſenſiones evitandas; aliter enim non fuiſſet confirmatum à Sancta Sede Apoſtolica.

Portel.

Probatur ſecundò,ex *cap*.*finali*,*de Monach*. *ſtatu*. ubi expreſsè Honorius III. determinat, quod in cauſis Regulariũ procedatur abſque judiciorum ſtrepitu. Vt nempe in prædictis Regularium cauſis ſervetur ſubſtantia juris, non verò illius apices, ut pro maiori quiete Religionis conceſſit Bonifacius VIII. ut referam *infrà*, *quæſt*. 4. quod autem revelatio nominum teſtium non pertineat ad ſubſtantiam juris probatur ex praxi Rectiſſimi Tribunalis Sanctæ Inquiſitionis, in quo exactiſſimè ſubſtantia juris obſervatur, &tamen in illo nomina teſtium non revelantur,ergo non ſunt de ſubſtantia juris. Et confirmatur ex *cap*.2. *Qualiter*, & *quando*, alias 24. *de accuſationibus*. Ubi poſtquam Summus Pontifex ordinavit, quod teſtium nomina ad Rei defenſionem exibeantur; Concludit tamen in fine capitis: *Hunc tamen ordinem circa Regulares perſonas non credimus uſquequaque ſervandum*.

Honor. III.

Bonif. VIII.

C. Qualiter

8. Tamen ſunt graves, Auctores, qui tenent quod in re graviſſima, quando honor, fama, ac auctoritas Religioſi multum periclitatur ob tacita teſtium nomina,quod ei ſint publicanda. Ita Martinus de S.Joſeph.*in ordine judiciario*, *c*.14. *n*.1.Rojas *ſingul*.140. Salzedo *ad Bernard. Diaz*. *cap*.128. *littera C*. Nam Reus nõ eſt privandus convenienti medio ad ſui defenſionem: nam *cap*.*ficali*,*de hæreticis*, *in* 6.ubi diſponit Pontifex, ut teſtium nomina taceantur,ob magnum periculum,quod eis inde evenire poteſt, quod ibi explicat Gloſſa *verb*.*Periculum*,eſt mors propria,vel ſuorum, & devaſtatio ſubſtantiæ ipſorum. Tunc ſubdit Textus; *Ceſſante verò periculo ſupradicto*, *accuſatorum*, & *teſtium nomina*, *prout in aliis ſit judicibus*, *publicentur*.

Martin. Rojas. Salzedo.

9. Diana. Vnde hanc quæſtionem concludo cum Diana *p*.9. *tract*.3.*Reſol*.7. Vt Regularis ſuperior magna cum prudentia, ac Dei timore conſideret gravitatem criminis,gravamen,& injuriam, quam patitur Reus,& etiam periculum imminens teſtibus,unde cum ipſo Diana verbis Archidiaconi concludo. *O tu quicunque Iudex*,*in tali cauſa bene adverte verba iſta*,*non dicit leve periculũ*, *ſed grave*,*noli igitur reum privare debito juris ordine*, *ſine magna cauſa*, *quoniam hoc fieri non poteſt ſine offenſione Dei*.

Archidiac.

QUÆSTIO II.

An Prælati Regulares valeant compellere ſuos ſubditos ad iurandum in cauſis civilibus ſæcularium?

SVMMARIUM.

10 *Religioſus non poteſt jurare in judicio ſæculari ſine licentia ſui Prælati, ſi juret, tenet juramentum.*

11 *Hanc licentiam etiam dare poſſunt Prælati Conventuales:*

12 *Iudices, & Principes non poſſunt cogere Regulares ad jurandum.*

13 *Religioſi in Advanis ut ſua,v.g. triticum relaxentur à gabellis, tenentur jurare verum ad mentem præpoſitorum.*

14 *Si Religioſi coacti jurant in cauſa ſanguinis, non contrahunt irregularitatem.*

15 *In cauſa civili ad jurandum non poſſunt cogi à ſuis Prælatis, quidam negant.*

16 *Probabilius alii affirmant.*

AD hoc ut Religioſus ſit teſtis alicujus cauſæ judicialis in judicio laico,ac ſæculari, requiritur licentia ſui Superioris, quia Religioſus mortuus eſt mundo, & non habet nec velle, nec nolle, niſi ex volũtate ſui Prælati,de quo latè agit Sanch. *l*.6. *lib*.6.*Decalogi*,*c*.13. *n*.11. Deinde quia Judex ſæcularis non ſit Superior Religioſi teſtificantis, non poteſt ab illo exigere teſtimonium,& maximè cum juramento, niſi Religioſus ſe illi ſubiiciat, ad quod neceſſaria eſt licentia proprij Prælati,ita Angelus *verb*. *Teſtis n*.3. ſi tamen teſtificetur ſine tali licentia, teſtimonium valebit. Cum nullibi ſit irritum,& potius interpretanda eſt res ut valeat,quam ut pereat.Sylveſt.*verb*.*Teſtis*, *q*.1.*Dict*.1. Molina *tom*.1.*de juſt*.*diſp*.127.M.Lezana *tom*.1.*can*.9.*n*.16.

10.

Sanchez.

Angelus.

Sylveſt. Molina. Lezana.

11. Hanc autem licentiam dare poſſunt non ſolum Prælati ſupremi,ut Generales,Provinciales, ſed etiam Conventuales immediati, Priores videlicet, Guardiani, Rectores, cum verè ſint Prælati, & habeant veram jurisdictionem in ſuos ſubditos.Ita Rodriguez *to*.2. *q*.10. *artic*.4.& 5.Portellus *in dubiis Regular*. *verb*. *Abbas*,*n*.10.

Rodriz. Portel.

12. Iudices,ac Principes ſæculares non poſſunt cogere Regulares ad jurandum,ſive in civilibus,ſive in criminalibus, non ſolum propter exemptionem, & immunitatem Eccleſiaſticam ipſorum, ſed etiam ob multa privilegia illis conceſſa,de quibus Rodriguez *cit*. *q* 10. *art*.2.Specialiter *Eugenii IV*.*pro Caſſinenſibus in Bulla* 7.*n*.17. & *Bulla* 9. *n*.13. apud eundem Rodriguez *in Bullario inter Bullas ejuſdem Eugenii*.Peirinus *tom*.1. *Privileg*. *Minimor*. *Conſtitut*.2. *Iulii XI*.*n*.149.

Rodrig. Eugenius. Peirin.

Obiter tamen nota, quod tam Præſides, quam emptores gabellarum poſſunt exigere juramentum à Regularibus, quod res, v.g. triticũ, oleum,&c. quæ per Duanas tranſeũt, nomine dictorum Regularium,ſint ipſorum, & ad ipſorum uſum deputatæ; & tenentur dicti

dicti Regulares ad mentem ipſorum exigentium juramentum jurare ſimpliciter, non utendo aliqua æquivocatione, vel amphibologia. Et ratio eſt, quia licet abſolutè non poſſint Iudices ſæculares compellere ad jurandum Regulares; ſuppoſito tamen, quod iſti velint res illas, quas dicunt eſſe ad uſum proprium, ſine ſolutione gabellæ relaxari æquitas juſtitiæ poſtulat, ut jurandum ſincere in veritate compellantur, maximè, quia illud vertitur in commune damnum Reipublicæ: nã tales gabellæ, & tributa ad illius ſuſtentationem, ac defenſionẽ, ab inimicis pertinent. Ita Sylveſt. *verb. Iurament. 3. p. q. 2.* & *verb. Mendac. q. 6.* Sanch. *lib. 3. in Decalog. c. 6. n. 35.* M. Lezana *tom. 1. c. 11. n. 25.* & citat Bonacinam, Gavantum, & alios. Idem dicendum in eo caſu, quo Religioſi coguntur jurare à cuſtodibus urbis tempore peſtis; an veniant ex loco peſte infecto, propter eaſdem rationes. Ita cum citatis Auctoribus Candidus *to. 2. diſquiſit. Moral. diſquiſit. 26. art. 3. dub. 8.*

Sylveſt. Sanchez. Lezana. Bonacina, Gavant. Candidus.

14. A ſuis tantum Prælatis Regulares poſſunt habere facultatem jurandi coram ſæculari Iudice, non tamen in cauſa ſanguinis, ut eſt communis doctrina, alias incurrent in irregularitatem: ſi verò hoc faciant urgente præcepto, vel gravi metu incuſſo, tunc cum non faciunt ſponte, non contrahunt irregularitatem, ut tenent Coninch *de Sacram. diſp. 18. dub. 10. n. 56.* Præpoſit. *3. q. 5. de irregul. dub. 13. n. 105.* M. Corejo *de irregularitate, diſp. 14. dub. 1.* Tamen ſemper præmittenda eſt proteſtatio. Vt ſupra dixi de accuſatore.

Coninch. Præpoſit. Cornejo.

15. An verò Regulares cogi poſſint à ſuis Superioribus ad teſtificandam in cauſa civili coram Iudice ſæculari in re magni momenti, & ponderis eſt quæſtio principalis. Negat Bordon. *tom. 2. Reſol. 38. n. 11.* quia Superior Regularis, non poteſt aliquid præcipere ſuis Religioſis, niſi titulo obedientiæ, quam illi promiſerunt in ſua profeſſione, per quam ſe obligaverunt ad obediendum in iis, quæ ſpectant ad ſtatum Religioſum, juxta diſpoſitionẽ regulæ, quam profeſſi ſunt, ſed ferre teſtimonium in favorem ſæcularium, non ſpectat ad ſtatum Religioſum, nec in regula continetur, ergo præcipi non poteſt.

Bordon.

16. Oppoſita ſententia mihi videtur verior, eam tenent Rodrig. *tom. 2. q. 10. art. 2.* Peirin. *to. 1. Privil. Mihim. in Conſtit. 2. Iulii II. n. 147.* M. Lezana *to. 1. c. 11. n. 14.* Quia multum intereſt ad bonum Reipublicæ, ac ad Dei obſequium, & gloriam, ut veritas patefiat, ac manifeſtetur, & Religioſus ratione ſui perfecti ſtatus aſtringitur ad procurandam Dei gloriam, & ejus obſequium, ac commune bonum; & ex his patet ſolutio ac fundamentum contrarium.

Rodrig. Pei in. Lezana.

Quæstio III.

Ad quid teneatur teſtis falſus, ex cuius teſtimonio multa damna ſunt illata Reo?

SUMMARIUM.

17 *Caſus deplorandus.*

18 *Si Reus iam erat convictus, non datur, obligatio reſtituendi.*

19 *Qui depoſuit falſum non ſcienter, nec ex lata culpa, non tenetur ad reſtitutionem.*

20 *Qui ſcienter, & ex notabili negligentia dedit teſtimonium falſum, tenetur ad reſtitutionem.*

21 *Teſtis falſus etiam cum magno periculo ſua tenetur retractare ſuum dictum, ſi intelligit profuturum.*

22 *Maxime timenda opinio cuiuſdam Auctoris. Si revocatio non eſt profutura, non tenetur. Ibidem.*

23 *An ſi Reus dicat ſe parcere, & dimittre iniuriam.*

17. AIt Diana *4. p. tr. 4. Reſol. 99.* quod in hac materia ſcribit cum magno animi dolore, quod ego etiam dico ob multos, & varios caſus; qui ad manus meas venerunt, & non agimus de pœnis in jure appoſitis contra falſarios ac perjuros, ſed agimus de his, quæ ſpectant ad forum conſcientiæ.

Diana.

18. Primò, dicendum eſt cum Pitigiano *in Practica criminali Canon de teſtibus c. 6. fol. 193.* & Diana *3. p. tract. 5. Reſol. 106. alias 105.* Quod ſi Reus erat jam convictus per multos teſtes, & teſtimonium illius ſuperveniens, nihil effecit, nec pœna ex tali teſtimonio addita, nec inde Judex magis commotus eſt ad pœnam infligendam, quia tamen, etſi Reo fiat injuria, tamen tale teſtimonium non eſt cauſa efficax damni quia jam erat illata, inde non datur obligatio ad reſtitutionem.

Pitigian. Diana.

19. Secundò. Pitigianus *citatus*, cum Caietano *2, 2. q. 70. artic. 4.* Petro à Navarra *lib. 2 c. 9. n. 253.* cum aliis, quòd qui depoſuit falſum, non ſcienter, nec ex lata culpa, ſed ex inadvertentia, vel oblivione, ratione cujus damnum contigit, quod iſte non tenetur ad reſtitutionem, non ratione rei acceptæ, quia nihil recipit, ut ſuppono, vel ratione injuſtitiæ, vel damni, quia cum ignoranter intulerit tale damnum, non fuit præviſum, & ideò non peccavit, ut tenent Leſſius *lib. 2 cap. 1. dub. 6.* Becanus *2. 2 de juſtitia, & jure. q. 70. de teſtibus q. 5. concluſ. 2.*

Pitigian. Leſſius. Becanus.

20. Certa concluſio, qui ſcienter, & notabili negligentia dedit teſtimonium falſum, tenetur ad reſtituendam famam, & totum damnum illatum; & ratio eſt manifeſta, quia per injuſtitiam fuit cauſa totius damni, quod Reus patitur. In hac concluſione conveniunt omnes Theologi, ac Canoniſtæ, proindéque ſi fecit ſcienter, ac cum notabili negligentia tenetur ad reſtituendum totum damnum; ſi verò fecit, aliqua levi, vel mediocri culpa, ſeu negligentia tenetur ad reſtituendam partem damni. Ita Sotus *lib. 5. q. 7. art. 4.* Navar. *cap. 25. n. 4.* Sanchez *tom. 2. conſil. lib. 6. cap. 5. dub. 21. n. 2.* Fagundez *in 8. præcept. Decalog. lib. 8. cap. 42. num. 1.* M. Lezana *tom. 4. verb. Teſtis, num. 4.*

Sotus. Navarr. Sanchez. Fagundez. Lezana.

21. Quæſtio tamen eſt, an iſte falſus teſtis teneatur ſuum dictum retractare, quando ratione ſui falſi teſtimonii, mors, mutilatio, vel aliquod grave damnum eſt inferendum, ad quod dicimus maximè teneri, ſi id profuturum putat, quamvis ſibi ſimile pœnæ periculum timeat: nam unuſquiſque tenetur

reſarcire damnum, quod alteri injuſte intulit, etiam cum pari damno ſuo, melior eſt conditio innocentis, quam delinquentis. Leſſius *lib. 2. cap. 30. dub. 7. n. 53.* Sylveſter *verb. Teſtis, q. 10.* Angelus *verb. Teſtis, n. 30.* D. Anton. *p. 2. tit. 1. part. 19. §. 7.*

Leſſius. Sylveſt. Angelus. D. Anton

22. Timeant falſi teſtes ſententiam Vutheri Streveſdorff. in D. Thomam *de juſtit & jure, q. 70. art. 4. concl. 3.* ubi ait, quod teſtis falſus debet revocare ſuum dictum, licet iſti teſti ex revocatione majus damnum immineat: nec obſtat, quod dubitet, an revocatio ſit profutura, quia quilibet quod ſuum experiri, & tentare debet.

Vutherus.

23. Tamen Petrus Navar. *de reſtit. lib. 2. cap. 3. n. 251.* exiſtimat, quod ſi retractatio nihil eſt profutura, quod teſtis falſus non tenetur illam facere, ſed reſtitutionem damnorum, quocunque commodo modo debet facere. Et hanc ſententiam video apud Viros doctos practicari, & in illa Diana *p. 4. tract. 4. Reſol. 99.* & ſubdit quod ſe recipiat in loco tuto, ut inde valeat ſuam ſententiam revocare, ſed parum utile erit.

Pett. Nau. Diana.

24. Caſus contigit. Quod quidam homo nobilis, qui habebat filios, & familiam per falſos teſtes condemnatus ſit ad furcam, & confiſcationem bonorum, homo cum duceretur ad furcam, ex ingenti charitate dixit, quod omne malum ſibi illatum parcebat inimicis ſuis, eiſque qui contra illum tam dirum falſum teſtimonium protulerunt.

An iſti falſi teſtes teneantur ad faciendam reſtitutionē filiis. Reſpondi affirmativè, quia iſti falſi teſtes magnam injuriam intulerunt filiis: nam ipſi ex tali parentis morte infamiam multam contraxerunt, ac privationem bonorum paternalium, quæ ex hæreditate patris eis eventura erāt, proindéque Pater dimiſit ea, quæ ad ſe pertinebant, non tamen illa, quæ erant filiorum, cum tanto ipſorum detrimento, ac damno.

QUÆSTIO IV.

In cauſis Religioſorum procedendum eſt ſine ſtrepitu iudiciario, ac non ſervatis apicibus iuris? & quid ſint iſti apices iuris?

SUMMARIUM.

25 *Prælati procedant in cauſis Religioſorum non ſervatis apicibus iuris.*
26 *Quod etiam privilegio conceſſit Bonifacius Octavus.*
27 *Quænam ſint apices juris.*
28 *Quanam ſint de juſtitia juris.*
29 *Quid de plano inſpecta veritate.*

25. IN cauſis Religioſorum Prælati Regulares poſſunt, & debent procedere ſine judiciorum ſtrepitu, non ſervatis apicibus juris, ut ipſa jura diſponunt, ac determinant, *cap. Qualiter, 24. de Accuſat.* & *cap. Olim. 26. eodem.* Et *cap. finali, de ſtatu Monachorum*, & *cap. Per tuas, 32. de Simonia.* Et ita liberius, & facilius poſſunt prædicti Prælati contra perſonas Religioſas procedere, non ſervatis prædictis apicibus, eas puniendo, privando, acremovendo à ſuis Officiis, ac adminiſtrationibus, ut expreſsè habetur *in citatis Capitibus qualiter, & per tuas, in fine.*

C. Qualiter. C. Olim. C. Per tuas.

Quod inſuper ex privilegio conceſſit Bonifacius VIII. ut non teneantur Religioſi in ſuis cauſis procedere, apicibus, & rimulis juris ſervatis, *ſed ſecundum conſuetudines approbatas & generalia facta, & facienda ordinis inſtituta.* Quod ipſe Pontifex explicans declarat, dicens: *Quod licet Prælati omnes, ad apices juris ex ſupradicta conſtitutione non teneantur, ut ſunt citationum intervalla, dilationes interlocutoriæ, & cætera hujuſmodi, quæ non ſunt de eſſentia juris, non tamen poſſunt in actibus judicialibus pro eorum arbitrio procedere, ſed jure divino, ac naturali ad ſubſtantialem juris ordinem tenentur.* Procedendum ergo eſt juxta Apoſtolicas Conſtitutiones, excluſis apicibus juris.

26. Bonif. VIII.

Apices autem juris ſunt, ut explicant M. Thomas de Jesu *de viſitat. Regular. tract. 3. cap. 1.* Portel. *in dubiis Regular. verb. Correctio fraterna, n. 50.* Bordon. *tom. 2. Reſol. 56. n. 90* ut judicium fiat tali loco, vel tali die; ut citatio fiat tali, & tali modo verborum, vel quod tale tempus certum aſſignetur litigantibus, & appellantibus, & quod admittantur interlocutoria, & quod dilationes interponantur; & inſuper Portel. *citatus* exiſtimat, quod teſtium publicatio cum ſuis nominibus ſunt, & pertineant ad apices juris, & ideo quod talis nominum publicatio non ſit facienda in Religione: vide *ſupra in hac Reſolut. q. 1. n. 4.* de quo egi.

27. Thom. de Jesu. Portel. Bordon. Portel.

Procedendum eſt ergo in cauſis Regularium, ut notat M. Lezana *tom. 1. cap. 27. n. 26. Simpliciter, ſummariè, de plano, & ſola veritate facti inſpecta.* Quæ ferè in re idem valent, ac ſignificant *ſimpliciter*, ut ex multis probat Barboſa *Dict. 68. n. 3.* prout proceditur ad litteram, & factum prout jacet, & contigit excludendo calumniatorias, & doloſas dilationes: inanes, & frivolas exceptiones. *Summariè*; ſecund Bartol. *in extravag. ac reprim. ver. Summariè*; abbreviando & tanquam in Compendio recapitulando, & ſolum exhibendo quæ pertinent ad eſſentiam judicii, ut nempe Reus citetur, audiatur, deturque ei tempus defenſionis cum advocato, & ut probationes legitimæ, exceptiones utiles, appellationes neceſſariæ concedantur, & alia non recipiant.

28. Lezana. Barboſa. Bartol.

De plano ut procedatur ſincerè, quolibet die etiam feriato, omni tergiverſatione, & vana exceptione dimiſſa. *Sola veritate facti inſpecta* ipſa re ſecundum ſe perpenſa, & conſiderata, rejectis quæ non ſunt de jure naturali, divino, ac Gentium. Ita Thom. de Jesu *citatus* & Aldrete, *lib. 1. de diſciplina Regul. cap. 8.* & his manet impoſitus unis in die Sanctiſſimæ Annæ Matris Domini mei Jesu; faciat ipſe, ut in eo omnis noſtra actio, cogitatio, ac mens, conſiſtat, ac perſiſtat.

29. Thom. Aldrete.

OPVSCVLVM III.

PRÆCLARA MAGNI Parentis Eliæ Præeminentia.

Matth. 13. AIT Chriſtus D. Matth. 13. *Omnis ſcriba doctus in Regno cœlorum profert de theſauro ſuo nova, & vetera.* De hoc Tractatu multi magni viri multa, & præclariſſima dixerunt, quæ tanquam prima fundamenta breviter attingam, & aliqua etiam (Deo dante) ex noſtro tenui theſauro, ſeu pauperculo penu proferemus.

RESOLVTIO I.

De admirandis Prærogativis Magnis Parentis Eliæ.

DE his omnibus, ac ejus præclariſſimo nomine, multiplicique ejus ſignificatione, quantaque magnitudine, amplitudine, cœleſtium gratiarum, donorum, virtutum, ac meritorum à Deo nobilitatus, ac condecoratus ſit; multa dixi variis in locis, præcipuè *tom. 3. in Evangelia c. 13. quæſt. 11. 12. 13. 14. 15. 16. 17. 18. & tom. 1. in Apocalypſ. cap. 7. quæſt. 5. & cap. 11. quæſt. 11. 12. 13. 14. 15. 16. 17. & 18.* & multa etiam dicam de ejus obedientia, paupertate, ac rerum contemptu, & etiam de ejus puritate, ac virginitate hic *Reſol. 3. quæſt. 3. 4. & 5.* Aliqua hic dicemus, tanquam præludium ad ea, quæ tractanda ſunt.

QUÆSTIO PRIMA.

De magnis meritis, ac virtutibus Sanctiſſimi Eliæ.

SUMMARIUM.

1 *Ex D. Bernardo magna Eliæ elogia.*
2 *Iuſti, & Sancti ambulant in hoc mundo, Angeli ſtant in conſummata perfectione.*
3 *Elias degens in mundo ſe formaverat perfecta virtute, veluti Angelus in cœlo, & num. 4.*
5 *Ignis veneratur Eliam tanquam quid cœleſte.*
6 *Elias in ſumma iracundia placat iram Dei, & num. 7.*
8 *Prophetæ non impetrant indulgentiam pro uno populo, Elias pro toto mundo.*
9 *Elias reſtaurat omnia tanquam ad imitationem Chriſti.*
10 *An Elias ſit in ſtatu merendi.*
11 *Eſto quod Elias non ſit in ſtatu merendi, inde magnum ejus meritum demonſtratur.*
12 *Summa charitas Eliæ, ut ſerviat ad ſalvandas animas beatitudine privari vult, & num. 13.*
14 *Dilato præmio maximè comprobatur amor.*

1. PRo hujus rei commendatione ſatis eſt audire elogia Magni Eliæ, quæ nobis apponit D. Bernardus ſcribens ad Eugenium lib. 4. de conſideratione, ſic de Elia ait; *Forma juſtitiæ, ſanctitatis ſpeculum, pietatis exemplar, aſſertor veritatis, fidei defenſor, Doctor Iſraëlis, magiſter inſipientium, refugium oppreſſorum, pauperum advocatus, judex viduarum, oculus cæcorum, lingua mutorum, ultor ſcelerum, malorum metus, bonorum gloria, virga potentium, malleus Tyrannorum, regum pater, ſal terræ, orbis lumen, Propheta Altiſſimi, Præcurſor Chriſti, Chriſtus Domini, Deus Achab, Baalitarum terror, idololatrarum fulmen.* Nil ſane elegantius, nec quid magis animi virtutes explicans dici poteſt. Tamen uberioris doctrinæ gratia ex triplici fundamento oſtendo magna merita Sanctiſſimi Eliæ. D. Bernard. Elogia.

2. Primo ex verbis ipſiuſmet Eliæ ad Achab 3. Reg. 17. num. 1. *Vivit Dominus Deus Iſraël, in cujus conſpectu ſto.* Sicut & ipſe dixit ibidem cap. 18. num. 15. *Vivit Dominus exercituum, ante cujus vultum ſto.* Id eſt ut explicant Angelomus, Carthuſianus, Deum ſemper animo, & corde præſentem habeo, ſemperque intendo illum amare, laudare, ac revereri, eique in omnibus placere, nec in minimo ab ejus voluntate, ac beneplacito deficere. Præclare Metaphraſtes ait: *Elias appellatus eſt Theſbites, eo quod eſſet domus, quæ ſorte obtigerat ſacerdotibus, in qua is habitabat, virtutem omnem exercens ab adoleſcentia, & flammeam efficiens animam, per ignem ſpirantem* 3 Reg. 17. 3 Reg. 18. Angelom. Carthuſian. Metaphraſt.

Spiritus Sancti gratiam, qua dirigebatur, ut dignus eſſet ſtare coram Domino.

3. Nunc verò ſublimius, ac altius rem conſideremus, ait Elias. *Vivit Dominus Deus Iſraël, in cujus conſpectu ſto. Ante cujus vultum ſto.* Perpende diverſum modum loquendi ſacræ ſcripturæ de ſanctis Patribus, ac de primis Angelis cœleſtibus. Sancti Patres dicuntur ambulare coram Deo. De Noë dicitur Gen 6. num. 9. *Noë vir juſtus, atque perfectus cum Deo ambulavit.* Ad Abraham ait Deus Gen. 17. num. 1. *Ambula coram me & eſto perfectus.* Et ipſe Abrahamus de ſe ait Gen. 24. num. 40. *Deus in cujus conſpectu ambulo.* Et Iacob benedicens ſuos nepotes ait Gen. 48. num. 15. *Deus ante cujus conſpectum ambulaverunt patres mei.* Et tandem Regius vates de viris juſtis, ac ſanctis decantat Pſalm. 118. n. 1. *Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini;* At vero de primis ſpiritibus cœleſtibus, non dicuntur ambulare, ſed ſtare coram Deo. Sic ait Raphaël Tobiæ 12. num. 15. *Ego ſum Raphaël Angelus unus ex ſeptem, qui aſſtamus ante Deum.* Sic Gabriel ad Zachariam de ſe aſtruit Luc. 1. num. 19. *Ego ſum Gabriel, qui aſſto ante Deum*; & Ioannes in Apocalypſi ſeptem primos Angelos invocãs cap. 1. num. 4. *Et à ſeptem ſpiritibus, qui in conſpectu throni ejus ſunt.* De quibus etiam facit mentionem cap. 8. num. 2. *Et vidi ſeptem Angelos ſtantes in conſpectu Dei.* Quid eſt, quod Sancti Patres, ac juſti dicuntur ambulare coram Deo, at ſpiritus Angelici ſtare; Patres, & juſti, quamvis eſſent, ut explicant D. Chryſoſtom. Rupertus, Beda, multa Dei gratia, ac juſtitia locupletati, tamen cum eſſent in via tanquam ambulantes, ad majora proficiebant, ac ſeſe extendebant. At ſpiritus Angelici omni plena juſtitia, ac conſummata ſanctitate gaudent, cum illa firmiter ſtant coram Deo.

Gen. 6. Gen. 17. Gen. 24. Gen. 48. Pſal. 118. Tob. 12. Luc. 1. Apocal. 1. D. Chryſ. Rupertus. Beda.

4. Quid eſt, quod Elias, non ut cæteri Patres, ac juſti dicitur ambulare, ſed tanquam cum ſpiritibus Angelicis ſtare coram Deo? *Ante cujus conſpectum, ante cujus vultum ſto,* & etiam Apocal. 11. num. 4. de ipſo, ac Henoch dicitur: *Hi ſunt duæ olivæ, & duo candelabra in conſpectu Domini terræ ſtantes.* Tanta virtutum ubertate, ac pinguedine ſe Elias ad quandam Dei ſimilitudinem, quantum fas eſt homini, ſe efformaverat, ac compoſuerat, ut vivens in terris jam videretur in cœlis cum cœleſtibus ſpiritibus degere, & inde tanta ſublimitate donatus eſt, ut Dei nomine particeps fieret: nam Elias idem eſt, *ac Deus Domini,* pulchrè D. Ambroſius lib. 1. de Cain cap. 2. magno elogio Eliam exornat, & ait: *Victor paſſionum, nec ullis captus illecebris, qui omnem iſtam ſecundùm corpus habitationem cœleſtis puritate converſationis obduxerat, mentem regens, carnem ſubjiciens, & regia quadam auctoritate caſtigans, nomine Dei vocatus eſt, ad cujus ſimilitudinem ſe perfectæ virtutis ubertate formaverat: & ideo non legimus de eo, ſicut de cæteris, quia deficiens mortuus eſt.* Expende verba: *Ad cujus ſimilitudinem ſe perfectæ virtutis ubertate formaverat.* Et ideo non dicitur de eo, quod deficiens mortuus eſt, ſed quod tranſlatus eſt; nam vivens in hoc ſæculo vitam cœleſtem agebat.

Apocal. D. Ambr.

Pro qua re audiendus eſt D. Ambroſius lib. de Elia, jejunio cap. 2. ſic: *Meritò illum dignum cœlo divina judicavit ſententia, ut cum ipſo raperetur corpore, quoniam cœleſtem vitam vivebat in corpore, ac ſuperna uſum converſationis exhibebat in terrâ.* Magnus Elias curru igneo, & equis igneis rapitur in cœlum, 4. *Reg. cap. 2. num.* 11. Cur non potius curru ex nube formato, ſed ex igne fabricato? Rationem aſſignat Mag. Chryſoſtom. *tom. 1. Homilia de aſſumptione Eliæ* ait: *Totum corpus ignis ambit, nec læditur; per colla, per latera flamma diſcurrit innoxia:* Magnũ ſanè portentum, totus Elias flammis circumcingitur illæſus, ad quid hoc? Rationem ſubdit idem Chryſoſtomus dicens: *Mira prorſus ratio ignis evehit, & munit, quidquid cœleſtis eſt naturæ.* Magno cum diſcrimine ignis ſe habet erga cœleſtia, ac terreſtria, terreſtria conſumit, ac devorat, & in cineres redigit; at verò cœleſtia ambit, & munit, ac tanquam murus circumcingens cuſtodit. Alta, ac ſuprema Dei providentia Elias curru igneo fertur, ac aſcendit in cœlum ut manifeſtum fieret, quod ipſe ſua puritate, juſtitia, ſanctitate, ac meritis Dei gratia d fœcatus, purificatus, ac ſublimatus eſt, ut jam corpus, non ut quid terreſtre, ſed ut cœleſte reputaretur, ac veneraretur ab igne: *Ignis evehit, ac munit quidquid cœleſtis eſt naturæ.*

5. D. Ambr. 4. Reg. 2. D. Chryſ. D. Chryſ.

Secundò conjecturatur magnum meritum Eliæ, ex his quæ de eo ſcribuntur, Eccleſ. 48 num. 10. *Qui ſcriptus es in judiciis temporum lenire iracundiam Domini.* Dicitur: *Qui ſcriptus es*; nempe in Prophetis, ut Malach. Vltimò in judiciis temporum, hoc eſt, ut explicant Cornelius, Menoch; & alij: *In noviſſimis temporibus*; ſeu ut ex Græco legitur: *In redargutionibus ad tempora*, quando redarguenda ſunt omnia peccata mundi, *lenire iracundiam Domini.* Vatablus legit: *Qui ad reprehenſiones certis temporibus deſignatus ſis ad placandam iram.*

6. Eccleſ. 48. Cornel. Menoch. Græcus. Vatablus.

7. Quid ſublimius, ac altius poteſt excogitari de magnis meritis Eliæ, quando in noviſſimis temporibus, quando omnium ſcelerum, iniquitatum, malorum, ac vitiorum, abominationes exundabunt, quales nunquam fuerunt, nec amplius erunt, quando omnes deſolationes juſtitiæ, ſanctitatis, virtutis, ac divini cultus graſſabuntur per totum orbem, itaut filius perditionis peſtifera malitia *adverſatur, ac extollitur ſuper omne, quod dicitur, Deus, aut quod colitur, itaut in Templo Dei ſedeat, oſtendens ſe tanquam ſit Deus.* Tot, ac tantis ſceleribus, ac criminibus maximè provocata erit ira furoris Domini adverſus omne humanũ genus. Tamen inter tot comminationes divinæ vindictæ, illius infinita pietate, unus deſtinatus Elias ſuis meritis, ſuo zelo, ſua efficacitate pugnare pro honore Dei, ac cuſtodia ſuæ Eccleſiæ, lenire iracundiam Dei ipſumque Deum benignum, ac proprium reddere:

8. Rogabat multum Hieremias pro impetranda miſericordia populo ſuo, & tamen non exaudiebatur, tunc oſtendens Dominus gravitatem peccatorum populi, quod nullo modo ſit placãdus, ait ipſi Prophetæ, cap. 15. n. 1. *Si ſteterit Moyſes, & Samuel coram me, non eſt anima mea ad populum iſtum.* Syriacus legit ultima verba: *Nequaquam placaretur animus meus*

Ierem. 15. Syriac.

meus ergo illum. Pagninus: *Non eſt voluntas mea ad illos.* Vt nempe miſereatur. Tanta erat gravitas peccatorum populi, quod non ſolum Hieremias, ſed ſi etiam ſtarent Moyſes, & Samuel, non poſſent mitigare Dei iram, ne ſæviret in populum. D. Hieron. ibi; *Si ſteterit Moyſes, & Samuel in conſpectu meo, tamen percutiam populum iſtum, & non exorabam, propter ſcelera populi delinquentis.* Similiter D. Chryſoſtom. D. Gregor. citati in Gloſſa; viri ſanctiſſimi, ut Moyſes, & Samuel propter multitudinem peccatorum populi non poterant ſuis orationibus impetrare indulgentiam: uni tantũ populo Iſraelitico: tamen cum ſub tempore Antichriſti, graviſſima flagitia, ac abominationum ſcaturigines tunc redundabunt; tam magnus, & excelſus eſt Elias, ut ſuis meritis, ſuo zelo, fervore, ac prædicatione valeat lenire, ac placare iracundiam Dei, non pro uno populo, vel regno, non pro una Europa, vel Aſia, ſed pro toto Orbe terrarum. Hùc advoco id, quod præclare dixit D. Chryſoſt. homil. 1. ad populum: *Sufficit unus homo zelo Dei ſuccenſus totum corrigere populum.* Ardens zelus Eliæ, non ſolum eſt olim totum corrigere populum, ſed etiam ſufficiẽs erit totum corrigere mundum, ſua prædicatione deſtruens perfidiam Antichriſti, ut ait Lyranus docẽs, & explicans veram fidem Ieſu Chriſti: *Convertens cor patrum ad filios*; ut expendit Carthuſianus, omneſque ad pœnitentiam adducens, & inde adſcriptus in judiciis temporum lenire iracundiam Dei.

9. 1. Ioan 2. Ait D. Ioannes Apoſtolus in ſua epiſtol. 1. cap. 2. num. 1. *Advocatum habemus apud Patrem, Ieſum Chriſtum juſtum, ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris: non pro noſtris autem tantum, ſed etiam pro totius mundi.* In quibus verbis videtur juxta Oecumeniũ, ac noſtrum D. Cyrillum opponere Chriſtum Ieſum Moyſi, & Aaroni; nam iſti Prophetæ orabant tantum pro uno ſuo populo Iudaïco. At Chriſtus Ieſus mediator eſt pro omnibus populis, & Gentibus. D. Cyrillus Alexandr. lib. 11. in Ioan, cap. 19. & ait: *Moyſes, atque Aaron inter Deum, ac Iudæorum multitudinem continuè mediabantur, iram Dei peccatis populi concitatem placantes, & ſuperiorem gratiam imbecillibus impetrantibus. At ne pro Iudæis tantum Paracletus eſſe Dominus Ieſus apud Patrem videretur, & non tantum pro alijs Gentibus, neceſſario pro toto mundo adiecit.* Etſi Patriarchæ, atque Prophetæ mediatores orantes, non ſic Chriſtus Ieſus, qui pro omnibus eſt advocatus, & propitiator apud Patrem, ut ejus iram contra peccata noſtra avertat, ipſumque in pietatem, ac miſericordiam convertat. Hunc Redemptoris noſtri odorem hauſit Elias ejuſque ſacratiſſima veſtigia ſequens; non ut olim Moyſes, & Aaron pro uno populo, ſed pro toto mundo erit propitiator ad placandam iram Dei, ipſumque propitium reddendum, ut convertat corda patrum in filios, & cor filiorum in patres eorum.

10. Matth. 17. Compone modo id, quod Chriſtus Dominus ait de Elia, Matth. 17. num. 11. *Elias quidem veniet, & reſtituet omnia*; cum illo, quod Apoſtolus ait de Chriſto, Epheſ. 1. num. 10. *Inſtaurare omnia in Chriſto.* Circa quod audiẽdus eſt Ianſenius ad præfata Chriſti verba in ſua concordia cap. 67. & ait: *Sic intelligendum eſt, quod dicitur Elias omnia reſtauraturus, quomodo Chriſtus dicitur à Paulo inſtauraſſe omnia, quæ in cœlis, & quæ in terris, nimirum, quia homines inter ſe, & cum Angelis diſſidentes, inter ſe, & cum Angelis, atque Deo pacificavit; ſic enim Elias reſtituet, quando incredulos Iudæos, Gentibus credentibus faciet ad fidem Patriarcharum redire.* Chriſtus Dominus omnium Salvator, ac Redemptor inſtauravit omnia, quæ ſunt in cœlis, ut explanat D. Auguſtinus in Enchiridion cap. 62. dum id, quod lapſum eſt ex Angelis, ex hominibus recuperavit, & ruinas illas adimplevit; & id quod lapſum eſt in hominibus corruptione antiquæ vetuſtatis gratia ſua recuperavit. Elias à Chriſto miſſus reſtituet omnia convertendo corda patrum in filios, *Mal. c. 4. num. 6.* excitando in filiis Iudæorum fidem, animum, & devotionem, quam habuerũt eorum patres in Deum, quæ in ipſis filiis erat deperdita, ſua prædicatione convertendo, ac adducendo eos ad Chriſtum, ut explicant D. Hieron. *ad citatum locum Malach.* & D. Auguſt. *lib. 20. de Civit. cap. 29.* & etiam quoad Gentes, ut explanat idem D. Auguſt. *lib. 1. quæſt. on. Evangelic. cap. 21.* Dum fides, juſtitia, ac ſanctitas quæ in eis perſecutione Antichriſti erat deperdita, Elias ſua doctrina, prædicatione, zelo, ac vitam pro eis dando reſtaurabit, ac reformabit adducendo eos ad veram, ac ſanctam catholicam fidem ſãctorum Patrum, ac Procerum Eccleſiæ, ut explicavi *tom. 6. in Evangelia, cap. 17. Matth. q. 4.* loquens Chriſtus Dominus de Antichriſto, ac ſignis extremi judicij, ait Luc. 21. num. 28. *Reſpicite, & levate capita veſtra, quoniam appropinquat redemptio veſtra.* Quæ verba poſſunt referri ad omnia ſuperius dicta in ipſo capitulo. Adveniente Antichriſto; totus mundus erit gemebundus ſub crudeliſſima oppreſſione, qualis nunquam fuit ab initio, nec erit. Quomodo tunc dicitur, *quod appropinquat redemptio veſtra?* Tunc adveniet Elias *reſtituens omnia*, & totum mundum liberabit, & veluti redimet à tam dira, ac crudeli tyrannide, à tot, ac tantis erroribus, quibus mundus erat deceptus, ac oppreſſus, ut omnes reducantur ad ſalutem, ac viam juſtitiæ.

11. Tertiò demonſtratur magnum meritum Eliæ ex illa celebri quæſtione, an ipſe modo ſit in ſtatu merendi, & in qualibet ſententia ſive affirmativa, ſive negativa præclarum, & excellens apparet ejus meritum; ſententiam affirmativam, quod ſit in ſtatu merendi, tenent Abulenſis Epiſcopus Tenas, Henriquez, Viegas, M. Lezana. Malveda, *de Antichriſto*, Ioannes de la Haye, quorum ſententiam ſecutus ſum, *tom. 3. in Evangel. c. 31: quæſt. 15. n. 89.* & *in Apocal. tom. 1. cap. 11. quæſt. 8. num. 63.* & noviſſimè eam tenet Sapientiſſimus Doctor Ioſephus Andreas ex ſacra Societate Ieſu: *Decore Carmeli* 44. quia videtur alienum à divina bonitate, quod viri ſanctiſſimi per tot ſæcula priventur æterna beatitudine, ac ratione merendi.

Abulenſ. Tenas. Lezana. Malveda. Ioſephus. Andreas. Henriq. Viegas. La Haye.

12. Nec contra hoc obſtat, quod ſint extra cõmunem modum vivendi; nũ dum Elias ambulavit in fortitudine cibi illius quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, ſine ullo

alio cibo, & potu, ſine requie, & ſomno, & Moyſes ſtetit quadraginta diebus in mõte ſine ullo cibo, & ſancta Catharina Senenſis à feria quarta Cinerum uſque ad diem Aſcenſionis ſine ullo cibo, ſed ſola Euchariſtia, ſic & ſimiliter S. Maria Magdalena per multos dies & tunc iſti ſancti erãt extra communem modum vivendi, & ſine dubio magno merito proficiebant; ergo & ſic iſti ſancti. Nec obſtat id, quod objiciunt, quia inde Elias; & Henoch plus mereantur, quam B. Virgo Maria, falſa eſt illatio, quia meritum non ſolum creſcit ex repetitione actus, ſed etiam ex ejus fervore, intentione, ac ex dignitate perſonæ merentis, & ex cumulo gratiarum ejus, quæ omnia in Sacratiſſima Virgine abundantiſſimè ſuperant omnes puras creaturas etiam collective ſumptas. Imo ut dixi *tom. 1. in Evangel. lib. 1. quæſt. 57. num 164.* ex D. Bernadino Senenſi, quod plus meruit Beatiſſima Virgo eo actu, quo Angelo annuntianti aſſenſit, quam omnes ſancti ſimul omnibus ſuis actibus, & meritis.

12. Suar. Perer. Vaſquez. Sententiam negantem tenet Suarez *tom. 2. in 3. part. diſp. 55. ſect. 1.* Pererius *lib. 7. in Genes. diſp. de Henoch quæſt. 5.* Vaſq 1.2 *diſp. 216.* Eſto admittatur hæc ſententia inde magnum, ac perexcelſum meritum Eliæ auſpicatur. Quodnam majus meritum poteſt conſiderari in uno puro homine quam quod libentiſſimè ſe conformet cum voluntate Divina ac ſe ſubiiciat hujus altiſſimæ providentiæ & promptiſſimus ſit in acceptatione, itaut velit eſſe privatus cœleſti beatitudine, viſione Dei, cõſortio ſanctorum per tot millia annorum, ut Deo magnis laboribus ſerviat, ac obſequatur, Eccleſiam ejus cuſtodiens, ac pro ea propugnans contra crudeliſſimum adverſarium, Dei famulos ſervans, ac corroborans in fide, errores, falſitates, & abominationes Antichriſti deſtruens, ac diſſipans, ſuſtinens duriſſimas perſecutiones, quales nunquam fuerunt, nec erunt, & tandem vitam magni, tormentis, ac opprobriis pro Deo profunderet, & ad hoc vult eſſe privatus per tot ſæcula ipſa beatitudine, ac Dei viſione ô magnum meritum! ô ſumma Charitas!

13. Iſai 6. Vidit Iſaias Dominum in ſolio excelſo, & elevato: *Seraphim ſtabant ſuper illud: ſex alæ uni, & ſex alæ alteri, duabus velabant faciem ejus, & duabus velabant pedes ejus, cap. 6. n. 2.* Hebræus, & multi alij legunt, *velabant facies ſuas.* Seraphim ſummo affectu ardent Dei viſionem; *in quem deſiderant Angeli proſpicere,* 1. Petri 1. 1. Petri, 1. num. 12. ſi Seraphim fruentes Dei viſione aſſiſtunt throno ejus, ad quid velant facies ſuas, ad quid ſe volunt divina viſione privari: viderunt illi cœleſtes ſpiritus, qui ſunt amore inflammati, ut explicant D. Dyonis. de cœleſti Hierarchia, quod neſſe erat aliquantulum volare in terram ad purificandum Iſaiam: *Et volavit ad me unus de ſeraphim, & tetigit os meum, & dixit, ecce tetigit hoc labia tua, & auferetur iniquitas tua & peccatum tuum mundabitur.* num. 5. Velant Seraphim facies ſuas, ne ſplendor illius lucis æternæ impediat, ac obſtaculum ſit eis ad volandum, ac ſubveniendum homini peccatori, ideo contegunt Seraphim facies ſuas, ne ſuperna illa lux valeat retardare, ut magis ſerviant, ac miſero homini ſubveniant. Ecce ſuprema charitas Seraphim ſupernorum ſpirituum amore flammantium, cum per breve inſtans patiuntur privari Divina viſione, ut magis ſerviant, & mundent hominem pollutum. Quam maximè decantanda, ac celebranda ſit inflammata Eliæ charitas, cum non pro uno inſtanti, ſed per multa millia annorum cum magno laborum diſpendio patiatur privari cœleſti beatitudine, non pro ſalute unius hominis, ſed pro vita totius mundi, ac omnium hominum. Hunc ſpiritum ebiberat Moyſes vehementer deſiderans Deũ videre; dicebat ad Dominum: *Oſtende mihi faciem tuam* Exod. 33. num. 13. Cui reſpondit Dominus: *Non poteris videre faciem meam, non videbit me homo, & vivet.* Ibid. num. 20: Totus admirabundus exclamat D. Aug. in Soliloq. cap. cur Moyſes non dixit, *Eia Domine moriar ut te videam?* Cum non poſtulat mortem, ut ſui deſiderantiſſimi voti compos fieret. Tanta erat ingens charitas Moyſis, quòd potius volebat vivere, ut Deo famulatum præberet, inſtruens, & docens populum in cultu, ac veneratione Dei, in ejuſque mandatorum obſervãtia quàm, quam maximè exoptabat Dei facie frui, ac ejus feliciſſima viſione recreati, ac gaudere: plus optabat inſervire, quam optatâ Dei vultum cernere. Exod 33. D. Auguſt.

14. Magis celebrantur, ac decantantur in Scriptura obſequia, & famulatus Iacob quatuordecim annorum ob pulcherrimam ſuam Rachel: *videbantur ei pauci dies præ amoris magnitudine.* Gen. 29. num. 20. quam obſequia, & famulatus David pro ſua illuſtriſſima Michol. 1. *Reg.* 18. *num.* 28. Et quænam comparatio unius cum altero? Nam Iacob nunquam ſuam vitam poſuit in manifeſto diſcrimine, ut David interficiens Goliath, & magnam multitudinem Philiſtinorum. Ibidem *num.* 27. Verum eſt quod majora fuerunt Davidis obſequia, at ipſi Davidi in proximo erat præmium dandum, ac conferendum; at Iacob ſerviebat magna annorũ intercapedine ad optatas nuptias fruendas, & obſequia præſtare, dum poſſeſſi præmij in longum, & ad multum tempus differtur, hic maximè amor comprobatur, & generoſa virtus declaratur. Salvianus lib. 2. de Gubernation. *Elõgata merces,* ait *non anguſto, ſed generoſo capitur animo.* Quam ampla, & ſublimis animi generoſitas Eliæ, qui non anguſtiatur, ſed maximè dilatatur tam dilatata mercede, ut magis ſerviat, & majora obſequia præſtet. De his meritis Eliæ etiam quæſtione ſequenti. Gen. 29. 1 Reg. 18. Salv. 20.

Quæstio II.

Elias valdè præclarus, ac excelſus donis, ac prærogativis; & mirabilibus?

Summarium.

15 *Valdè rarus, qui ut Elias laudatur.*

16 *Elias potius à Dei gratia, quam à natura datus*

17 *Elias tam mirabilis in operibus, ut ejus inimici*

mici præ invidia consumerentur.
18 *Per quæ quis peccat, per hæc & torquetur.*
19 *Elias dominatur elementis, & sic imperat, ac si esset in cœlo.*
20 *Panis Eliæ mirabilior manna.*
21 *Obedientia mirabilia operatur.*
22 *Vt ostendatur sanctitas corporis Eliæ maximum miraculum operatur.*
23 *Moysi oranti, Eliæ tacenti datur visio Dei.*
24 *Melius loquitur meritum, quam vox, ibid. & num.*
26 *Eliæ Zelus intensissimus, & n.27.*
28 *Hæresis malum à radice exstirpandum.*
29 *Dolet Elias de morte sua, ne malum idololatriæ crescat.*
30 *Elias Reges non timet, & eos ad mortem denuntiat, & n.31.32. & 33.*
34 *Reges arguere miraculum, tanquam mortuos suscitare.*
35 *Eliæ modestia, ac humilitas.*
36 *Elogia filiorum Prophetarum, & n.37.*
38 *Elias veluti Sol suum splendorem, non solum in se continet, sed etiam in alios diffundit, & n.39.*
40 *Dolores ob discessum Eliæ magna dona pariunt, & n.41.*
42 *Elias auctor, ac princeps vitæ monasticæ.*
43 *Elias inter omnes gloriosus victor ascendit, & n.44. & 45.*
46 *Cur Elias in curru igneo fertur?*
47 *Vbi Elias adest non est necessarius Angelus ad dirigendam viam in cœlum.*
48 *Ascendenti Eliæ in cœlum omnia dant famulatum, & n.49.*
50 *Elias, & Henoch ut Apostoli, & n.51. & 52.*
53 *Mors non potuit extinguere Zelum Eliæ.*
54 *Maximè Deo grata mors, quæ est ad aliorum vitam.*
55 *Elias consummator novi Testamenti.*
56 *Elias maximè nobilitatur, ac extollitur à Christo, & n.57.*
58 *Elias in transfiguratione apparet in majestate ut trium votorum institutor.*
59 *Elias cum magna gloria ascendit in cœlum.*
60 *Elias in cœnaculo è manibus Christi accipit sacram Eucharistiam.*
61 *Elias, & Henoch tempore Antichristi sustentabunt Ecclesiæ brachia.*
62 *Alia de Elia.*

15. SIracides, seu Ecclesiasticus admirans multitudinem, ac magnitudinem portentorum,
Eccles. 48. ac mirabilium Eliæ, ad eum se convertens, eique congratulans exclamat: Quis tam mirabilis, & gloriosus in facinoribus suis, ac tu ô Elias, ait cap. 48. n. 4. *Sic amplificatus est Elias in mirabilibus suis, & quis potest similiter sic*
Tigurina. *gloriari tibi.* Tigurina. *Quantam gloriam miraculis tuis adeptus es: aut quis tecum paria glo-*
Syriacus. *rietur.* Syriacus. *Et quis quis tui similis est laudandus.* Septuaginta. *Et quisquis similis tibi ut*
Septuag. *glorietur.* Explicat Biblia maxima, in miraculis, prodigiis in zelo, & ardenti Dei amore, valdè rarus erit, & valdè rara hæc phrasis in scriptura invenitur.

16. Et dicitur citato loco: *Surrexit Elias Propheta quasi ignis.* Dicitur surrexit, sicut & 3.
3.Reg.17. Reg. 17. num. 1. *Dixit Elias Propheta* absque
Isai. 1. ulla genealogia, & narratis parentibus: ut in aliis Prophetis. *Visio Isaiæ, filij Amos,* cap. 1: num. 1. *Verba Ieremiæ filij Helciæ,* 1 num. 1. Et sic de cæteris; at Elias subito introducitur absque ulla narrata generatione; sed tantùm ex Dei mandato verba proferens. *Dixit Elias Propheta, si erit annis his ros, & pluvia.* Vt inde deprehendatur quod ipse non tantũ fuit à natura productus, sed potius à divina gratia datus, & dicitur: *Surrexit Elias quasi ignis;* quia ardebat charitate Dei, zelo honoris Dei, ac salutis proximorum: *Et verbum ipsius quasi facula ardebat.* Lyranus: *Accendendo audito-*
Lyran. *res ad amorem divinum.* Tam ardentia fundebat verba Elias, ut flammas eructare videretur, tam ad inflammanda corda bonorum, quam ad dissipandos, ac destruendos adversarios; inde rectè dicitur Elias, quia ut ex
D. Hieron. Hebræo legit D. Hieronym. id est, *fortis Deus* seu, *fortitudo mea;* quia divina fortitudine, ac omnipotentia armatus confregit Baalitas, ac domuit Achab.

17. *Primum donum, & valde mirabile Eliæ seu prærogativæ fuit ejus summa puritas, integritas,* Primum donum. *ac sanctitas; pro quo audiendus* D. Isidorus *lib.* D. Isidor. *de Ortu, & interitu Prophetarum cap. 35.* ait: *Elias sacerdos magnus, atque Propheta habitator solitudinis, fide plenus, devotione summus, in laboribus fortis, industria solers, excellenti ingenio præditus, in exercitatione disciplinæ rectus, in sancta meditatione assiduus, metuque mortis intrepidus.* Valde sublimis, & præclara fuit virtus, ac sancta probitas Eliæ; ut nihil etiam ejus adversarij auderent dicere contra eum, nec in eum maledicta, & opprobria coniicere, ut fecerunt contra Moysen, Ieremiam, & alios. Et cum Elias occidisset omnes Prophetas Baal. 3. *Reg.* 18. *num.* 40. & 3.Reg.18. cum Iezabel crudeli odio æstuaret in Eliam, nullam blasphemiam, nullum crimen audent coniicere in eum, licet Iezabel ei mortem minetur: *Hæc mihi faciant Dij,* &c. 3. Reg. 19. 3.Reg.19. num. 2. ait Ecclesiastes de Elia 48. num. 2. *Ir-* Eccles.48. *ritantes illum invidia sua pauci facti sunt.* Hoc est ejus inimici, & contrarij præ invidia suorum operum, ac mirabilium, cum non haberent aliquid docere contra eum, ipsimet consumpti sunt, & in paucos redacti: Recte apud
D. Chrys. Quintilian. D. Chrysostom. homil. 3. de Elia Eliæ nomen interpretatur *Sol*; de quo ait Quintilian. lib. 2. *solem omnes venerantur, & sua luce noctium tenebras dissipat.*

18. *Secundum donum seu prærogativa Eliæ,* quod lingua ejus clavis cœli esset facta: *Si erit annis his ros, & pluvia, nisi juxta oris mei verba,* 3. Reg. 17. num. 2. O summa hominis pote- 3.Reg.17. stas, exclamat Euchirius: *Magna vis prophe-* Euchirius. *ticæ dignitatis, humanus sermo est, divinus effectus. In terris homo loquitur, & imperio ejus cœlestes obediunt potestates. Commovit omnem creaturam. Vnus sermo Prophetæ, & miro modo humi sonans aëra, cœlumque concussit. Turbatus est humani ministerij ordo, & à sæculis instituta elementorum harmonia conturbavit.* Et altissima ratione Elias per famem, ac siccitatem punit Achab, ac Baalitas, quia ut dicitur superiori cap. 16. num. 32. *Et posuit aram Baal in templo Baal, quod ædificaverat in Samaria, & plantavit lucum:* Seu nemus jucũdissimum, ut illius amænitate, ubertate, ac oblectatione cunctos ad cultum Baal alliceret; meritò ergo qui frondosa ubertate, ac amæna jucunditate

peccavê

peccaverant, rigida, ac auſtera fame, ac ſiccitate puniuntur; ad hanc rationem me adduxit D. Chryſoſt. hom. 2. de Elia, & ait: *Cum Elias Propheta ſanctiſſimus populũ prævaricatum aſpiceret, cumque Baal, & lucos, deſpecto Domino coli à ſacrilegis prævideret, cumque creatore deſpecto figmentis ſeſe & nemoribus omnis populus addixiſſet; zelo Dei commotus Judæam terram ſiccitatis ſententia, pluviarum ſterilitate addixit.*

D. Chryſ.

19. *Tertium donum Eliæ, ſeu prærogativa*; Elementis dominatur, in eiſque ſuum dominium exercet. Redeat iterum proximè citatus Divus Chryſoſtom. *Cum Elias dixit nec erit ros, nec pluvia.* Sic ait ſanctus Doctor: *Tunc ſubito anhelat terra, ſiccatur cœlum, ſitiunt omnes, fontes areſcunt, omnis humor ima petit, ſupera deſerit, aër fervet, ſerenitas torquet, tranquillitas pœna eſt, æſtuant noctes, dies areſcunt, ſata torrentur, arbuſta ægrotant, &c. iram Dei univerſa creatura teſtatur.* Ad verbum Eliæ terra cum ſuis areſcentibus fontibus conturbatur, eamque omnis humor deſerit, & ad ima deſcendit. Aër fit calidus, ac fervens, non ad refrigerium, ſed ad pœnam inſerviens ac ſuo nimio calore cuncta devorans, ac conſumẽs, ad ejus verbum aquæ clauduntur in cœlo, ad ejus tactum dividuntur in terra, 4. *Reg.* 2. *num.* 8. Ad ejus vocem ignis de cœlo deſcendit; ait Eccleſiaſticus 48 num. 3. *Dejecit de cœlo ignem ter*: Non dicitur deduxit de cœlo ignem, ſeu fecit deſcẽdere in terram, ut ſcribitur de Antichriſto, Apoc. 13. at de Elia refertur: *Dejecit de cœlo ignem ter.* Ac ſi ipſe in cœlo poteſtate exiſtens ab ipſo cœlo ignem in terram projiceret, ac emitteret: & curru igneo de terra in cœlum tranfertur.

4. Reg. 2. Eccleſ. 48. Apocal. 13.

20. *Quartum Eliæ donum, ſeu prærogativa.* Obſequio, ac pane Angelico nobilitatur. Cum Elias eſſet apud Torrentem Carith. *Corvi quoque deferebant ei panes, & carnes*, 3. Reg. 17. num. 6. Aliqui apud Gaſpar. Sanchez ibi exiſtimant fuiſſe Angelos ſub ſpecie corvorum; imò quod ibi intervenit miniſterium Angelorum, tenet Abulenſis *quæſt.* 16. ſicut quando Elias aſcendit in cœlum, adveniunt. *Ecce currus igneus, & equi ignei*, 4. Reg. cap. 2. n. 11. Quod totum miniſterio Angelorum factum ſub ſpecie currus, & equorum, ut tenent Abulenſ. ibid, *quæſt.* 17. Suarez, & alij. Cum ad denuntiandam mortem Regi Ochoziæ procedit Elias Angelico ſermone corroboratus, ac tanquam ſtipatus incedit, 4. *Reg.* 1. *num.* 15. ſub junipero dormiens ab Angelo excitatur: *Et comedit panẽ, & ambulavit in fortitudine cibi illius quadraginta diebus, & quadraginta noctibus uſque ad montem Horeb*, 3. Reg. 19. n. 8. Quo pane non ſolum ejus vires corroboratæ ſũt per quadraginta dies, ſed per plures alios, & non paucos, quibus manſit in ſpelunca, ut tenet Gaſpar Sanchez *ibid. num.* 17. qui panis, ut tenent D. Auguſt. *lib.* 2. *de mirabilibus ſacræ Scripturæ, lib.* 2. *cap.* 19. Carthuſian. Hugo, & alij, formatus eſt manibus Angelorum, ſicut & Manna, de quo dicitur: *Panem Angelorum manducabit homo*, Pſalm 77. num. 25. Mirabilior tamen extitit panis Eliæ, nam Manna tantum alimentabat per unum diem; ita ut neceſſe fuiſſet quotidie illud comedere. At panis Eliæ per quadraginta dies, & plures corroboravit vires; Manna ita fovebat vires, ut neceſſaria eſſet quies, & ſomnus nocturnus; at panis Eliæ ſic corroborat, ut ſine quiete ac ſomno continuè ambulet, ut habet. Abulenſ. *quæſt.* 7. Manna præparabat ad ingreſſum terræ promiſſionis, panis Eliæ datus, præparat ad Dei viſionem in monte Horeb.

3. Reg. 19. Sanchez. D. Auguſt. Carthuſian. Hugo. Pſal. 77. Abulen. 4. Reg. 2. Abulenſ.

21. Nota obiter, quod Elias comedit, & bibit, & tamen ſolum dicitur, quod ambulavit in fortitudine cibi illius, non verò potus, quia cibus eſt qui corroborat vires, & alit; non verò aquæ potus. Moraliter expendit Textum. Angelus dixit: *Surge, comede; reſpexit, & ecce ad caput ſuum ſubcinericeum panem, & vas aquæ.* Angelus tantum præcepit, ut comederet: *Surge, comede.* Ipſe autem ex proprio affectu, ac appetitu bibit, & mirabilia, ac miracula operatur, non quæ ex proprio affectu, ſed quæ ex obedientia, ac ſuperioris mandato fiunt. Angelus præcepit, ut comederet, & dum implet præceptum Angeli, mirabiliter ambulat in fortitudine cibi illius.

3. Reg. 19.

22. *Quintum* Eliæ *donum ſeu prærogativa* extitit, quod ipſe inter homines mortales eſſet primus mortuorum ſuſcitator, quod narratur 3. Reg. 17. num. 21. *Expandit ſe, & menſus eſt ſuper puerum tribus vicibus, & clamavit ad Dominum, & ait: Domine Deus meus revertatur, obſecro anima pueri hujus in viſcera ejus, & exaudivit Dominus vocem Eliæ, & reverſa eſt anima pueri intra eum, & revixit*: Expandit ſe ex Hebræo legitur, *ſe ipſum admenſus eſt*; ut Prælatus ſuos valeat vivificare, debet ſe ipſum cum illis proportionare, atque cum eorum pravitate adaptare; *tribus vicibus* in figuram ſanctiſſimæ Trinitatis, inquiunt Lyranus, Carthuſianus, vel ut innueret, quod in oratione ſemper inſtandum ſit. *Expandit ſe* Inquit Abulenſis, ut ſuo calore corpus, de-mortuum pueri calefaceret. Septuaginta legunt: *Et inſufflavit puerulo.* At ſi ex ſuo calore, ac ſpiritu vellet adimere, ac auferre, ut puero communicaret, ac in illum transferret. *Expandit ſe*: ut contactu ſui corporis cadaver pueri Deo commendaret. Serarius ait corpora ſanctorum non tantum viva ſunt, ſed etiam vivifica, ut ita contactu corporis puer reviviſceret. Reſurrectio mortuorum inter cætera primum, & maximum miraculum reputatur, & tam pura, & ſancta erat caro, & corpus Eliæ, ut ſupremum, & maximum miraculum ei primum inter omnes concederetur, ut ſuo tactu primum hominem excitaret à mortuis.

3. Reg. 17. Quintum donum. Lyran. Carthuſ. Abulenſ. Septuag. Serari.

23. *Sextum Eliæ donum* ſeu prærogativa extitit ut in nubecula parva videret Sacratiſſimam Virginem Mariam in ſua pura, & immaculata conceptione, ac etiam veſtigium Sacratiſſimæ humanitatis Chriſti D. de quo plura dicam *q. ſequenti*, vide ibi dicta.

Sextum donum Eliæ.

24. *Septimum Eliæ donum ſeu prærogativa*, quòd in monte Horeb divina viſione eſt recreatus, cumque in illo ſtaret: *Et ait ei*: (Angelus ut Dei vicarius) *egredere & ſta in monte coram Domino: & ecce Dominus tranſit, & ſpiritus grandis, & fortis ſubvertens montes, & conterens petras ante Dominum, non in ſpiritu Dominus, & poſt ſpiritum commotio: non in commotione Dominus, & poſt commotionem ignis, & poſt ignem ſibilus auræ tenuis.* 3. Reg. 19. n. 11.

Septimum Eliæ donum

Sibilus

Hebræus. Septuaginta. Tertullian.

Sibilus: legit Hebræus, *vox tacita.* Septuaginta addunt. *Ibi Dominus.* Tertullian. *lib.* 4. contra Marcion. cap. 23. legit: *vox ſpiritus mitis.* Finis, ac ſcopus huius viſionis, ut notant communiter interpretes, fuit ut Eliam mœrore, tædio, ac dolore confectum ob peccata populi conſolaretur, ac ut Eliæ zelũ, ac meritum remuneraret, & primo ejus oculis offertur ventus validus ſubvertens montes, ac conterens petras, mox ingens terræ cõmotio, ac motus, tandem ignis ardens, & flagrans, ut ait Cornelius, ut Deus ſe omnium elementorũ Dominum oſtenderet. Tandem ſibilus auræ tenuis, ut innueret Deus ſe maximè complacere, ac delectari in lenitate, ac manſuetudine. Ita Tertullian. D. Irenæus, Divus Chryſoſtom. D. Gregor. Macharius, ac Theodoretus.

Irenæus. Chryſoſt. Gregor. Machar. Theodoret.

25.

Maximè in rem noſtram. Apparet Deus Moyſi, & Eliæ, magno tamen cum diſcrimine, Eliæ exiſtenti in ſpelunca dicitur ei: *egredere, & ſta coram Domino.* At Moyſi, ut notat Abulenſ. *q.* 17. dicitur, quod ſit abſcondendus in foramine petræ. *Exod. 33. n. 22.* Moyſes ſæpe ſæpius rogat, & inſtanter orat: *Oſtende mihi faciem tuam.* Citato Exod. 33. *num. 13. & num.* 18. Elias nec orat, nec rogat, & tanta gratia, ac indulgentia donatur; Moyſes rogabat amicitiæ confidentia, & quia multam gratiam ſe invenisſe apud Deum, ſciebat, inde dicebat: *Si inveni gratiam in oculis tuis.* Elias nec petit, nec rogat, quia tanta benignitate ſe reputabat indignum, & inde cum Dominus tranſiret: *Operuit vultum ſuum pallio.* Carthuſianus, Hugo. His ſignis oſtendens reverentiam in eum, qua ſi indignus in eum aſpiceret; & cum ſe reputat indignum tanta viſione, dignus inventus eſt. Moyſes vocibus, ac orationibus impetrat; Elias verò tacitè, ſine voce, ac oratione; ejus merita loquuntur, ac clamant, & petunt tantum donum, ut dicat D. Baſilius homil. de jejunio ante medium: *Meruit quantum fas homini Deum videre,*

Abulenſ. Exod 33. Carthuſian. Hugo. D. Baſil.

26.

Octavum Eliæ donũ; eius eximius zelus honoris divini cum ex Dei mandato egrederetur Elias de ſpelunca: *Ecce ſermo Domini ad eum, dixitque illi: quid hic agis Elia? At ille reſpondit: Zelo zelatus ſum prò Domino Deo exercituum: quia dereliquerunt pactum tuum filii Iſraël, altaria tua deſtruxerunt: prophetas tuos occiderunt gladio, derelictus ſum ego ſolus, & quærunt animam meam, ut auferant eam.* 3. Reg. 19. num. 13. Bis interrogatur à Domino, quid hic agis Elia, ut notat Abulenſ. *q.* 20. Ita enim ipſe erat humilis, ac Dominos ſubjectus, quod niſi interrogaretur, minimè reſponderet, ac diceret.

Octavum Eliæ donũ. 3. Reg 19 Abulenſ.

27.

Zelo zelatus ſum. Zelus eſt actus elicitus à charitate, & ut definit D. Thomas 1. 2. *q.* 28. *art.* 4. *& de veritate q.* 26. *art.* 4. circa finem. *Eſt amor intenſus non patiens conſortium in re amata.* Et phraſi repetita in ſcriptura, indicat actum vehementem, & maximè intenſum, ut in præſenti *zelo zelatus*, qui actus fuit intenſiſſimus in Elia, & inde per autonomaſiam ipſe dicitur zelotes, qui zelus extitit in eo præclariſſimus; nam cum omnes virtutes in gradu perfectiſſimo reſplendeſcerent in Elia, obedientia, virginitas, pau-

D. Thom.

pertas, humilitas: tamen ob zelum transfertur in cœlum. *Elias dum zelat zelum legis raptus eſt in cœlum* 1. Machab. 2. num. 58. Quiſnam, fuit zelus iſte Eliæ, quo promeruit, ut pompoſo, ac magnifico apparatu, curru igneo, ac equis tranferretur in cœlum? D. Thomas citata *quæſt.* 28. *art.* 4. ait: *Quod ea, quæ ſunt contra hominem Dei, ſecundum poſſe repellere conatur.* Quia Elias omnibus viribus, omni modo, omni induſtria, ac diligentia *ſecundum poſſe repellere conatur.* Quod manifeſtè oſtendit, nam poſt peractum illud admirabile ſacrificium, in quod ignis de cœlo deſcendit, dixit ad univerſum populum: *Apprehendite Prophetas Baal, & ne unus quidem effugiat ex eis,* 3. Reg. 18. num. 49. Præcipit, *Ne unus quidem effugiat ex eis:* Ne malum idololatriæ ſerperet, & aliquod illius fomentum remaneret. Unde Leo X. Summus Pontifex in ſuis Bullis, quæ circumferuntur in Directorio inquiſitorum, eum proponit in exemplum Archiepiſcopis, Epiſcopis, inquiſitoribus, ut illius exemplo informentur hæreſes extirpare, ita ut non permittant aliquam illarum ſcintillam permanere. De hoc magno Eliæ zelo vide quæ dixi *tom.* 3. *in Evangel. cap.* 31. *quæſt.* 15. *n.* 90. 91. 92.

1. Machab. 2. D. Thom. 3. Reg. 18. Leo X.

28.

Derelictus ſum ego ſolus; & tamen adhuc erant ſeptem millia virorum, quorum genua non ſunt curvata ante Baal. 3. *Reg.* 19. *n l.* 18. Hoc verum erat in occulto per ſpeluncas montium, ac per cavernas terræ. 3. *Reg.* 12. *c.* 18. *n.* 13. At in publico, & manifeſto ore ad os, ac in faciem contra Achab, Jezabel, ac Baalitas, unus Elias, ſicut & in fine mundi dicitur: *Tunc qui in Iudæa*, ſcilicet Eccleſia, *ſunt, fugiant in montes*, Matth. 24. num. 16. Elias tunc per aperta, & publica loca prædicabit, & clamabit contra Antichriſtum, cum alii fugiunt, & deſerunt, ac ſe abſcondunt. Tunc Elias in publicum prodit pro Dei honore zelans, & clamans, pro quo dedi magnam ponderationem citato *tom.* 3. *c.* 31. *q.* 15. *n.* 96. 97 *Et quærunt animam meam.* Non erat Propheta ſolicitus de ſua vita, *qui petivit animæ ſuæ, ut moreretur.* Sed hoc dixit ex ſua ſumma charitate erga Deum, & populum, quia ut notat Cornelius à lapide, timebat quod ipſo occiſo nullus ſupereſſet Propheta, nullusque zelator, qui Dei cultum propugnet, ac populum in via veritatis inſtruat, & Baalitis ſe opponat, ſed tunc impia Iezabel omnia occupabit, ut Baal ubique cultus deferatur, & vera Dei religio peribit, cum non ſit, qui pro ea pugnet.

3. Reg. 19. Matth. 24. Cornel.

Nonum Eliæ donum ſeu prærogativa, ejus eximia fortitudo, qua Reges, ac potentes ſæculi ob idololatriam, ac ſcelera ſua morte mulctavit, ut refert Eccleſiaſticus 48. n. 6. de Elia ait: *Qui deiecisti Reges ad perniciem, & confregisti facile potentiam ipſorum, & glorioſos de lectulo ſuo.* Græcus, ac Complutenſis: *Qui deduciſti, reges ad perditionem.* Vatablus: *Qui deduxeris reges ad interitum, & de ſede ſua glorioſos, eorumque potentiam infregeris.* Syriacus. *Deiiciens honorabiles de thronis ſuis.* Arabicus. *Qui gigantes è ſedibus ſuis evertiſti.* Reges ſunt gigantes terræ. Quatuor Regibus Elia, mortem miſerrimam denuntiavit.

29. Nonum Eliæ donũ. Eccleſ. 48. Græcus. Vatablus. Syriac. Arabic.

Primus fuit *Achab*, cum ſua impia vxore

30.

Jezabel, utrique Elias mortem prædixit, & comminatus eſt: nam cum ob occiſum Naboth, deſcenderet Achab ad occupandam vineam illius ex mandato, ac ore Dei occurrit Elias ei, ac toti ejus familiæ fulminat ſententiam mortis: *Interficiam de Achab mingentem ad parietem*, id eſt, omnes uſque ad Canem
3. Reg. 21. *3. Reg. cap. 21. n. 21.* & ſubdit n. 23. *Canes comedent Iezabel in agro Iezraël*; ut ubi peccaverat, ibi puniretur. Vinea enim Naboth ſita erat in Iezrahel.

31. Secundus fuit *Ochozias* filius Achab: nam mortuo Achab in prælio, *3. Reg. 22. n. 37.* obtinuit regnum filius ejus Ochozias. *Ibidem n 40.* Qui cum graviter ægrotaret, conſuluit Beelzebub Deum Accaron, an ſanitatie eſſet reſtituendus, an verò moriturus: ob hoc ſcelus ei Elias mortem intimavit, ac denuntia-
3. Reg. 22. vit, *4. Reg. 1. num. 16.*

32. Tertius Rex fuit *Ioram* alter filius Achab, frater Ochoziæ, qui ei demortuo in regnum Iſraëlis ſucceſſit, quem cum tota familia Achab interfecit Jehu, ibique omnem familiam Achab extinxit, ut Elias prædixerat,
4. Reg. 9. *4. Reg. 9. n. 24. & n. 36.*

33. Quartus Rex; extitit alter *Ioram* filius Ioſaphat Regis Iuda, quem Elias per ſuas litteras admonens prædixit peſſimum langorem, quo vitalia, ac viſcera pariter defluerunt, quo
2. Par. 21. & mortuus eſt, ut refertur *2. Paralip. c. 21. à n. 12.* Hæ autem literæ Miſſæ fuerunt ab Elia ex Paradiſo, vel ex alio loco, in quo à Deo poſitus eſt per Angelum in habitu hominis, vel per aliquem hominem. Ita litteræ allatæ ſunt novem annis poſt raptum Eliæ, ut tenent Hebræi, Lyran. Malveda, quos citat, ac ſequitur M. Lezana *tom. 1. Annal. ad annum Mundi 3148. n. 2.* & ad eundem annum Salian. *n. 5.*

34. Hîc duo maximè notanda ſunt. Primò, quia
Eccleſ. 48. *Eccleſiaſt. c. 48. n. 5.* narrans mirabilia Eliæ, ait de eo: *Qui ſuſtuliſti mortuum inferis*: & immediatè adiungit: *Qui dejeciſti reges ad perniciem.* Ac ſi quodammodo æquè magnum miraculum ſit mortuum ab inferis ſuſcitare, ac reges in facie arguere, increpare, ac malum eis prædicere. Secundò, expende ſummam charitatem, ac zelum Eliæ; quod tranſlatus de hoc ſæculo, adhuc de ſuis eſt ſollicitus, ac de eis curam agit ad eos admonendos, ut
Barrard. Malveda. Torniell. imminentia mala fugiant. ut expendunt Barradas *tom. 1. in Evang. lib. 5. cap. 11.* Malveda *lib. 9. de Antichriſto, cap. 2.* Torniellus *ad annum 3146.*

35. *Decimum Eliæ donum, ſeu prærogativa.* Al-
10. *Donum.* tiſſima providentia, qua ſe præparat ad ſuum raptum, quem ex divina revelatione agnoverat. *Dixit Elias ad Eliſæum: Sede hic, quia*
4. Reg. 2. *Dominus miſit me uſque in Bethel. 4. Regum 2. num. 2.* Notat Abulenſis, quod Elias ex modeſtia, ac humilitate volebat ſuum raptum abſcondere, ac occultare; Dei enim dona, quæ pertinent ad aliqualem perſonæ excellentiam occultari maximè debent, ne homines videantur in eis gloriari, quia Dei eſt ea manifeſtare, ut hic manifeſtavit raptum Eliæ per filios Prophetarum.
Elia modeſtia. ac humilitas.

36. Et ait: *Elias ad Eliſæum miſit me Dominus in Bethel, miſit me Dominus in Iericho*, quia ibi erant etiam præter Carmelum Collegia, ſeu Conventus filiorum Prophetarum, ut eſt communis ſententia. Ita Abulenſis *in 4. Reg. quæſt. 13.* & etiam *in 4. Reg. q. 2.* Lyranus, Carthuſianus, Sanchez, Cornelius à Lapide, Menochius, Salianus *ad annum Mundi 3139.* & hoc apertè, ac clarè patet ex Text. 4 Reg. c. 2. *Dixit Elias ad Eliſæum, Dominus miſit me uſque in Bethel; cúmque deſcendiſſent Bethel, egreſſi ſunt filii Prophetarum, qui erant in Bethel.* Ibidem num. 3. & iterum dixit Elias ad Eliſæum: *Dominus miſit me in Iericho, cúmque veniſſent Iericho, acceſſerunt filii Prophetarum, qui erant in Iericho.* Ibidem num. 5. ergo in *Bethel*, ſeu *Iericho* erant habitacula, ſeu Collegia filiorum Prophetarum, qui erant viri inclyti, ac illuſtres, virtute, ita ut ex divina gratia cognoſcerent raptum Eliæ, & ſic dixerunt Eliſæo: *Numquid noſti, quia Dominus hodie tollet Dominum tuum à te.* Ibid. n. 5. De his filiis Prophetarum teſtatur Cornel. à Lapide, Cornel.
3. Reg. 17. ad illa verba *Thebites*, §. *Virgines*, ſic ait: *Virgines quoque, vel cœlibes fuiſſe Eliſæum, cæteroſque Eliæ diſcipulos, non eſt dubium: quin & ex ipſis plures pro vera Dei Religione à Iezabel occiſos, martyrii lauream adeptos eſſe ſatis liquet ex 3. Reg. c. 18. n. 13.* 3. Reg. 18.

Hos ante ſuum raptum viſitat Sanctus Pa- 37.
rens Elias, eiſque dat ſuam benedictionem, magnáque hortamenta, ac documenta, ad fidem, religionem, ac zelum Dei, quæ latiſſimè, & ampliè refert Iacobus, Salian. *ad annum Mundi 3139.* & deinceps ſatis latè. Salianus.

38. *Undecimum donum Eliæ, ſeu prærogativa.* Qui 11 *Donum*
facis Prophetas ſucceſſores poſt te. Ait Eccle- Eccleſ. 48.
ſiaſt. 48. num. 8. Vatablus vertit; & *Prophetas unxeris tibi ſucceſſores.* Quod communiter, Vatablus.
quamvis intelligatur de Eliſæo, quem Elias unxit, ac deſignavit Prophetam poſt ſe, *3. Re-* 3. Reg. 19.
gum 19. n. 13. tamen non inepte ab aliis intelligitur de Eliſæo, ac etiam aliis filiis Prophetarum, quos Elias creavit ad defenſionem fidei contra Baalitas, ut patet ex admonitione ipſius Eliæ ad filios Prophetarum apud Salianum *ſuprà citatum.*

Magni, ac præclariſſimi Prophetæ extite- 39.
rũt in populo, ut David, Iſaias, Ieremias, Ezechiel, Daniel, & alii, nullus tamen conſtituit ſucceſſores poſt ſe, niſi unus Elias. Pater *Cla-* Clarius.
vius explicans Sphæram Ioannis de Sacro Boſco, ait: *Rectè Solem luminare majus dici, qui non tantum ſuum ſplendorem continet in corpore ſuo, ſed etiam in Lunam, Stellas, ac Planetas in totum Orbem diffundit.* Optimo ergo jure Elias Sol interpretatur: nam inſtar illius, ſplendorem ſuæ virtutis, ſanctitatis, ac ſpiritus, & zeli, non tantum in ſe continuit, ſed etiam diffudit per Stellas, ac Planetas, per Eliſæum, ac filios Prophetarum ac totum mũdum: ad hoc enim eos deſtinavit Elias, ſicut ipſe ait in exhortatione ad filios Prophetarum apud Salian, anno Mundi 3139. n. 5. *Filii* Salianus.
mei longè chariſſimi, quos Deus ad gloriam ſui nominis convocavit, ut per dies, noctéſque laudes ejus decantetis, ut à communi via iniquitatis abhorretis, & in eam mecum incumberetis vitam, ut corda filiorum converteremus ad Patres, qui Domino Deo Iſraël corde profectò ſervierunt, ut fratres noſtros, quos idolorum ſervitus miſere dementavit à ſacrilegis vitulis abduceremus, & poſt pauca ſubdit: *Qui multos erudiunt ad juſtiti*

juſtitiam in perpetuum, tanquam ſtellæ fulgebunt in perpetuas æternitates.

40. Imò tam præclarus, ac eximius ſervus Dei erat Elias, támque fervidus zelator honoris divini, támque ſublimis, ac maximæ virtutis, ut dona Spiritus ſancti ſibi data meruerit diſcipulo Eliſæo impetrari. Ait Elias ad Eliſæum: *Poſtula quod vis ut faciam tibi antequã tollar à te*, 4.Reg.2 n 9. Tunc ait Eliſuæs: *Obſecro ut fiat in me duplex Spiritus tuus.* Et illi Elias *rem difficilẽ poſtulaſti, attamen ſi videris me, quando tollar à te, erit tibi, quod petiſti.* Ad tam magnam, & ſublimem rem obtinendam, meritum conſiſtebat, quod viderit Eliam abeuntem in cœlum. Tam magnus, ac magnificus Pater, Doctor, ac Magiſter omnium virtutum erat Elias, ut deſideria, lachrymæ, gemitus, & ſuperia ex illius diſceſſu, in diſcipulo inſervirent, ut tã ſublimi ſpiritu nobilitaretur, ac condecoraretur, quod maximæ Eliæ virtuti tribuit. S. Honophrius, de quo in Martyrologio Romano die 11. Iunij in libro, cui titulus eſt vitæ Patrum, ſic ait Honuphrius: *Profecto vitã Beati Patris noſtri Eliæ venerabiles fratres meos audivi frequenter laudare, qui ſe in Eremo, in tanta abſtinentia, & oratione ſtuduit, ac afflixerit, ut maximam virtutem à Deo meruiſſet accipere, & igneo curru tranſvectus, Spiritus ſancti dona, quæ habuerat, diſcipulo impertiri; & adhuc longævus ſenior, mortis pœnam, non videre.* Expende illud, *maximam virtutem meruiſſet accipere.*

4.Reg.2.

Honuphr.

41. 12.*Donum.* *Duodecimum Eliæ donum, ſeu prærogativa;* Elias Monachorũ princeps, ac vitæ Monaſticæ ductor; háncque vitam initiavit, cum eſſet in Torrẽte Carith, ibíque ad eum multi conveniſſent, & poſtea regreſſus à monte Horeb latiùs ſtabilivit in monte Carmelo Galgalis Bethel, ut communiter tradunt Auctores, de quo Reſolutione ſequenti dicam.

42. Quod verò Elias hanc vitam ab hominum commercio ſeparatam primus inſtituerit, docẽt Patres, D. Dorotheus in Synopſi Prophetarum, de Elia loquens ait: *Hic primus ex hominibus eſt, qui hominibus curſum ad cœlum ſubmonſtravit, qui primus ex hominibus unam Angelorum, & hominum vitam oſtendit.* Divus Gregorius Nyſſenus *in Oratione pro commendandis laudibus fratris ſui Baſilij*, ait: *An etiam audebimus ad ſublimẽ Eliam ſermone aſcendere, & oſtendere noſtrum Doctorem ſua vita inſtituto illius gratiæ aſſimilari.* Caſſianus antiquiſſimus Pater coævus cum D. Auguſtinus *lib 1. de Inſtit. cap. 2.* loquens de Monachis ſic ait: *Hoc enim habitu etiam illos ambulaſſe, qui in veteri Teſtamento hujus profeſſionis fundavere primordia, Eliam ſcilicet, & Eliſæum Divinarum Scripturarum auctoritate demonſtratur.* D. Athanaſius *in vita Sancti Antonij, cap. 7.* ait: *Sanctus Antonius reputans oportere Dei famulum ex inſtituto Magni Eliæ exemplum capere, & ad illud ſpeculum vitã ſuam debere componere.* S. Macharius Magni Antonij diſcipulus in ſermone ad Monachos, qui incipit *Fratres chariſſimi*, ait: *Eliam, & Eliſæum, ac filios Prophetarũ, quos conſtat veraciter Veteris Teſtamenti Monachos imitari curate.* Et ſtatim infra: *Quorum exempla Fratres chariſſimi, in Ordine Monaſtico, quem ſectari cœpiſtis, debitis ſol-*

Dorotheus.

D.Gregor. Nyſſenus.

Caſſan.

D.Athan.

D.Macar.

licite curare, ut ab eorum recto tramite, id eſt, Monaſtica vita nullatenus recedatis. Hos ſecutiſſat Paulus & Antonius & multi hujus propoſiti ſectatores. D. Cyrillus *lib. ad Euſebium*, ait: *Verum tamen probatiſſimi Monachi noſtræ Religionis permanſerunt ſub diſciplina Monaſticæ vitæ per Eliam Prophetam inſtitutæ.* Divus Bernardus *in expoſitione Regulæ Sãcti Benedicti, cap. 1.* ait: *Attende bene, quod in Veteri Teſtamento Elias, & Eliſæus; in novo verò Sanctus Ioannes Baptiſta; poſtea tandem tempore Apoſtolorum horum Monachorum inſtituti inventores extiterunt.* Sanct. Mangarius *ſermone ad Monachos*, ait: *Duos viros magnificos exordium Monaſtici Ordinis protuliſſe credimus; unus igneis equis in cœlos raptus legitur, alter verò prophetaſſe, antequam natus ſit. Primus Elias Pater noſter extitit. Alter verò Sanctus Ioannes Baptiſta.* D. Hieronym. *in Epiſtola ad Paulinum*, & ait: *Vt ad Scripturarum auctoritatem redeam, noſter Princeps Elias, noſter Eliſæus, noſtri duces filij Prophetarum, qui habitabant in agris, & ſolitudinibus, & faciebant ſibi tabernacula juxta fluenta Iordanis.* Divus Iſidorus Hiſpalenſ. *lib. 2. de Offic. cap. 15.* ait: *Quantum inquam*, ait, *ad auctoritatem veterum Scripturarum hujus propoſiti Principes Elias, & diſcipulus ejus Eliſæus fuerunt, ſicut alij Prophetæ, qui habitabãt in ſolitudine, urbibſque relictis, faciebant ſibi caſulas prope fluenta Iordanis.* Cardinalis Petrus Damianus *Ordinis Divi Benedicti, tom. 3. Opuſculorum de origine vitæ Monaſticæ, cap. 2.* ait? *Hujus vitæ normam, ut anteriora præteream Elias cœpit, Eliſæus verò aucto diſcipulorum Collegio dilatavit, & lib. 3. in Cantic. cap. 2.* loquens de Elia, ait: *Hæc dixit, & fecit ille primus Auctor, & Inſtitutor eorum, qui dicti ſunt filij Prophetarum, quos fuiſſe Monachos in Veteri Teſtamento, conſentit auctoritas Patrum Venerabilium.* Ioannes Patriarcha Hieroſolymita nus *de Inſtitut. Monach. cap. 2.* ait: *Hic Propheta Dei Elias Monachorum Princeps primus extitit, à quo ſancta primæva inſtitutio exordium ſumpſit.* Ioachimus Abbas in cap. 6. Apocal. *Deſignatur autem per Eliam, ſicut per ſolem Ordo Monaſticus.* Trithemius *de Ortu, & laudibus Carmel. cap. 3.* ait: *Monaſtici propoſiti Princeps fuit Elias, & diſcipuli ejus.* Haſtenſis *diſquiſit. Monaſtica, lib. 1. tract. 11.* Cardinalis Bellarminus *tom. 1. controverſ. de Monachis: c. 5.* Idem docent adducta auctoritate D. Hierõ. & alij multi Patres, ac Doctores, tam antiqui, quam moderni, quos referunt Thom. Aquin. *in diſcept. Hiſt. Theol. de Patriarchatu Eliæ, p. 3. ſect. 4.* Lezana *tom. 1. Annaliũ. Apparatu 5.* Sapientiſſ. Magiſt. Franciſc. Bonæ Spei, *de Cõcept. diſp. 3. à n. 116. & perſequentes.*

D.Gyrill.

D.Bern.

S.Mangar.

D.Hieron.

D.Iſidor.

Damian.

Ioan.Hieroſ

Ioachim.

Trithem.

Haſtenſ.

Bellarm.

D Hieron.

Thomas.

Lezana.

Franc Bonæ Spei.

Tertium decimum Eliæ donũ, ſeu prærogativa. 43. 13.*Donum.* Quod curru igneo raptus ſit in cœlum, ut refertur 4.*Reg. 2. num. 11.* Cum Elias, & Eliſæus pergerent, *Ecce currus igneus, & equi ignei diviſerunt utrumque: & aſcendit Elias per turbinem in cœlum.* Eccleſiaſt. 48. num. 9. habet: *Qui receptus eſt in turbine ignis.* Septuaginta: *Et aſſumptus eſt Elias in commotione uſque ad cœlum.* Vatablus. *Qui procella ignea ſublatus ſis in curru equorum ardentium.* Malu. apud Bibliam maximam. *Et aſcendit in*

2 Reg 2.

Eccleſ. 48. Septuag.

Vatablus.

Biblia.

Arias. Græcus. *in horribili tempeſtate.* Arias. *Aſcendit ſublime in cœlum.* Græcus. *Et aſcendit in procella, vel in concuſſione.*

44. Hic currus, quo Elias fertur, ex nubibus fuit formatus ab Angelis, ipſis Angelis ducatum præbentibus, ut docent Divus Ambroſius *ſerm. 2. de Eliſæo.* D. Gregorius Magnus *homilia 29. in Evangelia.* Sequuntur Abulenſ. *quæſt. 17.* Serarius, & alij. Magnifico curru, & ampliſſimo apparatu fertur Elias ab Angelis, non ſic legitur nec de Henoch. *Gen. 5. num. 21.* Nec cum Angelus portat Prophetam in uno capillo capitis ſui ex Iudæa in Babyloniam. *Daniel. 14. num. 35.* Nec de ullo alio ſimile legitur. In curru ferebantur victores, & triumphatores; in curru, ac equis aſportatur Elias, ut glorioſus victor, ac triumphator, non ſolum viſibilium hoſtium Baalitarum, ſed etiam inviſibilium, ac omnium appetituum, ac voluptatum, ut ſemper ejus ſpiritus in puritate, ac ſanctitate Deo ſerviret. D. Ambroſius *ſerm. 2. de Eliſæo,* & ait, *Elias Magiſter Eliſæi, nonne Angelis ducentibus raptus ad cœlum eſt, & quadriga ignea impoſitus, quaſi in quodam triumpho, victor aſcendit. Victor enim extiterat, non gentium barbararum, ſed ſæcularium voluptatum. Siquidem graviores inimici ſunt pravi mores, quam hoſtes infeſti, ut facilius intelligamus, hoc tempore malignitatem hoſtium vinci poſſe, quam moram.* Magni, & glorioſiſſimi extiterunt in Orbe victores, & triumphatores, Alexander Magnus, Iulius Cæſar, Pompejus Magnus in ſuis curribus triumphalibus, de barbaris, ac variis gentibus triumpharunt; ſed ſuper hos omnes glorioſior, triumphator Elias, qui non ſolum reportat trophæum de barbaris gentibus, ſed etiam de ſe ipſo, ac ſuis affectibus, ac appetitibus: *Siquidem graviores ſunt pravi mores, quam hoſtes infeſti.*

45. D. Chryſoſtomus *homil. de Aſcenſione Eliæ,* ſic ait, *Deus Rex regum Eliam ſuum tota ſe corporis, & animæ devotione zelantem, poſt multorum laborum ſudores, poſt dirarum perſecutionum graviſſimas fatigationes, poſt tantorum bellorum magnas, illuſtréſque victorias, optima de mundo, & diabolo ſpolia referentem, igneo curru, atque equis flammantibus impoſitum, triumphali gloria præfulgente, ad ſua regna voluit pervenire.* Elias multos labores, pugnáſque: contrarietates, ac perſecutiones, bellorúmque conflictus contra hæreticos ſuſtinuit, ac glorioſè ſuperavit, magnáque ſpolia de mundo, ac diabolo reportavit, ac magnas perſecutiones, quales nunquam fuerunt ab initio mundi ſuſtinendæ, ac vincẽdæ deſtinabatur; tantum ergo glorioſus victor non communi cum aliis, ſed valdè pompoſo, ac magnifico apparatu, triumphali curru, ac igne fulgẽte fertur in cœlum.

46. Meritò tamen dubitabis, quia ut diximus ex communi ſententia, currus hic formatus eſt ab Angelis ex nubibus; cur ergo non præſentiam nubium, ac colorem cæruleum oſtendit, ſed igneum? Ad quod reſpondet primò, D. Chryſoſtomus homil. 1. de Elia: *Igneus enim currus congruebat igneo Eliæ animo ad eum vehendum in cœlum.* Eliæ animus totus ignitus erat in zelo, charitate, ac amore Dei. *Surrexit Elias Propheta quaſi ignis & verbum ipſius quaſi facula ardebat.* Tam ſuccenſus, ac ardens erat Elias zelo, ac amore Dei, ut pro ſua vi, ac efficacia non verba, ſed flammas eructare videretur. *Et verbum ipſius quaſi facla ardebat.* Secundò, quia ignis eſt Symbolum Angelorum, ac miniſtrorum Dei juxta illud Pauli Hebr. 1. num. 7. *Qui facit Angelos ſuos ſpiritus, & miniſtros ſuos flammam ignis.* Vt autem cunctis fiat manifeſtum, quod Elias ſit tanquam quid Angelicum, ac verus Dei miniſter fertur in flammeo curru. Hinc D. Chryſoſtomus *homil. de Elia,* ait de ipſo: *Elias Angelus terreſtris, homo cœleſtis.* Quod manifeſtè apparet, dum curru igneo fertur: nam ignis cõſumit, & devorat, quidquid eſt terreſtre, ambit, & munit id, quod eſt cœleſte, ut ex Chryſoſto. dixi *ſuprà, q. 1. n. 5.* Tertiò, ut oſtendatur Elias ignis imperator, ac omnium elementorum Dominus, ut dixi *ſuprà in hac q. n. 18.*

Hebr. 1. D. Chryſ.

47. Optimo jure quæres. Fertur Elias curru igneo, & equis igneis, & quiſnam erat auriga iſtius currus, à quonam regebatur? Reſpondent Abul. Vatablus, Serarius, Salianus, & alij, quod erat Angelus quidã; ſed cur hic non exprimitur, ſicut currus, & equi declarãtur. Inde dicendum exiſtimo, quod auriga iſtius currus erat ipſemet Elias; quonam currus ferebatur, in cœlum nempe, & ad viam dirigendam, ac oſtendendam in cœlum, nullus melior auriga, & ductor, quam Elias; & ideo nec Angelus, nec alius erat neceſſarius. Auctor mirabilium Scripturæ apud D. Auguſt. lib. 2. cap. 22. *Iamjàmque Elias curru igneo receptus velut ad cœlum conſiderante Eliſæo via rapitur.*

Abulenſ. Vatablus. Serarius. Salianus.

48. *Aſcendit Elias per turbinem in cœlum.* Eccleſiaſticus habet: *Qui receptus es in turbine ignis.* Septuaginta: *In commotione.* Vatabl. *In procella ignea.* Alij: *Aſcendit in horribili tempeſtate.* Ad quid, dũ Elias fertur in cœlum, tanta omnium rerum commotio, tam horribilis ventorũ tempeſtas? Cum Deus deſcenderet in montem Sinai ad loquendum cum Moyſe; ait Textu: *Et mane incaluerat, & ecce cœperunt audiri tonitrua, & micare fulgura, & nubes denſiſſima operire montem, clangórque buccinæ vehementius perſtrepebat.* Exod 19 n. 16. & Regius Vates ponit *terræmotum.* Et Paulus Hebr. 12. n. 18. dicit: *Ignem, & turbinem, & caliginem, & procellã.* Et ſtatim ſubdit Text. n. 15 *Totus mons Sinai fumabat.* Ad quid cum Deus deſcendit in monte, tot commotiones, omnia elementa conturbantur; terræmotus fiunt, aër caligine obtenebratur, aqua procella diffunditur, & ignis undique fulgurat. Ad quid omnia cõturbantur. Tanta eſt Dei advenientis majeſtas, ut omnia tanquam famulantia, ac obſequentia, dent ſigna, eo modo, quo poſſunt ad venerandum ſuũ Dominum. Philo *lib. de Decalog.* ait: *Oportebat ad Dei adventũ turbari mundum omnibus ſuis partibus, & exire ad miniſterium.* Quid eſt, quod Elias non ſereno, ac pacato aëre, ſed *per turbinem, commotionem, procellam igneam, ac terribilem tempeſtatem aſcendit in cœlum.* Tanquam ſi omnia elementa, aër conturbatione, terra commotione, ignis in procella ignea, aqua diffuſa tempeſtate horribili, darent famulatum, & venerationem Magno Eliæ tanquam eorum dominatori, ac Imperatori, ut dixi in hac quæſtione.

Eccleſ. 48. Septuag. Vatablus. Exod. 19. Hebr. 12. Philo.

49. *Quartum decimum Eliæ donum, ac prærogativa.* Quod deſignatus ſit tanquã Apoſtolus in ultimis

14. Donum Eliæ. Matth. 17. ultimis temporibus adventurus, ad reſtituenda omnia, *Matth.* 17. Qui ſcriptus es in judiciis temporum lenire iracundiam Domini, ut jam dixi ſuperiori quæſt. *num.* 6. Tunc enim adveniet Elias, ſuis meritis, ſua prædicatione, doctrina, ac exemplo ad tam terribili tempore placandam iram divinam, propugnans, ac cuſtodiens Eccleſiam, confirmans in fide, ac corroborans electos, deſtruens, ac conculcans falſas nequitias, ac inſidias Antichriſti, & denuntians proximum Chriſti adventum. Inde dicitur Pſalm. 96. num 3. *Ignis ante ipſum præcedet*; Elias nempe, de quo dicitur Eccleſiaſt. 48. num. 1. *Surrexit Elias Propheta tanquam ignis.*

Pſal. 96.

Eccleſ. 48.

50. Et tunc Elias, & Henoch denuntiantes Chriſti adventum munere Apoſtolico fungentur. Ait Paulus 1. Corinth. 4. num. 9. *Puto, quod Deus nos Apoſtolos noviſſimos oſtendit.* Per noviſſimos Apoſtolos Eliam, & Henoch intelligit. Sic interlinealis, *Apoſtolos noviſſimos ſimiles Eliæ, & Henoch.* Similiter interpretantur Gloſſa ordinaria, S. Brunus, Magiſter Sentent. Cardinalis Hugo, & præ cæteris audiendus eſt D. Ambroſius ad citatum locum Pauli: *Hoc ideo*, ait, *perſonæ ſuæ deputat, quia ſemper in neceſſitate fuit, perſecutiones, & preſſuras ultra cæteros paſſus, ſicut paſſuri ſunt Elias, & Henoch, qui ultimo tempore futuri ſunt Apoſtoli: mitti enim debent ante Chriſtum, ad præparandum populum Dei.* Similiter D. Anſelmus. *Puto*, ait, *& pro certo ſcio, quod Deus hos Apoſtolos noviſſimos oſtendit mundo, quibus nullis ſuccedent Apoſtoli tam perfecti, tam neceſſarij ſaluti hominum, quales apparebunt in noviſſimo tempore Elias & Henoch, quos Deus reſervat, ut filios Iſraël ab Antichriſti ſeductione liberent, hos oſtendit noviſſimos, id eſt illis noviſſimis præconibus conſimiles.*

1 Corinth. 4 Interlin. Gloſſa. S. Brunus. Mag Sent. Hugo. D. Ambr. D. Anſelm.

51. Videns Apoſtolus Paulus, quod inter Corinthios multi verſabantur, qui perverſo, ac diabolico animo contra ejus Apoſtolatum detrahentes inſurgebant, ut ſuam Apoſtoli dignitatem tueretur, ait: *Puto quod Deus nos Apoſtolos noviſſimos oſtendit*, ut multas contrarietates, ac perſecutiones pro prædicatione Evangelica ſuſtineam, ut etiã ſuſtinebunt Elias, & Henoch prædicantes contra Antichriſtum, qui tanquam Apoſtoli præcedent adventum Chriſti ad judicium, & ut etiam deſtruant Antichriſtum.

1. Corinth.

52. Quia tria, quæ juxta D. Thomam requiruntur ad munus Apoſtolicum, maximè fulgebunt in Elia, & Henoch, qui magnis ſignis reſplenduerunt illuminantes totum orbem per ſe, ac ſuos diſcipulos, ut ſatis latè, & doctè probant M. Petrus Munoz, Malveda, ac multi alij, quos citavi *tom.* 1. *in Apocal. cap.* 11. *quæſt.* 9. *n.* 70. 71. 72. 73.

D. Thom. Munoz. Malveda.

53. *Quintum decimum Eliæ donum, & prærogativa*, ut ſanguine ſuo Antichriſtum perimat, & occidat. Sic ait Tertullianus lib. de Anima cap. 50. *Henoch, & Elias*, ait, *morituri reſervantur, ut Antichriſtum ſanguine ſuo extinguant.* Res nova, & inaudita, ſanguis hominis demortui, hominem vivum, & toto in orbe imperantem poteſt perimere, ac occidere! ô magnum donum, ac prærogativa ſanguinis Eliæ, etſi ſanguis ille eſſet mortuus ad vivificandum corpus Eliæ ad actiones ac operationes vitales videndi, audiendi, ac loquendi; At verò ut flammeo zelo Eccleſiam Dei cuſtodiat, ac ut omni modo pro illa propugnet, & deſtruat ejus adverſarios, omnimode vivus erat; tam alte, ac efficaciter in illo ſanguine erat ſigillatum, ac impreſſum Eccleſiam Dei cuſtodire, ac pro ejus defenſione ſtare, & contra ejus adverſarios pugnare, ut inde fieret quod & ſi ſanguini illi deſit vita ad vivificandum corpus Eliæ ad functiones vitales, tamen fieri non poteſt, ut ſanguini illi deſit vivacitas, ac generoſitas, ut Eccleſiam Dei cuſtodiat, ac pro ea bellum gerat, ut omnes ejus contrarios interficiat, & perimat, *ut ſanguine ſuo Antichriſtum extinguant.* Vt Chriſti fideles vivant, & qui erroribus Antichriſti ſunt decepti, agnita veritate ad ſalutem, & vitam veniant.

Tertullian.

54. Aliqualem odorem, umbram, ac veſtigium videtur participare ſanguis Eliæ à ſanguine Ieſu Chriſti: mortuo meo Ieſu pendente in cruce *unus militum lancea latus ejus aperuit, & continò exivit ſanguis, & aqua.* Ioan. 19. num. 34. D. Cyprian. D. Auguſtin. ut dixi *tom.* 5. *in Evangelia lib* 8. *cap.* 20 *quæſt.* 11 *n.* 65. Auguſtinus inquit: *A latere illo Sacramenta Eccleſiæ manarunt, ſine quibus ad veram vitam non intratur.* Sanguis in corpore mortuo nec dat alimentum; nec nutrimentum, quomodo fieri potuit, ut à corpore mortuo exiret ſanguis emanans ſalutifera Sacramenta? Et ſi ſanguis ille Sacratiſſimus mortuus eſſet in corpore Chriſti ad vegetandas vitales facultates videndi, audiendi, ac loquendi, vividiſſimus tamen erat in ſupremo, ac altiſſimo gradu vitæ, ut profunderet ſalutifera, ac vivifica Sacramenta ad alimentum, ac nutrimentum ſuæ Eccleſiæ, quibus filij ejus producerentur ad vitam, & cuſtodirentur ab omni malo. De ſanguine Eliæ dicitur. Mortui reſervantur, ut ſanguine ſuo Antichriſtum extinguant. Et ſi ſanguis in corpore Eliæ defũctus haberetur ad ſpiritus animales miniſtrandos, valdè tamen vitalis eſt ad cuſtodiam, & protectionem Eccleſiæ, ut interficiat crudelem ejus inimicum, ut inde omnes agnoſcant veritatem, & Chriſtum Ieſum adorent, ut producantur in vitam, & ſalutem æternam.

Ioan. 19. D. Cyprian. D. Auguſt.

55. Ex quo fit, quam gratiſſima ſit Deo oblatio mortis Eliæ, cum interfecto Antichriſto multorum pariat ſalutem, & vitam, convertens corda Patrum in filios, & corda filiorum in patres eorum. Recte Elias dicitur à Tertulliano lib. 4. contra Marcion. cap. 22. *Conſummator novi Teſtamenti.* Chriſtus D. fuit principium, ac initium novi Teſtamenti, qui ſuo pretioſiſſimo ſanguine nos redemit, ac filios Dei adoptivos, cohæredes regni Dei effecit. Conſummator novi Teſtamenti eſt Elias, qui in fine mundi venturus, ut omnes ſua prædicatione ad Chriſtum Ieſum adducat, ut omnes ipſum ut verum Deum recognoſcant, ac adorent.

Tertullian.

56. *Decimum ſextum donum, ac prærogativa Eliæ*, quod in myſterio Transfigurationis vocatur ad Conſilium cum Chriſto in magna gloria: *Ecce duo viri loquebantur cum eo. Erant autem Moyſes, & Elias viſi in majeſtate, & dicebant exceſſum ejus, quem completurus erat*

16 Donum Eliæ.

Luc. 3. *in Ieruſalem.* Luc. 9. num. 30. 31. vocatur Elias in conſilium, ut late dixi ex communi ſenſu ſanctorum Patrum *tom. 4. in Evang. cap. 8. quæſt. 12. 13.* Et quomodo vocatur in conſilium; Cum Apoſtolus dicat Rom. 11. n. 34. *Quis Conſiliarius ejus fuit?* Tamquam ſi dicat, nullus, aut rarus, ut exponit D. Bernard. epiſt. 107. & non vocantur ad hoc conſilium Seraphim, Cherubim, ſpiritus pleni ſcientiæ, vel alij ex ordine ſpirituum Cæleſtium, nec vocantur ex hominibus purus & innocens Abel, nec Jeremias ſanctificatus in utero matris, nec Abrahamus Pater fidei, ut ait Apoſtolus, ac ornamentum omnium virtutum, ut ait D. Ambroſ. ſed vocantur Moyſes, & Elias. Tertullian. *lib. 4. contra Marcion c. 23.* ait *Viſus eſt Chriſtus gloriam ſuam communicare cum principalibus ſuis.* Vocantur iſti duo tanquam primi, & principales tam in ordine Angelico, quam humano; & ideo tantum honorantur à Chriſto, ut veniant in Conſilium ſupremi, & altiſſimi negotii, redemptionis nempe generis humani; & cui nullus ut Conſiliarius, hos ſervos ſuos ita vult extollere, ac ſublimare, ut eos habeat in Concilium. Ait Petrus ad Jesum: *Domine ſi vis, faciamus hic tria tabernacula; tibi unum, Moyſi unum Eliæ unum.* Quæ verba expendens Tertullianus alibi datus adverſus Pſychicos c. 6. *quid* ait, *tu Elia hic? Tanta eſt circumſcripti victus prærogativa, ut Deum præſtet homini contubernalem, parem revera pari.* Expende magnam exaggerationem, *Parem revera pari.*

Rom. 11. D. Bernard D. Ambr. Tertullian. Matth. 17. Tertullian.

57. *Viſi in majeſtate* addit D. Lucas, Syriacus, *viſi in gloria.* Conſidera quam magnus, & excelſus ſit Elias, ut coram ſupremo Domino Chriſto Jesu, ad cujus præſentiam, ut ait Iſaias 40. n. 17. *Omnes gentes quaſi non ſint, ſic ſunt coram eo, & quaſi nihilum, & inane, reputatæ ſunt ei.* Quaſi *nihilum.* Forerius legit *Pluſquam nihilum*, ideſt quid inferius nihilo, tamen Elias in tanta æſtimatione reputatur, ut coram ſupremo Domino appareat *in gloria, & majeſtate*; Sæpe Angeli apparuerunt hominibus, ut Abrahamo, Agpr. Iacobo, Moyſi, Ioſue, Gedeoni, ac Davidi, tamen abſque aliquo pompoſo apparatu, at Elias cum gloria, & majeſtate, ut hic in præſenti, in cœlum fertur tanquam triumphator in curru igneo, de quo multa dixi in hac quæſtione, Dono 13. Et quando ſymbolicè de ipſo agitur, ac Menoch in *Apocalypſi* 11. *n.* 4. valde magnifice celebratur: *Hi ſunt duæ Olivæ, & duo candelabra in conſpectu Domini terræ ſtantes.* Lucent, & reſplendent, non tantum coram hominibus, ſed etiam coram Domino; cum Antichriſtus occidet eos, poſt tres dies reſurgent: *Et audierunt vocem magnam de cœlo dicentem: Aſcendite huc, & aſcenderunt in cœlum in nube, & viderunt illos inimici eorum Apocal. 11. num. 12.* Valde gloriosè in cœlum aſcendunt, ad ſimilitudinem, ac imitationem Chriſti, ut ibi ſatis explicaui q. 24. & maximè notandum; quod Chriſtus aſcendit in cœlum *videntibus illis.* Hoc eſt fere centum viginti. Actor. 1. n. 15. Quia ut ait Petrus Actor. 10. num. 40. *Dedit eum Deus manifeſtum fieri non omni populo, ſed teſtibus præordinatis à Deo.* Vnde ait. D. Auguſtin. Tract. 76. in Ioan. verſ. ultimo. *Suſcitatum Chriſtum nemo impiorum vidit.* At ſuum ſervum Eliam ita voluit Chriſtus ſublimare, ac exaltare, ut etiam videntibus omnibus, ac ejus inimicis aſcendat in cœlum tam ad majorem gloriam ejus, quam ad confuſionem ipſorum inimicorum.

Iſai. 40. Foretius. Apocal. 11. Actor. 1. Actor. 10 D. Auguſt.

58. In hoc admirabili Transfigurationis arcano tantiſper ſubſiſte Lector: *Aſſumpſit IESVS Petrum, Iacobum, & Ioannem fratrem ejus, & transfiguratus eſt ante eos.* Matth. 17. num. 1. Commune dubium, cur ex omni Apoſtolorum collegio hos tres elegit, de quo multa dixi *tom. 4. in Evangelia c. 8.* Nunc etiam non incongrue dicam, in his tribus tria ſubſtantialia religionis vota denotabantur: in Petro *obedientia*, in Iacobo *Paupertas*; in Ioanne *caſtitas*; Inde præ cæteris hos tres ad tantam gloriam advocat, ut ipſa tria Religionis vota maximè nobilitaret, ac condecoraret; inde conſequens erat, ut Elias *in majeſtate appareret.* Luc. 9. num. 30. Si enim tanta gloria condecorabantur tria Religionis vota; etiam Elias illorum actor, & inſtitutor, multa debuit majeſtate inſigniri, ac reſplendeſcere, cum Deus eſſet daturus legem, multa, & magna ſigna præceſſerunt. *Totus mons fumabat; ecce cœperunt audiri tonitrua, & micare fulgura, & nubes denſiſſima operire montem, & clangor buccinæ vehementius perſtrepebat.* Exod. 19. num. 16. Inſuper cum Moyſes deſcenderet de monte ferens legis tabulas *ignorabat quod cornuta eſſet facies ſua.* Exod. 34. num. 29. Caldæus *ignorabat, quod multiplicatus eſſet ſplendor gloriæ vultus ſui.* Quando Deus daturus erat legem, quod tot ſigna majeſtatis radiarent; bene intelligitur; ut Deus nobilitaret ſuam legem, & ut à ſe datam, ut ait Procopius Gazæus: *Fulgura viſebantur in monte Sina, quæ erat typus Divinæ lucis, & ſplendoris in lege.* Sed ad quid etiam in vultu Moyſis tanta gloria fulget? ſi Deus tot radiantibus majeſtatis ſignis, voluit legem nobilitare, ac condecorare, ſic etiam & illius promulgatorem, ut inde nobilitas legis magis reſplendeſceret.

Matth. 17. Luc. 9. Exod. 19. Exod. 34. Chaldæus. Procupius.

59. *Decimum ſeptimum donum, ac prærogativa Eliæ*, quod ante communem reſurrectionem corpore, & anima feratur in cœlũ tanta gloria, ac majeſtate: ad quod reſpondet D. Thomas citato loco Apocal. 11. *n.* 12. & aſcenderunt in cœlum in nube, ait Angelicus Doctor: *Hoc erit, quia nobilitavit eos Dominus hoc privilegio, ut ante alios reſurgant propter prærogativam gratiæ, & meritorum in ſpeciali teſtimonio, in vita, doctrina, & martyrio, ſub tempore tam acerbæ perſecutionis, ſicut privilegiati fuerant, & prius in longitudine vitæ, & loco, & modo vivendi.* Tam præclara, & excelſa merita, vita, doctrina, zelo, ac martyrio non fuerunt remuneranda cum aliis, ſed valde anticipatè, & peculari, ac particulari modo, & tempore. Anima ſeparata à corpore tribus diebus jacuit corpus Chriſti in ſepulchro, & poſtea glorioſe reſurrexit. Matth. 12. n. 40. & 28. n. 1. ad ſimilitudinem filii ſui anima ſeparata à corpore jacuit corpus Sacratiſſimæ Virg. Mariæ in ſepulchro tribus diebus, & tertia die, anima unita corpori glorioſe reſurgens, magnifico, ac pompoſo apparatu aſcendit in cœlum, ut docent D. Athanaſ. ſerm. de

17. Donum. Eliæ. Apocal. 11. Matth. 12. Matth. 28. D. Athanaſ.

de Deipara. Sophronius epiſtol. de Aſſumptione Virg. D. Damaſcen. Orat. 2. & 2. de Dormit. Virginis, ad hujus rei umbram honorat Deus ſervum ſuum Eliam, ut poſt triduum cum dimidio anima ſeparata à corpore ei reuniatur, & ipſe glorioſus triumphator in nube aſcendat in cœlum.

Sophron. D. Damaſc.

60. 18. Donum. *Decimum octavum Eliæ donum, & prærogativa.* Tanta Divina gratia, ac cœleſti favore inſignitus eſt, quod cum Chriſtus Dominus in ultima cœna ſacram Euchariſtiam inſtitueret, eamque per ſuos Apoſtolos in pignus ſui amoris diſtribueret, etiam præſentes aderant Elias, & Henoch, qui cum Cœteris Apoſtolis è manibus Chriſti cœleſte pabulum acceperunt, ut revelatum fuit venerabili *Mariæ de IESV* ex Seraphico Ordine ſancti Franciſci, & refertur in ejus vita, ac à graviſſimis Patribus ſacræ Societati Jesu, de quo latius dixi *Opuſculo 2. Reſol. 33. quæſt. 4.* quod totum alta, & admirabili Divina providentia ordinatum eſt; nam ſi Deus volens oſtendere ſuam ſupremam charitatem, ut ait Noſter D. Cyrill. in Ioan. erga ſuos Apoſtolos, ſua propria carne, ac ſanguine eos alimentavit, hanc tantam gratiam, quam præſentibus Apoſtolis exhibuit, voluit etiam noviſſimis, & ultimis Apoſtolis Eliæ, & Henoch communicare; nam ſi præſentes Apoſtoli tam illuſtri gratia condecorabantur, quia hoc divinum myſterium prædicaturi erant per totum orbem, conveniens etiam erat, ut illius participes fierent, quorum zelo, prædicatione, ac induſtria tam admirabile myſterium contra Antichriſtum perſeveraturum erat in orbe; vide *tom. 3. c. 31. q. 16. n. 102. 103.* &c.

Maria de Iesu.

D. Cyrill.

61. 19. Donum. *Decimum nonum Eliæ donum, ac prærogativa*, quod à Deo deſignatus ſit tempore Antichriſti tanquam munimen, ac ſtabilimentum totius Eccleſiæ, cum magna utilitate, ac fœcunditate fidelium. Oſtenditur Zachariæ Prophetæ candelabrum aureum, ſimulque *erant duæ olivæ ad dexteram candelabri, & ad ſiniſtram ejus*, Zachar. 4. num. 15. Per candelabrum intelligitur Eccleſia Catholica. Ita Tychonius *homil. 8. in Apocal.* S. Cyrill. Alexandrin. ibi, & etiam Reibeira, Sà, Malveda citandus, quærit tamen Propheta ab Angelo, quidnam erant illæ duæ olivæ; reſpondens ait: *Iſti ſunt duo filii olei, qui aſſiſtunt dominatori univerſæ terræ*, ibid. num. 14. Elias, & Henoch *hebraica phraſi* dicuntur *filii olei*. Quæ denotat pinguem, fertilem, uberem, optimũ, *Iſai. 5. num. 1.* Terra Iudæa appellatur *carnes filius olei*, id eſt, *pinguis fertillis*; ut transferũt Chaldæus, & Septuaginta; dicuntur ergo Elias, & Henoch *filii olei*. id eſt omnibus divinæ gratiæ unguẽtis affatim perfuſi, & delibuti, ſpirituſque pinguedine fertiles tam in ſe, quam erga alios, quos ſua prædicatione replebunt. In aliquibus codicibus vulgatæ editionis habetur. *Iſti ſunt duo filii olei ſplendoris.* Quia in tam denſis tenebris errorum, ac falſitatum; maximè in omni virtute, ac ſanctitate ſplendebunt. Dicũtur *ad dexteram, & ſiniſtrã.* Melveda *tom. 2. de Antichriſto, lib. 10. cap. 18. §. quòd verò.* Iſti nempe duo filii olei Elias, & Henoch in illo periculoſo tẽpore utrumque brachium, ac manũ Eccleſiæ magno robore, fideliqueminiſterio ſubſtentabunt. Ad plantandam fidẽ Evangelicam, multos præclariſſimos viros elegit Chriſtus, de quibus dicitur per Abdiam, verſ. 21. *Ecce aſcendent ſalvatores in montem Sion.* At ad ſuſtentandam ipſam fidẽ in ſumma perſecutione, qualis nõ fuit ab initio, nec erit, hi duo magni viri deſtinantur.

*Zach. 4.

Tychon. D. Cyrill. Ribeira. Sà. Malveda.

Iſai. 5.

Chaldæus.

Alii codices.

Malveda.

Abdias.

Vigeſimũ Eliæ donum, & prærogativa, quod tam magnifico nomine appellatus, & dictus ſit Elias, quod idem valet, *ac Dominus Deus*; de quo multa dixi tom. 3. in Evangelia c. 31. q. 12. n. 72. 73. & 74. *Vigeſimum primum Eliæ donum, ac prærogativa*, quod magnifica morte inſignitus ſit, dum crucifixus moritur in monte Calvario ad Chriſti imitationem, ut dixi *tom. 1. in Apocal. cap. 11. quæſt. 21. n. 167. & q. 22. n. 177.* ex mente D. Thomæ *Vigeſimum ſecundum Eliæ donum*, quod maximè illuminatus ſit magna cognitione cœleſtium myſteriorum, magnaſque revelationes à Deo acceperit, de quo dicam quæſt. ſequenti. *Vigeſimum tertium donum Eliæ*, quod magnis elogiis celebretur ab Spiritu ſancto in ſcriptura, & à ſanctis Patribus in ſuis ſcriptis de quo infrà quæſt. 4. *Vigeſimum quartum.* Elias Magnus, & eximius Prædicator. Nam quidam prædicabant cum alii populos prædicatione inſtruebant: At Elias tam ferventi ſpiritu prædituſ eſt, ut tunc prædicaret, quando relictus eſt ſolus, & nullus audebat pro Deo facere; vide *tom. 3. c. 31. q. 15. n. 93. 94. & 95. & ſeqq. Vigeſimum quintum Eliæ donum, ac prærogativa*, quod cum votorum vinculo primus hominibus viam in cœlum oſtendit; de quo latè infrà *Reſol. 3.*

62. 20. Donum. 21. Donum. D. Thom. 22. Donum. 23. Donum. 24 Donum. 25. Donum.

Quæstio III.

Elias maximè notabilitatur divinis revelationibus, ac cognitione cœleſtium myſteriorum. Nubecula parva.

SUMMARIUM.

63 *Orandum in ſecreto.*
64 *Elias habuit revelationem puræ Conceptionis Virginis Mariæ, & n. 65. & 66.*
67 *Virgo ſacratiſſima Chriſti veſtigium.*
67 *Virgo ſanctiſſima valde peculiariter à Chriſto redempta.*
69 *Elias habuit revelationem de myſterio Euchariſtico, & n. 70. & 71.*
72 *Elias illuſtratur lumine Divini ſpiritus.*
73 *Elias in monte Carmeli docebat, ac prædicabat.*
74 *Elias in multis, figura, ac typus Chriſti, & num. 75.*
76 *De ratione Prophetæ eſt, quod intelligat ſenſum illius, quod dicit, ac facit.*
77 *Tamen ad rationem Prophetæ non pertinet intelligere omnes ſenſus ab ſpiritu Sancto intentos.*
Elias ut magnus Propheta intelligebat myſteria, quæ in ſuis factis denotabantur, ibidem.

IN hac quæſtione quatuor dicam, duo ſatis communia, & duo ſatis peculiaria. Cum 63.

Elias ex Dei mandato ſeſe exhiberet præſentem Achab, atque ex ejus ordinatione ad montem Carmeli convocarentur omnes ſacerdotes Baal, totuſque populus Iſraël idololatria deceptus, & peractum fuiſſet ſacrificium ab Elia, elapſo igne de cœlo, quod cum vidiſſet populus cadens in faciem clamavit: *Dominus ipſe eſt Deus, Dominus ipſe eſt Deus.* 3.Reg.18. num.39. Deinde ad magis firmandam, ac corroborandam fidem omnipotentis Dei, mandat populo: *Apprehendite Prophetas Baal, & ne unus quidem effugiat ex eis.* Vt tanta peſtilentia totaliter eradicaretur, & ne illius aliquod fomentum, vel ſcintilla remaneret. Deinde cum Elias aſcendiſſet in verticem Carmeli, monent D. Chryſoſtomus, D. Nazianz. apud Gloſſam, quòd ad orationem ſolitudo, ac receſſus quærendus. *Et pronus in terram, poſuit faciem ſuam inter genua*; id eſt genibus flexis, totus proſtratus in faciem ſuam ſuper terram humiliter, fervido, ac inflammato animo orat Deum.

3.Reg.18. D.Chryſoſt. D.Nazianz. Orandum in ſecreto.

64. Deus ſuorum ſervorum maximè remunerator, tanta merita Eliæ in præſenti occaſione exhibita, eum condecorat, ac nobilitat illuſtriſſima viſione. *In ſeptima autem vice, ecce nubecula parva, quaſi veſtigium hominis aſcendebat de Mari,* 3. Reg. 18. n.44. In qua nubecula aſcendenti de Mari repræſentata eſt ei pura, & ſancta, ac immaculata Conceptio ſanctiſſimæ Virginis Mariæ.

3.Reg.18.

65. Ioan. Ieroſ. Ita teſtatur graviſſimus, & antiquiſſimus Auctor Ioannes Ieroſolymitanus, qui floruit circa annos 400. *lib. de Inſtit. Monach. cap.* 32. ait: *Per illam nubeculam revelavit Deus Eliæ, quod quædam infantula, ſcilicet B. Maria, per illam nubeculam ſignificata eſt; & inſtar illius nubeculæ per humilitatem parva naſceretur de humana natura peccatrice, deſignata per Mare. Quæ infantula jam in ſuo ortu eſſet munda ab omni peccatorum ſorde; & quemadmodum nubecula illa fuit de mari amaro, tamen ſine aliqua amaritudine: licet tamen nubecula illa eſſet originaliter à Mari, alteriuſque proprietatis. Mare quippe ponderoſum eſt, & amarum; ſed nubecula illa levis fuit, & dulcis, ſic autem B. Maria de mari; ſcilicet natura humana, aliter tamen fuit orta.* Similiter rem differunt, & explicant noſter Vualdenſis *tom.3. de Sacramentalibus, tit.9.c.*89. Carthagena *to.*4. *homil. pro Carmelitis*, Doct. Petrus Oxeda *in informatione pro illibata Concept. Virg.* Ægydius Luſit. *de Concept. Virg. lib.* 3 *quæſt.*4. *art.*1. §. 1. *n.*8. Doctor Fernandez de Salazar. *de Concept. Vig.*38. *num.*11. Doct. Antonius Eſcobar de Mendoça *ad* 3. *Reg.*18. *num.*4. Doctor. Alphonſus Flores *in Eccleſiaſt. n.*577. & 1668. Adrian. Lyræ. *Triſag. Mariani lib.*1. *ſono* 30. Laurentius Chryſogonus *in ſuo mundo Mariano diſcurſ.*17. *n.*49. Marratius *de fundatoribus Marianis*, cap. 1. Iodocus Clithoveus *Canonic. Colonienſ. in inſigni ſerm. pro Ordine Carmelitano.* Iuſtinus Michovienſis Ordinis Prædicatorum *in celebri opere ſuper Litanias Lauretanas diſcurſ.*222. §.2. *n.*6. Doctor Ioſeph Andræas *decore Carmeli.*30. Ecce tot, & tam graves Doctores ex multis ſacris Ordinibus, & maximè ex ſacra Societate Iesu, ex noſtra familia multos poterã apponere, præter Vualdenſem citatum tres refero, Doctiſſimum Ioannem Bachonium *in* 4. *diſt.*2. *q.*3. *art.*3. Mag. Lezanam *de Concept. cap.*2. *fol.*7. & 1. *tom. Annal. ad annum mundi* 4037. *n.*8. & Magiſtrum Franciſum Bonæ Spei *lib. de Concept. diſp.*3. *præſuppoſitione* 2. *num.*132. & deinceps; de quo etiam ergo dixi *tom.*1. *in Evang. lib.*1. *cap.*3. *quæſt... num.*5. Altius nunc rem expendamus.

Vualdenſ. Carthagena. Petr. Oxeda. Ægidius. Salazar. Eſcobar. Flores. Adrian. Lyr. Chryſogon. Marratius. Clithoveus. Iuſtinus. Ioſeph. And. Bachon. Lezana. Franc. Bonæ Spei.

Cum Elias poſitus eſſet in alta meditatione, & puer reſpexiſſet ex mandato ejus ad mare mediterraneum. *In ſeptima autem vice, ecce nubecula parva, quaſi veſtigium hominis aſcendebat de Mari.* 3.Reg.18.n.44. In ſeptima vice, hoc eſt in ſeptima ætate, ſicut explicat Eſcobar de Mendoça, ait ipſe; ſeptem illi decurſus ſeptem dona Spiritus ſancti repræſentant. Vna enim Deipara data eſt orbi, quaſi omnium donorum Dei colligatio, ait: *Ecce nubecula*; illa particula, *ecce* in Scriptura denotat rem grandem, & maximè conſiderandam: *Nubecula.* Valdè vulgare eſt apud D. Hieron. & Patres per nubem, ſanctiſſimam Virginem ſignificari, ait Salazar. imò in officio ſolemnis commemorationis Beatiſſimæ Virg. de monte Carmel. appellat eam *nubeculam Virginis typo in ſignum.*

66. 3.Reg.18. Mendoza. Salazar. D. Hieron Breviar.

67. *Aſcendebat de mari*; nubes quamvis à mari exoriatur, tamen diſtinctæ qualitatis eſt ab eo. Mare amarum eſt, gravidum, ponderoſum, opacum, & nigrum, & ſterelizans terras; nubes verò valdè ſeparata ab his imperfectionibus; nam dulcis eſt, levis, lucida candida, ac maximè fœcundans; ſic & Beatiſſima Virgo, quamvis orta ſit de humana natura amara, ponderoſa, ac peccato denigrata; ipſa tamen tota pulchra eſt, ſine ulla macula humanæ propaginis, undique venuſtiſſima, cuncta fœcundans ſua prece, ac gratia.

68. *Quaſi veſtigium hominis.* Et cujuſnam hominis erat veſtigium, apud nullum, quem legi, explicatum inveni, illud tamen ſuo alto acumine nobis explicat Magnus Auguſtinus *ſerm.*201. *de tempore*, quod probat ex Evangelio, & ait: *Ne fortè aliquis dubitet, nubem illam veſtigium hominis habuiſſe, dixit, illius utique hominis, qui dixit, quem dicunt homines eſſe filium hominis.* Nubes illa erat veſtigium veri hominis Chriſti Iesu. Chriſtus totus ſanctus, ac immaculatus: nubecula illa, nempe Virgo ſacratiſſima, tota pura, ſancta, & immaculata, Chriſtus Iesus ſanctus, purus, & immaculatus per eſſentiam, & naturam, utpotè verus filius Dei, Virgo ſanctiſſima tota pura, ſancta, & immaculata per gratiam, & dona ſancti Spiritus; utpotè veſtigium veri illius hominis Chriſti Iesu.

D. Auguſt.

69. *Ecce nubecula parva quaſi veſtigium hominis aſcendebat de mari.* Hebræicus legit: *Quaſi vola hominis.* Vatablus, *ad magnitudinem volæ hominis.* Chaldaicus: *Nubes parva, ſicut volæ manus hominis.* Aſcendit de Occidente, id eſt mari Mediterraneo. Vola, tam de pedibus quã de manibus dicitur; & propriè eſt curvitas, ſeu palma tam pedum, quam manuum, & Virgo ſacratiſſima, cum ob ſuam humilitatem ſe Domini ancillam reputaret, ad Chriſti pedes ſe exhibet, & repræſentat: pedes enim famulorum proprius locus, ſic Abigail ad Davidem 1.Reg.25.n.24. *Cecidit ad pedes ejus, ſcilicet Davidis, loquatur obſecro, ancilla tua in*

Hebræicus. Vatablus. Chaldæus. 1.Reg.25.

in auribus tuis. Cum se ancillam dicit, ad pedes procumbit: Si verò cum Chaldæo referas ad manum. *Nubes parva, sicut vola manus hominis*; quia in ipsa Deus, *fecit potentiam in brachio suo*, ut ipsa celebrat in suo Cant. Luc. 1. n. 50. Dum in ea operatur ineffabile Incarnationis mysterium; ac etiam dum Deus ipsam sanctissimam Virginem tam puram, sanctam, & immaculatum creavit, ut D. Damascenus sæpè à me citatus, ipsam appellet; *Miraculum miraculorum maximum.*

Luc. 1.

70. Et maximè notandum: Ecce nubecula parva, quasi vestigium hominis, seu vola hominis, sive palma manus, vel pedis hominis Christi Iesu, juxta varias lectiones proximè adnotatas. Et cur sanctissima Virgo pura, & immaculata in sua Conceptione, se potius exhibet, ac ostentat in vola, seu palma manuum, ac pedum Christi In manibus, ac pedibus nostri Salvatoris inflicta fuerunt vulnera, seu plagæ, quibus Christus nos redemit, ibi insigniter apparet sanctissima Deipara, quia infinito pretio illorum vulnerum ipsa inter omnes pura creaturas, valdè singulariter à filio suo Iesu fuit redempta, ut esset pura, & immaculata in sua Conceptione absque ulla labe peccati originalis, & illo pretioso sanguine, magno gratiarum, donorum, & privilegiorum imbre impinguata, sublimata, ac exaltata.

Elias sub Iunipero.

71. Cum Elias dormiret sub Iunipero, excitatatur ab Angelo, & panem oblatum comedit. *Et ambulavit in fortitudine cibi illius quadraginta diebus, & quadraginta noctibus usque ad montem Dei Horeb*, 3. Reg. 19. num. 8. Abulensis contendit, quod hic panis erat communis, cui Deus dedit talem virtutem ad corroborandum Eliam, ut per tot dies alio cibo nō indigeret. Auctor mirabilium sacræ Scripturæ apud D. Augustinum *lib. 2. cap. 19.* asserit hunc panem fuisse mirabiliter factum manibus Angelorum, cui à Deo indita est virtus ad corroborandas vires Eliæ per quadraginta dies, imò etiam per plures, quibus mansit in spelunca, imò & per plures alios, dum ex Dei mandato jussus, ut ex Horeb tenderet in Israël per desertum, *3. Reg. 19. n. 15.* Per desertum non poterat facilè habere alimentum necessarium ad vitam; & inde Abulensis *ad cit. c. 19 q. 8.* Quod Elias solo illo pane alimentatus est per quadraginta dies usque ad montem Horeb, & diebus, quibus ibi mansit, & illis diebus, quibus reversus est in Israël. Ita ait citatus Abulensis. *Nam sicut per desertum ivit, ita & per desertum redjit, & fortè fuerunt omnes isti dies plures, quam centum.*

3. Reg. 19. Abulens. Auct. Mirab 3. Reg. 19. Abulensis

72. In hoc admirabili Eliæ pane agnoscunt sancti Patres Eucharisticum mysterium, ut in typo, ac figura. D. Paschas. *lib. de corpore, & sanguine Christi c. 10.* Algerus *lib. 2. de Sacramento Altaris cap. 1.* Rupertus, *lib. 5. Reg. c. 10.* D. Prosper *lib. 2. Prædict. & Promissionibus, cap. 28.* ait, *Panis Eliæ est corpus Christi.* In eadem interpretatione hoc loco in præsenti sunt Beda, Eucherius, Angelomus, Carthusianus, Cardinalis Hugo. Et ita tenet Ecclesia in Breviario Romano ad festum Corporis Christi in primo Nocturno; & Breviarium, Carmelitan. ad festum corporis Christi in primo Nocturno, dum hunc panem Eliæ, ut figuram accommodat ad cœlestem, & divinum panem Eucharisticum, quod autem Elias de tanto mysterio habuisset illustrationem, patebit ex dicendis ad finem hujus quæstionis.

D. Paschas. Algerus. Rupertus. D Prosper. Beda. Eucheri. Angelom. Carthusian Hugo. Breviarium

Elias in Horeb.

73. Cum Elias existeret in monte Horeb in spelunca, & pertransisset ventus vehemens, ac validus subvertens montes, & conterens petras, magnaque terræ commotio, ac tandem ignis flagrans, ut jam explicavi superiori quæst. In septimo Eliæ dono. num. 24. post ignem advenit *Sibilus auræ tenuis. 3. Reg. 19.* n. 12 seu ut legit Tertullianus *lib. 4. contra Marcion. cap. 23. Vox spiritus mitis*, Qui erat vox Divini Spiritus venientis ad illuminandam, ac illustrandam mentem Eliæ in sublimi cognitione magnorum mysteriorū. Hanc cogitationem, & non vulgarem nobis dat D. Gregor. Mag. lib. 5. Moralium cap. 25. & ait: *Quid per vocem auræ lenis, nisi Spiritus Sancti cognitio designatur. Qui tamen super Apostolos veniens per exteriorem sonum, tanquā per vehementē spiritum demonstratur, cum dicitur.* Factus est repente de cœlo sonus, tanquam advenientis spiritus vehementis *Actor. S. Sanctus enim Spiritus, cum se notitiæ humanæ imbecilitatis insinuat, & sonitu vehementis spiritus, & voce auræ lenis exprimitur, quia scilicet veniens, & vehemens, & lenis: lenis, quia notitiam suam quatenus cognosci ut cumque valeat nostris sensibus temperat: vehemens, quia quantumlibet hanc temperet adventu tamen suo infirmitatis nostræ cæcitatem illuminando perturbat.* Id est expellit Divinus spiritus suo alto lumine, ut dicitur sap. 8 num. 1. *Attingit à fine usque ad finem fortiter, & disponit omnia suaviter.* Divinus spiritus suaviter, ac leniter, fortiter, ac vehementer suis donis replet mentem, ad eam illuminandum divinus spiritus suos cœlestes effectus explicat, ac declarat in Apostolis, ac Elia; venit fortiter ad expellendas mentis tenebras, ut nulla obdurata cœcitas ei valeat resistere. *Infirmitatis nostræ cæcitatem illuminando expellit.* Venit etiam leniter, ac suaviter, *quia notitiam suam nostris sensibus temperat.* Ita se proportionatur nostræ menti, ut quamvis maximè obstinata sit, eam absque aliqua vi, ac coactione promoveat, ducat, ac illustret. Venit divinus spiritus vehementer, ac leniter cum igne. In Apostolis cum vehementia, ac igne, quia vehementia, ac efficacia suæ prædicationis, ac verbi Dei *penetrabilior omni gladio ancipiti.* Totus mundus erat ab Apostolis subjugandus, ac inflammandus in amore Dei. In Elia venit divinus spiritus lenis cum igne, quia savitate, ac dulcedine disciplinæ regularis, quæ in Elia initiabatur universus orbis erat afficiendus, ac divino charitatis ardore succendendus. *In voce venefici incantantis sapienter*, Psalm. 57 num. 6. favet huic sensui, D. Hieron. 6.

3. Reg. 19. Tertullian. D. Gregor. Actor. 2. Sap. 8. Eccles. 57. D. Hieron.

74. De Elia ait Ecclesiasticus 48. n. 7. *Qui audis in Sina judicium, & in Horeb judicia defensionis.* In sina judicium absconditum, & occultum Eccles. 48.

occultum ſecretum Divinæ providentiæ, ad tutamen Eccleſiæ, ad defenſionem fidei, ad cuſtodiendos juſtos, ad propugnandam virtutem contra omnes vitiorum turpitudines. *Et Horeb judicia defenſionis.* Ex Græco legitur, *vindictæ* in rebelles, & idololatras, ac inimicos Divini cultus, ut explicant Lyranus, Hugo, Carthuſianus, Antonius Fernandez de viſionibus veteris Teſtam. *viſione* 9. *ſect.* 3. & magna, & alta myſteria, ac tanta revelata ſunt Eliæ, ut dicat Apoſtolus 1. Corinth. 2. n. 9. *Sed ſicut ſcriptum eſt, quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcendit, quæ præparavit Deus diligentibus illum;* quæ verba explicans Origenes *tractat.* 35. *in Matth.* ait: *Sciens quod & Apoſtolus ſcripturas quaſdam ſecretorum proferi, cum dicit alicubi, ſicut ſcriptum eſt, quod oculus non vidit, nec auris audivit, nullo enim regulari libro hoc ſcriptum invenitur, niſi in ſecretis Eliæ Prophetæ.* Hoc eſt in revelationibus ſecretis Eliæ factis. Tot ſecreta, tot myſteria Deus Eliæ manifeſtavit juxta Origenem, ut nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcendit. Et quid mirum, cum jam Elias eſſet inauguratus Apoſtolus in ultimis futuris temporibus, ut jam ſuperiori quæſtione dixi in decimo quarto Eliæ dono, *n.* 49.

Græcus. Lyrin. Hugo. Fernand. 1. Corinth. 2. Origines.

75. Elias reverſus à monte Horeb, lumine divini Spiritus illuſtratus fundavit noſtram Religionem in monte Carmeli; & ut magnus Doctor, ut ait D. Gregorius *lib. 2. in Ezechielem, homil.* 21. Ibique ipſe Elias, ac Eliſæus, & filii Prophetarum, prædicabant, fidei myſteria explicabãt, ſcripturas interpretabantur, populi mores corrigebant; & multa documenta ad vitam ſpiritualem, ac ad Religionem dabantur, quod communiter colligunt interpretes, ex eo quod cum filius Sunamitidis mortuus eſt, mulier volebat ire ad Eliſæum, ut deprecaretur pro vita filii ſui, quod cum dixiſſet marito ſuo, qui reſpondens ait illi: *Quam ob cauſam vadis ad eum? Hodie non ſunt Calendæ, neque ſabbathum,* 4. Reg. 4. num. 23. Dies Calendarum, ſeu prima dies menſis, ac Sabbathum erant dies feſti apud Iudæos, in quibus populus ſolebat convenire ad templum, & oratoria, ſeu alia loca pia ad orandum, & ſimul ad audiendum ſermonem, ac prædicationem de verbo Dei. Ac ſi dixiſſet vir ad vxorem ſuam Sunamitidem, cur vadis hodie ad Eliſæum, cum non ſit hodie dies feſtus, in quo ipſe Propheta ſolet prædicare, ac habere verba ad populum. Ita ad citatum locum Abulenſis. *q.* 30. Lyranus, Vatablus, Chartuſian. Serarius, Caſpar Sanchez, & Cornelius, ac alii communiter. Et ubi nos habemus Matth. 17. *Elias reſtituere omnia.* Arabicus legit, *Docebit omnia.*

D. Gregor. 4. Reg. 4.

Elias in multis extitit figura, ac typus Chriſti Domini.

76. D. Auguſtinus ſerm. 201. de tempore, in hoc noſtro argumento comprobando multus eſt per totum ſermonem. Et ſic ait: *Beatus Elias typum habuit Domini Salvatoris, ſicut enim Elias à Iudæis perſecutionem paſſus eſt, ita & verus Elias Dominus noſter ab ipſis Iudæis reprobatus eſt; contemptus Elias reliquit gentem ſuam, & Chriſtus deſeruit ſynagogam. Elias abiit in deſertum, & Chriſtus venit in mundum. Elias in deſerto corvis miniſtrantibus paſcebatur; Chriſtus in deſerto hujus mundi gentium fide reficitur: corvi illi, qui Eliæ miniſtrabant, gentium populos figurabant. Nam gentes ante acceptam gratiam velut morticinis cadaveribus idolis miniſtrabant.* Et poſt pauca ſubdit. *Propheta mittitur ad viduam gentilem, ut ab ea paſcatur; vidua enim iſta typum gerebat Eccleſiæ: venit ergo Elias ad viduam, quia Chriſtus venturus erat ad Eccleſiam. Et ubi B. Elias viduam illam invenit, exierat enim, ut ea ſe lavaret, & ligna colligeret. In ſigno crucis myſterium, in aqua oſtenditur Baptiſmatis Sacramentum.* Et late expendit D. Auguſtinus, quod mulier non dixit colligo unum lignum, vel tria, ſeu quatuor, ſed duo, quibus figura crucis exprimitur. Quia in ſola Eccleſia Chriſti eſt verus Baptiſmus, veraque gratia Iesu Crucifixi. Sic pergit Magnus Auguſtinus. *Elias inclinatur in oratione, & ſi-* D. Auguſt. *lius viduæ vivificatur; Chriſtus procumbit in paſſione, & ſuſcitatur populus Chriſtianus, & quod tribus vicibus inclinetur Elias, myſterium Trinitatis oſtenditur, & populus gentium in ſola fide Trinitatis ſuſcitatur.* Et poſt pauca ſubdit: *Elias, ut diximus, figuram habuit Domini Salvatoris: Elias oravit, & ſacrificium obtulit: Chriſtus pro univerſo mundo, ſe ipſum immaculatum ſacrificium tradidit. Elias oravit in monte Carmeli; Chriſtus in monte Oliveti. Elias oravit, ut in terram pluvia veniret; & Chriſtus ut in cordibus humanis gratia divina deſcenderet. Quod autem dixit Elias ad puerum ſuum, vade, & conſidera ſepties: ſeptiformem Sancti Spiritus gratiam, quæ danda erat Eccleſiæ, deſignabat.* Et poſt aliqua ſubdit. *Sicut ſupra diximus ſanctum Eliam intelligite, typum habuiſſe Domini Salvatoris. Denique ſicut Dominus, poſtquam multas virtutes exercuit, poſtquam paſſus eſt, reſurrexit, & aſcendit in cœlum; ita Elias poſt mirabilia, quæ per eum Deus fecit, in eo curru elevatur ad cœlum.*

77. Idem docet Auguſtinus *lib. 2. contra Fauſtum Manichæum cap.* 33 S. Ambroſ. *lib. de Elia, & jejunio cap.* 22. D. Gregor. Magn. *homil.* 29. *in Evangel.* D. Bernard. *ſerm.* 3. & 6. *de Aſcenſ.* Similiter & omnes fere Patres, & tandem pro concluſione huius concluſionis appono D. Proſperum *part.* 2. *Prædict. cap.* 31. ubi in Elia dum filium viduæ ſuſcitat. 3. *Reg. cap.* 17 *n.* 21. expandens ſe ſuper puerum. Sic ait S. Proſper. *Elias, & poſt eum Eliſæus, ut parvulum mortuum ſuſcitaret, juvenilia membra contexit, & Dominus IESVS ſe ipſum exinanivit, formam ſervi accipiens: parvum ſe illi pavo coapavit, ut efficeret illud corpus humilitatis noſtræ conforme corpori gloriæ ſuæ. Iacens ſubter ſe frigidum, ſuo calore ſuccendit: Similiter & noſter Salvator Dominus, à cujus calore non eſt jam qui ſe abſcondat. Inſufflavit ille tertio jacenti, ut trina confeſſio infunderetur credenti: ſic ſuſcitatus eſt mortuus, dum à morte perpetua, juſtificatus eſt impius.* Et ut jam notavi *tom.* 3. *in Evangel. cap.* 31 *quæſt.* 12. *num.* 63. Ter Elias incubuit puero, eiſque ſeipſum coarctando admenſus eſt. Ter ſe ipſum Chriſtus

D. Auguſt. D. Gregor. D. Bernard. D. Proſper. 3. Reg. 17. Proſequitur eadem materia.

ſtus coarctavit, & humanæ naturæ commenſus eſt. Primo, in utero; ſecundo, in Præſepio; Tertio, in cruce, & ita ter genus humanum vivificavit, eique ſpiritum charitatis inſpiravit.

De cognitione Prophetica:

78. D. Thom. Dicendum eſt cum D.Thoma 2.2.q.173. *art.*4. quem ſequuntur omnes Theologi ad verum Prophetam requiritur inſtinctus Spiritus Sancti,& ut cognoſcat,& intelligat id, quod Spiritus Sanctus in ſuis verbis, vel factis intendit;ex quo infert Sanctus Doctor, quod nec Balam, nec Caïphas, nec milites nolentes dividere veſtimenta Chriſti,fuerint Prophetæ, cum non intelligerent myſteria, quæ ſub verbis,vel factis ſuis continebantur, & ideo veri Prophetæ in ſcriptura appellantur *videntes*, ut notant D. Baſilius *Præfatione in Iſaiam*,& noſter D.Cyrill. Alexand. *lib.3. in Iſaiam in principio*.Unde recte D.Thomas citata *quæſt.*71. *art.*3.*ad* 2 diſtinguit prophetiam à fide, quia fides non dat cognitionem rerum, ſed tantum certitudinem, prophetia verò tribuit certitudinem, & cognitionem, nam ut docet idem Angelicus Doctor eadem *quæſt.*71. *art.*1. *ad* 3. per prophetiam tollitur obſcuritatis, & ignorantiæ velamen. Et latiùs explicat Suarius *to.*1.*ad* 3.*part.diſp.*21. *ſect.*1.*§.tertio. Principaliter.*

D. Baſil. D. Cyrill. Alexand. D. Thom. Suarez.

79. Cum vero multiplex ſit ſenſus ſacræ ſcripturæ; literalis nempe, Symbolicus, Allegoricus, Tropologicus: & etiam multi varias diviſiones faciunt. Quæſtio eſt, an Prophetæ intelligant rem revelatam ſecundum omnem ſenſum intentum ab Spiritu Sancto. Affirmãt Scalante *lib.*1. *clypei c.*22. *dub.*4.& credibile reputat Bonfrerius *in Proloquiis c.*20. *ſect.*6.

Scalante. Bonfrerius.

80. Tamen oppoſita ſententia, & negativa, & communis,eſt vera, eam tenent D.Ambroſ. *lib*1.*de Abraham c.*8.Caetan.2.2. *quæſt.*171. *art.*6.Martinez *lib.*4. *Hypeſt.cap.*1. *§. Quamvis Prophetæ*. Alvarez *ad cap.*38. *Iſaiæ.verſ.*5. *num.*60. *&* 65. Serarius *in Prologom. cap.*21. *q.*12. *§. Quæres primò*. Cornelius. *Proœmio in Prophetas majores quæſt.* 2. Abulenſis multis in locis. Payva, Andræas à cruce; Rua, & alii, quos citat, ac ſequitur Fr. Antonius à Matre Dei. Noſter Carmelita Diſcalceatus in Iſagogem *ſcript.Prælud.*3. *dub.*8 quod ex variis locis ſcripturæ colligunt, ſat enim eſt, quod Prophetæ rem intelligant in uno ſenſu, vel altero. Tamen majores Prophetæ, ut David, Iſaias, Jeremias, forte rem intelligebant, non in uno ſenſu,ſed multiplici, cum eorum lumen eſſet majus quam aliorum Prophetarum. Hoc poſito.

Martinez. Alvarez. Serarius. Cornel. Abulenſ. Payva. Andræas. Rua. Ant. à M. Dei.

81. Thodoret. Inde planum fit, quod Elias ea,quæ gerebat,cognoſcebat in myſterio,de eo ait Theodoret. quæſt 49.in 3.Reg. *Elias erat Prophetæ, & ſummus omnium Prophetarum*. Cum transfiguraretur Jesus; *Apparuerunt Moyſes, & Elias cum eo loquentes*.Matth 17.num.3.& cur præ cæteris hi duo eliguntur ad tantum myſterium? De qua difficultate multa dixi ſuo loco *tom.*4.*in Evang. cap.*8.Reſpondet primò D.Chryſoſtomus homil.57. in Matth. *Apparuerunt Moyſes:& Elias, utpote vertices omnium Prophetarum*. D. Hilarius *can.*57. *in* D. Auguſtin. *lib.* 2. *de Doctrina Chriſtiana cap.*16. & ibi. D. Hieronimus, Origenes, D. Paſchaſius, D. Ambroſius *in cap.* 9. Luc. quod apparuerunt hi duo,ut Chriſtus haberet teſtimonium à Lege, & Prophetis; Moyſes repræſentabat legem, Elias perſonam gerabat omnium Prophetarum. Et ita Eccleſia in Hymno in ſabbathum primum Quadrageſ. *Lex atque Prophetæ primitus hoc prætulerunt. Poſtmodum Chriſtus ſacravit.*

Matth. 17. D. Chryſ. D. Hilarius. D. Auguſt. D. Hieron. Origenes. D. Paſchaſ. D. Ambroſ. Eccleſia.

Cum ergo Prophetæ cognoſcant arcana, 82. quæ in ſuis verbis,vel factis continentur, & iuxta ſanctos Patres in actionibus Eliæ, multa, & alta denotabantur myſteria, utpote ſacroſanctæ, & individuæ Trinitatis, & ineffabilis Incarnationis, ſalutiferæ mortis, ac paſſionis Chriſti,illiuſque admirabilis Aſcenſionis:tantorum ergo myſteriorum cognitionem habuit Elias,illorumque revelationibus maximè illuſtratus, ac ſublimatus eſt, ut magnus, ac maximus Propheta, & in quo omnes Prophetæ continebantur,ac in quo chorus omnium Prophetarum repræſentabatur.

QUÆSTIO IV.

Magnis elogiis, ac laudibus celebratur Elias in ſcriptura, ac ſanctis Patribus.

SUMMARIUM.

83 *Elias portabat infirmos, & docebat eos.*
84 *Elias multis apparuit ut Sol.*
85 *Elias reſplendebat vita, juſtitia, ſanctitate, ac doctrina.*
86 *Sancti Eliæ multa elogia conglomerata, & num.* 87.

PRrimo cum Eliſæus vidiſſet Eliam curru igneo abeuntem in cœlum clamat: *Pater mi, Pater mi, currus Iſrael, & auriga ejus.* 4. Reg.2. num. 12. Hebraicas legit: *Currus Iſraël,& equites ejus*: ac ſi diceret,ô Elia pater mi, qui eras totum robur Iſraelis,ac magis Iſraelem juvabas tuo zelo, ac oratione, quam magna Curruum, & equitum multitudo. Ita Procopius,Vatablus, Caëtanus; Cornelius, & alii multi.

83. 4 Reg.12. Hebraic. Procop. Vatabl. Caietan. Cornel.

Aliter exponit D.Gregorius lib.2. in Ezechielem homil.21.& ait:*Quid eſt,quod Elias, currus Iſraël,& auriga dicitur, niſi quia auriga agit at,Currus portat?Doctor ergo,qui mores populi per patientiam ſuſtinet, & ſacri eloquii verbis,docet,& currus dicitur, & auriga. Currus quia tolerando portat: auriga, quia exhortando agit at.Currus, quia mala ſuſtinet; auriga,quia populũ bonis admonitionibus exercet*. Dicitur Elias Currus, & auriga Iſraël. Currus languidos, & laſſos, & infirmos portat, eiſque alimenta, ac ſubſidia vitæ humanæ convehit; auriga verò regit,ac gubernat, ut ad finem deſtinatum perveniat.Elias ut verus pater, ac præſul Iſraël, tanquam currus, languidos,ac infirmos in fide cum multa patientia portabat, dans eis alimenta, ac hortamenta neceſſaria, ut à ſuis erroribus eos

84. D. Gregor.

educeret,

educeret, & tanquam auriga eos dirigebat ac gubernabat ad ſalutem, & animæ vitam.

85. Secundò. Elias dicitur Sol habens ſignum Dei vivi: ait Joannes in ſua Apocalypſi 7. n. 2. *Vidi Angelum aſcendentem ab ortu Solis habentem ſignum Dei vivi: & clamavit quatuor Angelis, quibus datum eſt nocere terræ, & mari.* Quod iſte Angelus eſſet Elias, tenent Victorinus, Ganæus, & probabilem dicit Cornelius à Lapide, ut dixi in Apocalypſ. *cit. c. 7. quæſt. 5.* Si Elias intelligitur, cur non dicit, vidi hominem, vel virum? quia Elias puritate, ac ſanctitate, tanquam Angelus reputatur. *Aſcendentem*; non venientem, vel apparentè, ſed aſcendentem. Elias ſemper aſcendebat, ac augmentabatur in virtute, zelo honoris, ac Religionis; *ab ortu Solis*; nam Elias tanquam fulgentiſſimus Sol apparuit in orbe, Elias enim Græco idiomate, idē eſt ac Sol, ut ſæpè dixi.. *Eccleſiaſt. 48. num. 1.* dicitur. *Surrexit Elias tanquam ignis.* Ex Græco legi poteſt: *Surrexit Elias tanquam ſplendor*: Ipſe fuit Illuſtriſſimus orbis ſplendor. Palatius ibi. *Ignis illuminat, & calefacit. Elias ſua vita, ac doctrina, & exemplo totum orbē illuminavit: & omnium corda in Dei amore inflammat, ab ortu Solis.* Non in Occidente, ſed in ortu Solis apparet Elias; nam cum Sol oritur noctium tenebras, ac caligines diſſipat, ſic apparens Elias, errorum, ac falſitatum nebulas profligat, ac deſtruit; & ubi nos habemus Matth. 17. *Elias, Reſtituet omnia*, ex Arabico legitur; *Docebit omnia.* Veniet tanquam univerſalis, & communis Magiſter.

Apocal. 7. Victorin. Ganæus. Cornelius. Græcus. Eccleſ. 48. Græcus. Palatius. Matth. 17. Arabicus.

86. Tertiò de Elia, & Henoch dicitur. Apoc. 11. n. 4. *Hi ſunt duæ olivæ, & duo candelabra in conſpectu Domini terræ ſtantes.* Elias dicitur oliva, quæ eſt ſymbolum pinguedinis, ac fertilitatis, & pulchritudinis. Ierem. 11. num. 16. *Olivam uberem, pulchram, fructiferam, ſpecioſam, vocavit Dominus nomen tuum.* In illo tempore Antichriſti ſummæ ſterilitatis fidei, juſtitiæ, ac virtutis, in quo ſi fieri poteſt etiam electi in errorem inducantur, Elias oliva fructifera producet uberes, & pingues fructus, & valdè ſpecioſos; ac elegantes fidei juſtitiæ, & ſanctitatis; deinde oliva eſt ſymbolum pacis: de Elia dicitur Eccleſ. 48. n. 10. *Qui ſcriptus eſt in judicii tempore lenire iracundiam Dei.* Seu, ut alii legunt: *Placare iram Dei.* Placata autem ira Dei, faciet Elias pacem inter Deum, & homines. Dicitur etiam Elias candelabrum, quod erat in templo, non tantum ad illuminandum, ſed etiam ad majorem magnificentiam, gloriam, ac cultum Dei, ſic Elias veniet, non ſolum ad illuminandum mundum, ſed etiam ut in tam periculoſo tempore Chriſtus Jesus majori cultu, ac veneratione adoretur, ac honoretur, vide quæ dixi *tom. 1. in Apocal. c. 11. quæſt. 14. 15. & 16.*

Apocal. 11. Ierem. 11. Eccleſ. 48. Alia lectio.

87. Quartò; ſancti Patres maximè celebrant, ac magnis laudibus extollunt ſanctitatem, virtutem, ac merita Eliæ, eumque dicunt virum ſanctiſſimum, magnum, admirabilem, eximium, præſtantiſſimum, principem, ac caput verticem ſummum Prophetarum, ſpiritiferum, præcipuum amicorum Dei, hominem cœleſtem, Angelum terreſtrem, virum ſacroſanctum, & divinum, virumque vitæ illuminativæ: & hæc omnia paucis accipe.

D. Chryſoſtomus homil. 2. de Elia eum dicit: *Virum ſanctiſſimum*, D. Athanaſ. *de fuga ſua*, D. Nyſſenus *Oration. de laudibus, D. Baſilii*, D. Auguſtinus, *lib. 20. de Civit. Dei, cap. 29.* D. Baſilius Seleucienſ. *orat. 11.* D. Laurent. Iuſtinian. *ſerm. de S. Iacob*, eum appellant *ſublimem meritis*, D. Nyſſenus *orat. 3. in Cantica, & orat. de laudibus, Baſilii* illam celebrat, *eximium virtute*, Cæſarius *Dialogo 3.* D. Damaſcen. *ſerm. 2. de ſancto Vitali*: *præſantiſſimum Principem Prophetarum*, D. Ambroſ. *lib. de viduis*, eum acclamat *caput Prophetarũ*, Theodoret. *in 3. Reg. quæſt. 49.* eum agnoſcit, *ſummum omnium Prophetarum*, D. Chryſoſt. *homil. 57.* in Matth. *Verticem omnium Prophetarum*, & homil. 8. ad Roman. eum teſtatur *admirabilem, ſeu miræ virtutis virum, & lib. 3. de Providentia.* D. Auguſt. *lib. 20. de Civitate Dei cap. 29.* D. Gregorius *lib. 29. in Iob, cap. 5.* D. Cyrillus Hieroſolym. *catech. 17.* cum acclamant *ſpiritiferum*, hoc eſt ferentem Dei ſpiritum. D. Chryſoſt. lib. 3. de Provident. ait: *Nil illi terrenum præter melotem erat*: Sic totus erat ſpiritu abſorptus, ut nihil illi terrenum, præter melotem. Drog. Hoſtienſis *ſerm. 1. de Paſſio.* eum publicat, *amicum, ac domeſticum Dei, imo domeſticorum, ac amicorum præcipuum.* D. Chryſoſtom in catena ad cap. 4. Luc & ibi Carthuſianus dicunt *Eliam Angelum terreſtrem, hominem cœleſtem.* D. Cyrillus in collectaneis explicans illud *currus Iſraël*, ait: *Currus ſignificat excelſam, & illuminatam vitæ rationem Eliæ.* Quia Elias docebat, non ſolum ſua doctrina, ſed etiam ſua vita, ac exemplo. Vide quæ dixi ſupra in hac quæſtione num. 78. Abulenſis in 4. Regum cap. 2. quæſt. 25. affirmat, *quod quando Hebræi videbant aliquem virum facientem miracula, putabant eum eſſe Eliam, unde quæſierunt à Ioanne, an ipſe eſſet Elias.* Simeon Metaphraſtes ſerm. de Elia, eum vocat *virum ſanctiſſimum, & divinum, qui à Deo accepit omnium maxima.* Quod ſemper intelligitur, Sacratiſſima Virgine Maria excepta, ipſa enim eſt omnibus ſanctis major, tam Angelis, quam hominibus collective ſumptis.

88. D. Chryſ. D. Athanaſ. D. Nyſſen. D. Baſil. Seleuc. C. Laurent. Iuſt. D. Nyſſen. Cæſarius. D. Damaſc. D. Ambr. Theodoret. D. Chryſ. D. Auguſt. D. Gregor. D. Cyrill. D. Chryſoſt. Drogo. Carthuſian. D. Cyrill. Abulen. Metaphraſt.

89. In omnium perditiſſimo tempore, omnino Elias erit reſtaurator, ut Chriſtus Dominus teſtatur: *Venturus eſt Elias, & reſtituet omnia*, Matth. 17. Arabicus legit; *Docebit omnia*, meritò Elias *Sol* interpretatur, ipſe tanquam Sol fulgentiſſimus ſua doctrina, vita, ac ſanctitate reſtituet omnia, cunctos illuminando ad viam ſalutis, juſtitiæ, ac ſanctitatis.

Matth. 17. Arabic.

90. Ex his quæ dixi ſuprà *q. 2.* habes multa ejus elogia. A D. Chryſoſtomo celebratur, ut elementorum victor ac triumphator, *ibid. q. 2. n. 19.* Mathatia 1. Machabæorum 2. ſummus honoris divini zelator; *ab Eccleſiaſtico 48. num. 6.* Impiorum Regum, ac tyrannorum flagellum, *ibid. num 30. 31. & 32.* à Divos Dorotheo nuncupatur primus, *qui ex hominibus, unam Angelorum, hominumque vitam oſtendit*, ibid. n. 42. à D. Hieronymo, Ioachimo, D. Iſidoro, ac aliis ut, *Dux ac Princeps monachorum veneratur*, ibid. n. 42. à D. Ambroſio, D. Anſelmo, ac aliis, *ut Chriſti Apoſtolus*, in ultimis temporibus agnoſcitur, *ibid. num. 50. & 51.* à Tertulliano *Eccleſiæ defenſor, non ſolum in vita, ſed etiam poſt mortem prædicatur*,

D. Chryſ. D. Athanaſ. 1 Machab. 2. Eccleſ. 48. D. Doroth. D. Hieron. D. Iſidor. D. Ambroſ. D. Anſelm.

cator, *num.* 57. Ab eodem etiam aſtruitur Novi Teſtamenti conſummator, *n.* 55. In ſupremo, & altiſſimo Redemptionis myſterio in glorioſa transfiguratione, cum multa majeſtate aſtat, *n.* 56. multa alia ejus elogia habet ex D. Bernardo *ſupra q.* 1. *n.* 1.

RESOLUTIO II.

Sanctus Elias Carmelitarum Patriarcha.

QUÆSTIO PRIMA.

Sanctus Elias Carmelitani Ordinis Fundator, Inſtitutor, & Auctor.

SUMMARIUM.

1 *Pontifices teſtantur Carmelitas ab Elia habere originem, & ſucceſſionem.*
2 *Inter limites humani teſtimonii nil firmius.*
3 *Probatur ex Officio divino multipliciter approbato à Sancta Sede Apoſtolica.*
4 *Confirmatur ex approbatione muliplici Sacræ Congregationis.*
Hiſtoriæ approbatæ in Breviario ut canonizatæ venerandæ. Ibid.
5 *Adventus Sancti Iacobi in Hiſpania ex Breviario verificatur, & probatur.*
6 *Confirmatur ex revelatione Sancti Petri Thomæ exactiſſimè examinata, & inquiſita.*
7 *B. Virgo dixit Ioanni 22. Ordinem Carmelitanum ab Elia inſtitutum.*
8 *Probatur hæc veritas per tot Sanctos canonizatos deducta, & tradita, & n.* 9.
10 *Ex habitu, ac veſte colligitur perſona.*
11 *Sanctus Elias multipliciter apparuit in habitu Carmelitano, & n.* 12.
13 *Probatur hæc veritas ex magno graviſſimorum multorum Auctorum pondere, & n.* 14. 15. *& 16.*
17 *Auctores etſi moderni circa rem antiquam integerrimi judices, veritatis circa fundamenta.*

1. SANCTUM Eliam eſſe Auctorem; ac Fundatorem Carmelitani Ordinis expreſsè tradunt, & affirmant ſeptem Summi Pontifices. Ioannes XXII. Alexander V. Sixtus V. apertis verbis dicunt *Ordinem Carmelitarum per Eliam, & Eliſæum in monte Carmeli inchoatum.* Sixtus IV. Iulius II. Gregorius XIII. afferunt his verbis, quod Carmelitani Patres, *Sanctorum Prophetarum Eliæ, & Eliſæi, & Henoch, necnon aliorum Sanctorum Patrum, qui montem Sanctum Carmeli; juxta Eliæ fontem inhabitarunt: ſucceſſionem hæreditariam tenentes.* Clemens VIII. non ſolum in ſuis Bullis Apoſtolicis conceſſis pro noſtris Patribus Diſcalceatis: *In Apoſtolicæ dignitatis*, & in alia *Dominici gregis*; ſed etiam in quadam epiſtola Miſſa ad Regem Perſarum, ut refert M. Franciſcus à Sancta Maria, *tom.* 1. *in Hiſtoria Prophetica, lib.* 1. *cap.* 10. ubi expreſsè ait Summus Pontifex: *Religionis hujus profeſſores, ſui inſtituti Auctores habere Sanctos Prophetas Eliam & Eliſæum.* In quorum verbis. Summorum Pontificum illa maximè notanda ſunt; *ſucceſſionem hæreditariam tenentes.* Ut ſapienter advertit M. Franciſcus Suarez magnus Sacræ Societatis JESU ſplendor *tom.* 4. *de Religione, tract.* 9. *lib.* 2. *cap.* 10. His ſeptem Pontificibus cohærent alii quinque Paulus V. Vrbanus VIII. Innocentius X. Alexander VII. Clemens X. qui approbantur officia Sanctorum noſtri Ordinis contenta in noſtro Breviario Carmelitano, in quibus Sanctus Elias dicitur Pater, Inſtitutor, Auctor noſtræ Religionis, ut *infra*, *numer.* 3. 4. 5. & 9. & ita duodecim Summi Pontifices approbant, confirmant, & corroborant noſtrum aſſertum.

Ioan. XXII. Alex. V. Sixtus V. Iulius II. Greg. XIII. Clem. VIII. Franciſc. S. Maria.

2. Et quamvis Summi Pontifices hoc non dicant, tanquam definiendo; ac veluti rem de fide divina credendam, tamen inter limites hiſtoriæ humanæ faciunt quandam moralem certitudinem, ut nulla major poſſit dari, ut docte advertit Mag. Ioannes Carthagena, *tom.* 3. *lib.* 17. *homil.* 2. *ad objecta.* 5. & ait: *Quamvis autem traditorum Pontificum teſtimonia, non id tradant tanquam rem de fide divina credendam, infra limites, tamen humani teſtimonii nullum majus, aut firmius proferri poteſt, quam tot Summorum Pontificum teſtificatio.* Similiter Doctor Gaſpar Sanchez inſignis ſcripturarius ex Sacra Societate JESU, Poſtquam produxit multa monumenta, quibus comprobat Collegia Religioſorum, qui de monte Carmelo erant. Subdit. *Accedit ad hæc à Pontificum judicio graviſſimorum pondus, quo ſacrum hunc Ordinem ab Eliæ diſciplina, atque inſtituto exordium habuiſſe teſtantur. Ità ſanè Sixtus IV. Iulius II.* &c. *qui ducem familiæ Carmelitanæ viros ab Elia, & Eliſæo ſucceſſionem hæreditariam tenere. Hæc mihi graviſſima ſunt.* Hanc auctoritatem tot Summorum Pontificum, tanquam firmiſſimum, ac maximè venerandum fundamentum hujus veritatis adducunt ex eadem Societate M. Franciſus Suarez *jam citatus*, & diligentiſſimus temporum indagator. Salianus *to.* 4. *Annalium Veteris Teſtamenti ad annum ante Chriſtum* 914. Cornelius à Lapide *in* 3. *Regum cap.* 18. ad illa verba, *Aſcendit Elias in vertice Carmeli.* Petrus Poyræus *de triplici Corona Virg. tract.* 1. *cap.* 12. *n.* 14. Alphonſus Flores, & Ioſephus Andræas, ac alii citandi ad calcem quæſtionis.

Carthag. Sanchez. Suarez. Salian. Cornel. Poyræus. Fores. Ioſeph. And.

3. Probatur ſecundò, ex Officio divino, ac Breviario Carmelitano approbato per multos Romanos Pontifices: nam Sixtus V. anno 1589. die 27. Iulii, ut habetur in ſua Bulla, *Eximiam quod nobis*; & refertur *in Bullario, tom.* 2. *pagina* 665. conceſſit Carmelitis, ut valeant recitare Officia propria Sanctorum ſui Ordinis, inter quæ eſt integrum Officium Sancti Eliæ; quod etiam iterum conceſſit Paulus V. anno 1609. & eandem conceſſionem nobis dedit Vrban. VIII. anno. 1628. die 12. Iunii, de quo latiùs §. *ſequenti*.

Sixtus V. Breviarium. Vrb. VIII.

quenti, & inter cætera in Officio ſancti Eliæ dicitur:

Hic ſacri eſt ductor columen decúſque
Ordinis noſtri, ſuperiſque gratus,
O Pater ſalve, placidúſque tuos
Excipe alumnos.

Innoc. X. Alex. VII. Clem. X. Et Summi Pontifices Innocentius X. Alexander VII. Clemens X. approbarunt noſtra Officia, ut ſunt in Breviario, & appoſuerunt in Collecta S. Eliæ *Patrem noſtrum*, & dicimus: *Præſta quæſumus Omnipotens Deus, ut ſicut Beatum Eliam Prophetam tuum, & Patrem noſtrum*, &c.

4. S. Gregor. Probatur tertiò, & maxime corroboratur ſuperius fundamentum ex auctoritate Sacræ Congregationis Illuſtriſſimorum Cardinalium, qui ſunt deputati à Sanctiſſimo Domino Papa, pro examinandis, ac approbandis hiſtoriis, ac actibus Sanctorum, quæ ut approbatæ, & examinatæ ſunt apponendæ in Breviario: Et cum Officia Sanctorum noſtri Ordinis recitanda in Breviario proponerentur, ttibus vicibus fuerunt examinata, & approbata à Sacra Congregatione ſub Sixto V. vt jam dixi; iterum ſub Paulo V. an. 1609. aſſiſtente, & ſubſcribente Eminentiſſimo Bellarm. Cardinali Bellarmino. Et iterum ſub Vrbano VIII. aſſiſtente, & ſubſcribente Eminentiſſimo Card. Torr. Cardinali Torres, inter quæ continetur Officium S. Eliæ, ut Patris, & Fundatoris noſtri. Et in feſto Sancti Angeli die 5. Feſtum S. Angeli. Maii, in quinta lectione habetur: *Inſignem ſanctitatis Virum parentibus ſuis Eliæ, ac Eliſæo perſimilem miraculis Deus ſimilibus illuſtravit.* Et in officio, ac Miſſa S. Spiridionis die 14. Feſtum Spiridion Decembris, in oratione decantatur: *Sancti Spiridionis Confeſſoris tui, atque Pontificis, nos Domine feſta tueantur, & ſicut ille Religionis à Propheta Elia inſtitutæ orationibus, & operibus fuit fidelis imitator.* Et in ſolemnitate Sancti Petri Thomæ die 29. Ianuarij. In quinta lectione refertur, quod cum ille rogaret pro conſervatione ſuæ Religionis Sacratiſſima Virgo apparens, ait ei: *Confidito Petre, Religio enim Carmelitarum in finem uſque ſæculi eſt perſeveraturа ſic Elias ejus namque inſtitutor, jam olim etiã à filio meo id impetravit.* Et in feſto ſancti Avertani die 25. Februarii in 5. lectione dicitur: *Sibi Chriſtum, & magnum Eliam Prophetã ſui Ordinis fundatorem, in exemplum paupertatis propoſuerat.* Et Hiſtoriæ, quæ habentur in Breviario approbato à Sancta Sede Apoſtolica, ſunt magni ponderis, & auctoritatis: Rota Rom. *Veluti hiſtoriæ ab Eccleſia canoniZatæ cenſentur.* Ut habet Rota Romana in una deciſione Cæſar. Auguſti S. Congr. Cathedralis coram Domino Coccino anno 1630. Et Sacra Congregatio Eminentiſſimorum Cardinalium an. 1618. die 14. Iunii. *Hiſtoriæ, quæ in Breviario per Sanctam Sedem Apoſtolicam approbato recitantur, ut maximè veræ ab Eccleſia venerantur.*

5. Tota hæc doctrina confirmatur, quia Sacra Congregatio Illuſtriſſimorum Cardinalium, auctoritate Sedis Apoſtolicæ nihil approbat, niſi præmiſſo alto examine, profunda conſideratione, magna diligentia adhibita, ac maturo conſilio, & appoſitis certis, & & authenticis monumentis; & inde, quæ ſunt approbata à Sacra Congregatione, & in Breviario appoſita ſunt magnæ, ac ſupremæ auctoritatis. Et inde univerſa tota Hiſpania, non alio graviori innixa fundamento profitetur Apoſtolum Sanctum Iacobum, terram ejus calcaſſe, in Hiſpaniáque prædicaſſe, quam quod Eccleſia in proprio ejus Officio, ita affirmat, & dicit, ut rectè contra Baronium probant, & dicunt Mariana *tract. de Adventu Sancti Iacobi in Hiſpaniam.* Morales *in Chronic. lib. 9. c p. 14. & lib. 8. folio 213.* Ioannes Carthagena *to. 3. lib. 17. homil. 2.* ad obiecta quinta. Irenæus à Sancto Jacobo *tractatu de immaculatæ Virginis protectione, ſect 1. cap. 1.* §. 2. Thomas Aquinas à Sancto Ioſepho *in diſſertatione de Patriarchatu Eliæ, part. 1. ſectione 6.* Ex quibus multi notant, quæ inde peculiares revelationes multis Sanctis factæ, ut Divo Franciſo: *Crucifixus apparens inter alas effigiatsu.* D. Thomæ: *Bene ſcripſiſti de me Thoma.* D. Ignatio: *Ego Romæ vobis propitius ero*; & aliæ multæ revelationes factæ noſtris Sanctis, Alberto, Andrææ Curſino, Thæreſiæ, Magdalenæ de Pazzi, ut certiſſimæ & infallibiles habentur, quia conſtant ex eorum teſtimonio, & habentur in Breviario, ac Officio Eccleſiaſtico approbato à Sede Apoſtolica. Atqui revelatio facta Sancto Petro Thomæ, ut conſtat ex ejus teſtimonio, & ſit approbata ab Eccleſia, & poſita in Breviario ut certa habenda eſt. Mariana. Morales. Carthag. Irenæus. Th. Aquin.

6. Validè corroboratur hæc veritas ex officio relato, & approbat. S. Petri Thomæ circa viſionem ei factam à B. Virgine de perpetuitate Religionis jam olim impetrata ab Elia ejus inſtitutore. Cum hæc tamen revelatio haberetur tantum ſcripta per Philippum Mazericũ Phil. Mazer. in ejus vita, ac ſimul aliquorum ſcriptorum traditiones; & aliunde P. Lucas Vvadingus, præexcellens Chronographus Ordinis Minorũ S. Franciſci, hæc ſuo Petro Thutonico tribueret pro ſtabilitate ſui Ordinis, S. Congregatio ſub Vrbano VIII. approbans Officia Sanctorum noſtri Ordinis, dubitans renuebat Officiũ S. Petri approbare, ſed prædictã revelationem volebat expungere, ac delere, quod maximè noſtros Religioſos in Tranſpontina moleſtavit. Inde Reverend. M. Fr. Theodorus Stratius digniſſimus Generàlis, indictis multis diebus jejunii, multis orationibus, ac precibus Deo fuſis, ac decantata ſolemni Miſſa D. Petro Thomæ, atque impetrata licentia luſtrandi Archivum Vaticanum, poſt longam, ac largam diſputationem, Deo afflante, & S. Petro intercedente, reperta fuit Bulla perantiqua Innocentii VI. in qua inſcripta erãt verba, Petri Thomæ Ordinis Fratrum B. Mariæ de Monte Carmelo; ex qua conſtabat tota veritas rei, & quo modo poſt obitum Petri Theutonici ad illam dignitatem, ac Epiſcoparum Pectenſium aſſumptus fuit noſter D. Petrus Thomas, quo viſo, & conſiderato Sacra Congregatio Eminentiſſimorum Cardinalium, ſtatim Officium S. Petri cum prædicta revelatione approbavit, ut eſt modo in Breviario, & M. Fr Lucas Vvadingus (de quo dicam illud, quod ait Iuſtus Lipſius de Avicenna more Magnorum Virorum) ſuam ſententiam retractavit, aſſerens talem revelationem S. Congr. Vvadin. Iuſtus Lypſ.

nem factam fuiſſe D. Petro Thomæ Ordinis Carmelitarum, ita habet in vita ejuſdem D. Petri Thomæ *in Appendice Bullarum. Bulla 3. & 4.* M. Ferdinandus Vghellus Monachus Ciſtercienſis *in ſua Italia ſacra, tom. 2. in Appendice,* M. Lezana *tom. 4. Annal. ad annum Chriſti 1354. n. 5. & 6.* & M. Daniel à Virg. Maria. Vinea Carmeli *in Appendice, fol. 754.*

7. Ioan. 22. Demonſtratur quartò, hæc veritas ex Bulla Ioan. 22. *Sacratiſſimo uti culmine*; ex quadam apparitione Sanctiſſimæ Virginis Mariæ ei facta. Ait Pontifex. *Mihi flexis genibus Virgo viſa fuit Carmelita,* id eſt, Carmelitano habitu induta; *ſequentem affata ſermonem: O Ioannes, ô Ioannes Vicarie dilecti filii mei, veluti à tuo eripiam adverſario,* &c. *Iſtam gratiam, & amplam meo Sancto & devoto Carmelitarum Ordini confirmationem debes præcedere per Eliam, & Eliſæum in monte Carmeli inchoato.* Nota verba, *per Eliam, & Eliſæum* Alexand. V. *in monte Carmeli inchoato.* Hanc Ioannis Bullam integram Alexander V. ſuo diplomati, cujus initium eſt, *Tenore cujuſdam*, inſerit; & hæc Bulla authentica per publicum Notarium, coram Iudicibus, ac aliis debitis ſolemnitatibus, vetuſto charactere ſervatur in Conventu Genuenſi; & in Belgica in Conventu Mechlienſi, ut teſtantur Irenæus à Sancto Iacobo *in tract Theologico de ſingulari protectione Sanctiſſimæ Virginis Mariæ ad finem.* Gregor. à D. Baſilio *lib. Parthenicæ adoptionis, part. 2. c 17.* Botius *in ſpeculo hiſtoriali, lib. 7. c 36.* Balduinus Lecenſius *in Collectaneo exemplorum, cap. 6.* Palinidorus, & alii, quos citat, ac ſequitur M. Lezana *Maria Patrona, c. 5. n. 24* & quod magis eſt de hac bulla citata Ioan. 22. faciunt mentionem Romani Pontifices in ſuis diplomatibus, *Sixtus IV. Clemens VIII. Pius V. Gregorius XIII. Paulus V.* Prædictámque Bullam ſe vidiſſe, ac legiſſe Ioannes Balæus Angelus Hæreticus *in Catalogo Scriptorum Britaniæ centuria 5. in Appendice ad Nicolaum Trimeth*; & ut ait D. Chryſ. homil. 42. in Ioan. *Veritatis maximum argumentum eſt, cum quis inimicos ad teſtimonium vocat.*

Irenæus. Gregor. à D. Baſil. Botius. Balduin. Palinidor. Lezana. Pontific. D. Chryſ.

8. Balæus. D. Chryſ. Demonſtratur quintò Hæc veritas ex antiqua, perpetua, conſtantique traditione abſque aliqua varietate, dubitatione, ac controverſia, deveniens per manus innumerabilium Sanctorum, quibus Religio Carmelitana fœcundata eſt, quæ ſemper, ac perenniter venerata eſt Magnum Eliam; ut ſuum Parentem Fundatorem, ac Inſtitutorem. De traditione ait Divus Chryſoſtomus 2. ad Theſſalon. c. 2. homil. 4 *Itaque traditionem Eccleſiæ fide dignam putamus; Traditio eſt, nil quæras amplius*: non intendimus comparare hanc noſtram traditionem, cum traditionibus Eccleſiæ, quæ faciunt rem certam fide divina; ſed inde ſumimus anſam ad oſtendendam auctoritatem noſtræ traditionis inter limites fidei humanæ.

9. Ad intentum. Quomodo credibile eſt, quod una familia tam ampla, ac maximè dilatata per totum orbem per tot ſæcula, in qua multi Viri illuſtriſſimi virtute, ſanctitate, ac litteris floruerunt, ſuſtinerent, ac comprobarent errorem, falſitatem, ac rem alienam à veritate: fallentes populos, ac mentientes fidelibus. Quomodo eſt poſſibile, quod tot Viri ſancti, ac puri doctrina, & vita agnoſcentes aliquem errorem, ac depravitatem, ipſam non corrigerent, ac emendarent, quod ipſi non fecerunt, ſed ſemper verbo, ac ſcriptis docuerunt, ac comprobarunt. Et ideò poſt raptum Eliæ in monte Carmeli filii Prophetarum ei erexerunt, & conſecrarunt Oratorium, tanquam Religionis Parenti, ut teſtatur Genebrardus ad annum 3284. de quo facit mentionem Sueton. *in Veſpaſianum, cap. 5.* & alii multi Auctores, quos latè citant noſtri Hiſtoriatores. Tempore autem Apoſtolorum hæc traditio perſeverabat: nam ut bis ait Sacra Congregatio Illuſtriſſimorum Cardinalium ſub Paulo V. & Vrbano VIII. Summis Pontificibus. *Viri plurimi, qui veſtigiis Sanctorum Prophetarum Eliæ, ac Eliſæi inſtiterant, & Ioannis Baptiſtæ præconio ad Chriſti adventum comparati fuerant,* &c. ut habetur *lectione 4. in feſto Commemorationis ſolemnis.* Idemque teſtatur Ioſephus Antiochenus *anno Chriſti 230. in ſpeculo præfatæ militiæ Chriſtianæ, cap. 12.* Ioannes Hieroſolymit. 44. *qui floruit anno 400. lib. de Inſtitut. Monach.* per totum, comprobat Eliam eſſe Patrem, & Fundatorem Religionis Carmelitanæ *cap. 2. 3. 4. & 10.* Sanct. Bertoldus primus Generalis ex Latinis anno 1141. *Qui Beatam Virginem venerabatur ut Matrem, & Sanctum Eliam ut Patrem.* S. Bocardus ſecundus Ordinis Generalis ad annum Chriſti 1191. in exordio Conſtitutionis, quas complacuit, probat Eliam eſſe patrem, ac Fundatorem Religionis Carmelitanæ. Idem probat S. Cyrillus Conſtantinopolit. *lib de proceſſu Ordinis, cap. 1.* Sanctus Petrus Thomas *lib. de peccato Originali, cap. 3.* Venerabilis, ac inſignis Doctor Thom. Vvaldenſ. *tom 3. de Sacramentalibus, tit. 9. cap. 89.* Ioannes Bachonus *in expoſitione Regulæ Carmelit.* & in peculiari tractatu Inſtitutionis Ordinis Carmeli, & alii multi Sancti, ac Doctores, qui manifeſtè inter terminos humanæ fidei faciunt quandam traditionem magnæ auctoritatis, ac præeminentiæ, & ideo ad comprobandam hanc veritatem tanquam primum fundamentum, ac baſim hanc traditionem proponit inſignis Doctor, ac ſemper venerandus Magiſter meus. Magn. Suar. *to. 4. de Relig. tract. 6 lib. 2 cap. 10.* dicens: *Eſt valdè recepta, & antiqua traditio hanc Religionem à temporibus Prophetarum, & ſignatim ab Eliæ inſtitutione ſuam ducere originem.* De quo iterum dicam *q. 3. n. 29.*

Irenæus. Gregor. à D. Baſil. Botius. Balduin. Palinidor. Lezana. Pontific. Balæus. D. Chryſ. D. Cyrill. D. Pet. Th. Vvaldenſ. Bachon. Suarez.

10. Sextò, demonſtratur hæc veritas ex multis apparitionibus, quibus Sanctus Elias ſeipſum habitu Carmelitano ſe manifeſtavit, quia tali indumento eiuſdem nempe coloris utebatur ille dum viveret. Cum ad petitionem Saülis *Pythoniſſa* ſuſcitaret Samuelẽ, ait mulier: *Vir ſenex aſcendit, & ipſe amictus eſt pallo, & intellexit Saül, quod Samuel eſſet.* 1. Reg. 18. n. 14. 1. Reg. 28. Saül intellexit ex habitu, quod eſſet Samuel, quia tali habitu utebatur, dum viveret. Ait Rabbi Salomon apud Abulenſ. *q. 32. ad finem, & ſequenti, q. 33.* ait ipſe Abulenſ. *Finxit Samuel habitum de aëre, quod eſſet ejuſdem figuræ,* Rabbi Salom. Abulenſ.

& coloris, cuius erat pallium ſuum, quo utebatur dum viveret. Idem habent Lyranus, Gaſpar Sanchez: ergo cum Sanctus Elias apparet habitu Carmelitano indutus, ſignum evidens eſt, quod in vita tali indumento utebatur.

11. Beatrix à Matre Dei.

Venerabili Beatrici à Matre Dei fundatrici Conventus Hiſpalenſis, de cuius admirabili vocatione ſcribit Sancta Thereſia *cap. 25. lib. ſuarum fundationum*; Apparuit Venerandus ſenex, & vividus habitu Carmelitano indutus, barba oblonga, capillis veluti argenteis, & interrogata ipſa Venerabilis Beatrix, quem exiſtimabat eſſe illum venerandum ſenem qui ei apparuit. Reſpondit fuiſſe *noſtrum Patrem Eliam*. Ita teſtificati ſunt graviſſimi Patres, quibus illa hanc viſionem manifeſtavit; ut refert M. Fr. Franciſcus à Sancta Maria *tom. 1. de Reformatione Diſcalceatorum, lib. 3 cap. 38 num. 8.* & etiam Venerabili Catherinæ de Cordona, de cuius admirabili vita, & incredibili auſteritate, ac pœnitentia magnum teſtimonium præbet Sancta Thereſia, *eodem lib. fundationum, cap. 27.* Illi apparuit Chriſtus Dominus habitum Carmelitanum oſtendens, monenſque ut illum aſſumeret, ſimúlque vidit Parentem noſtrum Eliam indutum habitu Carmelitano oſtenſo à Chriſto, & zona pellicea ſuccinctum. Vnde ipſa Venerabilis Catherina dicebat: *Vide in carne, & oſſibus noſtrum Patrem Eliam.* Hoc ipſa dixit graviſſimis Patribus Fr. Angelo ab Præſentatione, & Fr. Baſilio de S. Alberto, ut ipſi ſub juramento juridicè de poſuerunt, & refert *citatus* M. Fr. Franciſcus à S. Maria, *allegato 1. tom. lib. 4. cap. 15. num. 4.* Huc etiam veniat alia viſio facta Venerabili Annæ à S. Bartholomæo Sociæ Sanctæ Thereſiæ in vita ipſius ab ea ſuorum Superiorum mandato *conſcripta c. 24.* teſtatur, quod tempore cujuſdam Capituli noſtri Ordinis, viderit *Patrem noſtrum Eliam* extendentem pallium ſuum album ſuper Conventum ſuorum filiorum Valliſoleti, in quo celebrabatur Capitulum, & ejus admirabilis ſucceſſus oſtendit protectionem tanti Parentis.

Franciſc. à S. Maria. Catherina de Cordona.

12. Doroth. à S. Renato.

Confirmatur; quia *Doroheus à Sancto Renato* Commentator *in Apocal. lib. 2 q. 10. ſect. 3.* Inter varias viſiones, quas refert, de S. Elia ſcribit, quod in Civitate Mechlinenſi anno 1580. cum Hæretici Angeli intentarent deſtruere Conventum Carmelitarum, qui peculiariter erat conſecratus Sancto Eliæ; apparuit ſuper Conventum ſenex quidam venerandus, habitu Carmelitano indutus, & extenſa manu cum gladio. Vnde Hæretici magno metu agitati fugientes receſſerunt à Conventu, & inde communi opinione retentum, ac divulgatum eſt, ſenem illum venerandum fuiſſe Sanctum Eliam, & abſque dubio ex habitu apparebat, quo in vita utebatur, ut de Samuele eſt dictum.

13. Joſephus Antioch.

Septimò Probatur hæc veritas, magno graviſſimorum Auctorum pondere; & primus ſit Joſephus Antiochenus, qui ut jam dictum eſt, floruit circa annum Chriſti 130. *in ſpeculo perfectæ militiæ Chriſtianæ, cap. 12.* Cujus verba referam *quæſtione 3.* Pro noſtra ſententia ſtat Euſebius Cæſarienſ. *lib. 2. Hiſtoriæ, cap. 3.* ex noſtris antiquiſſimi Auctores, & graviſſimi Patres Ioannes Ieroſolym. Sanct. Bertoldus, S. Bocardus, S. Cyrillus Conſtantinopolit. S. Petrus Thomas, Venerabilis Vvaldenſis, Bachonius, Palynidorus, *jam citati hoc cap. n. 9.*

Euſebius. Ioan. Ieroſ. S. Bertold. S. Bocard. S. Cyrill. S. Petrus. Vvaldens. Bachon. Palynidor.

Et aliis deciſio celeberrima univerſitatis Cantabrienſis in Anglia anno 1374. Richardus Armacanus *ſerm. de concept.* Tritemus ex ordine Sancti Benedicti, *de laudibus Carmelitar*, Genebrardus in ſua *Chronographia ad ann. 1142.* Ex Ciſtercienſi familia, *Chryſoſtomus Henriquez.* Ex ordine Præmoſtratenſi, *Dionyſius Mudzaert.* Ex ordine Prædicatorum, *Dominicus Gravina*; *Petrus Caluus* Regius Prædicator. Ferdinandus *de Caſtrigho.* Franciſcus de Aravio. Et hoc etiam habetur *in chronico compendioſo Prædicatorum.* Ex ordine eremitarum S. Auguſtini, *Proſper Stellarius*, *Petrus Valderrama*; *Baptiſta à Glano*; Ægydius Luſitan. lib. 2. Primas Auguſtini Fr. Ioannes. Nævius lib. 2. de Inſtitutione Ord. D. Auguſtini cap. 7. ex Seraphico Ordine, Doctiſſimus *Ioannes Carthagena*; *Cæleſtinus à Monte Marſano.* Ex Ordine Minimorum, Generalis, *Ægidius Camarus.* Ex Sacra Societate. *M. Suar. Gaſpar Sanchez, Salianus, Petrus Poyraus, & Petrus Ojeda, in informatione pro concept.* Et alii multi.

14. Vniv. Cant. Armacan. Tritem. Genebrard. Chryſ. Henriq. Dion Mud. Gravina. Per. Calvus. Ferdinand. Aravio. Compend. Præd. Stellarius. Valdetran. A Glano. Carthagena

Multi alii graves Doctores eandem ſententiam firmant, & tenent; Micus, Gulielmus, Fiſingenius, Carolus de Tapia, Laurentius Beyerlinck. Petrus Bertius, & alii plures, quos late referunt M. Franciſcus à S. Maria *in Hiſtoria Prophe. lib. 1. cap. 10. num 14.* M. Lezana *tom. 1. Annalium in apparatu cap. 6. & latius cap. 10.* M. Petrus Vvaſtelius *lib. 1. vindiciarum ſect. 5. art. 13. & 14.* M. Fr. Daniel à Virg. Maria. Vinea Carmel. *part. 2. c. 2. & 3. fol. 95.* ubi adducunt allegatione, & verba prædictorum Auctorum.

15. Micus. Gulielm. Carolus. Laurent. Bertius. Franc à S. Maria. Lezana. Vvaſtelius. Daniel.

Quibus & addendi ſunt graviſſimi alii Auctores; Illuſtriſſimus, ac Reverendiſſimus Dominus Rodericus à Cunha digniſſimus Archiepiſcopus Vlyſipponenſis 1. *part. Decre. diſt. 54. n. 2.* Illuſtriſſimus, ac vir valdè celeberrimus in Hiſpania, Dominus Epiſcopus Ioannes Pelafox *in notis, in monitis S. Thereſiæ ad monitum* 8. Sapientiſſimus Doctor Fr. Leo à D. Thoma Ordinis Sancti Benedicti inſignis primarius ſacræ Theologiæ in Regia Conimbricenſi Academia, *in ſua Benedictina, to. 1. Præludio. 1. in ultimis duobus paragraphis, folio 7.* Ex Societa Jesu, Cornelius à Lapide, & Tyrinus *ad 3. Regum cap. 17.* Fernandus Salazar *de Concept. Argument. 9. c. 38. num. 11.* M. Alphonſus Flores *in cap. 24. Eccleſiaſt. parte tertia, in tractatu Aſcetico, ſectione 36.* Adrianus Lyræus *in tractatu Marino, lib. 1. Sono 35. & lib. 2. modo 31.* M. Ioſephus Andræas *Decore Carmel. 34. à num. 129.* Mag. Emanuel Ortilei *Triumpho Carmel. ex eadem Sacra Societate.* Ioannes Caramuel Abbas Ciſtercienſ. *tomo primo, Theolog. Moralis, diſputatione 34. num. 349. folio 149.* ubi, multos alios citat M. Laurentius Angles *primum in Conſultis Epiſtol. Deducator. n. 14.* & citat Antonium Abbatem Vercelenſem

16. Cunha. Palafor. M. Leo. Cornelius. Tyrinus. Salazar. Flores. Andrianuſ. Andræas. Caramuel. Laurent. Ant. Abb.

Abbatem

Abbatem Mauloricum, Leandrum Granaten. Clementem Reynerum, & tandem R. P. Gregorium de Argaiz *tom. 1. Publacion Eccleſiaſt. de Eſpana* ad finem in uno tractatu: *El mayor credito de los Mortos, fol. 21.* Clemens Renerus *lib. de Apoſtolatu Benedictorum Angli, tract. 1 ſect. 1.* Ioannes Pitſeus *lib. de Illuſtribus Britaniæ ſcriptoribus Ætate 5 n. 41.* & pro hac ſententia præter Auctores citatos plus quam quadraginta referunt Sapientiſſ. Mag. Ildephonſus de Flores ex ſacra Societate Iesu *in cap. 24. Eccleſiaſtici, n. 1680.* Inſignis Doctor Franciſcus Bonæ Spei de immaculata Concept. *diſp. 3. à n. 3. & à num. 37.* Et inſignis Doctor Fr. Iſidorus à Luce Ordinis ſanctiſſimæ Trinitatis in Regia Conimbricenſi Academia controverſarum publicus Profeſſor in ſuis partitis hanc ſententiam ſæpè dictavit, & ideò pro hac veritate confirmanda pluſquam centum quinquaginta Auctores poteram adducere.

Reyner. Argaiz. Reynerus. Pitſeus. Flores. Bonæ ſpei. D. Iſidor.

Proindeque ad hoc noſtrum aſſertum comprobandum, ac firmandum, ex omnibus ferè ſacris Religionibus graviſſimi Auctores conſpiraverunt, ex antiqua familia D. Benedicti ſeptem, ex Ciſtercienſi reformatiſſima quatuor ex gravi Præmonſtratenſi tres, ex doctiſſima Religione D. Dominici novem, ex Seraphico ordine duodecim; ex Illuſtriſſimis Eremitis D. Auguſt. quinque, ex Religioſiſſimis Patribus D. Hieronymi tres; ex graviſſima, ac ſacra Societate Iesu pluſquam viginti duo; ex Religioſiſſimis Fratribus ſanctiſſimæ Trinitatis duo; ex magna Minimorum familia tres, & ſic de omnibus aliis Religionibus. Plures ex unaquaque Religione ſapiẽtiſſimus Magn. Ioſephus Andreas ex eadem Societate decore Carmeli *à n. 313. & 314.* & qui præclarè de Rebus Carmelit. agunt.

Ioſeph. And.

17. Quod Auctores cum aſſerunt, & approbant rem valdè antiquam, eorum auctoritas eſt magni ponderis, ac conſiderationis, quia licèt non ſint contemporanei cum illa antiquitate, tamen ſua probitate, ſcientia, ac eruditione ſunt judices integerrimi; ac magni teſtes, quod fundamenta, quæ pro illa antiquitate præferuntur, ſint optima, & valida, ac efficacia, ut talis ſententia ſit amplectenda, ac tenenda, niſi enim illi ita judicaſſent, à tali ſententia diſcederent, & eam rejicerent, & minimè approbarent.

Quæstio II.

Aperè refutantur aliquæ opiniones contra propoſitam veritatem.

Summarium.

18 *Falſitas multiplicem varietatem quærit.*
19 *Ex regula Carmelitana, refutantur opiniones contrariæ.*
20 *Ex Concilio Lugdunenſi conſtat, quod Religio Carmelitana erat ante Concilium Lateranenſe.*
21 *Baronius, nullum fundamentum, nec Auctorem adducit pro ſua opinione.*
22 *Refutatur ex antiquiſſimis monumentis.*
24 *Tres ſententiæ per Bullas authenticas refutantur, & n. 25.*
26 *Sententia Hieronymi Romani appellatur à Carthagena delirium.*
27 *Ioannes 44. ex ſuo libro conſtat, quod non fuerit ordinis fundator.*

18. FUerunt aliqui Auctores, qui hanc gloriam ſacræ Religioni Carmelitarum denegare intentarunt, quod ſcilicet à Magno Patriarcha Elia habeat ſuam originem, ac inſtitutionem, quorum aſſertum, neſcio an dici poſſit opinio, quia ex eo habuerunt exordium, quia conſtitutiones Apoſtolicas, ac antiqua documenta non inſpexerunt, ac matura conſideratione legerunt; & fortè unus tranſcribens ex alio talem ſententiam protulit; & cum iſti Auctores à veritate deflecterent, varia placita ſibi conſtituerent; nam ut doctè ait Ioannes Kechius contra Luther. *Qui à veritate deflectunt, in varios reflexus, ac ambagines abeunt, ac tendunt.* Kechius.

19. Has omnes adverſariorum opiniones magno pondere rationum, ac documentorum antiquorum impugnant, & convincunt M. Ioannes Carthagena *tom. 4. in Evang. lib. 17. homil. 2.* M. Michael Munoz *in propugnacul. Eliæ lib. 2. cap. 1. art. 3. & 4.* Petrus Eveſtelius *lib. 1. vindiciar. ſect. 5. art. 1.* Franciſcus à S. Maria in Hiſtoria Prophetica *lib. 1. cap. 10.* Matthias à S. Ioanne *in Hiſtoria Panegyrica part. 5. cap. 7.* M. Lezana *tom. 1. in apparatu cap. 10.* Daniel à Virg. Maria in vinea Carmeli *part. 8. c. 1. & 2.* & ſequentibus. Breviter oppoſitas ſententias refero, ut efficaciter refuto.

Carthagena. Munoz. Eveſtelius. Franciſcus. Matthias. Lezana. Daniel.

20. Primò Raphael Volaterranus *in Tropologia lib. 21.* affirmat Religionem Carmelitarum habuiſſe ab Alberto Patriarcha Ieroſolymitano ſub Honorio IV. anno 1286. & tamen communiter juxta omnes fere Auctores Albertus mortuus eſt anno 1214. & ita habet Tabula ſcripta in Eccleſia Verſalenti, ubi ipſe antea fuerat Epiſcopus, quod tali anno 1214. fuerat mortuus; ac proinde Volaterranus eum conſtituit reſuſcitatum fere ſeptuaginta annos poſt mortem ſuam. Deinde Albertus non dedit regulam, ſed recupilavit, & in meliorem formam eam redegit, quæ data fuerat *à Ioanne 44. Ieroſolymitano.* Deinde quando Albertus dedit regulam, jam in Monte Carmeli erant noſtri Monachi, ut apertè ſupponit Albertus in Prologo Regulæ, dicens: *Dilecti in Chriſto filio Brocardo, & cæteris Eremitis, qui ſub ejus obedientia juxta fontem Eliæ in monte Carmeli morantur*: ergo ante Albertum erant Monachi in Monte Carmelo ſub obedientia prioris illius.

Volaterran. Albertus.

21. Secundò D. Antoninus *3. part. tit. 20. cap. 5.* & alii aſſignant principium noſtræ Religionis ſub Innocentio, qui convocavit Concilium Lateranenſe anno 1215. per Albertum Patriarcham Ieroſolymitanum, qui regulam dedit, ſed ut jam dixi, Albertus non dedit Regulam; ſed recupilavit, & jam ante ipſum erant Religioſi in Monte Carmeli, ut modo dixi, & veniamus ad Concilium Lateranenſe ſub Innocentio III. anno 1215. *c. 13.* Decrevit, quod nulla nova Religio in Eccleſia Dei exurgeret: *Ne quis de cætero novam Religionem*

D. Antonin. Innoc. III.

gionem inveniat, quod ſi aliquis vellet inſervire Deo, unam ex Religionibus jam approbatis eligeret: hoc tamen non obſtante aliquæ Religiones excreverunt, & ideo Conciliũ Lugdunenſe ſub Gregorio X. anno 1274. & refertur in corpore juris *lib. 6. Decretal. titulo, de Religioſis Domibus cap. vnico.* Poſtquam Concilium Lateranenſe præcepit abolere novas Religiones, exceptis Mendicantium, ſcilicet Prædicatorum, Minorum, Eremitarum S. Auguſtini, ac Carmelitarum, & de his duobus loquens Concilium Lugdunenſe, Ait: *Cæterum Eremitarum S. Auguſtini, & Carmelitarum Ordines, quorum inſtitutio, dictum Concilium Generale*, ſcilicet Lateranenſe, *præceſſit in ſolido ſtatu volumus permanere.* Ergo juxta ſacrum Concilium inſertum in corpore juris Religio Carmelitarum incœpit, & erat ante Concilium Lateranenſe: *Quorum inſtitutio dictum Concilium* (Lateranenſe nempe) *præceſſit*; ergo in ipſo Concilio Religio Carmelitana non fuit inſtituta, ſed jam ante ipſum præceſſerat, & erat, ut conſtat ex concilio Lugdunenſi.

Conc. Lud.

De decal.

22. Baronius. Tertiò. Cardinalis Baronius *tom. 12. ad annum Chriſti 1181. §. antequam*, tenet, quod Religio Carmelitarum cæperit per Aymericum Patriarcham Antiochenum legatum ſedis Apoſtolicæ in Oriente, qui cum videret multos viros, graves, diviſos per varias partes, eos tunc congregavit in Monte Carmeli, indeque dicta Religio habuit exordium ſub dicto Alexandro III. anno 1181. valde mirum, quod Eminentiſſimus Dominus Cardinalis talem proferat ſententiam abſque aliquo Auctore, fundamento, & ratione, in re tam gravi, & antiqua, & ut optimè ait Caramuel Abbas Satrianenſium; & Campanienſis Epiſcopus Apolog. pro doctrina de Probabilitate epiſtol. 4. n. 22. & ait: *Sum jam aſſuetus Baronio non credere dicenti, ſed non probanti:* Ergo cum Baronius non probet, ſed dicat, ejus dictis non eſt ſtandum; & contra hanc ſententiam inſurgunt omnes noſtri Doctores fundamentis appoſitis ſuperiori quæſtione, quibus oſtenditur Eliam eſſe Patrem noſtrum, per hæreditariam ſucceſſionem.

Caramuel.

23. Deinde hæc dicta ſententia reiicitur per multas ſcripturas authenticas fundationum multorum Conventuum, qui per multas centarias annorum ante Aymericum fundati, ac erecti fuerunt, & jam ferè per quingentos annos, ut Conventus Florentiæ an. 743. & Conventus Senenſis anno 797. ut conſtat ex antiquis lapidibus exaratis in ipſis Conventibus, & antiquis ſcripturis, per publicos Tabelliones circa donationes Carmelitis factas in fundatione talium Conventuum, quas adducit Lezana *tom. 3. Annalium ad prædictos annos.*

Tres prædictas ſententias per Bullas authenticas aperè refuto.

24. Hæ omnes tres prædictæ ſententiæ aſſerentes, Religionem ortum habuiſſe ſub Alberto, Innocentio III. vel Aymerico per authentica Apoſtolica diplomata, aperè & manifeſtè oſtendo, eſſe omnino alienas à veritate, nullumque probabilitatis veſtigium habere poſſunt: Nam Summi Pontifices Stephanus V. qui floruit anno 816. Leo IV. anno 847. Adrian. II. ann. 868. Sergius III I. ann. 907. Ioann. X. ann. 913. Ioannes XI. ann. 931. Alexander II. anno 1061. Qui omnes Summi Pontifices conceſſerunt varias indulgentias viſitantibus Eccleſias Fratrum Ordinis Beatiſſimæ Virginis Mariæ de Monte Carmeli in diebus feſtivis. Has omnes conceſſiones Apoſtolicas refert Sixtus IV. in ſua Bulla ſecunda pro Religione Carmelitarum, & incipit. *Dum attenta; quod glorioſiſſima*, & etiam eas refert Gregor. XIII. in ſua Bulla; *Vt laudes*, quæ habentur authenticæ in noſtro Conventu Tranſpontino, & in hoc Carmelo Vlyſſipponenſi & in Bullario Carmelitarum Diſcalceatorum *fol. 117.* & *fol. 326.* & apud Bullarium Rodrig. & alios.

Stephan V. Leo IV. Adrian. II. Serg. III. Joan. X. Joan. XI. Alexand. II. Sixtus IV. Greg. XIII.

Ex his ſeptem Summi Pontifices, ſex floruerunt, ante annum milleſimum, ex quibus Stephanus V. Leo IV. Adrianus II. ferè per tercentos annos fuerunt ante Aymericum: & ferè per trecentos, & quinquaginta ante Albertum, ac Innocentium. Et Pontifices Sergius III. Ioannes X. Ioannes XI. ſuum Pontificatum tenuerunt, ante Aymericum pluſ quam ducentos annos, & ante Albertum, & Innocentium III. & Concilium Lateranenſe, ferè ducentos, & quinquaginta annos. Alexander II. ſuum pontificatum geſſit, ante Aymericum excedens ſpatium centum annorum, & ante Albertum, & Innocentium III. ferè per centum quinquaginta annos. Ergo aperè per Bullas Apoſtolicas authenticas demonſtratur, quod noſtra Religio per multas centenas annorum præceſſit Aymericum, Albertum, Innocentium III. ac Concilium Lateranenſe, & conſequenter, quod per nullum illorum habuit exordium. 25.

Stephan. V. Leo IV. Adrian. II. Adrian. II. Sergius III. Joan. X. Joan. XI. Alexand II

Quartò; Hieronymus Romanus *lib. 6. ſuæ Reipublicæ, cap. 10.* ait Religionem Carmelitanam habuiſſe ſuum principium anno 706. ſub Leone III. Summo Pontifice, meritò M. Joannes Carthagena *to. 3. in Evangel. lib. 17. homil. 2. objectione 5.* appellat hoc dictum non ſententiam, nec opinionem, ſed delirium; nam iſte bonus Auctor, nullum fundamentum, nec rationem, nec Auctorem profert, ob quod dicendum ſit, Religionem tali anno fuiſſe inſtitutam, & non potius antea, vel poſtea. 26.

Roman. Carthagen.

Quintò; eſt quorundam ſententia, quos tacito nomine video referri, qui aſſerunt Religionem noſtram ſuam originem accepiſſe ſub Ioanne Patriarcha 44. ad annum 412. & falſitas iſtius ſententiæ convincitur ex lib. ipſiuſmet Ioannis 44. de inſtitutione Monachorũ. Vbi per totum oſtendit Eliam eſſe fundatorem, ac Auctorem ipſiuſmet Religionis, quod probat *à cap. 2. & 3.* & deinceps, & D. Cyrillus Conſtantipolitan. *lib. de proceſſu Ordinis, cap. 1.* ait: *Quod fuit vir quidam inſignis, & magnus. In Monte Carmelo, Ioannes nomine, qui cæteros conſortes ſuos, ejuſdem montis Monachos, exemplo ſuo & magiſterio ſolicite inducebat ad perfectionem acquirendam, ſecundũ propheticam diſciplinam vitæ monaſticæ per Eliam Prophetam inſtitutam.* Ex quo rectè infert inſignis Abbas Ioannes Caramuel in expoſitione Regulæ ſancti Benedicti *diſput. 34. num. 341.* 27.

Ioan. 44. Caramuel.

num. 341. quod iſte Ioannes 44. poſt raptum Eliæ magnis documentis, ac vitæ ſuæ exemplo maximè inſtruxit Carmelitanos Religioſos in vita monaſtica, ac illius perfectione.

QUÆSTIO III.

Satisfit obiectionibus cuiuſdam Auctoris Moderni.

SUMMARIUM.

28 *Refertur opinio cujuſdam Auctoris.*
29 *Comprobatur traditio Carmelitarum.*
30 *Nec antiqua omnia ſunt ſcripta, & n.* 31.
32 *Traditio Carmelitarum ex multis comprobatur, & n.* 33.
34 *Magna fides, & auctoritas Ioannis Ieroſolymitani.*
35 *Et eſto concedatur, nil facit contra nos.*
36 *Maximè ſtabilitur noſtra ſententia.*
37 *Refertur, & impugnatur ſententia cujuſdam Auctoris, & n.* 38.
39 *Carmelitæ multum profecerunt ſub doctrina Apoſtolorum.*

28. Quidam Auctor. QVidam modernus Auctor multis inſurgit contra nos, quæ appono; nam ex eorum ſolutione, magis eluceſcit, & patefit noſtra veritas: Ait iſte Auctor noſtra ſententia de origine *ab Elia, habet ſuum initium ex libro Ioan.* 44. *qui liber fabuloſus eſt, & auctor ſuſpectus hæreſis, ac proinde nullius fidei cenſendum erit, quidquid à tam impuro fonte manavit.* Deinde ſi ſtatus Ordinis eſſet tam antiquus, de illo facerent mentionem per illa ſæcula conviventes. Deinde ſubdit, quod Religio noſtra Carmelitana nullam poteſt in hac re habere traditionem, quia traditio non habetur, niſi per ſanctos Patres, ac Doctores, unde infert. *Igitur ridenda ſine dubio traditio nunquam tradita, in nullo ſanctorum inventa, imò nec graviſſimorum Doctorum, ſed commenta ardore obtinendi antiquiſſimam originem.*

Traditio Religionis Carmelitanæ vera, & ſirma eſt.

29. Suar. Imprimis noſtram traditionem veneratur, & approbat Doctor Franciſcus Suarez magnus ſplendor ſacræ Societatis, ac hujus ſæculi *tom.* 4. *de Relig. lib.* 2. *cap.* 10. *in princip.* & ait: *Eſt valdè recepta, & ſatis antiqua traditio Religionem hanc à temporibus Prophetarum, & ſignatim ab Eliæ inſtitutione ſuam ducere originem.* Hanc eandem traditionem approbant, & confirmant omnes Auctores, quos ſuperiori *quæſt. num.* 13. 14. 15. & 16.

30. Theophy. Nec omnia, quæ facta ſunt antiquis temporibus ſcripta ſunt. Vt notat Theophylactus 1. *Corinth.* 11. *verſ.* 2. & ait: *Liquet ex his, tum Paulum, tum reliquos Apoſtolos, haudquaquam omnia literis mandaſſe.* Et de hac re multa adducit Bellarminus lib. de Traditionibus; & ex eo quod aliqui Auctores antiqui non faciunt mentionem de aliqua re, deinde eam de falſitate arguere, ridiculum eſt, de quo optime ait Theophilus Raynaudus *lib. de-*
Bellarm.
Theophil.

ſcapular. Carmel. part. 2. *quæſt.* 1. & ait: *Mihi univerſa hæc recitatio plane ſtraminea videtur & viſi ſunt plane hac argumentandi inanitate Anabaptiſtæ, aſſerebant, narrationem de homine ad piſcinam probaticam ſanato fabuloſam eſſe, & à falſario quodam intruſam in Ioannis Evangelium; cum nunquam fuerit Hieroſolymis Piſcina probatica, quod probant ducto argumento, ex Ioſephi de ea piſcina, ſilentio.* Cum fuerit diligens Auctor de rebus Iudaicis: *Ridet eam argumentandi ruditatem Toletus. Ioan.* 5. *Annotat. Simili modo, homo parum ſobrius Vlricus Velenus, inde probat falſum eſſe S. Petri Pontificatum, quod ſanctus Lucas tam minuta de Paulo recenſens in lib. Actorum, ſiluerit tamen de S. Petri Romam appulſu, & collocutione cum Paulo; Cum quo tamen non potuiſſet Petrus non agere, ſi ambo ſimul Romæ vixiſſent.* Et ſtatim ſubdit: *Inde graves Auctores obſervant ſanctum Lucam in Actis pleraque reticuiſſe, quæ ex ejus ſilentio inſimulare falſitatis, ridiculum ſit, ac puerile.*

31. De Chriſto Domino multa non ſunt ſcripta in Evangelio, ut teſtatur D. Ioan. *cap.* 21. *num.* 25. & tamen multa de myſteriis ejus Nativitatis, vitæ, paſſionis, mortis, Aſcenſionis revelata ſunt Beatæ Brigittæ, ac aliis ſanctis, quæ pro certis habentur, ac indubitatis, ut quod natus ſit media nocte, quod flagella fuerint quinque millia &c. Quamvis ergo de noſtra antiquitate, ac traditione nullum eſſet ſcriptum documentum, ſat erat revelatio facta B. Petro Thomæ de ſtabilitate Ordinis, quæ revelatio tripliciter fuit examinata, recognita, confirmata, & approbata à ſancta Sede Apoſtolica ſub Sixto V. Paulo V. Vrbano VIII. ut jam dixi ſuperiori quæſt. Virgo ſacratiſſima apparens B. Petro dixit: *Confidito Petre, Religio enim Carmelitarum uſque in finem ſæculi eſt perſeveratura, ſic Elias, ejus namque inſtitutor, jam olim etiam à filio meo id impetravit.* Hoc ſacratiſſimæ Virginis teſtimonium ſat erat pro confirmanda hac veritate. Et maximè cum noſtra origo ab Elia ſit valdè antiqua, & antiquitas ipſa edax eſt librorum, potiſſimè cum noſtra principia fuerint in Syria, ac Palæſtina, ubi Mauri, Perſæ, ac Chriſtiani nominis hoſtes multas clades, devaſtationes, ac incendia intulerunt, ac magna rerum monumenta perierunt; tamen adhuc noſtræ antiquitatis habemus præclariſſima ac firmiſſima documenta; de hoc iterum dicam *Reſolut.* 3. *quæſt.* 14. *n.* 122.
Ioan. 21. D. Brigitta. S. Petr. Th. Sixtus V. Paulus V. Vrban. VII I

32. Imprimis ſunt ſeptem Summi Pontifices, qui per ſuas bullas authenticas teſtantur Carmelitanum Ordinem ab Elia, & Eliſæo fuiſſe inchoatum, ab eiſque habere hæreditariam ſucceſſionem, ut vidimus in hac reſolutione *quæſt.* 1. in exordio & aliis Pontificibus, qui Eliam dicunt conſtitutorem & Patre Religionis, & ex Decreto ſacræ Congregationis jam citato, & iterum citando in hac quæſt. *num.* 39. Joſephus Antiochenus, de quo dixi ſuperiori quæſt. vicinus tempori Apoſtolorum floruit anno Chriſti 130. in ſpeculo perfectæ militiæ Chriſtianæ, *cap.* 12. ait: *Perfectorum militum Chriſti Apoſtolorum coadiutores ſurrexerunt ſtrenuiſſimi, viri ſolitarij, contemplationique dediti, ſanctorum Prophetarum Eliæ, & Eliſæi imitatores, qui de Monte Carmelo deſcendentes*
Sacr. Congr.

ſcendentes per Galilæam, Samariam, Palæſtinam, fidē Chriſti conſtantiſſimè ſparſerunt, quique in Virginis Mariæ honorem in montis Carmeli declivio fabricātes oratorium, Salvatoris Matri ſpecialiſſimè ſervierunt. De cujus antiquitate magno pondere Auctorum multa ſcribit M. Lezana *tom. 1. Annal. cap. 6.* Euſebius Cæſarienſis floruit circa annum 350. *lib. 2. Hiſtoriarum, 3.* ait: *Apud Antiochiam florentiſſima congregatur Eccleſia, in qua erant plurimi viri Prophetici Ordinis.* Luitprandus, ſeu Ferrādus, nobilis, & perantiquus Auctor, claruit circa annum 960. *in fragmentis* 263. facit mentionem de Diſcipulis ſanctorum Eliæ, Eliſæi, ac eorum ſucceſſoribus. Antiquiſſimum Chronicon Romanum apud Paleonydorum *lib. 1. cap. 6.* Luitprandus de quo infrà.

Lezana. Euſebius. Luitprand.

33. Deinde pro hac noſtra ſententia ſtant quatuor ſanctiſſimi viri ab Eccleſia canonizati, ſanctus Bertoldus, ſanctus Brochardus, ſanctus Cyrillus Cōſtantinopolitan. ſanctus Petrus Thomas, quos retuli *quæſt. 1. num. 9.* & tot ſanctorum virorum auctoritate ſatis firma, & corroborata eſt hæc ſententia, & aliorum, quos retuli citata *quæſt. 1. n. 13. 14. 15. & 16.*

34. Ioan. 44. Tandem Ioanes Hieroſolymitanus floruit anno 412. In toto libro de Inſtitut. Monachorum, maximè noſtrum aſſumptum, ac intentum approbat. cap. 10. agit: *De primis ſucceſſoribus, ac imitatoribus Eliæ, quos in monaſtica vita, & eremitica, quam primus hominum inchoaverat, ſucceſſores poſt ſe in perpetuū relinquere diſpoſuit, & habitavit in Monte Carmelo ad vitam ſolitariam religioſam ducendam aptiſſimè.* De iſto Ioanne Hieroſolymitano, ejuſque fidei ſinceritate, morum probitate, eximiaque ſapientia, ac ipſius libri veritate, magno, & ampliſſimo graviſſimorum Auctorum Antiquorum numero agunt, comprobantque Tritemius de laudibus Carmelitarum; Ægydius Carmatus Generalis Minimorum *lib. de geſtis Eliæ, c. 10. ſect. 2.* Caniſius de B. Virg. ex ſacra Societate, Valentia *2. 2. diſp. 10. quæſt. 4. punct. 1.* Poſſevinus *in apparatu ſacro.* Salian. *tom. 4. Annal. ad annum Mundi* 3123. Alphonſus Flores *in cap. 24. Eccleſiaſt. parr. 3. num* 1676. ex noſtris Vvaldenſis *de Sacramtit. 9. cap. 89.* Petrus Vvaſtal. tribus libris vindiciarum, Lezana *tom. 1. in apparatu, cap. 9.* Daniel à Virg. Maria Vinea Carmeli, *à num. 1180. & 1197.* M. Franciſcus Bonæ Spei *de Concept. diſput. 3.* præſuppoſito quinto *à n. 137.* & latè.

Tritemius. Carmatus. Caniſius. Valentia. Poſſevin. Salian. Flores. Vvalden. Vvaſtali. Lezana. Daniel. Franciſc.

35. Eſto ex abundantia concedamus aliquid contra probitatem, ac integritatem fidei Ioannis, nil facit contra nos; nam quæ Ioannes dicit de origine Carmelitarum, cum habeantur in Bullis Apoſtolicis Summorum Pontificum, maximè ut vera reputanda ſunt, ſicut quamvis liber ſcriptus ab Henoch, ſit apocryphus, multis hæreticorum erroribus plenus, tamen ea, quæ Apoſtolus Iudas narrat de eo in ſua Canonica *num. 14.* maximè ut vera venerantur, & tenenda ſunt, ut notant cum D. Hieronym. Benedictus Iuſtinianus, Eſtius, Cornelius, & alij.

Iudas Apoſt. D. Hieron. Iuſtinian. Eſtius. Cornelius.

36. Videat ergo Lector, quo fundamento dici poteſt, quod *noſtra traditio nunquam tradita in nullo ſanctorum eſt inventa, imo nec graviſſimorum Doctorum.* Cum pro ſe habeat tot Romanos Pontifices, tot ſanctos Canonizatos, & in magno numero tot graviſſimos Doctores & antiquiſſimos, nam ut rectè argumentatur Theophilus Raynaudus citatus, hiſtorias à Patribus, & ſanctis viris traditas Eccleſiæ, maximè venerandas eſſe, & ideo ut certam habemus vitam S. Pauli Thebæi, & S. Hilarionis ſcriptam à S. Hieronymo Item & vitam S. Antonij à ſolo ſancto Athanaſio deſcriptam; quomodo quis negare audebit, quæ noſtra ſunt, cum tradita habentur à tantis Summis Pontificibus, à tantis ſanctis Canonizatis, à tot, & tantis, graviſſimiſque Auctoribus, ac antiquiſſimis, ac revelationibus approbatis à ſancta Eccleſia Catholica, & plus eis credendum, quam tali adverſario.

Theophy. S. Hieron. S. Athan.

Antiqui Carmelitæ multum profecerunt ſub doctrina Apoſtolorum.

37. Idem Auctor. Ait ſupracitatus Auctor n. 10. *Nam Carmelitana Religio, etiamſi verum ſit quod ab Apoſtolis fuerit propagata, & Chriſti diſciplina & conſuetudine imbuta, tamen cum Chriſti fidem accepit, & Apoſtolis adhæſit, & gratiam Spiritus ſancti obtinuit, labi cœpit, & à fervore illo, quem in Synagoga conſervabat, paulatim defecit.*

38. Valde mirum eſt dictum, nam ſi illi, qui erant in Synagoga & fidem Chriſti acceperunt, Spiritus ſancti gratiam ſunt aſſequuti, & Apoſtolis adhæſerunt, in magnos virtutum progreſſus profecerunt, ut planum eſt, & omnes fatentur; unde ergo colligitur, quod Carmelitana Religio, quæ tunc Apoſtolis adhærens, ab eiſque Chriſti diſciplina, ac doctrina imbuta, obtenta gratia Spiritus ſancti labi cœperit, ac deficere à ſuo fervore quem in Synagoga retinebat. Imò potius ipſum fervorem gratia Spiritus ſancti; in melius, ac excellentius tranſmutavit, maximè, cum ipſi eſſent adhærentes Apoſtolis, ſequendo, ac imitando eorum vivendi modum, ac Religionem cum tribus votis, ut citatus Auctor *n. 11.* fatetur de Eſſenis Theoricis fūdatis tempore Apoſtolorum, ut teſtantur Suar. *to. 3. de Relig. lib. 6. cap. 1. num. 3.* Serarius *lib. Trihæreſes c. 19. quæſt. 2.* Si vota iſtis conceduntur, cur neganda ſint Carmelitis contemporaneis Apoſtolorum, qui maximè aſſueti erant eorum ſermonibus, ac colloquiis beatiſſimæ Virginis, ut ſtatim dicam; ergo ſaltem ab Apoſtolis, quibus adhærebant, ac imitabantur Carmelitæ antiqui habuerunt vota.

39. Sacr. Congr. Quantum verò Carmelitæ profecerint ex doctrina Apoſtolorum, patet ex Decreto ſacræ Congregationis, bis approbato, ſemel à Paulo V. & iterum ab Urbano VIII. Iam in hac quæſtione citata, & dicitur: *Viri plurimi, qui veſtigiis ſanctorum Prophetarum Eliæ, & Eliſæi inſtiterant, & Ioannis Baptiſtæ præconio ad fidem Chriſti comparati fuerant, rerum veritate perſpecta, atque probata, Evangelicam fidem confeſtim amplexati ſunt; ac peculiari quodam affectu, Beatiſſimam Virginem (cujus colloquijs, ac familiaritate feliciter frui potuere) adeò venerari cœperunt, ut primi omnium, in eo Carmeli Montis loco, ubi Elias olim, aſcendentem nubeculam, Virginis typo inſignem conſpexerat,*

xerat, eidem purissimæ Virgini ſacellũ conſtruxerunt. Ecce quantum profecerunt antiqui Carmelitæ in Eccleſia Chriſti, ut primi omnium, ædificarent, ac conſecrarent ſacellum puriſſimæ Virgini, ut teſtatur ſacra Congregatio. Ipſos Carmelitas appellat Ioſeph Antiochenus jam citatus, perfectos Chriſti milites, coadiutores Apoſtolorum, ac viros ſtrenuiſſimos. Similiter antiquiſſimum Chronicon Romanum, & Euſebius Cæſarienſis jam allegatus; & ex iſtis viris Ordinis Prophetici, qui erant in Monte Carmelo, aſſumpſit, B. Iacobus Apoſtolus, ſanctum Elpidium, quem conſtituit primum Epiſcopum Toletanum, ut teſtatur Luitprandus, quod accepit ex certiſſimis exemplaribus fide digniſſimis, Thomas Tamar. de Vargas, Regis Catholici Hiſtoriographus, in ſua Bibliotheca, *n.* 101. & ait: *Sanctus Elpidius, quem ſanctus Iacobus Apoſtolus præfecit Toletanis primũ Pontificem, Carmelita monachus fuit, & in prima Petri concione cõverſus ad fidem;* & ſubdit n. 171. *Magna pars eorum, qui diſperſi in perſecutione ſancti Stephani, ad varias partes traiecerant, & ad Hiſpaniam plurimi venerant, erant ex Monachis Montis Carmeli, prædicationibus Chriſti, ac Apoſtolorum, ad fidem converſi, & poſt martyres effecti.* De multis Prophetici Ordinis, qui fuerunt aſſeclæ, ac diſcipuli D. Petri, ac aliorum Apoſtolorum, & in prædicatione Evangelica eorum coadiutores, tractant etiam Ioannes Ieroſolymitanus *lib. de inſtruct. Monachorum, cap.* 31. Groſſus Generalis *in ſuo viridario clavi.* 1 inſignis Vvaldenſis *tom.* 1. *Doctrina fidei, lib.* 4. *art.* 2. *cap.* 27.

Ioſeph. Antioch. Chronic. Rom. Euſebius. Luitprãdus. Ioan. Ieroſ. Groſſus. Vvalden.

Quæstio IV.

Satisfit quibuſdam Modernis, qui dicunt Carmelitas deſcendere ab Elia, non tamen ſecundum ſtatum religioſum.

SUMMARIUM.

40 *Obiectio adverſariorum.*
41 *Elias, & Eliſæus fecerunt vota.*
42 *Revelatio ſancto Petro Thomæ.*
43 *Verba B. Virginis, cum ſint beneficium ſummi Principis in proprio ſenſu interpretanda.*
44 *Locutio impropria per reſpectum ad ſenſum Genuinum, & litteralem importat fictionem.*
Chriſtus Dominus nunquam dixit verbum improprium, ibid.
45 *Pontifices approbantes Religionem Carmelitanam in eſſe Religionis dicunt habere ſucceſſionem ab Elia*

40. CVm noſtri Æmuli, adverſarij ſe videant oppreſſi, ac victi, tanta auctoritate, ac teſtimonio Summorum Pontificum, tanta approbatione ſacræ Cõgregationis Eminentiſſimorum Dominorum Cardinalium, tantis authenticis, & examinatis, ac approbatis revelationibus, & tam perenni traditione magnorum ſanctorum, ac illuſtriſſimorum virorum, tantoque pondere graviſſimorum Auctorum, ut in prima quæſtione hujus Reſolutionis monſtravi, dicunt; *omnia illa eſſe intelligenda de quadam hæreditaria ſucceſſione, quæ aut erit ſolitudinis, aut Carmeli, aut aliarum aſperitatum vitam ſolitariam, & contemplationi deditam, comitantium, & ſi velis etiam paupertatem, caſtitatem, & obedientiam eorum ſucceſſionem ſine voto tamen in eo monte ſervatam dici non contendam*, quia cum Religio abſque votis non conſiſtat, tunc non dabatur Religio, ac proinde illa ſucceſſio non eſt ſecundùm ſtatum Religioſum, ſed ſecundum aliquas obſervantias, & vitam contemplativam. Hæc cogitaverunt, ſed in vanum laboraverunt.

41. Primò contra; in illis Patribus antiquis Elia, & Eliſæo, ac filiis Prophetarum fuerunt illa tria vota obedientiæ, ac paupertatis, & caſtitatis, qualia dari potuerunt in illa antiqua lege imperfecta, ut oſtenditur infrà *Reſolutione* 3. ac proinde totum adverſariorum fundamentum corruit. Ac proinde Carmelitæ habent ab eis ſucceſſionem prout fuerunt cum talibus votis.

42. Secundò ex verbis ſanctiſſimæ Virginis Mariæ, quæ ſemper in omni adverſariorum cauſa pro ſuis Carmelitis ſtat, eoſque tuetur, ac defendit. Nam cum noſter D. Petrus Thomas anno 1351. in nocte Pentecoſtes maximè exoraret pro firmitate, ac ſtabilitate ſui Ordinis; ipſa ſacratiſſima Virgo apparens dixit ei: *Confidito Petre, Religio enim Carmelitarum in finem uſque ſæculi, eſt perſeveratura, Elias namque ejus inſtitutor, jam olim etiam à filio meo id impetravit.* Hæc revelatio eſt maximè authentica tripliciter examinata, & approbata in judicio contradictorio à ſacra Congregatione Eminentiſſ. Dominorum Cardinalium, & habetur in noſtro Breviario die 29. Januarij *in 5. lectione*, approbato à multis Romanis Pontificibus, ut ſuprà dixi *quæſt.* 1. *n.* 6. Tunc ſic arguo; ſanctiſſima Virgo loquitur de Religione Carmelitana, prout eſt duratura uſque in finem ſæculi, ſed ut ſic dicitur Elias ejus inſtitutor; ergo Elias eſt ejus inſtitutor cum ſubſtantia Religionis uſque in finem ſæculi Major, & minor patent ex ipſa revelatione. Conſequentia probatur; quia Religio ut tunc erat tempore revelationis, & juxta ipſam revelationem erit uſque in finem ſæculi, eſt cum ſubſtantia Religionis, ac cum tribus votis, ſed ut ſic Elias dicitur ejus inſtitutor; nam illa particula *ejus*, ad Religionem refertur; ergo Elias cum tali ſtatu eſt illius inſtitutor cum ſubſtantia Religionis, quæ conſiſtit in tribus votis, alias non poteſt dici illius inſtitutor, ſed cujuſdam vitæ ſolitariæ; ac eremiticæ, quod eſt quid valdè diverſum. Et confirmatur, quia ſanctus Petrus orabat pro ſtabilitate, ac firmitate ſuæ Religionis prout erat in præſenti cum tribus votis, ſed ut ſic dicitur à Beatiſſima Deipara illius inſtitutor Elias.

Sacr. Congr. Breviariũ.

43. Forſitan reſpondent Adverſarij, quod ſanctiſſima virgo loquitur impropriè, & lato modo: potiori jure dicam ego, quod ipſi loquuntur impropriè, quam quod ipſa Sanctiſſima virgo totius ſapientiæ, ac veræ proprietatis

fons,

fons, & matet, aliquid improprium dicat, & loquatur. Deinde hæc promiſſio de ſtabilitate Ordinis, fuit donum, ac beneficium ſupremi Principis, ac Reginæ Cælorum; beneficium autem ſupremi Principis, in omni genuino, ac proprio ſenſu, ad gratiam, & favorem eſt interpretandum, ac explicandum, ut fatentur omnes Iuriſtæ ex *cap. Cum olim de verborum ſignificatione*; & ex *leg. Beneficium de Conſtit. Principum*, pro quo multos Doctores in magno numero citat Sanchez *lib. 8. de Matr. diſp. à num. 4.* Suar. *8. de legibus cap. 27. num. 3.* Salas *diſp. 17. ſect. 6. n. 43.* Azor. *part. 1. lib. 5. cap. 23. quæſt. 2.* Ergo cum hæc revelatio extiterit magnum, ac peculiare beneficium ſupremæ Principis, ac Reginæ Cœlorum cum omni proprietate eſt explicandum.

Sanchez. Suar. Salas. Azor.

44. Confirmatur. Quia locutio impropria, per reſpectum, ad verum, & genuinum ſenſum, importat fictionem, & falſitatem, ut ex multis probant juriſtæ, Mendocius *de privilegio ad inſtar. quæſt. 2. num 15.* Menoch *d. arbitr. caſu 314. num. 13.* Gama Luſitan. *deciſ. 123. num. 2.* Cenedo *deciſ. 33. num. 2.* & multi alij, quos citat Barboſa *in dictionibus, diction. 252. num. 2.* ac proinde talis locutio ſimpliciter, & abſolutè non eſt vera, & patet in præſenti, ſi per reſpectum ad Religionem duraturam uſque ad finem ſæculi, hoc eſt cum ſubſtantia, & ſtatu Religionis, ut Deo confidimus, Elias dicitur ejus inſtitutor, cum revera non fuerit ſecundum ſtatum Religioſum, ſed tantum quoad aliquas pœnitentias, jam ſimpliciter, & abſolutè non eſt verum dicere, quod eſt ejus inſtitutor; ergo cum talis dicatur à ſanctiſſima Virgine, verè eſt ejus inſtitutor ſecundum ſtatum duraturam. Deinde, quia verba ſunt intelligenda, & interpretanda in proprio, & genuino ſenſu, maximè cum ſint prolata à perſona gravi, ac magnæ dignitatis, principis vel Regis, ut patet ex *l. Non aliter, ff. de legatis*, ex *l. cùm lege, ff. de Teſtam. l. 1. §. Quòd autem, ff. de coactione ultim. voluntatis*; & latè explicant Cravet. Pariſ. Decianus, Soto, Cardoſus, Tuſch. Mendez à Caſto, Salvianus; & alij, multi, quos citat ac ſequitur Barboſa *axiomate 222. n. 4.* Ergo & hæc maximè verba cum ſint prolata à ſuprema Regina hominum & Angelorum. Confirmatur iterum, Chriſtus nunquam in Evangelio quantum ſapio, quantum capio, nunquam locutus eſt verbum improprium; ergo nec ejus ſanctiſſima Mater.

Mendoc. Menoch. Gama. Cenedo. Barboſa.

Cravetus. Pariſiſ. Decianus. Soto Cardoſus. Tuſchuſ. Barboſa. Mendez. Salvien.

45. Tertiò contra prædictam ſententiam Romani Pontifices confirmantes, & approbantes Religionem Carmelitarum, cum ſubſtantia, ac ſtatu Religioſo, ac cum tribus votis, ac obedientia Priori Generali, ut Ioan. XXII. Alexander V. Sixtus IV. & alij, quos citavi in hac *Reſolut. quæſt. 1. num. 1.* Vel ignorant Auctorem hujus Religionis, vel agnoſcunt vel ab hac re ſe abſtinent, & nolunt judicium proferre, ſed quidquid dicatur, in contrarium adurget contra ſe argumentum, non poteſt dici, quod ignorent, quia Summus Pontifex in omnibus, quæ agit, ac diſponit, magnam habet circumſpectionem, & cognitionem, *cap. 1 de conſtitutionibus*, & omnia illa videntur & examinantur à ſacra Cõgregatione Illuſtriſſimorum Cardinalium, multis monumentis adhibitis, magno interpoſito examine, adiunctis doctiſſimis viris. Etſi aliquid in hac re non certo cognoſcit, non affirmat, ſed ſe abſtinet, & ſuſpendit judicium; atqui Pontifices agentes, & approbantes Religionem Carmelitanam, cum ſubſtantia, & ſtatu Religioſo, non ſuſpendũt judicium, ſed affirmant habere ſucceſſionem ab Elia, & Eliſæo, eoſque eſſe ejus Auctores; ergo dicunt eos eſſe ejus Auctores, ac inſtitutores, non ſolum quoad aliquas aſperitates, ſed etiam quoad ſubſtantiam Religionis, quam confirmant, & approbant. Confirmatur, quia tota ſubſtantia Religionis conſiſtit in votis; ergo qui inſtituit, & dat vota, eſt inſtitutor talis Religionis. Atqui Romani Pontifices confirmantes, & approbantes noſtram Religionem, ſolum aſſignant Eliam, & Eliſæum, à quo habeamus ſucceſſionem, noſtroſque Auctores eſſe; ergo hi tantum ſunt illius inſtitutores Probatur hæc conſequentia, quia Pontifices, nec nominant Albertum, nec Aymerium, nec Ioannem 44. ſed tantum Eliam, & Eliſæum; ergo hi non ſolum ſunt Auctores quoad aliquas aſperitates, ſed etiam quoad ſtatum Religioſum; de quo agunt, approbant, & confirmant.

Ioan XXII. Alexand. V. Sixtus IV.

Quartò; quia ut docet D. Thomas *2. 2. quæſt. 186. art. 6. ad 2.* permanentia, ac conſiſtentia ſtatus non poteſt perdurare, ac perſiſtere niſi aliquo voti vinculo interveniente, & quia familia inſtituta ab Elia perduravit uſque ad Chriſtum Dominum, ut dixi ſuperiori quæſt. *num. 39.* ex Decreto ſacræ Congregationis; ergo conſequens erat, ut eſſet ibi aliquod voti ligamen, quæ latiùs dicam infrà *Reſolut. ſequenti*, dum oſtendam in Elia, ac Eliſæo vota. 46. D. Thom.

QUÆSTIO V.

Explicatur confirmatio Religionis Carmelitanæ.

SUMMARIUM.

47 *Religio Carmelitana ex tacito conſenſu Apoſtolorum eſt confirmata.*

48 *Patriarchæ antiquitus confirmabunt, & approbabant Epiſcopos.*

49 *Patriarchæ, & Epiſcopi ſanctos Canonizabant.*

50 *Patriarchæ, & Epiſcopi ante Concilium Lateranenſe Religiones approbabant, & num. 51.*

52 *Quod maximè viſitur in Religione Carmelitana, de qua re optimè Trithemius.*

53 *Approbatio data à multis Romanis Pontificibus, dum dicunt Ordinem, Religionem Virg. de Monte Carmelo.*

54 *Approbatio ex Concilio Lateranenſi.*

55 *Approbatio data ab Alexandro. III. Innocentio III. Honorio III. cum magno miraculo.*

56 *Approbatio data à Concilio Lugdunenſi, & num. 57.*

58 *In ſolido vera Lectio, non vero in ſolito, &*

60 *Et ſi*

60 *Etsi admittatur in solito, nihil facit contra nos.*
61 *Proponitur Glossa.*
62 *Explicatur Glossa, & n.63.*

447 REligio Carmelitana multiplici confirmatione gaudet. Et primo potest dici approbata, & confirmata ex tacito usu, ac permissione Apostolorum; nam Carmelitæ fuerunt coexistentes cum Apostolis, ut ex sacra Congregatione, Ioseph Antiocheno, ac multis aliis dixi suprà *quæst. 1. num. 32.* Ab ipsisque Apostoli fuerunt docti in doctrina, ac perfectione Evangelica, eisque fuerunt coadiutores in prædicatione fidei Christi, eisque multũ in hoc ministerio inservierunt, & Vvalden. ita ait noster celebris Doctor Thomas Vvaldensis *tom.1. Doctrinalis fidei lib.4. art. 2.c.27.* ex Iosepho Antiocheno, ac Ioanne Ierosolymitano. *Nec dedignentur Clerici Moderni, monachos Religiosos, in Ecclesia Dei coadiutores habere, quos sancti Apostoli dedignari nolebant, cum tamen præsentes Clerici non sint suis Patribus præstantiores, nec sanctiores Apostolis.* Ergo modus vivendi Antiquorum Carmelitarum, cum essent coadiutores Apostolorum, saltem ex tacito, ac communi eorum consensu, ac permissione censendus est approbatus ab ipsis Apostolis, nam tacitus consensus Principis, videntis, & scientis dat approbationem actui, ut ex multis probat Sanchez *lib.8. de Matrim. disp.4. num.26. Azor lib.5. Institut. Moralium cap.15.* Diana *part. 3. tract.4. de sacram Resolut.68.* Ad magis peculiaria descendamus.

Sanhez. Azor. Diana.

Confirmatio ab Antiquissimis Patriarchis.

48. D.Isidor. Patriarcha à nomine Græco, teste D. Isidoro *lib. 7. Etymolog. cap. 7.* idem est, *ac Summus, & major Patrum*; eorum auctoritas erat valde ampla, ut Patriarcha Alexandrinus haberet sub se plusquam ducentos Archiepiscopos, & Episcopos cum plenaria potestate, eos visitandi, reformandi, deponendi, ac confirmandi, ut patet ex *Concilio Niceno, cap.4.* quod postea reservatum est ad Romanum Pontificem, ut notat cum multis Barbosa *de potestate Episcopi tit.1. cap.1. n. 22.* & deinceps.

Concil.Nic. Barbosa.

49. Vvaldens. Castellan. Layman. Baldellus. Secundò. Patriarchæ, ac Episcopi sanctos Canonizabant, ut notant N. Vvaldens. *tom.3. de sacram, tit.14. cap.122.* Iacobus Castellan. *de Canonizat. quæst. 3. art. 1.* Lyman. *lib. 4. tract.7. cap. 5. num. 1.* Baldellus *tom. 2. lib.3. disp.12. num.25.* Nec enim Antiqui sancti, ut D. Athanasius, D. Nicolaus, D. Antonius, ab alio sunt canonizati, nisi ab Episcopis, ut Bellarm. notat Bellarm. *tom.1. lib.1. de Beatitudine sanctorum, cap.8.* Qui etiam ait, *ni fallor.* Leo III. qui fuit electus anno 796. Primum sãctorum numero adscripsit sãctum Guibertum. Postea Innocentius III. sedit anno 1130. secundum canonizavit sanctum Hugonem Episcopum Gratianopolien sem. Hoc tamen totum faciebant Episcopi ex tacito consensu, ac approbatione Romani Pontificis, ut advertunt Ægidius. Ægydius Lusitan. citans nostrum Vvaldenvvaldens. sem, & alios *lib.3. de concep. quæst.6. art.1. §.11. per totum.* Granado *to. de fide tr.7. disp.7. sect.3.* Granado. Eusebius Nierembergius *de Institutione festi Conceptionis §. De variis formis Canonizationum.* Eusebius. Nunc verò sanctos Canonizare, vel beatificare ad solam sedem Apostolicam pertinet, Alex.III. ut determinavit Alexander III *cap. Audivimus*, & Innocentius III. *cap. ex eo de reliInnoc. III. quiis, & veneratione sanctorum.*

50. Tertiò; Patriarchæ, & Episcopi pro illo tempore antiquo ante Concilium Lateranense, confirmabant, & approbabant sacras Religiones, quod patet ex Concilio Chalcedonensi sub Leone I. an. 444. vel ut alii volunt anno 474. *sess. 15. c. 4.* & ex Concilio Agathensi, sub Symmacho Summo Pontifice anno 506. & refertur *causa 14. quæst 2. cap.13.* ubi dicitur. *Cellulas novas, aut Congregatiunculas Monachorum absque Episcopi notitia prohibemus institui.* Ubi Concilium prohibet, nova Monasteria, novasque monachorum Congregationes fieri, ac institui, sine Episcopi notitia, ac facultate, ut ipse potestate à Conciliocommissa, ut illius legatus tales Congregationes novas, valeat approbare, confirmare, vel rejicere, ac reprobare. Cõc. Chalc. Cõc. Agath.

51. Et quod Patriarchæ, ac Episcopi pro illo tempore antiquo Religiones confirmabant, & approbabant, conveniunt in hoc omnes Auctores: quos legi, Abbas, Cardinalis Zabarella, Ioannes Andreas, Hostiensis *cap. unico de Religiosis domibus, in 6.* & in Extravaganti *sancta Romana Ecclesia*, Rodriguez, Azor, Miranda, Navarr. apud Barbosam *in cap. Nenimia de Religiosis Domibus.* Religiones enim antiquæ, ut D. Antonii, D. Basilii D. Benedicti, D. Augustini, nullam aliam habuerunt confirmationem, nisi tantum ab Episcopo, ut notant Bellarmin. *tom.1. lib.2. de Monach. c.4.* Lessius *lib.4. cap.41. dub.1. n.52.* Menochius *de arbitrariis, casu 421. num. 18. centuria. 5.* & alii innumeri Auctores, qui omnes constanter tenent, quod tunc approbatio dabatur ab Episcopo non repugnante, sed sciente, ac consentiente Summo Pontifice, ac ratum habente. Abbas. Cardinalis. Ioan. Andr. Hostiens. Rodrig. Azor. Miranda. Bellarm. Lessius. Menoch.

52. Quod maximè apparet in nostra Religione Carmelitana, quæ confirmata, & approbata fuit per antiquos Patriarchas, per Ioannem Ierosolymitanum 44. anno Domini 441. ut patet ex libro de institutione Monachorum; & per Aymericum Patriarcham Antiochenũ legatum Sedis Apostolicæ in terra sancta anno 1141. ut testatur D. Cyrillus Constantinopolitanus *lib. de processu Ordinis, & variis Regulis, c.4.* Et per Albertum Patriarcham Ierosolymitanum, anno 1205. vel ut alii 1209. de qua re audiendus est Trithemius *lib. de ortu, & laudibus Carmel. cap.5.* & ait: *Qui Papa confirmavit veteres Ordines Pachonii, Basilii, Augustini, & Benedicti? Nusquam invenies hos Ordines litteris confirmatos à principio. Enim verò, quos sanctitas multorum approbat, quos longa vetustas confirmat, quis nisi mentis inops, & stolidus infringat? Si Ordines præfatos, sancta confirmat antiquitas. Ordo Carmelitarum Fratrum, qui antiquissimus est, nullius confirmatione opus habet. Longè enim præcessit Romanos Pontifices, qui ex Elia Propheta exordium sumpsit. Hac dixerim, non quod Carmelitarum ordo Apostolico* Ioan. Ierosol. Trithemius

careat munimine; ſed ut æmulos odio motos oſtenderem, non ratione integritatis moveri. nam poſtquam fratres hujus Religionis in Europam venerunt, expulſi de Paleſtina, multi Summi Pontifices Ordinem ipſum confirmarunt, de quibus Alexander Papa III. unus extitit, poſt quem Innocentius III. idem fecit. Amborum veſtigijs inhærens Honorius III. multis adjunctis privilegijs Ordinem, & Regulam comprobavit. Hæc doctiſſimè ſcribit Trithemius, quæ abundanter ſufficiunt ad hanc veritatem oſtendendam.

Confirmatio Carmelitana ex dato titulo à Summis Pontificibus.

53. Romani Pontifices.

Vt jam dixi ſuprà in hac *Reſolut. quæſt. 16. num. 16.* Summi Pontifices antiqui Religioſos noſtros prædeceſſores vocarunt, ac dixerunt, Fratres Ordinis, ac Religionis Beatiſſimæ Virginis Mariæ de Monte Carmelo, ut Stephanus V. qui floruit anno 816. Leo IV. anno 847. Adrianus II. 868. Sergius III. 907. Ioannes X. 913. Ioannes XI. anno 931. Alexander II. anno 1061. ut jam notavi ſuprà *quæſt. 2. num. 24.* Et alij multi Summi Pontifices conceſſerũt varias indulgentias viſitantibus Eccleſias Fratrum Ordinis Beatiſſ. Virginis Mariæ de Monte Carmelo. Cùm ergo Summi Pontifices eos benè agnoſcentes dicant Ordinem, Religionem, in tali ſtatu Regionis, & Ordinis eos conſtituunt, & creant; ſicut ſi Summus Pontifex benè agnoſcẽs hominem, eum appellet Doctorem, Abbatem, talem gradum ei confert. Etſi Rex hominem benè agnoſcens eum dicat Comitem, Marchionem, Ducem, ad talem dignitatem eum elevat, talique honore condecorat, in eoque deinceps conſtituit, ita tenent, & docent Bartolus *l. finali ff. de collegijs.* Innocentius, Ioannes Andreas, Imola, Hoſtienſis *in cap. Cum ab Eccleſiar. de officio judicis ordinarij*, Cardinalis *in Clement. ſi ſumus de ſententia excommunicat.* §. 1. Brutius *in proœmio Gregoriano*, Caſtrenſ. *conſil. 6. col. fin. verſ. Cum igitur, lib.* 1. Molin. *de primogen. lib. 1. cap. 11. n. 29.* poſt Bartolum, & alios, ac multa loca iuris, ait in hæc verba formalia. *Sufficit tamen, ſi Princeps poſt mortem parentis, ſive litteris, ſive verbo, Ducem, Comitem, ſeu Marchionem cum vera ſcientia appellaverit, ſola nãque nominatio Principis, ſimiles dignitates concedit.* Similiter Maſtrillus de Magiſtratibus, *lib. 6 4. c. 2. num. 16.* ait: *Princeps ſuo ſolo verbo conſtituit Duces, Marchiones, Comites, & ſimiles.* Et allegat Bartolum, Alexand. Angelum Ponte, Cancer. & alios. Ergo cum Romani Pontifices antiquiſſimi noſtros anteceſſores appellaſſent Fratres Ordinis, ſeu Religionis Beatiſſimæ Virginis de Monte Carmelo, eos crearunt, conſtituerunt, confirmarunt, in vera dignitate, ac ſtatu, & ſubſtantia Religionis, ac Ordinis.

Bartolus. Innocent. Ioan Andr. Imola. Hoſtienſis. Card nalis. Brutius. Caſtrenſis. Molina. Maſtrillus. Bartolus. Alexand.

Approbatio Carmelitana ex Concilio Lateranen.

54. Conc. Later.

Valdè inſigne generale Concilium Lateranenſe celebratur ab Innoc. III. anno 1215. menſe Novembris in Baſilica Lateranenſi, præſidente ipſo Innocentio III. & in eo interfuerũt 412. Epiſcopi, cum duobus Patriarchis, videlicet Conſtantipolitano, & Hieroſolymitano: Præcepit, ac determinavit Concilium *cap. 13.* & refertur *cap. 9. Ne nimia. de Religioſis Domibus*, ubi dicitur: *Ne nimia Religionum diverſitas gravem in Eccleſia Dei confuſionem inducat; firmiter prohibemus, ne quis de cætero novam Religionem inveniat, ſed quicumque ad Religionem converti voluerit, unam ex approbatis aſſumat.* Nota ultimum verbum. Atqui ante Concilium Lateranẽſe, Religiones non approbabantur, nec erant approbatæ à Sede Apoſtolica, ſed tantum à Patriarchis, ac Epiſcopis, ut jam ſuprà notavi in hac *quæſt. num. 50.* Ergo prædictæ illæ Religiones, quæ ante Concilium erant approbatæ, ut Religiones D. Baſilij, D. Benedicti, D. Auguſtini, & Carmelitarum, dicuntur & habentur à Concilio ut approbatæ: *Vnam ex approbatis*: Et cum Concilium eas dicit approbatas, earum approbationem, quam habebant, approbat; nam ante Concilium expreſsè, & apertè aliæ probationes non dabantur, niſi ab Epiſcopis. Et totus hic diſcurſus ex ſuis terminas patet, ut nõ ſint neceſſarij Textus, nec Gloſſæ, nec Auctores, & patet ex proximè dictis ſuperiori *num. 53.* ex eo enim, quod à Papa dicuntur approbatæ, ut approbatæ ſunt reputandæ; deinde, quia Religio Carmelitana poteſt dici approbata ab anteſſoribus Summis Pontificibus, ut eodem numero dixi.

Approbatio Carmelitana ab Alexandro III. Innocentio III. Honorio III.

55. Bellarm.

Illuſtriſſimus Dominus Cardinalis Bellarminus *in ſua Chronologia, lib. de ſcriptoribus Eccleſiaſticis*, ait: *Ordo Carmelitarum confirmatur ab Alexandro III. anno 1180. Item ab Innoc. III. anno 1199. Item ab Honorio III. anno 1216.* Pro qua re, etſi multi Auctores extent, unus ſufficiat tamen citatus Bellarminus ob ſuam ſingularem eruditionem, probitarum, ac magnam cognitionem, quam habebat Bibliothecæ Xaticanæ, confirmatio data ab Honorio III. magno miraculo contigit; nam cum noſtri Religioſi poſtularent confirmationem Ordinis ab Honorio, ut refertur in noſtro Breviario approbato à ſacra Congregatione in Feſto Commemorationis die 16. Iulij: *Quod cum apud Honorium III. non pauci pro illius extinctione inſtarent. Aſtitit noctu puriſſima Virgo, planéque juſſit, ut inſtitutum, & homines benignè complecteretur.* Et etiam mirabiliter contigit, ut illa eadem nocte duo Palatini crudeliſſimi æmuli, ac adverſarij Religionis perierunt, & mortui ſunt, audivit hæc Honorius, & dato diplomate, dictum Ordinem, ac vivendi rationem confirmavit, & approbavit, Bullam integram refert Laërtius Cherubinus apud *Bullar, tom. 1.* in Honorio III. *conſtitutione* 8. De hac confirmatione, & de hoc magno miraculo Virginis, faciunt mentionem graviſſimi Auctores, Caſſaneus de gloria in catalogo; *Gloriæ mundi 4. part. conſiderat. 8.* Pineda in Monarchia

Breviar. Laërtius. Caſſaneus. Peneda.

Rodrig. Ægid. Luſit. cap. 23. Rodriguez *tom. 1. q. 2. art. 5.* Cardinalis Bellarm. *citatus* Ægidius Luſitanus, *lib. cui Titulus. Primas Auguſtinianus, lib. 1. cap. 3.* §. *Abrahamus.* Bzovius *tom. 13. Annat. anno Chriſti 1217. n. 12.* Palenidorus, Thomas de Jeſu, & alij.

Bzovius.

Confirmatio Carmelitana facta in Concilium Lugdunenſi.

56. Summus Pontifex Gregorius X. celebravit ſecundum Concilium Generale Lugduni, & inde dicitur Lugdunēſe die 7. Maij anno Domini 1274. ferè quinquaginta novem annis poſt celebratum Concilium Lateranenſe, in quo adfuit ipſe Summus Pontifex Gregorius, & ſimul interfuerunt multi Prælati, Epiſcopi, Abbates, Priores, & Legati tam ex Latina, quam ex Græca Eccleſia; ex hoc Concilio deſumitur *cap. Vnicum, de Religioſis domibus, in 6.* & Textus loquitur de Religionibus Mendicantibus, & poſtquam Summus Pontifex ibi determinat, quod omnes Religiones præcipuè mendicantes, quæ pullularunt poſt Concilium Lateranenſe extinguantur, ſi non ſint approbatæ per Sedem Apoſtolicam; & ſi fuerint, quod aliquos denuo non admittant, nec nova loca acquirant.

57. Prædictus Cōcilij Textus quatuor habet partes In tertia ſic dicitur. *Sanè ad Prædicaterum, & Minorum Ordines (quos evidens ex eis utilitas Eccleſiæ univerſali proveniens perhibet approbatos) præſentem non patitur conſtitutionem extendi. Caterum Eremitarum Sancti Auguſtini, & Carmelitarum Ordines, quorum inſtitutio dictum Concilium Generale præceſſit in ſolido ſtatu volumus permanere.* Mens Concilij juxta omnes hæc eſt; citatum Concilium Lugdunenſe mandat extinguere omnes Religiones Mendicantes, ſive approbatæ, ſive non approbatæ fuerint à Sede Apoſtolica poſt Cōcilium Lateranenſe ſub Innocentio III. & quia illuſtriſſimæ familiæ Prædicatorum, ac Minorum à ſuis Sanctiſſimis Patriarchis inſtitutæ fuerunt poſt Concilium Lateranenſe, & approbatæ ab Honorio III Quiſucceſſit Innocentio III. Tunc ait Concilium Lugdunenſe, quod has duas ſanctiſſimas familias, etſi poſt Concilium Lateranenſe, quod eas non comprehendit in ſuo Decreto, ob uberes fructus, quos in Eccleſia Dei proferunt. Deinde diſponit Concilium Lugdunēſe de illis Religionibus Mendicantibus, quæ fuerunt ante Lateranenſe, & ait: *Caterum Eremitarum S. Auguſtini, & Carmelitarum, quorum inſtitutis dictum Concilium Generale præceſſit, in ſolido ſtatu volumus permanere.*

Conc. Lugd

58. Cum ait: *In ſolido ſtatu volumus permanere.* Quid aliud ſignificat, niſi quod in ſuo firmo, conſtāti, ac ſtabili ſtatu, quem antea habebat, approbatum, & confirmatum per tot Romanos Pontifices permaneat, & ita ait Ioannes Monochius ad dictum Text. *Carmelitarum, & Eremitarum Sancti Auguſtini Ordines confirmat.* Guido ſuper eadem verba. *Iſti Ordines ſunt totaliter confirmati*, & Ioannes X X II. Pontifex in privilegio exemptionis Ordinis Carmelitarum, & habetur in mari magno *Sixti IV. n. 5.* Recitantis prædictum Textum Concilij, ait: *Nos autem ad dictum Ordinem*

Ioan. Mon.

Guido Ioan. XXII.

quem in ſtatu firmo, ſolido, & ſtabili decrevimus, & volumus permanere. Quod multi ex noſtris tuentur Philippus Ribbotius *de inſtitutione, & peculiaribus geſtis Carmelitarum, p. 8.* Speculum Ordinis c. 14. ex Patribus Auguſtiniā. Doctiſſimus Ioannes Marques, *lib. de Origine Ordinis S. Auguſtini.* Inſignis Magiſter Ægidius Luſitanus *lib. Cui Titulus. Primas Auguſtinianus, lib. 7. cap. 5. in fine*, & refert pro hac noſtra ſententia, Dominicum à Sancto Geminiano, & Archidiaconum ad dictum Textum, pro qua etiam ſtat Renatus Chopinus *lib. 2. Monaſtic. Tit. 1. n. 29.*

Phil. Ribbot. Specul. Ord. Ioan. Marh. Ægid. Luſit. Dominic. Archid.

59. Obiicitur tamen, quia legunt aliqui *in ſolito ſtatu.* Quæ lectio eſt mendoſa, & falſa, ut notāt Philippus Ribbotius *citatus*, & Ioannes Marques citato *lib. de Origine Ordinis S. Auguſtine, cap. 2. §. 4.* & inquiunt: *Sive hoc acciderit ex vitio Scriptoris, ſive, ex invidia æmulorum.* Deinde quia Bonifacius V I I I. in ſua Bulla, quæ habetur *in principio, in 6.* Decretalium adhibitis multis Viris doctis: *Aliquibus in toto, vel in parte mutatis, multiſque correctionibus, & additionibus factis in ipſis confirmavit*, & approbavit ipſum Textum Decretalium prout eſt in corpore juris, & præcipit, ut ita ſequatur, ac teneitur in iudicis, ac ſcholis; in corpore autem iuris legitur in ſolito ſtatu; ergo ita legendum, ac tenendum eſt.

Ribbot. Marques.

60. Tamen non renuo, ſed retineo talem lectionem, quæ maximè conſideranda eſt: in ſolito ſtatu adiuncto verbo *ermanere*: nam ſolitum dicit, ac reſpicit ſtatum, & formam antecedentem, §. *Pavonum Inſtitut. de rerum diviſione*, & *in l. lege*, §. *Igitur*, *ff. de verborum ſignific.* & *l. ſi quis donaturus*, *ff. de uſufructu.* Perett. *ad Extravag. Ambitioſæ, verb. de rebus Eccleſiæ non alienandis, à num. 35.* Decianus *lib. 2. conſil. 37. num. 48.* Caſtro *lib. 2. conſil 30. num. 3.* & alii plures, quos citant, ac ſequuntur Cardinalis Tuſchus *tom. 7. concluſione 334. num. 47.* Barboſa *in Dictionibus, Dictione 376. num. 1.* Cum ergo ait Concilium volumus in ſuo ſolito ſtatu permanere, hoc eſt, ut permaneant in ſuo ſtatu, ac forma antecedenti; & qualis erat ſtatus, & forma Carmelitarum antecedens Concilio, erat Religio approbata, & confirmata à Romanis Pontificibus Alexandro I I I. Innocentio III. Honorio I I I. ut ſupra vidimus. (Idem dicendum de Eremitis D. Auguſt. ut ejus Religioſi dilucidè demonſtrant) ergo in ipſo ſuo ſolito ſtatu approbationis, ac confirmationis determinat Concilium, ut permaneat, ac perſiſtat. Imò ipſam approbationem, & confirmationem, quam obtinebat Religio Carmelitana ab antecedentibus Pontificibus Concilium confirmat, & approbat, dum ait: *Volumus permanere.* Nam *volumus* dicit liberum, & abſolutum arbitrium, *l. cum quidam, ff. de legat. 2.* & multis probat Menoch. *de Præſumptionibus, lib. 4. Præſumpt. 188. n. 13.* & *de Arbitrar. lib. 1. q. 7. n. 2.* & 3. hoc autem arbitrium determinatur ex verbo adjuncto *permanere*, quod dicit conſiſtentiam, perſeverantiam, ac durationem in tali ſtatu, ut cum Bartolo, Alexandro, ac aliis tenet Barboſa *in Dictionibus, Dictione 436. numero quinto*, ergo cum Concilium determinat, quod Religio Carmelitana permaneat, perſiſtat, ac perſeveret in ſuo

Tuſchus. Barboſa. Menoch. Bartol. Alexand. Barboſa.

ſolido ſtatu, ſeu ſolito ſtatu, confirmationem, & approbationem Apoſtolicam, quam habebebat approbat & confirmat Concilium.

61. Objiciunt iterum Adverſarij. Quia Gloſſa ad citatum locum. *In ſolito ſtatu.* Cum loquatur de Religione Eremitarũ S. Auguſtini, & Carmelitarum, ait Gloſſa : *Alia littera dicebat in ſuo ſtatu volumus permanere, donec de ipſis fuerit ordinatum. Intendimus enim tam de ipſis, quam de reliquis etiam non mendicantibus providere, prout animarum ſaluti, & eorum ſtatui videbitur expedire.*

Gloſſa.

62. Reſpondeo. Quod talis Gloſſa nihil facit contra nos. Et primò, Gloſſa paſſim rejicitur, reprobatur, & non admittitur. Secundò, quia Bonifacius VIII. in ſua Bulla adducta prohibet recipi alias Decretales in judiciis, & ſcholis, præter dictas, & quæ ſunt in corpore juris, quæ ut ipſe ait, per Viros doctiſſimos ſunt emẽdatæ multis correctionibus, ac detractionibus. Ac proinde talia verba nunquam fuerunt in Decretali, & ſi fuerunt correcta, & emendata ſunt. Deinde ut rectè ait Philippus Ribbotius Provincialis Cathaloniæ jam citatus, ſi illa verba auferunt approbationem Eremitis D. Auguſtin. ac Carmelitis, auferunt etiam approbationem omnibus Religionibus non Mendicantibus, ut patet ex verbis Gloſſæ, quod eſt falſum, & nullo modo dicendum; ergo ſi illa verba admittantur, ut ait ipſe Philippus tantum procedunt ad oſtendendam poteſtatem Eccleſiæ Romanæ, quam habet circa Religiones, ad providendum circa illas, prout placuerit ei : nam ut ait Doct. Ioannes Marques jam citatus *de origine Ordinis Eremitarum S. Auguſtini, cap.* 2. §. 4. & 5. non poteſt vocari in dubium velle Concilium extinguere Religiones valdè utiles Eccleſiæ, tot & tantis Viris illuſtriſſimis. Nam Religio Carmelitarum magno, & admirabili miraculo fuit approbata ab Honorio III. ut ſupra dixi *n.* 55. Deinde in illa ætate quatuor Sancti Religionis Carmelitanæ floruerunt S. Angelus, S. Bertoldus, S. Bocardus, S. Cyrillus Conſtantinopolit.

Bonif. VIII.

Ribbot.

Marques.

63. Reſpondet M. Lezana *tom.* 4. *Annalium anno Chriſti* 1274. *pagina* 415. *num.* 7. Quod illa verba : *Donec de illis fuerit ordinatum*, intelligenda ſunt quoad aliquas Conſtitutiones, & obſervantias. Dicam etiam, quod mihi videtur ; dato quod admittatur talis Gloſſa, *Donec de illis ordinatum.* Eremitæ Divi Auguſtini morabantur in Eremis, ſicut etiam Carmelitæ multis in locis, ut patet ex Regula : *Loca habere poteritis in Eremis.* Poſtea verò Romani Pontifices conceſſerunt ut hæ Religiones ad ſalutem, & fructum animarum ad Civitates convenirent, & in eis inhabitarent. Hoc poſito ait Gloſſa, ut hæ duæ Religiones, *in ſolido ſtatu, ſeu ſolito ſtatu permanerent*, juxta ſuas confirmationes Apoſtolicas, ut habitarent in Eremis, donec aliter ordinatum ſit à Sancta Sede Apoſtolica, ut ad ſalutem animarum, ad civitates, ac populos ad inhabitandum advocarentur. Satis elegantèr audiendus eſt Petrus Brunus dandus *quæſtione ſequenti, in fine.* Poſtea verò Religio Carmelitana per multos Summos Põtifices Innocentium IV. Alexand. IV. Urbanum IV. Eugen. IV. Nicol. V. Clem. IV. & alios multos ad inhabitandum in civitatibus diſpoſitum eſt.

Lezana.

Petr. Brun.

QUÆSTIO VI.

Quare Religio Carmelitana, cum tam antiqua ſit, tamen inter Mendicantes ponitur, ac ſcribitur in ultimo loco?

SUMMARIUM.

64 *Quatuor ſunt Religiones Mendicantes ex jure.*

65 *Ratio dubitandi.*

66 *Carmelitæ veniunt ex Syria vexati, & præ humilitate quieſcunt in quolibet loco.*

67 *Magnus, certus de ſua nobilitate, non contendit de loco.*

68 *Carmelitæ, & Eremitæ S. Auguſtini, cum habitarent in deſerto, vocantur à Summo Pontifice Innoc. IV. ad portandas ſarcinas filiorum Eccleſiæ, ac ad ſalutem animarum.*

MEndicantes dicuntur à mendicitate ; & quatuor ſunt Religiones Mendicantes ex jure, & patet *c. unico, de Religioſis domib. in* 6. ubi agitur de Religionibus præcipuè Mendicantibus. Vt ibi dicitur §. 1. *Verum etiam aliquorum præſumptuoſa temeritas diverſorum Ordinum præcipuè Mendicantium.* Et iterum *eodem* §. *Cunctas affatim Religiones, & Ordines Mendicantes* & §. 2. dicitur : *Per quæſtum publicum tribuere victum ſolet incerta mendicitas* Et randem §. 3. *expreſſè nominantur quatuor Religiones, Prædicatorum, Minorum, & Eremitarum S. Auguſtini, & Carmelitarum.* Hæ quatuor Religiones nominatim exprimuntur in dicto Textu cum de Mendicantibus agitur; ergo hæ quatuor ſunt de jure mendicantes. Gloſſa *in in Clem. de Regular. tranſeuntib.* §. *quoſlibet* Lap. *alleg. n.* 44. Iſid. Moſcon. Zerol Azor. Miranda, Galatinus, & alij multi, quos citat, & ſequitur Barboſ. *de poteſt. Epiſcop. p.* 3. *alleg.* 77. *n.* 16. & *de appell. verb. appell.* 147. *n.* 1. Et nota quod privilegium Mendicantium conceſſum Prædicatoribus, & Minoribus *in Clement. Dudum, de ſepulturis*, conceditur *in Extravaganti frequenter de judiciis*, pro Carmelitanis, & Auguſtinianis, quod utrumque eſt de corpore juris, de quo vide ſupra *Opuſcul.* 2. *Reſolut.* 23. *quæſtione ſecunda, numero nono*, & inſuper, quales eſſent Mendicantes quatuor Religiones declaravit Pius V. *in ſua Bulla* 22. incipit *Romanus Pontifex tam univerſalis*, dicens *motu proprio, Non ad ipſorum fratrum vel alicujus eorum nobis ſuper hoc oblatæ petitionis inſtantiam, ſed ex certa ſcientia, ac de poteſtatis Apoſtolicæ plenitudine omnes & ſingulos quatuor Mendicantium Ordinum videlicet Sancti Dominici, Sancti Franciſci, ac Eremitarum S. Auguſtini, necnon Carmelitarum, inter quos etiam numerari volumus ſervorum B. Mariæ.* De quorum privilegiis multæ aliæ Religiones gaudent, & fruuntur, de quo latè citatus Barboſa; & Cle. VIII. in ſua Bulla, quæ incipit *Decet Romanum Pontificem, n.* 1. declarat noſtros Patres Diſcalceatos eſſe unam ex quatuor Religionibus Mendicantibus, &

64.

Gloſſa. Lap. Iſidor. Moſcon. Zerol. Azor. Miranda. Galatinus. Barboſa.

Clem. VIII.

& temeritatem, qui hoc audebant negare ſub excommunicatione latæ ſententiæ prohibet Bulla refertur *in Compendio Bullarum noſtrorum Diſcalceatorum, fol.* 218.

65. Ex quo inſurgit vulgare dubium, ſi Religio Carmelita tanta antiquitate illuſtratur; ſi priorem inſtitutionem habuimus, quam cæteræ Religiones, & noſtra ſacra Religio tanta firmitate, ac approbatione Apoſtolica munita eſt. Quare ergo in Capella Sanctiſſimi Domini Papæ, ac in proceſſionibus, & narrativa juris, ac Conſtitutionum Apoſtolicarum, non primum, ſed ultimum locum habemus, ſicut & in ſermonibus, qui habentur in Capella Sanctiſſimi Domini Papæ in Adventu, & Quadrageſma. Primum prædicant Dominicani; Secundum Franciſcani; Tertium Auguſtiniani; Quartum Carmelitæ. Et in Quadrageſima quintum Servitæ qui juxta citatam Bullam Pij V. inter Mendicantes numerandi ſunt. Pius V.

66. Reſpondeo. Primò, quod noſtra ſacra Religio Carmelitana ſuum habuit exordium in Palæſtina, ac Oriente; ubi contra eam magna perſecutionum tempeſtas exorta eſt; per *Coſroas* Regem Perſarum; per *Homerum* Regem Arabum; & etiam per Mauros Mahometanos, qui noſtros Religioſos multis plagis inflictis interficiebant; & tandem omnium ſæviſſima tempeſtas commota eſt per Saladinum Ægyptiorum Sultanum contra Religioſos, & Catholicos anno 1187. Unde compulſi ſunt noſtri Religioſi, Sanctiſſima Virgine adnuente plagas Orientales deſerere, & ad Occidentalem oram tranſmigrare; & cum ibi in hac noſtra Europa floreret, magno proventu illuſtriſſimis Viris ſacræ Religiones Prædicatorum, ac Minorum; & inde ergo in Occidente, magno perſecutionis impetu, multi apud Honorium III. inſtabant, ut talis ordo ignotus in Europa extingueretur. Puriſſima Virgo Religionis Mater noctu aſtitit Honorio, planéque juſſit, ut talem Ordinem, ac homines benignè complecteretur, ut habetur *in quinta Lectione Commemoration. 16. Iulij*; cum ergo noſtri Religioſi eſſent tot, tantiſque perſecutionibus preſſi, ac vexati, eſſentque advenæ, quæſtiones, ac controverſias evitare voluerunt & maximè cum magnis, ac potentiſſimis Viris, qui apud omnes erant in magna veneratione, & noſtri Religioſi pro ſua humilitate, ac modeſtia acquieverunt, ac ſe metipſos accommodarunt in quolibet loco, ad quem admiſſi fuerunt. Hanc rationem aſſignat R. P. M. Ioannes Nævius *lib. de Inſtitutione Ordinis Eremitarum Sancti Auguſtini, cap.* 22. nam cum ejus Religio ſit tam illuſtris, & antiqua, utpote à Magno Auguſtino inſtituta, tamen cum in Eremis, ac deſertis eius Religioſi habitarent, & per alias Religiones ad Civitates adveniſſent, ideo priorem locum non obtinent. Officium Commemorationi. Ioan. Næv.

67. Secundò. Juxta communem regulam iuris, *Qui prior eſt tempore, potior eſt jure.* Cum illæ Religiones eſſent priores tempore in Capella Summi Pontificis, & aliis actionibus, & noſtra Religio denuo adveniret ex Syria, inde non prima loca tenet; & ut notat citatus Ioannes Nævius, in multis partibus inter Religiones ad præeminentiam antiquitas loci maximè obſervatur, ut determinant Gregorius XIII. & multæ declarationes Cardinalium de quo *Opuſculo* 2. *Reſolut.* 48. *quæſt.* 8. Inde noſtri Religioſi, cum denuò advenirent, aliis ceſſerunt in præcedentia, certi, quod auctoritas, ac præeminentia Religionis in quocunque loco non imminuatur, tanquam de ſua nobilitate valdè ſecura. Ait Regius Vates Pſal. 73. num. 16. *Tu fabricatus es auroram, & Solem.* Magna eſt quæſtio apud expoſitores, ut videre eſt apud Lorinum, cur Pſalmographus inverſo ordine loquitur, ut prius dicat auroram, deinde Solem; cum evidens ſit, quod Sol, cum ſit Regius Planeta, nobilior, & antiquior Luna, & Aurora ſit: nam Septuaginta ſic legunt: *Tu fabricatus es Lunam, & Solem.* Et tamen iſte præceſſit in creatione: *Fecit Deus duo luminaria magna: luminare majus, ut præeſſet diei, & luminare minus, ut præeſſet nocti, & ſtellas.* Geneſ. 1. num. 16. Sol ergo anteceſſit in creatione, Lunæ, Stellis, & Auroræ: nam omnia iſta à Sole lucem mutuantur. Cur ergo Aurora, ſeu Luna in primo loco ſcribitur, Sol antiquior, & nobilior ſecundo loco ponitur? Sol ut bene conſcius de ſua nobilitate, ac antiquitate, de præeminentia locorum non contendit, ſed in ſecundo, tertio, vel ultimo optimè contentus quieſcit, apprimè certus, quod ſuæ nobilitati, ac antiquitati, nullum detrimentum inde paritur, cum ipſe ſemper ſit Sol Planetis, ac omnibus lucem adminiſtrans. Pſalm. 73 33. Septuag. Geneſ.

68. Tertiò, & corroboratur totum hoc argumentum, quia noſtri Religioſi, cum adveniſſent ex patribus Orientalibus, habitabant in Eremis, ac deſertis juxta præcipuam Regulæ diſpoſitionem *cap.* 2. ut notat Reverendiſſimus M. Fr. Bernardinus Olerius noſter Generalis *in tractatu de Antiquitate Ordinis ad Gregorium XI.* ubi toti erant dediti orationi, ac contemplationi, ut diſponit noſtra Regula *cap.* 7. & cum pro tali tempore magnos fructus in Eccleſia Dei parturirent, ſacræ Religiones Prædicatorum, ac Minorum, ſua doctrina, prædicatione, ac ſpiritualibus exercitiis; inde conveniens fuit viſum Innocentio IV. plures operarios convocare. *Meſſis quidem multa, operarii, autem pauci.* Luc. 11 n. 20. Et ideò ad hunc effectum ex deſerto adducit Eremitas ſacti Auguſtini, & Carmelitas, quod eleganter deſcribunt & referunt Arnoldus Boſtius *de Patronatu Beatæ Virginis Mariæ, cap.* 9, & Petrus Brunus *in Tribunali Ordinis Deiparæ Virg. de Monte Carmelo*; & ait: *Verumtamen, cum jam rotarum binarum vehiculo Auriga Summus Innocentius Papa Quartus ſuas vehi non poſſe ſarcinas cerneret; mox ſaltum Carmeli, ac Eremi condenſa perluſtrans, quo ſibi duas rotas adoptet, asportavit; & Fratribus Prædicatoribus, & Minoribus, Fratres Carmelitas, & Eremitas ſancti Auguſtini (qui jam longæva inſtitutione, ac confirmatione perſtiterant) addictos decrevit, vocavit, & adduxit.* Regul. c. 2. Olerius. Innoc. IV. Luc. 11. Arnoldus. Pet. Brun.

RESOLUTIO III.

Sanctiſſimus Parens Elias inſtituit ſuam Religionem Carmeliticam cum tribus votis obedientiæ, caſtitatis, ac paupertatis.

QUÆSTIO PRIMA.

In lege veteri fuerunt vota non ſolum in Magnatibus in illa, ſed etiam in illis, qui erant de communi, ac vulgari populo.

SUMMARIUM.

1 *Valdè frequens extitit conſuetudo in lege veteri faciendi vota, propter quod multipliciter lex diſponitur.*
2 *Hoc tamen non tantum in Magnatibus, ſed etiam in communibus, ac de populo hominibus,*
3 *Regius Vates exhortatur ad vota facienda, utpote quid maximè meritorium.*
Quod non intelligitur de materia legis obligatoriæ, ſed de alia voluntaria. Ibid.
4 *Suppoſita fide, de jure naturæ eſt Deum honorandum eſſe per vota.*

1. VALDE ſolemnis, ac frequens fuit conſuetudo in lege antiqua, quod homo ſe ipſum, ac aliquid ſuum Deo per votum conſecraret; ſic habetur Levit. 27. num. 1. *Locutus eſt Dominus ad Moyſem, dicens: Loquere filiis Iſraël, & dices ad eos. Homo, qui votum fecerit, & ſpoponderit Deo animam ſuam; ſub æſtimatione dabit pretium.* Et multipliciter agitur in toto capite de lege, quæ obſervanda erat, in voto facto, vel faciendo, etiam à quolibet homine vulgari, ſicut & Numer. cap. 30. num. 3. *Iſte eſt ſermo, quem præcepit Dominus: ſi quis Virorum votum Domino voverit, aut ſe conſtrinxerit juramento, non faciet irritum verbum ſuum.* Et circa obſervanda in votis multa in toto capite diſponuntur. Sicut *Deuteron. 12. num. 11.* & deinceps, & *cap. 23. num. 18.* & *3. Reg. 15. n. 7.* & aliis in locis.

Levit. 27.
Numer. 30.
Deuter. 12.

2. Ut magis in particulari deſcendamus. Iacob fecit votum, Geneſ. 28. num. 20. *Vovit etiam votum, dicens, ſi Dominus fuerit mecum.* David Pſalm. 21. num. 26. *Vota mea Domino reddam.* Et hoc erant non ſolum in Magnatibus, ſed etiam in illis, qui erant in mediocri obſervatione legis. Iephte pro obtinenda victoria fecit votum, quod ſacrificaret id, quod primum ei occurreret. *Iud. 11. n. 30.* Occurrentem filiam ſacrificavit; *Fecit ſicut voverat.* Ibid. n. 39. Anna Samuelis mater fecit votum pro filio obtinendo: *Dabo eum Domino omnibus diebus vitæ ejus.* 1. Reg. 1. n. 11. Abſalon poſtulavit à patre facultatem, dicens: *Vadam, & reddam vota mea, quæ vovi Domino in Hebron.* 2. Reg. 15. n. 7. Sic & Rex Aſa. *3. Reg. 15. n. 15.* intulit in templum: *Quæ pater ſuus voverat in domum Domini aurum, & argentum*: Sicque omnes filii Iſraël, etiam qui erant de populo: *Obtulerunt, quæ voverant Domino Deo ſuo.* 2. Paral. 31. n. 6. & 12. adimplentes illud, quod dicitur Eccleſ. 5. n. 3. *Quod voviſti Deo, ne moreris reddere*; & ideò faciebant vota ad maiorem operis firmitatem, & ad maius meritum comparandum, ut notat Ovandus *in 4. diſt. 3. propoſit. 8.*: & ait: *Notum erat Iudæis quod opus factum ex voto erat laudabilius, & magis placere Deo virginitatem cum voto.* Idem habet Franciſcus Coſterius *in Evangelium Dominic. 1. poſt Chriſti Nativitatem.*

2. Reg. 15.
1. Par. 31.
Eccleſ. 5.
Ovandus.
Coſterius.

Et quia opus factum ex voto maximé meritorium, gratum, ac placés eſt Deo; ideo ad vota faciẽda exhortatur Regius Vates Pſalm. 75. num. 12. *Vovete, & reddite Domino Deo veſtro.* Ad quæ vota ait Lorinus ibi: *Hunc locum enarratores præſertim Latini de votis, quibus voventur Deo, quæ alioquin lex non præcipit, interpretantur, qualia tria omni Religioſo communia.* Juxta ergo Sanctos Patres, ac Interpretes Latinos, dum Regius Vates exhortatur ad facienda vota, non eſt intelligendum de materia præcepta in lege, & de illa, quæ erat ſub præcepto, ſed de illa, quæ erat libera, & voluntaria, abſque ulla obligatione, ut de jejunio caſtitate, paupertate, & obedientia, quæ ſunt exempla poſita à Lorino.

3. Pſalm. 75.
Lorinus.

Nam ut optimè ait Suarez *tom. 3. de Religione, lib. 3. cap. 1. n. 2.* quod ritus vovendi, ſeu conſecrandi aliquid per votum Deo, de jure naturæ eſt, maximè ſuppoſita fide. Jus enim naturæ dictat, quod Deus maximè ſit honorãdus, ac venerãdus, omni modo poſſibili, quod maximè cognoſcitur per fidem, per quam intelligimus ſupremum ejus dominium; atqui Deus maximè veneratur, & colitur dum, ei per votum aliquid conſecratur, ac dedicatur, cujus obligatione ſtante, homo nõ poteſt reſilire, ac retrocedere ab obligatione facta; ideò Deus maximè honoratur à ſuis fidelibus, ac juſtis, per obſequia ei oblata cum votis, ut notant N. Incognit. Eugubinus, & alii, ideò ad talia obſequia Regius Vates exhortatur dicens, *Vovete, & reddite Domino Deo veſtro.*

4. Suarez.
Incognit. Eugubin.

QUÆSTIO II.

In lege veteri dabatur caſtitatis votum.

SUMMARIUM.

5 *Probatur ex Scriptura, ac Patribus votum caſtitatis in Nazaræis.*
6 *Qui perfectiores, erant, habebant perpetuum caſtitatis votum.*
7 *Probatur ſecundò ex celebri loco Iſaiæ.*
8 *Reſponſio adverſariorum impugnatur, & num. 9.*
10 *In lege veteri juxta Sanctos Patres dabantur Eunuchi ſpirituales, ut Elias, & Eliſæus.*

11 *Sub verbo Eunuchus veniunt etiam fœminæ, & num.* 12.

13 *In lege antiqua fuerunt virgines perpetuo voto Deo conſecratæ.*

14 *Apud Gentiles erant virgines veſtales perpetuo voto ſuis falſis Diis dedicatæ, probatur ex multis.*

15 *Cum apud Gentiles darentur virgines perpetuo voto, hoc non eſt negandum populo Dei divina fide illuminato.*

5. HAnc cõclusionem ſtatus in lege antiqua dabatur magnum, ac illuſtre caſtitatis votum. Probatur primò, ex *Numer.6.num.2.* ubi dicitur, *Vir, ſive mulier cum fecerint votum, ut ſanctificentur.* Quorum verborum variæ lectiones ſunt apud Bibliam Maximam. Quidam ſic legunt: *Qui arduum* faciet ad vovere votum, ſeparate. Alij. Qui ſingulare votum vovere voluerit. Explicant magis Septuaginta. Quicunque magnè voverit votum purificandi puritate Domino. Id eſt, tunc magnum, admirabile, ac arduum ſit votum. Quando quis ſuam puritatem in caſtitate, ac virginitate magis purificat per votum, & hoc caſtitatis votum in lege antiqua vocatur à Sanctis Patribus magnum, & inſigne votum. D.Damaſcenus *lib.4. de fide Orthodox.cap.25.* ait: *An non denique lex ingens votum caſtitatem nuncupavit.* D. Chryſoſtomus *homil.4. in Vigilia Epiphaniæ, tom.2.* & ait: *Nazaræi ſecundum legem nuncupabantur, qui caſtitatem Deo inſigni voto mancipabant.* In Nazaræorum votis continebatur caſtitas, ac à multis continentia, ut docent D. Epiphanius *hæreſ.9.* S. Auguſtinus *ſermone 107. de Tempore*, ut teſtatur Cornelius à Lapide *Threnor.4. num.7. §. Candidiores.* Cardinalis Hugo *citato. Numer. 6. de Nazaræis*, ait: *In voto eorum erant multi articuli Religionis, inter quos amplexibus mulierum non vacabant.* Claudius Spinellus *libro 1. de continent. cap. 1.* ait: *Nazaræi quoque caſtitatis Deo magno, inſignique voto conſecrati, ac emancipati.* Auguſtinus Eugubinus *in recognitione Veteris Teſtamenti, cap.4.* & in hanc partem inclinat etiam ibi Lorinus.

Numer. 6. — Septuag. — D.Damaſc. — D.Chryſ. — D.Epiph. D.Auguſt. Corne. Hugo. — Spinel. — Eugubin. — Lorinus.

6. Apud Nazaræos, qui perfectiores erant, eorum caſtitatis votum non erat ad tempus, ſed perpetuum. Ita Origenes *homilia 24. in Numer.* D. Albertus Magnus *in 4. diſtinct. 38. artic. 13. §. Ad id vero.* Abulenſis *Numer.6.q.2. & 3.* & *in Iudic.3.quæſt.12.* & 17. Mag. Noſter Vvaldenſ. *tom.1. lib 3. art.2. cap. 23.* Ioannes Soarez Epiſcop. Conimb. *in cap. 2. Matth. tract. 1.* Thena *ad Hebræos 11. difficult. 27.* Chriſtophorus à Caſtro *Thren.4. num.7. ad citatum Numer.6.* Lyranus, Cardinalis Hugo, Lorinus, Marius, Tyrinus, Cornelius à Lapide. Nam ut rectè ait D. Thomas 2.2.q.186. art. 6. ad 2. *Non aliter homo poteſt totam vitam ſuam Deo exhibere, niſi per voti obligationem*; ergo in lege antiqua extitit magnum caſtitatis votum.

Origenes. Albertus. Abulenſ. — Vvaldenſ. Ioan. Soar. Thena. — Caſtro. Lyranus. Hugo. Lorinus.

7. Probatur ex celebri loco Iſaiæ 56. num. 3. *Non dicat Eunuchus: Ecce ego lignum aridum. Quia hæc dicit Dominus Eunuchis: qui cuſtodierint Sabbatha mea, & elegerint, quæ ego volui, & tenuerint fœdus meum: dabo eis in domo mea, & in muris meis locũ, & nomen melius à filiis, & filiabus, & nomen ſempiternum dabo eis, quod non peribit.* Vbi Propheta agit de Eunuchis ſpiritualibus, de quibus Chriſtus Dominus loquitur in Evangelio, dicens: *Sunt Eunuchi, qui ſe ipſos caſtraverunt propter regnum cœlorum.* Matth.10.n.12. ut ibi latè explicavi *tom.1. in Evangelia*, ex mente Sanctorum Patrum, ac Interpretum: nam ſicut Eunuchus per naturam, vel artem fit impotens ad generandum, ita Eunuchus ſpiritualis per votum fit impotens, cui Dominus in Eccleſia, & in cœlo dat nomen glorioſius, quam habere poterat à filiis, & filiabus; ita locum Prophetæ intelligunt, & explicant D. noſter Cyrillus Alexandrinus, Divus Hieronymus, *ibi* Divus Auguſtinus *lib.de Sancta Virginitate, cap.24.* & *lib.4. contra Fauſtum, cap.ultimo*, Divus Baſilius *lib.de vera virgin.* Divus Ambroſius *in exhortat.ad virgines.* D.Gregorius *3.p.Paſtoral.cap.29.* Rupertus laté, *ibi* Forerius Oleaſter, Lyranus, Sanchez Bellarmin. *lib.2. de Monach. cap.9.* Medina *de continentia, lib. 3. cap.32.*

Matth.19. — D.Cyrill. D.Hieron. D.Auguſt. D.Baſil. D.Ambr. D.Gregor. Rupertus. Forerius. Oleaſter. Lyranus. Bellarm. Medina.

Reſpondent communiter Adverſarij, quod Iſaias ſpiritu Prophetico loquitur de Eunucho ſpirituali per reſpectum ad legem gratiæ, non verò per reſpectum ad legem antiquam. Sed contra; quod non ſolum de lege gratiæ, ſed etiam antiqua loquatur Propheta, ſic probo ex ipſomet Textu: *Dabo eis in domo mea, & in muris meis locum, & nomen melius, à filiis, & filiabus, & nomen ſempiternum dabo eis.* Juxta ſententiam dat Deus levamen, & conſolationem Eunucho, quia cum non relinqueret poſt ſe ſemen, nec filios, nec filias, quod tunc illa lege erat valde durum, ac grave, & moleſtum, inde mulier Theutis dixit ad Regem Davidem, orans pro filio: *Quærunt extinguere ſcintillam meam*, filium nempe meum, *quæ relicta eſt mihi, ut non ſuperſit Viro meo nomen.* 2.Reg.14. num.7. ſic & diſponebat lex, quod mortuo uno fratre, ſuperſtes acciperet uxorem illius, & primus filius illius vocaretur nomine demortui: *Vt non deleatur nomen ejus in Iſraël*, ut dicitur *Deuteron.25. num.6.* atqui hæc gravamina non dantur in lege gratiæ, nec tantus affectus nominis perpetuandi, ut in lege veteri, ergo de Eunucho in ea tam temporali, quam ſpirituali eſt ſermo.

8. — 2.Reg.14. — Deuter.25.

9. Secundò contra. Huic Iſaiæ loco ſimilis eſt ille Sapientiæ 3 n.14. *Spado, qui non eſt operatus per manus ſuas iniquitatem, dabitur ei fidei donum electum, & ſors in templo Dei acceptiſſima.* Quem locum de Spadone, ſeu Eunucho in lege veteri interpretantur Dionyſius, Caſtro, Holchot, Lorinus, Cornelius, Menochius, Tyrinus, ergo etiam præſens locus Iſaiæ cum in utroque ſit eadem diſpoſitio. Si enim hæc loca intelliguntur de Eunucho temporali in illa lege, cur non etiam de ſpirituali.

Sapient 3. — Dionyſ. Holchor. Caſtro. Lorinus. Cornel.

10. Contra. Tertiò. Quia Sancti Patres agnoſcunt, & dicunt dari in illa lege antiqua Eunuchos, ſeu Spadones ſpirituales inter quos numerant Eliam, Eliſæum, Ieremian, Ioannem Baptiſtam, & Danielem. De myſterio Transfigurationis agens Tertullianus *lib.de Monogamia, cap.8.* ait: *Moyſen, & Eliam ſecum mavult alterum Monogamum, alterum*

Tertull. Pamelius.

ſpadonem Explicat ejus ſcholiaſtes Pamelius, *ſpadonem caſtum cum voto*, D. Epiphan. *lib. 2. hæreſ. 63.* & ait: *Elias, & Eliſæus, & Ioannes, qui per magnam hanc formam imitationis Angelorum, rectè ſecundum Evangelicam Domini ordinationem ſe ipſos propter regnum Dei caſtraverunt*, D. Anaſtaſius Sinaita in ſuis quæſtionibus ſacræ Scripturæ, *quæſt. 66. tom. 6. Bibliothec. part. 2.* & ait: *Eunuchi, qui ſe caſtraverunt propter regnum cœlorum, hi ſunt præclari Apoſtoli, atque deinceps fuerunt virgines, & Monachi: Ioannes quidem, & Iacobus filij Zebedæi; & poſt illos quot millia monaſticam vitam agentia, ſicut Elias, & Daniel in veteri teſtamento*, ſanct. Ephrem Syrus, quem citat. & ſequitur Salianus *tom. 4. Annal. anno 3123. n. 21.* & ait: *Sanctus Ephrem Syrus Eliam, & Eliſæum, & Ioannem, & Apoſtolum Paulum in eorum numero recenſet, qui ſe caſtraverunt propter regnum Dei*, D. Almandus, *de laudibus B. Virg. cap. 10.* Ioannes Ieroſolymitanus *lib. de inſtit. Monach. cap. 34.* Noſter Vvaldenſ. *tom. 3. de Sacram. tit. 9. cap. 89. n. 8.* Robertus Arboren. *tom. 1. de cœlibatu.* Cardinalis Hugo *4. Reg. 24.* ad illa verba, *& Eunuchos ejus.* Hinc Daniel ob ejus eximiam puritatem, ac caſtitatem dicitur Eunuchus à ſanctis Patribus, Gloſſa ordinaria *in c. 1.* Danielis ad illa verba: *de ſemini Regio.* Ita loquitur D. Epiphanius *in vita Danielis*, D. Dorotheus *in ſynopſi*, Chronicon. Alexandr. *Olympiade 70.* D. Damaſcen. *lib 4. de fide orthodox. cap. 2.* Abulenſis *in 4. Reg. q 34.* & ita dicunt, & eum appellant Eunuchum *ad c. 1. Daniel.* ad illa verba: *Præpoſitus Eunuchorum*, D. Dionyſ. Lyranus, Pereira, Maldonatus, Pinto, Cornel. à Lapide, Sanchez *prolegom. 2. in Daniel.* Ecce tot Patres, ac Doctores in lege veteri agnoſcunt Eunuchos, quod nomen non ſolum dicit caſtos præcisè, ſed caſtos cum voto, per quod homo redditur impotens ad generandum.

D. Anaſt. Vvalden. Robertus. Hugo. Gloſ. Ordin. D. Epiphan. D. Doroth. Chron. Alex. D. Damaſc. Abulenſ. D. Dionyſ. Lyran. Pereira. Maldonat. Pinto. Cornel. Sanchez.

11. Ergo cum in lege veteri juxta tot Patres ac Auctores, darentur Eunuchi, etiam de illis in illa lege, eſt explicandus Iſaias. Et confirmatur. Primo, quia ſtante lege veteri in ſua viridi obſervatione, ante legem gratiæ, ac Incarnationem verbi divini ſanctiſſima Deipara, ac ſanctiſſimus ejus ſponſus fecerunt votum virginitatis, ergo tale votum non eſt proprium legis gratiæ, ſed etiam in illa lege antiqua dabatur. Confirmatur Secundò Quia multæ mulieres in illa antiqua lege habebant votum caſtitatis, ut ſtatim oſtendo, quia etiam ſub nomine Eunuchi comprehenduntur; nam frequenter in ſcriptura ſub maſculino fœmininum comphenditur, quando materia communis eſt, præſertim quando lex eſt favorabilis Religioni, ut tenet Suar. *tom. 4. de Relig. tract. 9. lib. 1. cap. 11. num. 3. & tract 8. lib. 2. cap. 6. n. 14.*

Suar.

12. Et confirmatur Tertiò. Chriſtus D. in illis verbis, *ſunt Eunuchi, qui ſeipſos caſtraverunt*, loquitur de præſenti *ſunt*, & de præterito *caſtraverunt* Ergo jam dabantur multi antecedenter Eunuchi ſpirituales, ac proinde, & ita ait Salianus *tom. 3. anno mundi 3031.* in Scholio 1 *videtur Dominus non de re tantum futura ſed jam uſitata loqui: nam octoginta, & amplius annis dixerat Iſaias 56. Non dicat Eunuchus, &c.*

Salian.

Probatur tertiò noſtra concluſio. In lege antiqua fuerunt virgines intra clauſtra templi ad Dei obſequium, ut conſtat ex Machab. 2. c. 3. n. 19. *Sed virgines, quæ concluſæ erant, præcurrebant ad Onam.* Vnde D. Ambroſius *lib. de virginibus*, ſcribit etiam in templo Ieroſolymitano fuiſſe legimus virgines: Quod eſſent virgines in illa lege antiqua cum caſtitatis voto colligitur ex Numer. cap. 30. n. 4. *Mulier ſi quidpiam voverit, & ſe conſtrinxerit juramento.* Ad quæ verba Mag. Auguſtinus *q. 57. in Numeros*, ſic ait: *Merito quæritur in hoc loco, etiam de voto virginitatis. Mulieres enim, etiam virgines in ſcriptura ſolent appellari.* Ad præfatum Numerorum locum verba D. Auguſtini ipſum ſequens refert Gloſſa; cui adhæret ibi Lorinus. Ad eundem etiam locum Rupertus ait: *Mulier ſi quidpiam voverit, id eſt ſi continentiam voverit*, Abulenſ. *ibid. quæſt. 22.* ait: *An iſta puella in veteri teſtamento poſſet vovere, & obſervare virginitatem, cum eſſet ſub patris poteſtate? Reſpondendum eſt non eſſe dubium; quin poſſet vovere. Non enim erat aliquid illicitum virginitas in veteri teſtamento, cum aliqui viri, & fœminæ eam obſervaſſent*; & D. Ambroſio, D. Germano Conſtantinopolit. D. Gregorio Nicomedienſi: idem probat, & confirmat, Petrus Crepeſius *in ſumma fidei Catholicæ, fol. 643. 644.* dicens. *Monialium denique, dedicatarum virginum propoſitum vovendæ caſtitatis, antiquus, & ſanctus uſus defendit.*

13. Machab. 2. D. Ambr. Numer. 30. D. Auguſt. Lorinus. Rupertus. Abulenſ.

Probatur quartò urgenti, & gravi conjectura. Gentiles ſine lumine fidei, maximè gratum ſuo factum Deo, exiſtimabant, ſi ei ſuam virginitatem perpetuo voto conſecrarent, ut faciebant virgines Veſtales, de eis loquens D. Hieron. *epiſtola ad Gecuchiam* ait: *Perpetua ſacerdotii virginitate marcreſcũt* Abulenſ. *ad cap. 30. Numer. quæſt. 12.* inquit. *Erant inter Gentiles, virgines, quæ vovebant virginitatem, & compellebantur eam ſervare, ſcilicet virgines Veſtales.* Idem expreſsè docent Peneda *tom. 1. Monach Eccleſ. lib. 1 cap 10 §...* Soto *in 4. diſt. 30. q. 2. ars. 1.* Creſpes *in ſumma verb. Moniales, virgines*: Ioſephus Laurent. Leſſcenſis *de moribus Romanorum, lib. 3. ſynoſi prima, §. Veſtalium origo*, Marinho *de civitate Viſip. lib. 2.* dum agit de monaſterio vulgò *Chelas*, quòd ædificatum eſt ab Vlyſſe virginibus Veſtalibus, ut conſtat ex antiquiſſimis lapidibus in clauſtro, Tiraquel. *ad 15 leg. connubii, part. 15. gloſſ. 1. n. 120.* cum teſtimonio Plinii, & Polieni, ait: *Perpetuam virginitatem ſervabant, ut tradit Plinius, aut quiſquis is eſt, qui illum librum de viris illuſtribus edidit in Proca Rege Albanorum, & Polyenus, lib. 8. ſtratagematon.* Pro qua ſententia audiendus eſt, D. Auguſtin. *tom. 8. lib. 20.* contra Fauſtum Manich. *cap. 21.* & ait: *Quod virgines ſunt Moniales, & Veſtales virgines fuerunt. Inter illas virgines multum diſtat, niſi cui voveatur, ac reddatur.* Inter unas, & alteras virgines magnum eſt diſcrimen, Veſtales vovebant ſuam virginitatem Deo falſo, noſtræ verò Moniales verò Deo Iesu Christo.

13. D. Hieron. Abulen. ened. oto Creſpes. Tiraquel. D. Auguſt.

15. Ex quo ſic formo hoc argumentum: Populus Gentilis ſine lumine fidei plenus vitiis, & abominationibus, cognoſcebat magnum obſequium fieri ſuis falſis diis, ac dæmonibus

ſi

ſi ſuam virginitatem eis voto conſecrarent, quomodo dicendum eſt, quod hoc non intelligeret populus Dei, divina fide illuſtratus, cœleſtibus inſpirationibus illuminatus, lectione divinæ ſcripturæ, ac multis revelationibus, documẽtis, ac predicationibus Patrũ, ac Prophetarum, cum quibus locutus eſt Deus, maximè inſtructus. Quis ſibi perſuadeat illos idololatras, perfectiori, ac eminentiori cultu (cujuſmodi erat virginitas aliquali voto firmata) ſuos falſos Deos fuiſſe veneratos, quam fideles Deum verum; quòd argumentum etiam in Sybillis doctè, & latè proſequitur M. Petrus Munoz in propugnaculo Eliæ, *lib. 2. tit. 2. c. 3. art. 1.* Argumenta adverſariorum infrà referam, & ſolvam.

Munoz.

Quæstio III.

In Rechabitis probantur vota obedientiæ, paupertatis, & caſtitatis quantum pro illa lege antiqua dari poterant.

SUMMARIUM.

15 *Rechabitæ ſic dicti à Patre Rechab, ac diſcipuli Eliſæi.*

16 *Ponitur Textus Ieremiæ circa Rechabitas, & eorum vitam monaſticam; quæ à Patribus ponitur in exemplum cunctis Religioſis.*

17 *Probatur ex Concilio Senonenſi eorum obedientia ex voto.*

18 *Probatur ſecundò idem ex obligatione, quam Rechabitæ in ſe agnoſcebant.*

19. *Probatur etiam eorum paupertatis votum.*

20 *Probatur & caſtitatis votum.*

21 *Probantur eorum vota ex Patribus, ac Auctoribus.*

22 *Iſti Rechabitæ fuerunt diſcipuli Eliæ, ac Eliſæi.*

15. AD probandum in lege veteri votum obedientiæ, ac paupertatis proponimus in exemplum Rechabitas ſic dictos à Patre Rechab, cuius filius Ionadab inſtructus fuit vita monaſtica ab Eliſæo, ut tradunt Ioannes in Ieroſolymit. *lib. de inſtit. Monachorum, c. 25.* Ioan. de Molinis *in ſpeculo hiſtoriali, cap. 3.* M. Lezana *tom. 1. Annal. anno Mundi 3159. num. 2.* ſecundum D. Hieron. *epiſt. ad Paulinum*, qui poſtquam ait. *Noſter Princeps Elias, noſter Eliſæus, noſtri duces filiis Prophetarum*, ſtatim ſubdit: *Ex his, ſunt & illi filii Rechab, qui vinum, & ſiceram non bibebant, &c.* de quo latè Boulducus *lib. 3. de Eccleſia ante legem.*

Ioan. Ieroſ Molin. Lezana. D. Hieron. Bolducus.

16. Hierem. 35. De Rechabitis loquens Hieremias 35. *n. 6.* cum ante eos appoſiti fuiſſent ſyphi vino pleni. *Reſponderunt non bibemus vinum; quia Ionadab filius Rechab Pater noſter præcepit nobis dicens: non bibetis vinum vos, & filii veſtri uſque in ſempiternum, & domum non adificabitis, & ſementem non ſeretis, & vineas non plantabitis, nec bibetis; ſed in tabernaculis habitabitis cunctis diebus veſtris. Obedivimus ergo voci Ionadab filii Rechab patris noſtri, in omnibus, quæ præcepit nobis.* In quibus maximè notanda eſt eorum obedientia erga patrem *Obedivimus ergo voci Ionadab*; & hoc non per aliquod tempus, *ſed uſque in ſempiternum*, & hoc mira, & rigida abſtinentia: *Non bibetis vinum vos, & filii veſtri.* Et hoc etiam cum ſumma paupertate: *Dominum non adificabitis, & ſementem non ſeretis, & vineas non plantabitis, nec habebitis, ſed in tabernaculis habitabitis cunctis diebus veſtris.* Vnde eorum vitam tanquam religioſam, & monaſticam proponunt in exemplum omnibus religioſis, D. Gregor. Nazian. *in Poemate de vita ſua*, D. Hieron. *in Epiſtola ad Paulinum.* D Dionyſius *Hierarch. 35. art. 58.* Rabanus Maurus, quem citat noſter Venerabilis Vvaldenſ. *lib. 3. Doctrinalis fidei, art. 1. c. ap. 2* Abulenſ. *1. Paralip. cap. 2. q. 21.* ait: *Iſti*, ſcilicet Rechabitæ, *erant viri Religioſi in veteri teſtamento, ſicut nunc ſunt monachi.* Eoſque in exemplum Religioſis ponunt ad citatum locum Ieremiæ Theodoret. Carthuſianus, Lyranus, Malveda, Oleaſter, Sanchez, Menochius, & Eſtius.

D Gregor. Nazianz. D Hieron. D Dyonif. Rabban. Vvalden. Vbulenſ.

Quod verò hæc obediẽtia eſſet ex voto, probatur ex Concilio Senonenſi *in ſuo Decreto 9.* de votis Monaſticis, exhortans Concilium ad obſervantium ſuornm votorum, ait: *Si quis votum aliquod hujuſmodi voverit, etiamſi perpetuum fuerit, non faciet irritum verbum ſuum ſed Deipara Virginis Annæ Samuelis matris, & Rechabitarum exemplo, quod promiſit, implebit.* Ad obſervanda vota perpetua, proponit Concilium votum ſanctiſſimæ Virginis, quod fecit de ſua virginitate perpetua; votumque Annæ Samuelis matris de commodando puero omnibus diebus vitæ ſuæ, *1. Reg. 1. n. 11.* Et votum Rechabitarum, hoc autem votum, circa quam materiam verſabatur, habetur ex Hieremia citato. *Rechab Pater noſter præcepit nobis dicens, non bibetis vinum uſque in ſempiternum; & domos non adificabitis, & ſementem non ſeretis, & vineas non plantabitis, nec habebitis, ſed in tabernaculis habitabitis, cunctis diebus veſtris; obedivimus ergo voci Ionadab, in omnibus quæ præcepit nobis.* Ergo eorum votum fuit erga obedientiam Patris, ac erga paupertatem, ac abdicationem rerum; & ſicut votum ſanctiſſimæ Virginis fuit vetum, ac proprium votum, perfectius tamen, ac excellentius ſuper votum cujuſcumque puræ creaturæ. & votum Annæ fuit verum votum, ſic & Rachabitarum fuit verum, ac proprium votum, in eodem contextu de illis agitur.

17. Conc. Seno. 1. Reg. 1.

Probatur ſecundò. Quia Rechabitæ agnoſcebant in ſe obligationem obediendi in omnibus tam minimis, quam magnis patri ſuo Ionadab filio Rechab; ſed hæc obligatio non poterat oriri in eis niſi ex voto, ergo in eis dabatur votum. Major patet ex textu Ieremiæ: *Obedivimus voci patris noſtri in omnibus, quæ præcepit nobis.* Minor, in qua eſt tota vis argumenti, probatur. Quia talis obligatio non poterat oriri ex aliquo præcepto. Naturali, vel poſitivo, divino, vel humano: naturale enim, vel divinum, nullum datur, humanum aſſignari non poteſt etiam à ſupremo Principe, vel Patre erga filium ad opera Conſilii, ut notat ad hunc locum Cornelius his verbis: *Reſpondeo ſecundo parentem tam ardua non poſſe præcipere filio: ſicut non poteſt præcipe-*

18. Ierem 35. Cornel.

re ingreſſum Religionis. In quo conveniunt etiam omnes Theologi, quod pater non poteſt obligare filium ad opera Conſilij, ad ſummam abſtinentiam, & paupertatem, &c. ergo cum obligatio, quam Rechabitæ agnoſcebant in ſe obediendi patri ſuo, non poterat eſſe niſi ex voto, & in eo non poterant perſiſtere in ſempiternum, ideſt per totam vitam, abſque voto.

19. Ex his probatur, eorum paupertatis votum; quia ut patet ex Textu Ieremiæ. Nec ædificabant domos, nec plantabant vineas, nec ſementa, nec habebant domos, tantum habitabant in tabernaculis, quod erat extrema paupertas, & cum hoc eſſet per totam vitam, conſequens erat, ut eſſet voto firmatum, juxta celebrem doctrinam D.Thom. 2.2.q.186. art.6. ad 2. ubi ait: *Non aliter poteſt homo totam vitam ſuam Deo exhibere, niſi per voti obligationem.* Cujus rei rationem reddit Suar. *tom.3. de Relig.lib.2. cap.3. n.2.* & ait: *Cum hoc ſit de re valde difficili, & de ſe non neceſſaria, ſed voluntaria; niſi aliquo morali vinculo firmata ſit, facile fluctuabit.*

D.Thom.

Suar.

20. Quantum ad votum caſtitatis, Supponendum eſt ex Serario, *lib.3. Trihær. cap.11. & in Minerv. lib.5. c.22.* Rechabitas eſſe in duplici differentia, alios eſſe ex genere, ac ſtirpe; alios ex diſciplina, ac inſtituto. Quidam ex eis habebant vxores, ac filios, ut patet ex textu Ieremiæ citato; alii vero perfectiores in caſtitate, ſine vxoribus vivebant, pro quo ſufficit D.Gregorius Nazianz. *in Poëmate de vita ſua*, de ſe loquens, & ait: *Quæ carnis erant, jamdiu decreveram reiicere, aliam viam quærebam commodiſſimam.* Et eam explicat. *Animo Elias occurrebat vates meus magnuſque Carmelius, novaque nutritio, & ſolitudo Præcurſoris illius & vita ſimplex liberorum.* Pro quo alia adducit M.Lezana *tom.1. Annal. anno 3159. n.4.*

Serar.

D. Gregor. Nazianz.

21. Eorum vota ſupponit D.Auguſtinus *præfatione in Pſal.70.* Vbi cum ageret de obedientia Rachabitarum adducit ad illud propoſitum illud Pſalmi 55. *In me ſunt Deus vota tua, quæ reddam.* Et illud Pſalmi 53. *Voluntarie ſacrificabo tibi.* Ac ſi intendat ſanctus Doctor, quod Rechabitæ dederunt vota ſua Deo, ut voluntarie ſe illi ſacrificarent. Magis clarè, & aperte eorum vota agnoſcit Albertus Magnus *in 4.diſt.38.n.13.* Doctiſſimus Abrahamus Bzovius *in Theſauro Deiparæ ſermon.34.* de præcepto Rechab loquens ait: *Quod verum præceptum votum fuerit, quo illos ligavit pater ſuus apud Patres pluſquam certiſſimum eſt.* Expende illud *Pluſquam certiſſimum.* Gregorius de Valentia 2.2. diſp.10.q.4.punct.1. §.1. *Inter omnes ſine controverſia conſtat Rechabitas peculiari vitæ ratione præter communem obſervantiam legis divino cultui ſe ipſos addixiſſe; exactamque obedientiam ſuis ſuperioribus præſtabant.* Nota illud *ſine controverſia*; eorumque vota agnoſcit, & tuetur Vvaldenſ. *lib.3. Doctrinalis fidei art.1. cap.2.* Dionyſ. Carthuſ. *ad citatum locum Hieremiæ 35.* ait: *Quod Ionadab Religioſæ vitæ modum poſteris ſuis præſcripſit, ac reliquit.* Similiter loquuntur Lyranus, Malveda, Cardinalis Hugo, Tyrinus, & Sanchez.

Alberr.Mag.

Bzovius.

Valentia.

Vvald.n. Cartuſian.

Lyranus. Malveda. Hugo.

22. Iſti autem Rechabitæ inſtructi fuerant ab Eliſæo, ut dixi in ex ordio quæſtionis; & inde fuerunt diſcipuli Eliæ, ac Eliſæi, ut expreſſe habet D.Hieron. *epiſtol. ad Paulinum,* ubi agens de filiis Prophetarum ſubdit. *De his, ſunt, & illi Rechabitæ qui per Ieremiam voce laudantur* & Bolducus lib.3. de Eccleſia ante legem cap.6. inquit *Eliæ, & Eliſæo ſucceſſit in officio Ionadab, qui paſſim in ſcripturis dicitur filius Rechab.* Ergo ſi filii Rechabitæ fuerunt diſcipuli Eliæ, & Eliſæi, & habuerunt votum obedientiæ, ut ſatis probatum eſt ex Concilio Senonenſi, bene ſequitur, quod tale votum emiſerunt Elias, & Eliſæus, utpote eorum magiſtri, ac Doctores.

D. Hieron.

Bolducus.

QUÆSTIO IV.

In Eſſenis fuerunt etiam vota obedientiæ, paupertatis, ac caſtitatis, qualia potuerunt eſſe pro illa lege imperfecta, & antiqua.

SUMMARIUM.

23 *Eſſen ſoboles Rechabitarum.*
24 *De nominis etymologia, & unde ſic dicti.*
25 *De eorum caſtitate, paupertate, & obedientia, & n.26.27.*
28 *In eis vita communis.*
De oratione, refectorio, ac ſilentio, ibid.
29 *De inſtructione novitiorum.*
30 *De votis eorum circa obedientiam, paupertatem, ac caſtitatem*
31 *Circa vitam monaſticam nomina nova, res antiqua.*
32 *Eſſeni diſcipuli Eliſæi, ac ex filiis Prophetarum.*

23. Eſſeni ſoboles, ac progenies Rechabitarum, & ab eis prodierunt, ut docent D. Nilus, diſcipulus D.Ioannis Chryſoſtomi in Aſcetico in principio. Gregorius Cedrenus in compendio hiſtoriarum in Claudio Imperatore. Villalpandus in apparatu urbis, & templi *lib.3. c.14.* Salianus *ſub anno mundi 3609. num.3.* Cornelius *in c.10. Numerorum verſ.29 §. Denique.* Serarius in Minervali *lib.5. c.13.* affirmans omnes veteres ſcriptores Eccleſiaſticos ita dixiſſe. Nam cum Iudæi redirent ex captivitate Babylonica cum Zorobabele, & Propheta Aggæo, & Zacharia facto Concilio ex Rechabitis vetuſtioribus fecerunt Collegium, ſeu Congregationem Aſſidæorum, ſeu Eſſenorum, ut probant M.Franciſcus S. Maria in hiſtoria Prophetica *tom.1. lib.2 c.20. n.8.* M.Lezana *anno mundi 3545. n.28.19. 20.*

D. Nilus. Cedrenus. Villalpand. Salian. Cornel. Serarius. Franciſc. Lezana.

24. Circa nominis etymologiam duodecim expoſitiones affert Serarius *lib.3. Trihæreſ. c.1.* Dicebantur Eſſeni à verbo Græco *Hoſius*, id eſt ſanctus, & corrupto vocabulo *Aſſeus*, ſeu *Eſſus.* Alii ſic explicant Eſſei, quaſi Eliſeni, ut ab Eliſæo ſic dicti, à quo maximè ordinati ſunt, ita Henriquez illuſtriſſimus Auctor *tom.2. in ſumma lib.12. c.5. Gloſſa 20. litera* B. cui adhærent M. Thomas de Iesu, *de variis Regulis Carmelit. part.1. c.1. §. Pro quo recolenda.*

Serar.

Henriq.

Th. à Iesu.

Carthag. Becanus. Fr. Lucas.

colenda. Et Joannes Carthag. *tom.4. homil. lib.17.homil.2.object.8.* Becanus *lib 1.Analog. novi,ac veteris Teſtamenti cap.11. & 4.n.10.* Franciſcus Lucas *ad 1.Machab. cap.2.n.42.* De eorum mirabili vita Religioſa multa ſcribunt Auctores antiquiſſimi ipſis Eſſenis contemporanei, ac coævi, Philo Hebræus, Ioſephus cum aliis auctoribus antiquis.

25. Philo. Ioſephus. Porphyrius. Plinius. Solonius. Sotus.

De eorum caſtitate ait Philo. Liber, *quod omnis probus ſit liber*, caſtitatem in tota vita perpetuam ſervant. Ioſepus *lib.6. Antiquitatum cap.13.uxores non ducunt.* Similiter Porphyrius apud Euſebium *de præparatione Evangelicalib.9.c.3.* Plinius *lib.5.c.17.* Solonius *c.23.* Volaterren. *lib.11.* Baron.*tom.1. in apparatu.§.*Sed antequam Sotus *in 4.diſt. 30.q.2.art.1.* & multi alii.

26. Ioſephus. Philo. Philiaſtr. Nicera. Abulenſ.

De paupertate Ioſephus,*lib.2.*de bello Iudaico *c.7.*ait. *Divitiarum contemptores ſunt, rerumque apud eos communicatio admirationi habetur.* Idem habet lib.18. Antiquit. cap.2. & ait, *inter illos nihil pauperius deſideratur.* Similiter Philo citato lib. & libro de vita contemplativa.Philiaſtrius *in Catalog.* Nicetas *lib.1.Theſauror.Orthodox.fidei c.36.* Abulenſ. *in cap.3.Matth.q.113.*

27. Ioſephus. Philo. Soloni. Serari. Arboricenſ.

De obedientia citatus Ioſephus de bello Iudaico. *Nihil ſine præcepto faciunt curatoris.* Eodem modo Philo citato libro, ex Ioſepho & Solonio Serarius *in Triharesio lib. 3. c.4. n.37.* & Arboricenſis tom.2. de *Tuendo ſacro. cœlibatu*, qui etiam notant, quod vita illis erat communis.Et dicunt: *Communis eſt ipſis non menſa ſolum, verum etiam veſtis quidem omnis.*

28. Philo. Ioſeph.

De oratione, ac meditatione. *Philo de vita contemplativa,*& Ioſephus *de bello Iudaico* citatus. *Singuli habent ſacraædiculas, quæ ſemnea vocant, ubi ſolitarii, ſanctæ vitæ myſteriis dant operam, Prophetarum oracula divinitus prodita ſcrutantes, hymnoſque perſonantes, perpetuam Dei præſentiam habentes.* De refectorio ſic ſcribit Ioſephus citatus.*Voce cibum ſacerdos intervenit, neque guſtare quemquam fas eſt niſi prius Deo celebretur oratio.* De fine autem prandii ſic ait. *Nam & cum incipiunt, & cum deſinunt,quaſi datorem victus Deum laudibus celebrant.* De ſilentio in refectorio ſic ſcribit Philo *liber omnis probus*, & ait, *ſilentium majus, quam antea, ita ut ne mutire cuiquamliceat, aut reſpirare vehementius.* Et de ſilentio per aliud tempus ſic ſcribit citatus Ioſephus de bello Iudaico. *Neque vero clamor unquam tectum illud, neque tumultus inquietat, cum etiã loquendi ordine alii aliis cedunt, eorumque ſilentium extra tectum conſtitutis arcanum quoddam videatur venerabile.*

29. Ioſeph.

Maximè in rem noſtram de inſtructione novitiorum ſic ſcribit Ioſephus de bello Iudaico cap.7. *Per annum integrum extrinſecus commorati, cuique eundem victus ordinem tribuunt: cumque dignus apparuerit, tunc demum in conſortium admittitur, prius vero quam incipiat communem habere cibum, magnis execrationibus abjurat, ſe primum colere Deum, deinceps quoque erga homines ſervare juſtitiam.* Et poſt aliqua.*His quidem execrationibus explorant,& quaſi præmuniunt accedentes.* Deinde ſic pergit;*Deprehenſos vero in peccatis à ſua Congregatione expellunt; & qui taliter fuerit condemnatus. Illis quidem Sacramentis, ac ritibus obligatus, neque capere ab illis oblatum cibum. poteſt.* Ita Cedrenus in compendio hiſtoriæ Claudii Serar.*citatus* Gellius, Laërtius, & alii multi, quos citant, ac ſequuntur Laurentius Landtmeter de Monach.victu,ac diſciplina, M. Lezana *to.1.Annal ad ann.3545. à num.20.*& deinceps; & vinea Carmel. *p.3. cap.3.fol.143. num 270.* Cedrenus. Serar. Gellius. Laërtius. Lezana. Vin. Carm.

30.

Nota illud: *His Sacramentis obligatus.* Sacramentis, id eſt juramentis. Iuramento ſe obligabant ad illas virtutes obedientiæ,paupertatis, ac caſtitatis. Iuramentum enim in hac materia, idem eſt ac votum, ut ex multis docent Sanchez *tom3. ſummæ, cap.9.num.11. & cap.13. num.1.* Suarez *tom.3.de Relig. lib.6. cap.1.n.3.* qui ait:*Ex quo tempore incepti religioſus ſtatus, incepit etiam profeſſio cujus antiquiſſima mentio invenitur in ſanctis Patribus, interdum ſub nomine conſecrationis, aut benedictionis, interdum nomine juramenti, aut voti, & ſæpè etiam profeſſionis.* Et confirmatur, quia de iſtis Eſſenis, ait Solonius Auctor graviſſimus, & antiquiſſimus, *cap.36. Nullus admittitur, niſi quem caſtitatis fides, & innocentiæ meritum proſequatur.* Caſtitatis fides, id eſt promiſſio caſtitatis; in hoc ſenſu explicatur illud Pauli 1.ad Timoth 5.num.12. *Quia primam fidem irritam fecerunt*, id eſt promiſſionem caſtitatis violaverunt; ita ex multis Conciliis, ac Patribus, Bellarm.*lib.2. de Monachis, c.24.* & apud juriſtas fides matrimonii id eſt *promiſſio matrimonii*,ut pluribus probat Sanchez *lib.7. de Matrim. diſp.79.n.19.* ſicque fides promiſſionem ſignificat apud theſaurum linguæ latinæ, & Calepinum.Inſuper Cedrenus gravis,& antiquus Auctor in compendio Hiſtoriar. in Claud. Imperat. de Eſſenis, ait. *Iurant huic divinæ Religioni unice uſque ad ſanguinem, ſe piè, ac reverenter operam navaturos.* Soloni. Sanchez. Suarez. Sanchez. Cedrenus. 1. Timot. 5 Bellarm.

31.

Hæc de Eſſenis dixi, ut videas modum Religioſum, qui modo in nobis eſt tanquam primis delineamentis, in illis antiquis Patribus præceſſit, qui modo in lege gratiæ excellentiori,ac multò majori perfectione, omnibuſque modis abſoluto invenitur;unde de his rectè dixit D.Auguſtinus: *Novis nominibus, res autem ipſæ ante nomina ſua erant.* Pro quo accipe Baronium in annotationibus ad Martyrolog. Romanum die 19. Octobris ad *verb. ſeptem Monachos*, ait: *Porrò ipſum Monachorum inſtitutum, non recens, ſed ab initio naſcentis Eccleſiæ viguiſſe, ex his, quæ ſcribit Philo de Eſſenis, & quæ habet Dionyſius Areopagita,& alii facilè colligent; licèt nomen ipſum non adeò vetus fuerit.* Vnde D.Auguſt.tract.97. in Ioan. *ſic ait Monaſteria, & Xenodochia, poſtea ſunt appellata, novis nominibus, res autem ipſæ ante ſua nomina erant.* Ita Baronius, ſtatus religioſus ante nomina, nomina verò nova Monaſterium, Conventus, Collegium. D. Auguſt. Baron.

32.

Eſſeni pallio albo utebantur, ſicut filii Prophetarum, cum eſſent ex eadem familia, utpotè ab Eliſæo ordinati, ut dixi in exordio quæſtionis, quod verò eſſent ex eadem familia tenent Vvaldenſ.*tom.1. Doctorin.fide, lib.2. cap.14. art.2. n.11.* Arnoldus Boſtius *lib. de primatu B. Virg. Mariæ*, Cedrenus *in compendio Hiſtoriæ in Claud. Imperatore*, Gravina Vvalden. Arnold. Cedrenus. Gravina.

vina ex ſacro Ordine Prædicator. *lib. vox Tu turis, part. 2. c. 15* Adrianus ab Adriano ex Societate Iesu, *lib. de vita Monaſtica, & ejus origine, cap. 2.* Iacobus Boulducus *de Eccleſia ante legem, c. 3. §. Qui geſtus,* & multi alii, quos citant, ac ſequuntur M. Thomas de Iesu, *in Regul. Carmel. part. 1. c. 1. §. Pro quo,* M. Michaël Munoz *in propugnaculo Eliæ lib. 2. tit 2. cap. 2. art. 6. n. 16.* Franciſcus à Maria *in Hiſtoria Prophetica, tom. 1.* præcipuè *lib. 2. c. 13.* Lezana *citatus, n. 14.* qui omnes agnoſcunt tria vota in Eſſenis; quod veriſimile videtur Suarez *tom. 3. de Relig. lib. 3. c. 1.* noſter Beauxamis *in Herm. Evang. tom. 1. ad cap. 3. Matth. & 3. Luc.*

Adrian. Boulducus. Thom. Iesu Munoz. Fr. à S. Mar. Lezana. Suar. Beauxam.

Quæstio V.

Suprema luminaria totius Eccleſiæ Dei, Apoſtoli nempe altiſſima, & conſummata perfectione, ac excellentia fecerunt vota obedientiæ, paupertatis, ac caſtitatis; & unde hæc vota in eis colligantur?

SUMMARIUM.

33 *Sacratiſſimi Apoſtoli in ſupremo ſanctitatis vertice, Beatiſſima Maria Virgine excepta, & n. 34.*

35 *Apoſtoli Chriſti virtutes imitabantur.*

36 *Apoſtoli in ſumma paupertate obedientia ac caſtitate vivebant, & n. 37.*

38 *Apoſtoli fecerunt votum paupertatis, obedientiæ, ac caſtitatis, conſtans ſententia inter Catholicos.*

39 *Colligantur hæc vota ex eorum factis adiunctis locis ſcripturæ.*

40 *Apoſtoli ob ſuam ſublimem ſanctitatem benè ſcicbant excellentius eſſe opus cum voto, quam ſine illo, & n. 41.*

42 *Aliqualiter colliguntur vota in Elia, ac filiis Prophetarum ex factis.*

33. SAcratiſſimi Apoſtoli ſupereminent in omni juſtitia, ſanctitate, ac perfectione altiſſima omnibus ſanctis, tam qui fuerunt ab exordio mundi, quam qui erunt uſque ad finem ſæculi, ſacratiſſima Virgine Maria excepta; & etiam Ioanne Baptiſta, ut multis contendit Benedict. Iuſtinianus *tom. 1. in epiſtolas Pauli in Prolog. diſp. 1. c. 5. à n. 9. & 10.* ac deinceps, à qua quæſtione modo abſtineo, & aliis remitto. Certum eſt ergo, quod ſacratiſſimi Apoſtoli, utpotè ſocii, ac collaterales Chriſti fuerunt in ſupremo, ac eminentiſſimo omnis ſanctitatis faſtigio.

Benedict. Iaſtini.

34. D. Chryſ. Pro quare unus audiendus eſt *Chriſoſtom. homil. de ſancto Andrea,* quæ extat apud Surium die 30. Novembris, & ait. *Nihil unquam tale fuit, quale fuerunt Apoſtoli; Hi cum Dei verbi eſſent miniſtri atrectarunt incarnatum illum, qui ut Deus figuram non habet, ſecuti ſunt ambulantem eum, qui ubique præſens eſt. Diſcubuerunt una cum illo, qui nullo loco circunſcribitur. Eius vocem audierunt, qui verbo fecit omnia, mundum ipſum lingua, tanquam ſagena quadam concluſerunt. Circumierunt ſuis curſibus fines orbis terrarum; errores ut zizania eradicarunt, aras ut ſpinas quaſdam amputarunt, idola tanquam feras interfecerunt; dæmones ut lupos profugarunt; Eccleſiam ut gregem quendam collegerunt: Orthodoxos tanquam frumentum congregaverunt: Hæreſes ut paleas projecerunt, Iudaiſmum tanquam fœnum arefecerunt. Græcorum ſectam tanquam ſtipulas quaſdam igni combuſſerunt. Humanam naturam cruce ipſa tanquam aratro quodam excoluerunt, & verbum Dei, ut ſementem quandam ſparſerunt. Ad ſummum, omnia illorum facta, tanquam ſidera quædam effulſerunt. Quamobrem clara voce illis dicebat Dominus: vos eſtis lux mundi. Intuere aſtra hæc, & illorum ſplendorem obſtupeſce.*

35. Hæc fulgentiſſima Sydera magno omnium virtutum fulgore reſplenduerunt, ac totum orbem illuminarunt, & inter cætera maximè in rem noſtram perpende illorum extremam paupertatem, exactiſſimam obedientiam, ac admirabilem caſtitatem. Sequebantur enim Chriſtum, non ſolum corpore, ſed & animo, illius virtutem imitantes. Chriſtus in ſumma paupertate vivebat, ut de ſe diceret: *Ego mendicus ſum, & pauper. Pſal. 21.* Pſal. 21. & iterum apud Matth. 8. n. 29. *Vulpes foveas habent, & volucres cæli nidos; filius autem hominis non habet, ubi reclinet caput ſuum.* Sic & Apoſtoli in Summa paupertate vivebant, ut optimè colligit D. Hieron. ex illo *Matth. 17. n. 26.* Quia ut Dominus tributum redderet pro ſe, & Petro miſit illum ad mare, ut inde afferret, quo tributum perſolveretur, quia aliunde æs aliorum habebat. Et ſi Iudas habeat loculos. *Ioan. 12. n. 6.* erant ex his, quæ ex eleemoſynis, ut notat D. Auguſtinus *lib. de Mendac. c. 5. & de oper. Monach. c. 14.* Quibus ſervarentur ea, quæ dabantur ad uſus neceſſarios.

Matth. 8. D. Hieron. Matth. 17. Ioan. 12. D. Auguſt.

36. In Apoſtolis maximè reſplenduit obedientia erga Chriſtum, qui Patri ſuo Æterno: *Factus eſt obediens uſque ad mortem.* Apoſtoli Chriſtum ſequuti ſunt, hoc eſt ejus virtutes, & actiones imitantes. Deinde ex eo, quod ſe cœleſti Magiſtro in diſciplinam tradiderunt, inde conſequens fuit, ut ad ejus nutum, ac obedientiam, maximè promptos ſe præberent Et confirmatur, quia non invenies in Evangelio, quod Apoſtoli tenaci animo Chriſti mandatis reſiſterent, ſed in omnibus tam dictis, quam factis, maximè fuerunt obedientes, ac obſequentes.

37. In caſtitate maximè illius tres fuerunt, nam teſte D. Hieronymo *lib. 1. contra Iovinianum*, omnes Apoſtoli, excepto D Petro fuerunt virgines. Tertullianus lib. de Monogamia, ait: *Petrum ſolum invenio maritatum per ſocrum: cæteros cum maritatos non invenio, aut ſpadones intelligi neceſſe eſt, aut continentes.* Id autem quod in actis Apoſtolorum 21. *n. 9. de filiabus Philippi*: dicitur, conſtat ex textu, quod non ad Philippum Apoſtolum, ſed ad Philippum diaconum referendum ſit, ut notat D. Hieron. *Epiſtol. 27.* expreſsè ait textus de tali Philippo, *erat unus ex ſeptem*, ſcilicet Diaconis eſto concedatur, quod aliqui ex Apoſtolis fuerint uxorati, tamen poſt vocationem Chriſti tales uxores, habuerunt loco ſororum

D. Hieron. Tertullian. Actor. 21. D. Hieron.

ſororum, & non ad alium uſum, ut docent
Clem. Alex. D. Hieron. *lib. 1. contra Iovinian.* & Clemens Alexandrinus *lib. 3. ſtromat.* admonente Chriſto Domino. *Omnis, qui reliquerit domum, vel fratres, vel ſorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut filios, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam*
Matth. 19. *æternam poſſidebit.* Matth. 19. num. 29. Quæ omnia ſancti Apoſtoli exactiſſime implerunt.

38. Quas omnes virtutes ſanctiſſimi Apoſtoli, non ſolum libenti animo ſunt amplexati, ſed ferventiſſima charitate, perfectiſſimo, ac excellentiſſimo modo votis firmarunt, voventes paupertatem, obedientiam, ac caſtitatem. Hæc concluſio eſt communis inter Catholicos
D. Thom. Vvalden. contra Hæreticos, eam tenent D. Thom. 2. 2. *quæſt. 88. art. 4. ad 3.* Noſter Vvaldenſ. *tom. 1. de Sacramental. tit. 9. cap. 83. 84. & tom. 3. Doctrinalis fidei. c. 31. & 32.* Clitoveus *lib. 3. de*
Clitoveus. *votis monaſticis cap. 5.* Soto *lib. 7. de Iuſtitia*
Soto. Caſtro. *q. 5. art. 1.* præſertim *Corollar. 6. & 7.* Caſtro
Navarr. contra *Hæreſes verb. votum*, & Navarr. *Commentar. de Regularib. n. 3.* & de redditibus Eccleſiæ *monit. 3.* Rodriguez *tom. 1. q. 1. art. 1.*
Rodrig. Miranda. Miranda *tom. 1. Manuali q. 3. art. 2.* Vaſquez
Vaſquez. Valentia. 1. 2. *diſp. 165. c. 5.* Valentia 2. 2. *diſp. 10. punct.*
Henriq. 1. §. 1. Henriquez *lib. 10. de ſacram. Ordinis*
Suarez. *c. 1.* Suar. *3. de Relig. lib. 3. c. 2.* & ſic multi alii Doctores.

39. Cum autem hæc vota ſacrorum Apoſtolorum non habeantur expreſſe in ſcriptura; ex eorum tamen factis optimo, ac valido fundamento colligunt citati Doctores De Petro, &
Matth. 4. Andrea dicitur Matth. 4. *Relictis retibus ſecuti ſunt eum*, ſcilicet Chriſtum, & in perſona omnium Apoſtolorum ait Petrus ad Chriſtum Dominum *Ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te.* Matth. 19.
Matth. 19. *Reliquimus omnia.* Conſtanti ac reſoluto animo in perpetuum; ex quibus verbis D. Auguſtinus ſtatim citandus colligit eorum votum paupertatis, *& ſecuti ſumus te*, non tantum imitando, ſed firmo, ac determinato animo obediendi, ac exequendi quæcumque mandata fuerint, quod perfectiſſimè tantum fit per votum obedientiæ. Et quia nemo poteſt ſequi Chriſtum ad omnia mandata, & ad quemcumque locum uxori obligatus, ideo ibi involvitur, & ſupponitur Caſtitatis votum. Unde Chriſtus D. dicebat: *Si quis venit ad me, & non odit patrem ſuum, & matrem ſuam, uxorem, & filios, & fratres, & ſorores, adhuc autem & animam ſuam, non poteſt meus eſſe diſcipulus.*
Luc 14. Luc. 14. num. 26.

40. Probatur etiam ex illis verbis Chriſti Domini. *Si quis vult venire poſt me, abneget ſemetipſum, & ſequatur me.* Matth. 16. n. 24. Homo
Matth. 16. maximè ſe ipſum abnegat, ut ſancti Patres exponunt, quando ſe privat ſua propria voluntate; voluntas enim eſt quid inſigniter proprium hominis, & tunc valde peculiariter homo ſe privat ſua libertate, quando per ſui traditionem ſe ſubjicit alterius obedientiæ quod perfecte fit per votum illius, & tunc etiam perfectè abnegat ſemetipſum, quando ſe abnegat ſuis appetitibus per votum caſtitatis, ac ſe abnegat terrenis rebus per votum paupertatis: & quia Apoſtoli exactiſſime obſervabant Chriſti doctrinam ad unguem, inde abnegabant ſe ipſos ſuæ voluntati, per votum obedientiæ, & ſuis appetitibus per votum caſtitatis; & terrenis rebus per votum paupertatis.

Confirmatur; Quia ſacri Apoſtoli ob ſuam 41.
ſublimem, ac eximiam ſanctitatem, bene cognoſcebant, quod perfectius, excellentius, ac magis meritorium erat opus voto firmatum, quam ſine illo. Hinc ſuas præclariſſimas virtutes, ac eximias perfectiones, voto adjuncto firmabant, muniebant, ut docent D. Au- D. Auguſt.
guſtinus *lib. 17. de Civitate Dei cap. 4. & in* D. Hieron.
Pſal 131. D. Hieron. *lib. de viris illuſtribus in* Euſebius.
Philene. Euſebius *lib. 1. Hiſtoriar.* D. Thom. D. Thom.
2. 2. *quæſt. 88. art. 4 ad 3* ait: *Apoſtoli intelliguntur voviſſe pertinentia ad perfectionis ſtatum, quando Chriſtum relictis omnibus ſunt ſequuti.* Similiter dicunt plures Auctores de Ioanne Baptiſta; Inde ad aliqualem eorum umbram, odorem, ac veſtigium liceat colligere hæc vota in Elia, ac Eliſæo, ac filiis Prophetarum, non tamen eodem modo, ac eadem perfectione, ut in Apoſtolis, ſed multo inferiori, ac minori, quantum imperfectio illius legis patiebatur, & ideo prius videamus facta, poſtea veniemus ad vota.

QUÆSTIO VI.

Eximia obedientia, paupertas, ac virginitas in Elia.

SUMMARIUM.

22 *Perfecta, & magna obedientia Eliæ.*

43 *Plus quam viginti præcepta impoſita ſunt Eliæ.*

44 *Alii Prophetæ ad unum, vel alterum Dei præceptum reſpondent, Elias ob ſingularem ejus obedientiam obmuteſcit ad multa.*

45 *Elias mirabilis in virginitate, inde curru igneo incombuſtus fertur in cœlum.*

46 *Elias primus virginitatem coluit.*

47 *Elias valde mirabilis in paupertate.*
Tempore famis mandatur exire de populo, quia non habebat unde ex eleemoſynis ſuſtentaretur. ibid.

48 *Ex Apoſtolo Paulo probatur paupertas Eliæ in veſtitu, & cibo.*

PErfectiſſimam Eliæ obedientiam oſtendit 42.
Ioannes Ieroſolymitanus lib. de Inſtitu. Ioan. Ieroſ.
Monach. cap. 9. Dicens. *Qui ſemel ſe ipſum prorſus abnegans, & voluntati propriæ abrenuncians, ſuperioris, ideſt Dei voluntatem prorſus ſecutus fuit, quemadmodum de eo ſcriptum eſt.* Abiit quocumque eum ferebat voluntas, ſcilicet Dei; & in iſta ſequella Divinæ voluntatis ſtat ſumma, & perfecta obedientia, ut docent Bellarm. *lib. 1. de Monachis c. 21.* Suar. Bellarm.
tom. 3. de Reg. lib. 3. c. 2. n. 5. & 6. unde Do- Suarez.
minicus Gravina ſacri Ordinis Prædicator. in Gravina.
lib. 10, cui Titulus eſt *Vox Turturis* part. 2. cap. 5. *Eliæ primum colendæ virginitatis auctorem, ac obedientiæ, & paupertatis prototypum appellat.*

Hanc magnam obedientiam ejus perpende, 43.
& invenies totam ejus vitam ſecundum fere

omnes

omnes actiones fuiſſe ſub divino præcepto, ac inſtinctu, ita vt à Deo pluſquam viginti præcepta ei data ſint. Primo dum pluviæ ſterilitatem denuntiat. *Si erit annis his ros; & pluvia, niſi juxta oris mei verba* 3. Reg. 17. num. 2. Hæc dixit, ut obſervant Lyranus, Abulenſis, Gaſpar Sanchez, ex Dei mandato, ac ordinatione, & inde tam impavidus, ac minime dubitans de exitu talem ſententiã promulgavit ſecundò. *Vade, & abſcondere in torrente Carith.* ibidem num. 3. Tertiò *Vade in Sarephta Sidoniorum.* ibidem n. 9. Quartò. *Vade, oſtende te Achab, ut dem pluviam ſuper faciem terræ.* 3. Reg. 18. num. 1. & in ſacrificio in Monte Carmeli, multa ſunt ei mandata impoſita. Quinto dixit Achab. *Congrega ad me univerſum Iſraël in Monte Carmeli* Ibid. n. 19. Sexto dixit Elias Prophetis Baal *Facite vos primi, quia plures eſtis.* Ibid. num. 25. Septimo. Curavit. *Altare, & tulit duodecim lapides.* Ibid. num. 31. Octavo. *Diviſit per membra bovem, & poſuit ſuper ligna.* Ibidem n. 33. Nono ait *Tollite quatuor hydrias aquæ, & fundite ſuper holocauſtum.* Ibid. num. 34. quæ omnia ei fuerunt impoſita ex præcepto divino, ut ipſe dixit in ſua oratione. *Ego ſervus tuus juxta præceptum tuum feci omnia verba hæc.* Ibidem num. 36. Decimo. *Abiit quocumque eum ferebat voluntas.* 3. Reg. 19. num. 3. explicat Joannes Ieroſolymit. *Quocumque eum ferebat voluntas Dei.* Undecimo ſub Iunipero ait ei Angelus. *Surge, comede grandis tibi reſtat via.* Ibidem num. 5. Duodecimo in Horeb. Præcipit ei Dominus. *Vade & revertere per terram tuam in deſertum.* Ibid. num. 15. quod erat non per rectam viam, ſed longiorem, ut obſervat Abulenſis. Tertiodecimo. *Cumque perveneris illuc, unges Hazael regem ſuper Syriam.* Ibidem num. 25. Quartodecimo. *Iehu unges regem ſuper Iſraël* Ibidem num. 16. Quintodecimo, *Eliſæum unges Prophetam pro te.* Ibid n. 16. Sextodecimo. Cum Achab pergeret ad poſſidendam vineam. Naboth factus eſt ſermo Domini ad Eliam. *Deſcende in occurſum Achab occidi inſti, ſuper & poſſedisti.* 3. Reg. 21. n. 18. Decimoſeptimo cum nuntii Regis Ochoziæ tenderent ad conſulendum Beelzebub, cum Accaron, Angelus Domini locutus eſt ad Eliam, *Surge, & aſcende in occurſum nuntiorum Regis Samariæ.* 4. Reg. 1. n. 3. Decimo octavo aliud mandatum circa Quinquagenarium, *Locutus eſt Angelus Domini ad Eliam, deſcende cum eo, ne timeas.* Ibid. num 15. Decimo nono, cum Elias eſſet elevandus in cœlum, ait ipſe ad Eliſæum. *Dominus miſit me uſque Bethel.* 4. Reg. 2. n. 2. Vigeſimo. Iterum; *Dominus miſit me uſque Iericho.* Ibid. num. 4 Vigeſimo primo. Dixit ad Eliſæum, *Dominus miſit me uſque in Iordanem.* Ibid. num. 6. ſemper Elias totus erat ſub Dei obedientia, à ſpiritu Domini ferebatur ad omnia, ad hunc, & illum locum, ut ei dixit Abdias 3. *Reg.* 18. *n.* 12. Cum receſſero à te ſpiritus Domini aſportabit te in locum, quem ego ignoro. Et hac de cauſa poſt raptum Eliæ filii Prophetarum miſerunt quinquaginta viros ad requirendum eum, quia ſpiritus Domini aſportabat eum ad varia loca 4. *Reg.* 2 *n.* 16.

3. Reg. 17. Lyranus. Abulenſ. Sanchez. 3. Reg. 18. 3. Reg. 19 Ioan. Ieroſ. Abulenſ. 3. Reg. 21. 4. Reg. 1. 4 Reg. 2. 4. Reg. 2.

44. Ecce tota vita Eliæ ſub divino præcepto ac diſpoſitione erat; ex quo profunde ſummam, & altam ejus obedientiam conſidera. Nam tot præceptis impoſitis, & in re valdè difficili ſemper obmuteſcens mandata exequitur, nec unquam ad aliquod Dei præceptum, nec minimum verbũ reſpondit, ut fecerunt multi alii Prophetæ. Moyſes cum deſtinatur legatus ad Pharaonem, multas obiectiones proponit, ut multa capita ſcripturæ teſtantur, *Exod.* 3. & 4. Smauel cum mandatur ungere Davidem in Regem, multa contradicta opponit. *Quomodo vadam, audiet Saül, & interficiet me* 1. Reg. 16. n. 2. Cum Iſaias præcipitur ad prædicandum populo, ut pollutum labiis ſe excuſat. *Vir pollutus labiis ego ſum.* Iſai 6. n. 4. & Ieremias cum ad informandum populum conſtituitur, ut puerulum ineptum ſe excuſat. cap. 1. n. 6. Dicens, *A, A, A, Domine Deus ecce neſcio loqui.* At Elias tot, tantiſque præceptis impoſitis ſemper obmuteſcens mandata adimplet, & ne ad aliquod ex eis, nec minimum verbum profert, quo aperte indicatur ſingularis ejus obedientia, animuſque totus in Deum reſignatus, ſingulariſque ejus obedientia, ac efficax propoſitum, & votum obediendi Deo in omnibus, ac ſequendi ejus voluntatem in omnibus, quæ eſt perfectiſſima obedientia, in ſupremo Religionis capite. Perfecta obedientia non habet os ad dicendum, ac contradicendum, at animum promptum ad exequendum, ac obediendum. Inde Gravina citatus Eliam appellat obedientiæ *prototypon.* Platus lib 2. de bono ſtatus Religioſi *c.* 20. Turrianus *lib.* 5 *c.* 2. *Exemplar obedientiæ.*

Exod. 3. & 4. 1. Reg. 16. Iſai. 6. Ierem. 1. Gravina. Platus. Turrian.

45. In virginitate Elias valdè præclarus, ac inſignis D. Ignatius diſcipulus Sancti Ioannis Evangeliſtæ in Epiſtola ad Philadelphios, Eliam, ac Eliſæum commemorat inter eos, qui in caſtitate de hac vita exierunt. S. Epiphanius in libro, ſeu ſermone *Ancoratus* appellato ait: *Elias erat in virginitate, ut prærogativa virginitatis immortalitatem prædicaret mundo, & cum corpore incorruptibilitatem.* D. Ephrem Syrus exhortatione 1. ad Monachos, & ſerm. de transfigurat. Tertullian. lib. de Monogamia cap. 8. D. Chryſoſtom. de Virginit. D. Ambroſius lib. 1. de virginibus D. Hieron. ad Euſtochium ſcribens ait, *Virgo Elias, virgo Eliſæus, virgines multi filii Prophetarum.* D. Gregorius Mag. *homil.* 29. *in Evangelia.* Caſſianus *de inſt. tut. Denunc. cap.* 1. & *lib.* 6. *de ſpiritu fornic. c.* 4. D. Anaſtaſius Sinaita *lib. quæſtion. q.* 66. S. Aldelmus *de laudibus virg. c.* 10. D. Thomas *in* 4. *diſt.* 49. *q.* 5. *art.* 3. *quæſito* 1. *ad* 3. Gloſſa ordinaria *c.* 55. *Ieremiæ.* Ioannes Soares Epiſcop. Conimbricen. *in c.* 2. *Matth. tit.* 1. Ita ut dicat Gaſpar Sanchez vir doctiſſimus 3. Reg. 17. n. 6. ait. *Eliam virginitatem coluiſſe perpetuam, communis eſt veterum Patrum, conſtanſque ſententia.* Inde infero quod curru igneo. 4. Reg. 2. raptus eſt ad cœlum, ut oſtenderetur, quod igne concupiſcentiæ non fuerit aduſtus, ſicut de Beato Britio refertur in Breviario die 13. Novembris *Quod ut oſtenderet ſe concupiſcentiæ igne non fuiſſe combuſtum, prunas ardentes ad ſepulchrum uſque Beati Martini in veſtimento incombuſto detulit.*

45. D. Ignat. D. Epiphan. D. Ephrem. Tertullian. D. Chryſ. D. Ambroſ. D. Hieron. D. Gregor. Caſſian. D. Sinaita. D. Aldemus. D. Thom. Gloſſa Ord. Ioann. Soar. Sanchez. 4 Reg. 2.

Imo Eliam primum fuiſſe, qui virginitatem perpe 46.

perpetuam propter Deum, inter homines co-
Ioan. Ieroſ. luiſſe, affirmant Ioannes Ieroſolymitanus *lib. de Inſtitutione Monachorum, cap. 9.* & ait: *Elias nempe, ut per puritatem caſtitatis, & incorruptionem ſuæ carnis æquaretur Angelis ad conſervationis imitationem, ſe ipſum (propter Deum) virginitate perpetua primus hominum ſponte decoravit.* Divus Iſidorus *lib. 2. Officiorum, cap. 17.* ait: *Eliam primum ſacræ Virginitatis integritati ſtuduiſſe.* Gravina lib. *Vox Turturis, p. 2. c. 5.* ſic de Elia ait: *Quam primum colendæ virginitatis auctorem Patres, & Doctores appellant.*

D. Iſidor.

Gravina.

47. In paupertate illuſtriſſimus, ac admirabilis
Ioan. Ieroſ. eſt Elias, ut explicat Ioannes Ieroſolymitanus *de Inſtitutione Monachor. cap. 9.* & maximè nobis eam explicat D. Chryſoſtom. *lib. 3. de Providentia*, ait, quod *Elias ità pauper, ut nihil illi terrenum præter melotem eſſet*, & homil. 2. ad populum Antioch. ait, *Quid enim dic mihi Eliâ pauperius.* & ſtatim ſubdit: *Ipſam verò paupertatem ex mentis opulentia elegit*, & homil. 46. in Matth. ait, *Vnde mirabilis factus eſt Elias, nonne à renuntiatione poſſeſſionum.* Caſſianus *lib. 1. Inſtitutione, c. 1.* Idémque docent D. Iſidorus Hiſpalenſ. Theodoretus Salianus, Bellarminus, dandi *quæſtione ſequenti*, quod patet ex tota ejus vita, quia ut dicitur 4. Regum 1. n. 8. *Vir piloſus, & zona pellicea accinctus renibus:* quia ob ſuam extremam paupertatem tali indumento utebatur, ut notant Lyranus, Abulenſis, Gaſpar Sanchez, Cornelius, & hac de cauſa tempore ſiccitatis, ac famis, ut notant idem Auctores, Miſſus eſt in torrentem Carith, & in Sarephta Sidoniorum 3. *Regum 17. num. 13. & 9.* tum ut recederet ab ira, & furore Achab; tum etiam, quia tempore famis, cum populus maximè illa laboraret, non habebat unde ex eleemoſynis poſſet alimentari.

Caſſian. D. Iſidor. Theodor. Salian. Bellarm.

4. Reg. 1.

Lyranus. Abulenſ. Sanchez. Cornel.

3. Reg. 17.

48. Et hoc maximè probatur ex Apoſtolo *ad*
Hebr. 11. *Hebræos 11. num. 3.* ubi de Patribus antiquis ait: *Circumierunt in melotis, in pellibus caprinis egentes, anguſtiati, afflicti, quibus dignus non erat mundus.* Sub quibus verbis Apoſtolus ſignatim intelligit Eliam, ut ipſum expreſsè dicunt, & nominant Divus Chryſoſtomus, Euthymius, Theophylactus, D. Remigius, Theodoretus, D. Anſelmus, D. Thomas *ibi*, & *2. 2. q.... art....* in argumento, ubi expreſsè ait, quod Apoſtolus præcipuè intelligit Eliam. Gloſſa Interlinealis, Gloſſa Ordinaria, Carthuſ. Cardinal. Hugo, & Caietanus Benedict. Iuſtinian. Lyranus, Cornelius, Eſtius, ait Apoſtolus *Circuierunt*, erant aberrantes huc, atque illuc, ut effugium quærens ab adverſariis Iezabele, ac aliis. *In melotis*; hic potiſſimum videtur alludere ad Eliam: per melotem denotatur pellis cujuſvis animalis quadrupedis, ut Ovis. Elias talibus pellibus utebatur. *Vir piloſus zona pellicea*, &c. *egentes*; ex Syriaco legitur, *egentes pane quotidiano.* In quo indicatur ſumma paupertas Eliæ, tam ex veſtitu, quam ex cibo, & inde meritò ait Chryſoſt. *Nihil illi terrenum præter melotem.* Vnde quando rapitur curru igneo, pallium, ſeu melotem dimiſit diſcipulo ſuo Eliſæo, 4. *Reg.* 2. ut dimiſſis terrenis poſſet volare in cœlum.

D. Chryſ. Ethym. Theophyl D. Remig. Theodor. D. Anſelm. Interlin. Gloſſ. Ord. Carthuſ. Hugo. Caietan. Iuſtinian. Lyranus. Cornel. Eſtius.

Chryſoſt.

4 Reg. 2.

QUÆSTIO VII.

Eximia obedientia, paupertas, & caſtitas in Eliſæo, ac filiis Prophetarum.

SUMMARIUM.

49 *Maxima promptitudine Eliſæus obedit, & ſequitur Eliam.*

50 *Vt Eliſæus dicat ultimum vale parentibus, facultatem petit ab Elia.*

51 *Eliſæus dimittit omnia ſua, ut expeditior fiat ad ſequendum Eliam.*

52 *Ingens obedientia filiorum Prophetarum ex quadruplici ratione, & num. 53. 54. 55. & 56.*

57 *Ingens paupertas Eliſæi ex quadruplici ratione demonſtratur, & n. 58. 59. 60 & 61.*

62 *Paupertas filiorum Prophetarum ex triplici ratione colligitur, & n. 63 & 64.*

65 *Puritas, ac caſtitas in Eliſæo, ac filiis Prophetarum, & n. 66. & 67.*

Obedientia Eliſæi.

OBedientia Eliſæi aliqualem umbram, ac 49.
veſtigium dat obedientiæ Apoſtolorum ad Chriſti ſequelam, ut ponderat D. Chryſoſtomus *homil. 14. ex variis in Matth.* agens de vocatione Apoſtolorum, & ait: *Perpende fidem, & obedientiam vocatorum: cuncta illico relinquentes fecerunt, quod Eliſæus quoque ſub Elia legitur impleſſe, talem Chriſtus obedientiam à nobis efflagitat.* Hanc autem ſuam obedientiam in multis oſtendit Eliſæus: nam cum eum vocaſſet Elias, ac miſiſſet pallium ſuum ſuper eum, tali ſigno ipſum in ſuo ſtatuto, ac diſcipulorum ſuorum numero adſcribens, ut tali veſtitu tanquam novitii nova veſte indueretur, ut obſervant Sanchez, Cornelius, Menochius, *qui ſtatim relictis bobus cucurrit poſt Eliam*, 3. Regum 19. num. 20. Perpende verba *ſtatim*, id eſt, abſque ulla mora, dilatione. *Cucurrit*, non dicitur ivit, ſed *cucurrit*, ut vehemens obedientiæ promptitudo magis declaretur, ac exprimatur, & ſubdit: *Oſculer oro patrem meum, & matrem meam, & ſic ſequar te.* Erat antiqua conſuetudo apud Hebræos dimittendi cognatos pacis oſculo, ut obſervant duo primi citati Auctores, quo denotabatur non amplius eſſe revertendum ad eos. Abulenſis *ad citatum 19. Regum quæſt. 23. & 26.* ait: *Eliſæum in ſequela Eliæ receſſiſſe ab amicis, & cognatis non reverſurum ad ſtatutum illorum, quemadmodum Apoſtoli Petrus, & Andreas, Iacobus, & Ioannes, ac Matthæus ſequuti ſunt Chriſtum.* Apoſtoli ſecuti ſunt divinum Magiſtrum integro animo obediendi ei in omnibus, ſic & quodammodo aliquali ſimilitudine, non tamen eadem perfectione Eliſæus ſecutus eſt Eliam.

D. Chryſ. Sanchez. Cornel. Menoch. 3. Reg. 19. Abulenſ.

Et ait Eliſæus, *Oſculer oro patrem meum, & matrem meam, & ſic ſequar te.* Eliſæus accepto pallio Eliæ, tanta obedientia ſe cognoſcit illius ſubditum, ut ſibi perſuadeat, ut illud, quod velut ſecundum naturæ jus vi-

50.

debatur debitum erga patrem, & matrem, non eſſe ei licitum, niſi petita & obtenta licentia à ſuo Magiſtro Elia. Abulenſi *citato 3. Regum 19. quæſt. 24.* ait: *Petivit licentiam, quia putavit, quod non poterat jam aliquid agere contra præceptum Eliæ.* Similia habet Salianus ad annum 3167. num. 25. *Poſtulatio hæc ſignificat injectam à Deo, novo Prophetæ neceſſitatem ſequendi Eliam: nam ſi id ſibi liberum putaret, non peteret ab Elia, quaſi à Magiſtro, ac Domino ſuo veniam ſalutandi parentes.*

Abulenſ. Salian.

51. Quod maximè confirmatur ex his, quæ ſubdit facer Textus. *Tulit par boum, & mactavit illud, & in ataro boum coxit carnes, ſurgénſque abjit, & ſecutus eſt Eliam.* 3. Regum 19. num. 21. Mactatis bobus, in aratro coxit carnes, ut ita dimiſſis omnibus expeditior factus ſequeretur Eliam. Carthuſianus. *Quo facto monſtravit ſe nolle ad priſtinum reverti officium, ſed Eliæ inſeparabiliter adhærere, ſub obedientia tanti vatis vivendo.*

3. Reg. 19. Carthuſ.

52. De obedientia vero filiorum Prophetarum; ex ipſo nomine conſtat: & nota, quod ante Eliam non inveniuntur, nec nominantur in Scriptura, nec in aliquo probato Auctore filii Prophetarum; ſed tantùm dicebantur Prophetæ; at poſt Eliam multoties dicuntur filii Prophetarum, 4. *Reg. 2. n. 3. 5 & 7.* ac is, & *c. 4. n. 38. cap. 6. n. 1. cap. 9 n.* 1. & aliis in locis, ſic enim in illa Congregatione vivebant ſub Eliæ, ac Eliſæi diſciplina, & ita ſuis majoribus obediebant, tanquam filii parentibus. Ita Joan. Jeroſolym. *de ſtatu Monach. c. 11.* vel ut etiam ipſe ait: filii Prophetarum, id eſt, diſcipuli Prophetarũ, ut explicant Rabbi Salomon, Lyranus, Abulenſis, Vatablus, Cornelius 4. *Reg. c. 2.* Theodoretus *ibidem*, & frequenter in Scriptura ſub nomine filii diſcipulus intelligitur Pſalm. 33. n. 12. *Venite filii audite me timorem Domini docebo vos.* Ad Galat. 4. n. 19. *Filioli mei, quos iterum parturio.* Hæc obedientia filiorum Prophetarum in multis viſitur, & apparet in Sacra Scriptura.

4. Reg 2. & 4. & 6. & 5. Ioan. Ieroſ. Rabb. Sal. Lyran. Abulenſ. Vatablus. Pſalm. 33. Galat 4.

Obedientia filiorum Prophetarum.

53. Primò, 4. *Reg. 2. n. 15.* cum cognoviſſent filii Prophetarum, qui erant in Jericho, quod Elias raptus eſſet in cœlum. Tunc ad Eliſæum. *Venientes in occurſum ejus, adoraverunt eum proni in terram*, ſeu ut legit Pagninus. *Incurvaverunt ſe ſuper terram ante eum*, ſcilicet Eliſæum, quod explicans Lyranus ait: *Adoraverunt eum adoratione, ſcilicet duliæ, tanquam ſuperiorem ſuum, eo quod eſſet ſubſtitutus loco Eliæ, ſub cujus regimine vixerant.* Similiter Abulenſ. *ibi q. 31.* Caietan. Gaſpar Sanchez, Franciſcus Somnius *lib. de demonſtrat. Evangelica, c. 2.* Arboren. *de ſacro Cœlibatu, tom. 2.*

4. Reg. 2. Pagnin. Lyranus. Abulenſ. Caietan. Sanchez. Somnius.

54. Secundò, ob eximiam obedientiam erga Eliſæum filii Prophetarum nihil audebant facere, niſi petita & obtenta licentia ab Eliſæo: nam cum poſt raptum Eliæ maximè deſiderio tanti Parentis flagrarent filii Prophetarum, & haberent ad manum quinquaginta viros fortes, ad eum per deſerta quærendum, nullo modo voluerunt hoc facere, nec mittere homines ad requirendum Magiſtrum deſideratiſſimum, quouſque obtinerent licentiam ab Eliſæo, & d ceret eis, mittite, *& tunc miſerunt*, 4. Reg. 2. n. 17.

Tertiò. Cum terra fame premeretur, nullus ex filiis Prophetarum auſus eſt de quærendo, ac procurando ſibi cibo agere, quouſque ipſe Eliſæus hoc præciperet. *Erat fames in terra, & filii Prophetarum habitabant coram eo*, ſcilicet Eliſæo, *Dixitque uni de pueris ſuis: pone ollam grandem, & coque pulmentum filiis Prophetarum*, 4. Reg. 4 n. 38. Quamvis fame premerentur de comparando cibo, non audebant agere, niſi de ejus mandato. Et dicitur: *Habitabant coram eo*, ſeu ut legit Vatabl. *Verſabantur apud eum.* Hoc eſt ſub ejus cura, regimine, ac obedientia, ut explicant Abulenſ. Gaſpar Sanch. & dixit: *Pone ollam grandem, quia multi erant filii Prophetarum, pro quibus cibus parabatur.* Ut interpretantur Lyran. Abulenſ. *q. 39.*

4. Reg 2. 55. 4. Reg 4. Vatablus. Abulenſ. Sanchez.

Quartò Cum filii Prophetarum, ob ſuam magnam multitudinem habitaſſent in loco valdè anguſto. Dixerunt filii Prophetarum ad Eliſæum: *Ecce locus, in quo habitamus coram te, anguſtus eſt nobis: eamus uſque ad Iordanem, & tollant ſinguli de ſylva, materias ſingulas, & ædificemus nobis ibi locum ad habitandum. Qui dixit ite*, 4. Reg. 6. num. 1. Ad quæ verba notat Abul. *q. 1.* ait: *Erant filii Prophetarum conjuncti viventes conventualiter per diverſa collegia, & ibi vacabant laudibus Dei, & vitæ religioſæ.* Et his præerat Eliſæus, tanquam eorum Pater, ac Princeps, ac Prælatus, & ideò ut ait Gaſpar Sanchez ibi: *Rogabant Eliſæum, ut ſibi liceat è ſylva cædere, quæ eſt ad Iordanis ripam: quam facultatem ab eo conſecuti, progreſſi ſunt ad ſylvam.* Filii Prophetarum ſic erant ſubjecti, ac obedientes Eliſæo, ut ſine ejus facultate obtenta, nihil auderent intentare, ac facere. E nota quod ſæpè repetitur illud verbum, *Coram te*, ut jam notavi ex Abulenſi, id eſt, ſub tua cura, correctione, ac diſciplina, tanquam ſubditi ſub ſuo Prælato.

56. 4. Reg 6. Abulenſ. Sanchez.

Ingens paupertas in Eliſæo.

Hanc maximè celebrant Sancti Patres. Divus Iſidorus Hiſpalenſis *lib. 2. Officiorum, cap. 2.* ait: *Vnde ad Monachos ſtudium defluxit paupertatis, quantum attinet ad auctoritatem Veterum Scripturarum; hujus propoſiti Princeps Elias, & diſcipuli ejus Eliſæus, ſive filii Prophetarum.* Theodoretus *quæſtione 19. in 4. Regum*, ait: *Chorus Prophetarum extremam amplectebatur paupertatem.* Non ait tolerabant, ſed amplectebantur paupertatem, utique voluntariam, ac ultro ſuſceptam, & ob hanc extremam paupertatem, ait Salianus ad annum mundi 3145. numero 5. & 6. *Eos Monachos agnoſcit, vocátque Hieronymus, & Ioannes Ieroſolymitanus paſſim, & Abulenſis.* Divus Thomas *ad Hebræos 11. lect. 8.* ad illa verba: *Egentes, Anguſtiati*, loquens de Elia, & Eliſæo, Cardinalis Bellarmin. *lib. 2. de Monachis, c. 5.* ait: *Habemus inde in eodem teſtamento Veteri Eliam, Eliſæum, & filios Prophetarum ſine uxoribus, & divitiis in hoc mundo vixiſſe.* Sic & alii multi, & veniamus ad magis particularia.

57. D. Iſidor. Theodor. Salian. D. Hieron. D. Thom. Bellarm.

Mira

58. Mira paupertas in Elisæo: nam ubi vocatus est ab Elia: *Statim relictis bobus cucurrit post Eliam*, 3. Regum 19. num. 20. Id est, omnia sua reliquit, ac repudiavit. Divus Ambrosius *lib. 1. de Officiis, c. 30.* ait: *Relictis omnibus in disciplinam se propheticam dedit.* Lyranus. *Decrevit repudiatis in omnibus adhærere Eliæ* Valentia 2. 2. *disput.* 10. jam citatus, ait: *Relictis parentibus, & cæteris omnibus successit in cremum.* Vocatus Elisæus ab Elia relinquit omnia ad odorem sacrorum Apostolorum: nam Petrus, & Andræas vocati à Christo, *relictis retibus* secuti sunt eum. *Matth. 4. num. 22.* Abulensis *ad citatum, c. 19.* Regum, quæst. 23. *Relictis bobus*, &c. *Non curavit amplius arare, nec vacare negotiis sæcularibus, sed relictis bobus secutus est eum. Sic enim quando Christus vocabat discipulos suos, relinquebant omnia, & sequebantur eum. Sic enim quando Christus vocavit Petrum, & Andream fratres, relictis retibus secuti sunt eum. Sic etiam Iacobus, & Ioannes Zebedæi fratres relinquentes patrem, & navim vocantem Christum secuti sunt.* Matth. 4. Similia habet Cardinalis Hugo.

59. Secundò, ait Textus citato loco 19. Tertio Regum num. 21. *Tulit par boum, & mactavit illud, & in aratro boum coxit carnes, & dedit populo, & comederunt, consurgensque abiit, & secutus est Eliam.* Ait Gaspar Sanchez. Hæc verba maximè Elisæi commendant alacritatem, in relinquendo sæculo, & amplectendo religioso instituto strenuum animum, & studium fidele. Ita citatus Auctor Abulensis *quæstione 26.* & ait: *Quia Elisæus transibat ad Dominum, omnino volebat renuntiare sæculo, ita quod nihil relinqueret in illo, quod ad se pertineret.* Dedit populo, & comederunt, *scilicet dedit cognatis suis, & amicis, convocans eos ad convivium, qua tunc recedebat ab eis, & non erat amplius rediturus ad statum illorum. Istud exemplum secutus est Beatus Matthæus, qui à Christo vocatus reliquit omnia, quæ habebat, & ipsa die vocationis suæ, invitavit Christum, & discipulos, & multos publicanos.* Matth. 9. num. 10.

60. Tertiò. Mulier quædam vidua pauperecula, cum mortuus esset vir ejus onustu debitis, creditor volebat tollere duos filios viduæ ad serviendum sibi, tunc mulier valdè oppressa recurrit ad Prophetam, ut ei subveniat in tanta necessitate: *Cui dixit Elisæus, quid vis ut faciam tibi? Dic mihi, quid habes in domo tua.* 4. Regum 4. num. 2. Quam interrogationem fecit Propheta, ut notat Divus Augustinus *lib. 2. de Mira bilibus Sacræ Scripturæ, cap. 23.* ut per miraculum provideret mulieri ad solvendum debitum, & ita factum est, ut ex pauco oleo, quod mulier habebat in domo, & maximè miraculosè, multiplicatum est, multa vasa replerentur, & ita ex multiplicato oleo vendito satisfactum est creditori, & de reliquo mulier sibi, & filiis suis providit; merito tamen Abulensis *ibi q. 7.* quærit, quare Propheta hoc fecit, & ait: *Quia nunquam debet aliquis recurrere ad miraculum, quod est opus Dei, nisi quando via humana nihil agere potest.* Propheta ob suam charitatem volebat subvenire mulieri oppressæ, ac laboranti, & cum ipse ob suam paupertatem non haberet aliquid temporale, inde ad miraculum confugit, ut provideat mulieri, ut à debito solvatur, & ut à tanta angustia, ac molestia liberetur.

61. Quartò. Cum terra magna fame opprimeretur; *Vir quidam venit de Baal salisa deferens viro Dei panes primitiarum, viginti panes hordeaceos, & frumentum in pera sua.* Reg. 4. c 4. n. 42. Homo ille deferebat panes Elisæo, ut ex eis provideret, sibi, ac filiis Prophetarum, quorum ipse Pater erat, & curam agebat; tamen Elisæus ministro suo ait: *Da populo ut comedat.* Salianus *hoc ponderans ad annum* 1344. *n.* 8. ait: *Acceptum munus Elisæus in communem impendit utilitatem; erat enim eis mensa communis, ut religiosis Viris, nec Elisæus sibi proprium habere voluit paupertatis studio repugnante.*

4. Reg 4. Salian.

PAVPERTAS

Filiorum Prohetarum.

62. Hanc filiorum Prophetarum extremam paupertatem multis nobis indicat Sacra Scriptura: nam cum fames vehementer urgeret, ut suis subditis Elisæus cibum provideret, mandavit uni eorum ponere ollam grandem, ad eorum alimentum, quia multi erant, ut jam dixi in hac quæstione ex Abulensi, Lyrano, & aliis. *Egressus est unus in agrum, invenitque quasi vitem sylvestrem, & collegit ex ea colocynthidas agri, & implevit pallium suum.* 4. Regum 4. num. 39. Ad implendum mandatum Elisæi, egreditur in agrum ad colligendum herbas agrestes, ex his constabat illa olla grandis, ut bene colligitur ex Textu. Sanchez *ibi* ait: *Hoc enim videtur, eo tempore illorum Prophetarum commune pulmentum, id indicat ille, qui egressus dicitur in agrum, ut colligeret herbas agrestes.* Dicitur in agrum, non proprium, sed omni populo communem; *& implevit pallium suum.* Abulensis quæst. 59. *Quia Elisæus jusserat repleri ollam grandem*, quia ex illis herbis agrestibus erat replenda, ex quibus sicut ex panibus viginti oblatis, ut modo dixi, maximè constat eorum extrema paupertas, ut bene notat Thodoretus hic *quæstione 19.* & inquit. *Quod autem vita Prophetarum, nullas habuerit possessiones, docet historia. Nam qui erat eorum primus* (Elisæus) *nunc quidem eos excepit convivio olerum agrestium: nunc autem panes hordeaceos viginti apposuit centum viris, eosque ab aliis oblatos. Eis autem tantam benedictionem impertit, ut & illos centum satiaret, & supereſſent permulti* Divus Hieronymus *epistola 4. ad Rustic.* ait: *Filii Prophetarum, quos Monachos in Veteri Testamento legimus ædificabant sibi casulas propè fluenta Iordanis, & turbis Vrbium derelictis polenta, & herbis agrestibus victitabant.*

4. Reg 4. Sanchez. Abulens. Lyran. Abulensis. Theodor. D. Hieron.

63. Secundò, Cum filii Prophetarum augerentur magno numero, ut neque in Carmelo, nec aliis locis possent commodè habitare, quia præ tanta multitudine angustus erat locus, ut notat Vvaldens. *lib. 3. Doctrinal. fidei, art c. 1. cap. 4.* Vvaldens.

Genebrard. cap. 4. Genebrardus *lib. 1. Chronolog. ad annum* 3272. facultatem petunt ab Eliſæo, & dicunt: *Ecce locus, in quo habitamus, anguſtus eſt nobis. Eamus uſque ad Iordanem, & tollant ſinguli de ſylva materias ſingulas, ut ædificemus nobis ibi locum ad habitandum*, 4. Regum 6. num. 1. & 2. Nota cum Abulenſi, quod ſemper dicunt *Coram te*, id eſt, ſub tua obedientia, ac mandato, & maximè ponderandum, quod ad opus laborioſum ac fatigatione, & ſudore plenum non dicunt, vis ut convocemus operarios, artifices, ut ligna cædant, aſportent, & componant ad facienda habitacula; ſed ipſi ſe offerunt ad ſervile miniſterium, ut ligna cædant, aſportent, & cubicula ædificent. *Tollant ſinguli de ſylva materias ſingulas, & ædificemus ibi locum*, quia ob ſuam magnam paupertatem, non habebant aliquid, quod pro mercede poſſent contribuere operariis, & cum opus aliunde eſſet neceſſarium, ipſi ſe accingunt ad illud, & laborem non recuſant.

4. Reg. 6.

64. Tertiò. Ad eandem hiſtoriam. Factum eſt autem cum quidam illorum minus cautè ligna cæderet, ferrum cecidit in aquam. Exclamavítque ille, & ait, *Heu, Heu, Domine, hoc etiam mutuo acceperam*, id eſt, accommodatum acceperam. Explicat Abulenſis 4. *Regum 6. n. 5.* maximè dolet de ferro amiſſo, quia rem alienam amiſerat, nec ob ſuam paupertatem poterat Domino ſuo aliam reddere, nec pecuniam habebat, qua poſſet Domino ſuo ſatisfacere. Cardinalis Hugo ibi ait, *Non ſolum hoc mutuatus ſum, ſed etiam cætera, quæ habeo, & inde non habeo de meo unde reſtituam.* Carthuſianus, mutuo acceperam, ait, *quaſi dicat, ſi meum fuiſſet minus curarem, ſed nunc doleo vehementer, cum non habeam, quod pro illo reſtituam. Vnde conſtat, quod pauperes erant diſcipuli illi, & ſimplicibus habitaculis, quæ ipſimet conſtruebant, erant contenti, quo multorum etiam Religioſorum curioſitas ſumptuoſa arguitur.* Similiter Lyranus, Menochius, & alii.

4. Reg. 6. Hugo. Carthuſ. Lyran. Menoch.

Eliſæus, & multi filii Prophetarum eximia puritate, ac caſtitate floruerunt.

65. Quod Eliſæus fuiſſet virgo, virgineſque aliqui ex filiis Prophetarum, docent D. Ignatius, D. Hieronymus, Ioan. Ieroſolymit. *jam citati ſuperiori quæſt. n. 45.* Idémque affirmant de Elia, Eliſæo, ac filiis Prophetarum. Bellarminus *lib. 2. de Monachis, cap. 5.* Suarez *tom. 3. de Religione, cap. 1. num. 6.* Ægidius Camart. *Minimorum inſignis Generalis de rebus Eliæ; cap. 6. ſect 8.* Cornelius à Lapide *in 3. Regum c. 19. ad finem.* Claudius Eſpinceus Theologus Pariſienſ. *lib. 3. de contin. cap. 1. pag. 9.* Sicque de Eliſæo habetur in Breviario Carmelitano approbato à multis Summis Pontificibus in Hymno ejus feſtivitatis die 14. Iunii ad Matutinum.

D. Ignat. D. Hieron. Bellarm. Suarez. Ægidius. Carmel. Eſpinceus.

Eliſæus namque Virgo planè permanens
Beatis cœli coæquatur Angelis,
Qui pravos carnis motus ſcivit premere,
Et mentem puram Chriſto novit gerere.

Et hoc probatur ex Sacra Scriptura: nam cum miſſo pallio eum ad ſe avocaret, Elias, ait: *Oſculer oro patrem meum, & matrem meam, & ſic ſequar te.* 3. Reg. 19. num. 20. Antiqua conſuetudo erat apud Hebræos, ut jam dixi oſculo pacis dimittere cognatos, & amicos; inde Eliſæus licentiam poſtulat, ut tali ſigno pacis dimittat patrem, & matrem, & ut rectè notat Abulenſis, ibi quæſt 24. *Ex quo patet, quod non habebat filios, nec uxorem, quia ſi habuiſſet filios, & uxorem, diceret, oro te, oſculer filios, & uxorem: nam quilibet naturaliter diligit magis filios, quam patrem, & matrem.* Deinde ait Textus ibi num. 21. *Tulit par boum, & mactavit illud, & in aratro boum coxit carnes.* D. Antonius Vlyſſiponenſis, ſeu Paduanus in Dominica 5. poſt Trinit. *Coxit carnes, id eſt, carnales concupiſcentias in contritione cordis decoquere.* Id eſt, illis omnino expeditior factus alacrius curreret poſt Eliam.

66. 3. Reg. 19. Abulenſ. D. Anton.

Quod autem filii Prophetarum eſſent virgines, expreſsè docet D. Hieronymus. Virgines multi filij Prophetarum, Bellarminus, Serarius, Ægidius, Camartus, & alii proximè allegati. Nam hi filii Prophetarum fuerunt edocti ab Elia, & Eliſæo, ergo cum ipſi eſſent virgines, & maximè caſtitatis amatores, in ipſa caſtitate, & puritate eos inſtruxerunt. Secundò, ut infra dicam *quæſt 17.* Ipſa vita Eliæ filiis Prophetarum pro regula, ac ſtatuto, ut ibi dicam; ex Joanne Jeroſolymitano, D. Cyrillo, Conſtantinopolitano, Thoma à Jesu, & aliis, at qui ipſa vita Eliæ erat in ſumma puritate, ac caſtitate, ergo ipſam obſervabant filii Prophetarum. Tertiò. Ipſi filii Prophetarum conventu aliter, ac collegialiter vivebant in deſertis locis, ut in Carmelo, Galgalis, ac propè Iordanem, & ideò maximè ſequeſtrati erant à mulieribus, & inde nullus uſus, conſuetudo, ac miniſterium mulierum auditur, ac dicitur apud eos, ut doctiſſimè notat noſter Vvalden. *lib. 3. Doctrinalis fidei art. 1. cap. 1.*

67. D. Hieron. Bellarm. Ægidius. Ioan. Ieroſ. D. Cyrill. Thomas à Jesu. Vvalden.

Quæstio VIII.

Ex factis colliguntur vota obedientiæ, paupertatis, caſtitatis in Elia, ac Eliſæo, & filiis Prophetarum.

SUMMARIUM.

68 *Elias magnus ſcientia, ac magnis revelationibus illuſtratus ſciebat vota contenta in Scriptura, & quod multi de populo faciebant vota etiam circa caſtitatem.*

69 *Maximè Deus honoratur per vota, quærere honorem divinum eſt effectus zelus divini, qui maximè reſplenduit in Elia, & inde per vota.*

70 *De minori ad majus valet argumentum, ut Chriſtus Dominus. Argumentatur, & ideò ſi vota conceduntur in vulgaribus, ac minoribus, non ſunt neganda in majori, utpote Elia.*

71 *In Ioanne Baptiſta ex factis colliguntur vota*

vota, ergo etiam in Elia, cum ſit æqualis Ioannis Baptiſtæ.

72 *Ex pœna inflicta Ananiæ, & Saphiræ colliguntur vota in primitiva Eccleſia, ergo etiam ex pœna inflicta Giezi in filiis Prophetarum.*

73 *Elias ut ſupremum Religionis caput fecit votum obedientiæ Deo, ac ejus miniſtris.*

68. PRimò, ex noſtra tenuitate dicam aliquid, hac quæſtione, ſequentibus rationibus, ex odore, & aliquali veſtigio, ac umbra excellẽtiſſimorum virorum, ut dixi *quæſt. 5. in fine*, liceat etiam ex factis colligere vota in Elia, Eliſæo, ac filiis Prophetarum. Sic Elias, Eliſæus, ac filii Prophetarum vivebant in magna obediẽtia, paupertate, & caſtitate, ad quæ illuſtrati fuerunt ab Elia, tanquam à ſupremo Magiſtro, ac Religionis capite. Antecedẽs patet ex duabus proximis quæſtionibus ſexta, & ſeptima. Conſequentia probatur. Quia Elias magnis virtutibus erat condecoratus, magníſque donis ſublimatus à Deo, deſignatúſque Apoſtolus in ultimis temporibus; & inſuper erat Vir doctiſſimus, qui legem docebat, & Sacram Scripturam explicabat, ut communi Doctorum ſententia dixi *ſuprà, reſolutione 1. q. 3. n. 72.* ergo bene ſciebat, quod Scriptura agebat de votis, & quomodo eſſent obſervanda, & inſuper bene ſciebat, quod multi fecerunt vota ad majus Dei obſequium, ac firmitatem ſuarum actionum, ut fecerunt non ſolum primates in populo, ut Iacob, David, ſed etiam in his, qui erant in mediocri Religione, ut Iephle, Anna Samuelis Mater, Abſalon, Aſa Rex, & multi homines vulgares de populo, ut totum explicavi hac *Reſol. q. 1.* quod totum hoc optimè ſciebat Elias: quomodo ergo negandum, quod etiam Elias, ut homines vulgares de populo ad majus Dei obſequium, ac gloriam, ſuas virtutes votis firmaret; maximè cum Elias in Horeb fuiſſet illuſtratus donis Spiritus ſancti, ut docent D. Gregorius Magnus, & ibi viderit Deum, quantum fas eſt homini, ut tenet D. Baſilius, ut dixi *ſuprà, Reſolutione 1. q. 3. n. 70.* Inſuper illuminatus fuit Elias revelationibus myſteriorum B. Virginis Mariæ, Incarnationis Divini Verbi, & vitæ, paſſionis, ac mortis, & Reſurrectionis, ac Aſcenſionis Chriſti Domini, ut docent D. Auguſtinus, D. Gregorius, D. Bernardus, D. Proſper, quos dedi *Reſolut. 1. q. 3.* quomodo ergo dici poteſt, quod homo tanta ſcientia, intelligentia, ac cognitione ſupernaturali, non caperet, intelligeret, ac faceret id, quod homines vulgares de populo capiebant intelligebant, & faciebant. Maximè cum dicat Suar. tom. 1. 3. de Relib. 3. c. 1. n. 2. *Quod ritus vivendi, ſeu conſecrandi aliquid per votum Deo, de jure naturæ eſt, maximè ſuppoſita fide.* Ut jam dixi in hac *Reſoulut. q. 1. n. 4.* ergo Elias cum eſſet Vir doctiſſimus tantis divinis illuminationibus illuſtratus, non poterat hoc jus naturæ ignorare, ut illud adimpleret, ac faceret, maximè cum videret, quod in Nazaræis, ac aliis dabatur caſtitatis votum, & etiam in mulieribus, ut dixi *ſuprà, q. 2.*

D. Gregor. D Baſil. D. Auguſt. D. Greg. D. Bern. D. Proſper. Suar.

69. Hunc meum diſcurſum multis comprobo, ac confirmo. Primò. Quærere, ac procurare gloriam, & honorem Dei omni modo poſſibili eſt actus zeli divini, atqui magis honoratur, ac glorificatur Deus per noſtros actus voto firmatos, quam ſine illo; ergo cum in Elia maximè reſplẽdeſceret zelus honoris divini, ejus virtutes, quibus Deum honorabat, fuerũt voto firmatæ. Major eſt D. Thomæ *1. 2. q. 28. art. 4. & de veritate, q. 26. ar. 4. circa finem*; quia ut ait zelus divinus pro poſſe, ac totis viribus intendit gloriã, & honorem Dei. Minor eſt D. Auguſtini *lib. 17. de Civit. Dei, c. 4.* & D. Thomæ 2. 2 *q. 88. art. 4. ad 3.* qui ideo dicunt Apoſtolos feciſſe vota, quia hoc maximè ſpectat ad eorũ perfectionem, & maximè ad gloriam, & honorem Dei, quã ipſi ſuper omnia intendebant; & ideo ſtatus religioſus ex votis firmatus, quia ab illo nõ valet homo reſilire. Conſequẽtia eſt valdè nota, cũ Elias multũ celebratus ſit in Scriptura, ac Sanctis Patrib. in fervẽtiſſimo zelo honoris divini, ergo pro poſſe ac totis viribus intendit ſuis virtutibus, non ſolum ſimplicibus, ſed etiam voto firmatis ut cũ illis magis honoretur, ac glorificetur Deus.

D. Thom. D. Auguſt.

70. Confirmo ſecundò, de minori ad majus valet argumentum, quod conceditur minoribus, non eſt negandum majoribus, hoc argumẽto utitur Chriſtus Dominus ad confundendam perfidiam Judaicam, quia ipſi nolebãt credere, nec ejus ſermonibus auſcultari, & ait: *Viri Ninivitæ ſurgent in judicio cũ generatione iſta, & condemnabunt eam: quia pœnitentiam egerunt in prædicatione Ionæ. Et ecce pluſquam Ionas hic. Regina Auſtri ſurget in judicio cum generatione iſta, & condemnabit eam, quia venit à finibus terræ audire ſapientiam Salomonis. Et ecce pluſquam Salomon hic.* Matth. 12. num. 41. & 42. Nam ut docent D. Chryſoſt. D. Hieronymus, D. Baſilius, & alii multi, quos adduxi *tom. 3. in Evangel. c. 24. q. 16. 17. & 18.* Qui explicant, quomodo Chriſtus Dominus faciat argumentum, de minori ad majus, quod nempe Iudæi maximè condemnandi ſunt, non verbis, ſed factis, ut explicant Euthymius, Theophylactus, à Ninivitis, & Regina Auſtri, quia illi crediderunt Ionæ prædicanti, hæc verò Salomoni dicenti, & tamen ipſi noluerunt credere unigenito filio Dei Chriſto Jesu, qui incomparabiliter multo major eſt Iona, ac Salomone, inde merito arguendi, qui fidem datam minoribus; majori negant; inde etiam ptoportione ſervata meritò arguendi ſunt, qui vota communibus, ac vulgaribus hominibus concedunt, & ea tamen præclariſſimo, ac illuſtrimo Viro Eliæ denegant.

Matth. 12. D Chryſ. D. Hieron. D. Baſi. Euthym. Theoph.

71. Confirmo tertiò, quia communiter ſupra citati Auctores *q. 5.* & alii colligunt tria vota in Ioanne Baptiſta, quia ipſe perpetuam vitã duxit in cœlibatu, cum extrema paupertate. *Ipſe autem Ioanne habebat veſtimentum de pilis Camelorum, & Zonam pelliceam circa lumbos. Eſca eius erat locuſtæ, & mel ſylveſtre.* Matth. 3. n. 4. inde ejus virginitatem colligunt. Et tamen graviſſimi Patres tenent, quod Ioan. Baptiſta non erat major Elia, ſed illi æqualis, cui videtur favere illud Angeli Gabrielis *Præcedet ante illum in ſpiritu, & virtute Eliæ.* Luc. 1. num. 17. Divus Auguſtinus in quæſtionibus Veteris Teſtamenti, q. 26. *Nemo int r natos mulierum ſurrexit major Ioanne Baptiſta. Non dixit major omnibus eſt, ſed nemo*

Matth. 3. Luc 1. D. Anaſt.

illo major eſt, hoc eſt æqualem habet, maiorem
D. Paſchaſ. *non habet. Helias par illi eſt, nullo utique minor.* D. Paſchaſius lib 6. in Matth. *Inter natos mulierum non ſurrexit. Quæritur, ait an Ioannes major ſit Elia?* Reſpondet, non eum prætulit, ſed exæquavit Ioanni. Idem docet
D. Hieron. D. Hieron. *in c.* 11. Matth. ad illa verba, *Inter natos mulierum:* ergo ſi ex factis colliguntur vota in Ioanne, cur non etiam in Elia, cum illi ſit æqualis?

72. Confirmatur 4. ex his, quæ docent M. Fr.
Fr. Franciſ. Franciſcus S. Maria in ſua Apologia, & M.
Fr. Anton. Fr. Antonius à Spiritu ſancto. *tract. de Principatu Eliæ num.* 58. ex graviſſima pœna,
4. Reg. 5. qua Giezi punitus eſt ab Eliſæo 4. *Reg.* 5 *n.* 27.
Suar. Nam ex eo Suar. *tom.* 3. *de Relig. lib.* 8. *cap.* 2.
Lorinus. *n.* 17. Lorinus & Cornelius *ad c.* 5. *Actorum* colligunt fuiſſe votum paupertatis; in primitiva Eccleſia, quia Anania, & uxor ejus Saphira *Graviſſima pœna & modo miraculoſo puniti ſunt, eo quod de pretio agri, quem vendiderant, clam ſibi reſervarunt.* Sed etiam Giezi punitus fuit graviſſima, ac rigida pœna lepræ per totam vitam, quæ morti æquivalebat, & modo miraculoſo ob pecuniam, & veſtem ſibi à Naaman datam, & clam abſconditam: ergo ſicut illa pœna inflicta Ananiæ, & Saphiræ in primitiva Eccleſia arguebat votum paupertatis: ita & hæc pœna Giezi in lege antiqua. Conſequentia eſt bona; quia ſicut occultatio pretij in Anania, & Saphira non erat peccatum, ſublato voto, quia erat diſpoſitio de re propria, ſed tantum quoddam mendacium; ita receptio, & occultatio pecuniæ à Giezi non erat peccatum, ſublato voto paupertatis, cum illam libere donaret Naaman, & Giezi petierat illam nomine Eliſæi, non ob datam ſalutem, ſed ob
4. Reg 5. impoſitū mendacium, quia advenerunt duo filii Prophetarum de monte 4. *Reg.* 5. *n.* 22. quod non videbatur dignum tanta pœna, cum ille non peteret pecuniam ob ſanitatem datam.

73. Ex dictis bene conſtat, quod cum alii inferiores in virtute, ac religione ſuas virtutes votis firmaverint, etiam hoc fecit Helias, & ſtabilivit ſuam paupertatem, virginitatem, ac obedientiam cum voto; ut ſupremum Religionis caput, promittens Deo, ejuſque miniſtris obedientiam, ut fecerunt multi ſancti, & ego agnovi virum valde probum, qui quotidie dum Miſſam celebrabat, faciebat votum obediendi Deo in omnibus, & nunquam peccandi mortaliter.

Quæstio IX.

Ex aliis fundamentis probantur vota Obedientiæ, paupertatis, ac Caſtitatis in Elia, Eliſæo, ac filiis Prophetarum.

SUMMARIUM.

74 *Tres rationes iam à me datæ de hac re.*
75 *Probo concluſionem ex Patribus arguentibus contra hæreticos.*
76 *Proponitur, ac refellitur debilis reſponſio adverſariorum, & n.* 77.
78 *Secunda reſponſio etiam refellitur.*
79 *Ponitur ſecundum argumentum ex Martyrii nobilitate.*
80 *Refellitur reſponſio adverſariorum.*
81 *Ponitur tertium argumentum, ex firmitate ſtatus Religioſi, qui ad ſui perdurationem requirit votum.*
82 *Ponitur quartum argumentum, ex Eliæ, ac Eliſæi perſeverantia in Dei ſequela, & obedientia per totam vitam.*

PRo hac veritate confirmanda jam ſuperiori *Reſolut.* 2. *q.* 4. poſui duo fundamenta, unum deſumptum ex verbis Beatiſſimæ Virginis Mariæ in revelatione facta B. Petro Thomæ; alterum ex diplomatibus Romanorum Pontificum pro confirmanda Religione in ſtatu Religionis cum tribus votis, ac obedientia Priori Generali, in quibus tantum Auctorem, ac fundatorem Religionis agnoſcunt Eliam, à quo dicunt nos habere ſucceſſionem, quod intelligendum eſt de eo ſtatu, in quo confirmant Religionem & præter fundamentum aliud datum ſuperiori quæſt. alia nunc appono. 74.

Primò. Quia communiter ſancti Patres 75.
D. Gregorius, Nazianzenus, *Oratione adverſus Arrianos.* D. Hieronymus *epiſtola ad Paulinum.* D. Auguſtinus *ſerm.* 39. *ad Eremitas,* Caſſianus eiuſdem ſæculi antiquiſſimus Auctor. *lib.* 1. *de Inſtitut. Monach. cap.* 2. D. Chryſoſtomus *lib.* 3. *contra vituperatores vitæ monaſticæ tom.* 5. D. Nilus *lib. de Monaſtic.* D. Iſidorus Hiſpalen *lib.* 2. *de offic. cap.* 15. D. Epiphanius *Hæreſi* 58. Noſter inſignis Vvaldenſ. *lib.* 3. *de Sacramentalibus c.* 89. & *lib.* 3. *Doctrinalis fidei art.* 2. *c.* 23. & Tres Cardinales Petrus Damian. *tom.* 3. *Opuſcul. opuſcul.* 15. *c.* 2. Caietan. *contra terrores Lutheri; in Additionibus* Bellarm. *ib.* 2. *de Monachis cap.* 5. & 19. & alii multi argumentantes contra detractatores, ac vituperatores vitæ monaſticæ, opponunt Eliam, ac Eliſæum, ergo in iſtis ſanctis Prophetis cognoſcunt ſtatum, & modum religioſum, non ea perfectione, ac excellentia, qui eſt in Eccleſia Catholica modò.
D. Gregor. D. Hieron. D. Auguſt. D. Chryſoſt. D. Nilus. D. Iſidor. D. Epiph. Vvaldenſ. Damian. Caietan. Bellarm.

Reſpondebunt fortaſſe Adverſarii, quod 76.
ſancti Patres, ac Doctores loquuntur late in ſenſu improprio, prout Elias, & Eliſæus vivebant in Cœlibatu cum vita eremitica, & ſolitaria, ac proinde in ſtatu quodam figurativo monachatus.

Sed contra. Primò, ſancti Patres argumen- 77.
tantes contra Hæreticos, non opponunt contra eos, quod ipſi approbant, laudant, ac tenent; ſed id, quod ipſi damnant, reprobant, ac condemnant. Atqui hæretici laudant, & approbant vitam in cœlibatu, ac in ſolitudine, & receſſu cum aſperitate, & damnant ſtatum religioſum cum votis; ergo cum opponunt contra hæreticos Eliam, & Eliſæū non ſolum agnoſcunt in eis vitam ſolitariam, ſed etiã ſtatum religioſum cum votis. Major, & conſequentia ex dictis patent; minor, in qua eſt tota vis argumenti, quod ſcilicet hæretici approbant vitam in cœlibatu, ac ſolitudine. Elizabet Regina Angliæ caput omnium hæreticorum ſolebat dicere, quod plus

gloria

gloriabatur de ſua virginitate, quam de corona regni; & apud hæreticos ſunt multi, qui appellantur rigidi Calviniſtæ, rigidi proteſtantes, ut mihi certum fecerunt graviſſimæ perſonæ ex partibus hæreticorum advenientes, & etiam magiſtri Collegij Anglorum Hibernorum, qui ſunt in hac civitate; & hi auſteri, ſolitarij etiam dantur apud Mauros, quos ipſi vulgo appellant *Marabecos*, ergo ſancti Patres, ac Doctores Eccleſiaſtici non opponunt contra hæreticos, hos ſuos ſolitarios, ſed veros religioſos, cum illos admittant, hos negent,

78. Secundò contra adverſariorum reſponſionem, ſi dederint, ſic arguo, nullo modo fieri poteſt, ut Patres, ac Doctores Catholici, argumentantes contra hæreticos apponant contra eos monachatum improprium, & figurativum, quia maximè Auctores Catholici impugnant, & damnant hæreticos, qui ad ſeminandos ſuos errores in ſenſu improprio, & figurativo, interpretantur Sacram ſcripturam, ut ſiniſtre, ac maligne faciunt ad verba Conſecrationis. *Hoc eſt corpus meum, Hic eſt calix ſanguinis mei.* Inde tamen perverſa, & iniqua falſitas hæreticorum confunditur, ac convincitur, *ut dixi tom. 5. in Evangelia lib. 7. cap. 7. quæſt. 21. num. 149.* quia ſi verba Sacræ ſcripturæ accipienda ſint per figuram, & tropum tota veritas ſcripturæ periit, ac corruit, & ſic dicitur per tropum, ac figuram mundum fuiſſe creatum à Deo, Noë fabricaſſe Arcam; ſi ergo contra hæreticos graviter, & fortiter inſurgunt Doctores Catholici ad veritatem fidei tuendam, affirmantes ſcripturam, non improprio, ac figurativo, ſed in proprio, ac legitimo ſenſu eſſe explanandam, quomodo fieri poteſt, quod ipſimet Catholici argumentantes contra hæreticos opponant adverſus eos rem impropriam, & figurativam, ergo opponunt ſtatum verum, & proprium.

79. Probatur ſecundo noſtra reſolutio; ſi aliquid obſtaret, ob quam rem daretur ſtatus monachalis in lege antiqua, cum voto caſtitatis, eſſet imperfectio ipſius legis; atqui martyrium multo excellentius, perfectius eſt, quam votum caſtitatis: ergo ſi illud dabatur in illa lege, hoc nempe votum cum ſit minus, non repugnat. Major eſt totum fundamentum adverſariorum; minor vero, quod martyrium nempe ſit perfectius, probatur ex verbis Chriſti D. Ioan. 15. n. 13. *Majorem hac dilectionem nemo habet, ut animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis.* Inter omnes virtutes regina eſt charitas; *Maior autem eorum eſt charitas*, ait Paulus, quod autem in lege veteri daretur martyrium eſt manifeſtum, ait D. Stephanus Actorum 7. num. 52. *Quem Prophetarum non ſunt perſecuti patres veſtri: & occiderunt eos, qui prænuntiabant de adventu juſti.* Et patet in Machabæis, & multis aliis, ergo ſi martyrium non repugnabat, quod eſt perfectius, nec ſtatus monachalis, nec votum, cum ſit minus.

Ioan. 15. Actor. 7.

80. Mihi dictum fuit, cum in publicis concluſionibus opponerem hoc argumentum, quod verum eſt martyrium nobilius, & excellentius eſſe ſtatu religioſo, ac caſtitatis voto, juxta Chriſti D. doctrinam, tamen per reſpectum ad illam legem antiquam maximè repugnare caſtitatis votum ob affectum, quem homines illius temporis habebant ad generationem naturalem, ut fierent Chriſti parentes. Sed contra: cum generatione naturali magis repugnat martyrium, quam votum caſtitatis, nam cum martyrium ſecum involvat mortem, ipſo interveniente viribus naturæ non poteſt dari generatio, quæ optime dari poteſt interveniente voto licite, vel illicite interpoſita diſpenſatione.

81. Dicunt ſecundo. Quod illi viri ſuſtinuerunt tormenta, quia ad hoc tenebantur ex lege naturali, ac divina pro fidei confeſſione, quæ obligatio non datur quoad votum. Sed contra. Licet ex lege divina, ac naturali obligarentur homines, pro fidei confeſſione pati omnia tormenta, tamen ne in cruciatibus deficerent ut multi defecerunt, neceſſaria fuit illis gratia, ex qua talis patientia, ac fortitudo manavit; ſicut & eodem modo, licet homines aſtringantur ex lege divina, ac naturali, ad vincendas carnis concupiſcentias, tamen ad eas ſuperandas neceſſaria eſt divina gratia, nam ut ait Jacobus Apoſtol. 1. n. 17. *Omne datum optimum, & omne donum perfectum, deſurſum eſt deſcendere à Patre luminum.* Ad argumentum in forma. Reſpondeo. Quod illi magni viri ſuportaverunt duriſſimos Martyrij cruciatus & in illis pro Deo vitam profuderunt, non ex aliqua virtute naturali, ſed ex Dei gratia Si ergo Deus illis Patribus antiquis tantam dedit gratiam, ac fortitudinem ad patienter ſuſtinendam martyrij acerbitatem, & cum tanta generoſitate, ut alios etiam ad martyrium exhortarentur, ut de Matre Machabæorum, ac etiam de ipſis pueris inter ſe ſcribitur. 2. *Machab. cap. 7. num. 5. & 21.* & cum tanta alacritate, ut ſuos carnifices antecederent, ut habetur de Eleazaro, *qui voluntarie preibat.* cap. 6. num. 19. quod non ex præcepto, ſed ex charitatis fervore proveniebat; & hoc cum Martyrio, eſt quid maximum, & excellentiſſimum. Cur ergo negandum, quod Deus etiam dediſſet illis Patribus gratiam, ut virtutes ſuas voto firmarent, quod eſt quid minus, & inferius.

Iacob. 1. 2 Machab. 7 & 6.

Confirmatur tota hæc doctrina. Optimus proviſor, intendens finem, etiam intendit media proportionata ad talem finem, ſed Deus illis patribus Antiquis intendit, & diſpoſuit dare gloriam, ergo etiam intendit, & diſpoſuit dare illis media proportionata, qualia ſunt vota paupertatis, ac caſtitatis: & quid mirum, quod talia media illis dederit, cum multo majora illis conceſſerit, utpote chariſmata Spiritus Sancti, & ut omne periculum pro Deo contemſerint, ut Reges in faciem arguerent, eiſque duram mortem denuntiarent ut Elias & Samuel; & Moyſes negavit ſe eſſe *Filium filiæ Pharaonis majores divitias æſtimans theſauro Ægyptiorum improperium Chriſti.* Hebræ. 11. num. 25. Hæc tamen omnia Deus ampliori, & largiori manu Deus dedit in lege gratiæ, de quibus omnibus latius infrà *quæſt. 12.*

Hebræ. 11.

82. Tertiò probatur noſtra ſententia, quia ut docet D. Thomas 2. 2. *quæſt. 88. art. 11. & latiùs quæſt. 186. art. 6. ad 1. Immobilitas ſequelæ Chriſti firmatur per votum, & ideo votum requiritur*

D.Thom. Caietan. Soto. Leſſius. Sanchez. Suarez.

tur ad perfectionẽ religionis. Sequuntur Cajetan. Soto, *lib. 3. de juſtitia quæſt. 5. art.1.* Leſſius *lib.2. cap. 41. num. 1.* Sanchez *lib.5. Decalog. cap.1.num.8.* Suar. *tom.3. de Relig.lib 2.cap.3. num.5.* & alij multi apud ipſos, & Canoniſtæ ad cap. cum ad monaſterium de ſtatu monachor. & ex titulo de Regularibus cap. viduam, cap. ſignificatum, & cap. Porretum, quod ad firmitatem ſtatus religioſi, requiritur ut ſit votis ſtabilitus, cum enim humana conditio ſit valdè fluctuans, & inconſtans, & facile mutetur, ut perſiſtat, requirit voti ligamen, & vinculum. Atqui congregatio filiorum Prophetarum in lege veteri per annos 930.ab Helia uſque ad Chriſtum perduravit, ergo in tali lege ad illius ſtatus conſervationem, ac perdurationem vota requirebantur. Probatur hæc conſequentia, quia vinculum, ac ligamen votorum exigitur ad immobilitatem ſtatus religioſi; atqui illa congregatio filiorum Prophetarum habuit conſiſtentiam, & permanentiam ab Helia uſque ad Chriſtum,

Ioſephus. Euſebius.

ut tradunt Joſephus Antiochenus, Euſebius Cæſarienſis, & alij jam citati. *Reſolut. 2.q. 1. num.13.& 14.* & inſuper nobis declarat Sacra congregatio eminentiſſimorum Cardinalium in 4. lectione feſtivitatis commemorationis B. Virg. Mariæ 16. Iulij, ubi dicitur, *viri plurimi, qui veſtigiis ſanctorum Prophetarum Eliæ, ac Eliſæi inſiterant, Evangelicant fidem confeſtim amplexati ſunt.* Ergo in illo ſtatu fuit aliqua votorum firmitas. Confirmatur, quia in lege Evangelica, ubi gratia, auxilia, & motiva excitantia ad bonum ſunt in magna, & larga abundantia ad immobilitatem cum poteſtate clavium, requiruntur vota, quanto magis in illa lege antiqua, ubi non erat tanta affluentia gratiarum, & poteſtas clavium, & natura valdè infirma.

82. Quarto probatur noſtra ſententia, quia Elias, & Eliſæus per totam ſuam vitam firmiter perſeverarunt abſque eo, quod in aliquo minimo diſcreparent, ac diſcederent à Dei obſequio, ac ejus obedientia, vivendo in ſumma paupertate, ac caſtitate, ergo interveniente votorum vinculo. Antecedens patet ex

D.Thom.

quæſt.6.& 7. conſequentia eſt D.Thomæ 2.2. *quæſt.* 186. *art.6. ad* 2. ubi ait, *Non aliter poteſt homo totam vitam ſuam Deo exhibere, niſi per voti obligationem.* Cum enim ipſa perſeverantia ſit in re multum repugnante humano appetitui, exacta obedientia cum abnegatione propriæ voluntatis, cum rigida, ac extrema paupertate, cum integra caſtitatis puritate refrænante omnes appetitus, non poteſt perdurare, niſi aſtringatur voti vinculo, ut rectè explicat Suarez

Suarez.

tom.3. de Relig. lib.2.cap.3. num.2. Cum hoc ſit de re valdè difficili, & de ſe non neceſſaria, ſed voluntaria, niſi aliquo morali vinculo, firmata ſit, facile fluctuabitur. Ergo cum in Elia, ac Eliſæo non fluctuavit, ſed firmiter perſeveravit, morali votorum vinculo extitit ſtabilita. Confir-

Bellarm.

matur, quia ut docet Cardinalis Bellarm. *lib.2. de Monachis cap.21.* ubi ait. *Perfecta ſequela Domini, qua in abnegatione ſui ipſius, id eſt in perfecta obedienta conſiſtit, neceſſario involvit votum, quo quis ita ſe ipſum abnegat, ut non poſſit retrocedere: non enim perfecta eſt abnegatio ſui obedire alteri ad tempus.* Cum ergo Elias fuerit in tot, & tantis mandatis exequendis cum exactiſſima obedientia, cum ſumma ſui abnegatione, ut ſuo altiſſimo zelo nihil aliud quæreret, niſi gloriam, & contempto omni ſuo periculo, reges argueret, eiſque mortis ſententiam denuntiaret, tam perfecta ergo ſequela cũ voti vinculo firmata eſt. Hanc rationem apponunt M.Franciſcus à S. Maria in Apologia, & M. Fr. Antonius ab Spiritu ſancto, de Primatu Eliæ, *num.37.*

Quæstio X.

Stabilitur noſtra ſententia auctoritate Sanctorum Patrum, ac graviſſimorum Doctorum.

SUMMARIUM.

83 *Juxta Chriſti Doctrinam explicatur quid ſit Eunuchus propter regnum cœlorum*

84 *Pro noſtra ſententiâ quadraginta duo Auctores.*

85 *Et quamvis multi ex his Auctoribus ſint ex noſtris, eorum auctoritas magna eſt.*

IN primis apponamus Patres, qui Eliam, & Eliſæum appellant Eunuchos, hoc eſt viros caſtos cum voto. Iuxta illud Chriſti D.Matth. 19.num.12. *Sunt Eunuchi, qui de utero matris ſic nati ſunt, & ſunt Eunuchi, qui facti ſunt ab hominibus, & ſunt Eunuchi, qui ſe ipſos caſtraverunt, propter regnum cœlorum.* Tria genera Eunuchorum proponit Dominus, ut late explicavi *tom.6. ad cap. 19. Matth. quæſt. 11.* ſunt Eunuchi ex utero matris, ut pote valdè frigidi, & inepti ad generandum. Secundo ſunt alij facti ab hominibus arte, & inſtrumento. Tertio ſunt alij, qui præclariſſimo caſtitatis voto ſe Deo conſecrant, quia ut pulchre ex D. Epiphanio, D. Irenæo, D. Auguſtino, D. Fulgentio tenet Bellarm. *lib.2.de Monachis cap. 23.* dicens: *Ipſa enim Eunuchorum appellatio perſpicue indicat votum, non enim eſt Eunuchus, qui ſolum continet, ſed qui non poteſt non continere.* Et etiam ex eiſdem Patribus cum D. Chryſoſtomo, D. Anſelmo, D. Ambroſio, D.Thom. idem docet Suar. *tom.3.de Relig.cap.1.num16.17.* ac proinde ille dicitur ſpiritualiter Eunuchus, qui ex voto eſt impotens ad generandum. Hoc poſito præpono Patres, qui Eliam, & Heliſæum dicunt, & appellant Eunuchos.

83. Matth.19.

D. Epiphan. D. Auguſt. D.Fulgent. Bellarm. D. Chryſoſt. D Anſelm. D. Ambr. D.Thom. Suar.

84. D. Epiphanius hæreſi 63. ait, *Elias, & Eliſæus, & Ioannes, qui per magnam hanc formam, imitatores Angelorum, recte ſecundum Evangelicam Domini ordinationem ſe ipſos propter regnum Dei caſtraverunt.*

Tertullianus lib. de Monogamia cap.8.ait, agens de Transfiguratione Chriſti, ait: *Moyſem, & Eliam ſecum mavult alterum monogamum, alterum Spadonem.* Explicat ejus Scholiaſtes Pamelius; *Eliam Spadonem caſtum cum voto.*

D. Anaſtaſius Sinaita *tom.6.* in Bibliotheca in ſuis quæſtionibus ſcripturæ ſacræ *q.66.* ait:

ait: *Eunuchi, qui ſe caſtraverunt propter regnum cælorum, hi ſunt præclari Apoſtoli, atque deinceps fuerunt virgines, & eunuchi: Ioannes quidem, & Iacobus filij Zebedæi, & poſt illos, quot millia monaſticam vitam agentia, ſicut Elias, & Daniel in veteri Teſtamento.*

D. Ephrem Syrus, quem citat, ac ſequitur Salianus *to.* 4. Annalium anno 3123. *n.* 21. & ait: *Sanctus Ephrem Syrus, Eliam, & Eliſæum, & Ioannem, & Apoſtolum Paulum in eorum numero recenſet, qui ſe caſtraverunt propter regnum Dei.*

D. Amandus de laudibus B. Virginis c. 11. referens *Eunuchos propter regnum cœlorum numerat Ioannem, Eliam, & Eliſæum.*

D. Hieronymus epiſtola 28. quæ eſt ad Lucinam ait. *Eliſæus boves, & juga prioris operis vertit in vota.* Quæ verba magis explicant.

Cardinalis Hugo in cap. 9. Luc. ait: *Eliſæus in aratro coxit carnes, mactavit boves, ideſt Religionis fecit votū.* Eliſæus concremato aratro boum carnes coxit, ut dimiſſis omnibus ſuis promptius, ac expeditius ex obedientia ſequatur Eliam; & in aratro coquens carnes ex paupertatis voto dimittit omnia, & hoc cum perfecta charitate. Carnes dedit populo tanquam expendens omnia ſua in eleemoſinas pauperum. 3. *Reg.* 19. *num* 21. & coxit carnes. D. Antonius Ulyſipponenſis ſerm. in Dominica 5. poſt Trinitatem, coxit carnes, ideſt carnales cōcupiſcentias in contritione cordis. Ex caſtitatis voto tanquam omnes ſuos appetitus conſumpſit.

Concilium ſenonenſe in Decreto 9. *De votis monaſticis*, ubi expreſſe agnoſcit vota ſcilicet obedientiæ, & paupertatis in Rechabitis, qui erant ſoboles filiorum Prophetarum, ut dixi *ſuprà, quæſt.* 3.

Joſephus de Bello Judaico, Philo Hebræus Cedrenus, qui tria vota ſcribunt in Eſſenis, qui erant ex filiis Prophetarum, ut dixi *ſuprà, quæſt.*

Joannes Jeroſolymitanus *lib. de Inſtitut.* Monachorum per totum, ac præcipuè *cap.* 9. & 10. *cap.* 19. & 21.

Noſter Doctiſſimus Vvalden. lib de Sacramentalibus de B. Virgine ait, *Quæ virgo Fœmina prima Prophetæ ſcilicet Eliæ in virginitatis perpetuo voto ſucceſſit.* Intellige quo ad tempus, nam in ratione cauſæ exemplaris præceſſit virgo ſanctiſſima.

Trithemius de laudibus Carmelitarum c. 2: *Fratres autem Carmelitæ ſancti Principis Eliæ exemplo inſtructi ad perpetuam caſtitatem voto Religionis ſe obligant.*

Ludovicus Clitoveus *tom.* 2. *homil.* 2. ait. *Virginitatis perpetuò ſervandæ votum ab Elia originem habet.*

Rupertus Arborienſis de cœlibatu *fol. mihi.* 3. ait: *Etiam in Cathalogo eorum, qui virginitatem voverunt, Elias, & Eliſæus ſcribendi ſunt.*

Illuſtriſſimus Dominus Joannes Suarez Epiſcopus Conimbricenſis in *Matth. cap.* 2. *tit.* 1. ubi introducit ſanctiſſimam Virginem Angelo nuntianti reſpondentem. *Et ſi ſim deſponſata, votum habeo virginitatis, habebat enim exemplum in Elia, & Eliſæo.* Et ſubdit. *Licebat igitur, prout ex præcedentibus liquet, vota emittere, & caſtitatem ſervare, quod ſemper laudabile fuit.*

Mag. Joannes Cathagena *tom.* 4. *lib.* 2. *objectione* 7. ait: *Elias tria vota ſubſtantialia Religionis emiſit.*

Thomas Ferrarius ex Societate Jeſus in hiſtoria Imaginis del monte de la Guarda *cap.* 1. ait, *Elias ad honorem B. Virginis emiſit votum in Carmelo virginitatis perpetuæ.*

Ægidius, Camartus Digniſſimus Generalis Minimorum de rebus Eliæ *cap.* 6. *ſect.* 8. ait, *Elias omnium Monachorum Parens fuit, qui tria eſſentialia vota Religionis primus ipſe opere implevit.*

Doctiſſimus Salianus tom. 4. Annalium ad annum 3139. *num.* 12. ait, *Eliam tanquam è Cathedra Moyſis loquentem audiatis, & in ejus manibus vota veſtra offeretis.*

Onufrius Saltus Valentius in vita S. Onufrij Regis *cap.* 18. ubi ait, *Fraile de fue Elias, yel primero, que entre los hombres hizo voto de caſtidad.*

Inſignis mag. Suar. *tom.* 3. *de relig. lib.* 3. *c.* 1. *num.* 2. ait: *Ante legem novam in uſu fuiſſe tria vota in quibus ſubſtantia religioſi ſtatus conſiſtit veriſimile videtur. Et quamvis ipſe contrariam teneat ſententiam, hanc noſtram tamen dicit veriſimilem.*

Ioſephus Siguenda *lib.* 2. *Diſcur.* 2. *de la Caſtidad.* ait, *De los hios de los Prophetas, que en la eſcuola de Elias, è Eliſeo, vivian, ſin mugeres, ſin haziendas, donde tan charamente eſtan calificados los tres votos.*

Valderrama in Theatro *Religioſ. ſerm. de ſancto Propheta Elia.* ubi ait, *Pero ſin duda Elias fue el primero, que gardò virginidad, el la enſeno à guardar en el Teſtamento viejo à ſus Religioſos.*

Ludovicus Tena in ſermone S. Thereſiæ Madriti anno 1615. ubi ſic ait, *La ſagrada Religion del Carmen tene ſu principio en Elias, que fue el primer hombre, que votò Caſtidad.*

M Fr. Ioannes Saguenſis lib. de virtutibus Moralibus *lib.* 4. *cap.* 3. *num.* 7. *Præclarum de hac re habemus documentum, & maximè in Elia, ac Eliſæo, qui tribus votis Religionis ſe Deo conſecraverunt.*

Petrus de Ribera in ſermone S. Thereſiæ Matriti anno 1627. ubi ait, *Elias fue el primero de los mortales, que en carne humana ſe conſagrò à Dios ſpontanea, y voluntariamente en perpetua virginidad.*

Ex noſtris Auctoribus.

Paleonidorus, Auctor antiquus, & magnæ auctoritatis *lib.* 1. *de origine Ordinis Carmelitarum c.* 1. ubi ait, *Elias Propheta ſacrum Carmelitarum ordinem tribus ſpiritualibus punctis, voluntaria paupertate, obedientia, & caſtitate inſtituit.*

Inſignis Mag. Petrus Cornejus in Regia Salmanticenſi Academia publicus Cathedraticus in concluſionibus habitis Romæ anno 1613. *in concluſ.* 12. ait, *Forma monaſticæ diſciplinæ, ſub obſervantia trium votorum ab Elia primordialiter emanavit.*

Didacus Coria *in Chron. Carmel. lib.* 1. *c.* 7.

Petrus Sarraienus *in Monologio Carmel. in vita S. Eliæ.*

Ioannes Molina *lib. de Inſtitutione Carmelitarum cap.* 1.

M. Petrus

M. Petrus Munoz in Propugnaculo Eliæ *lib.2.tit.1.cap.2.art.5.num.4.*

Thomas à Ieſu vir inſignis Religionis, ac virtutis *lib. de antiqu tate Ordinis,ac ſuper Regulam Carmel.1.part.cap.2.§.4.*

Thomas Aquinas de Patriarchatu Eliæ p. 3. ſect.3.

Franciſcus à ſancta Maria in Hiſtoria Prophetica,ac in Apologia de hac re.

Petrus Vvaſtelius *lib.1.Vindiciarum ſect.5. art.13.*

M.Lezana *tom. 1. Annal. in apparatu c. 4. num.20.*

Daniel à Virg. Maria, vir magnus in vinea Carmeli in Appendice *fol. 705. à n. 226.*

Ioannes de la Plata.

Doctiſſimus P. Franciſcus Bonæ ſpei, cujus ſapientiam ejus opera prædicant, *de Concept.Virgin.Diſp.3. per totam.*

Mag. M. Fr. Antonius ab Spiritu ſancto maximè præclarus ſuis operibus in Tractu de Primatu Eliæ *à num.34. ac deinceps.*

Petrus Lucius in Compendio Hiſtoriarum *cap.3.*

Et ego ipſe *tom.1.in Evangelia lib.2.c.2.q.10.*

Et quamvis hi ultimi Auctores ſint domeſtici, magnam auctoritatem, & vim habent ad probandum in re domeſtica juxta Manticam de tacita,& ambigua convenientia *lib.8. tit.14.num.11.* Maſcardum *de probation. 6. vol.1. concluſ.3. num.1.* ubi multos Iuriſtas adducit. Alexander *conſil. 187.num.16. vol.2.* Iaſon *Conſil.128.num.1. vol.1. & vol.3. Conſil.65.col.3.*

Mantica. Maſcard. Alexander. Iaſon.

In hac etiam *Reſolutione, quæſt.2.* multos graviſſimos Patres, & Auctores adduxi in magno numero præter citatos modo Auctores, qui docent, quod in lege veteri extiterit votum virginitatis, quod ibi citato loco eſt videndum; nam hic poſui tantum eos Auctores qui de Elia, ac Eliſæo expreſſe loquuntur, qui vero de votis agunt, jam *ſupra citavi quæſt.2.*

Ponitur Decretum ſacræ Inquiſitionis.

A Supremo ſenatu ſanctæ Inquiſitionis. Madriti anno 1639. die 9. Novembris judicatum eſt hanc ſententiam de Monachatu, ac tribus votis libere, ac licite poſſe evulgari; tamen æmuli adhuc non quieverunt, ſed novis difficultatibus oppoſitis contra prædictam ſententiam, ac Decretum, quæ profundè, & altè examinatæ ſunt in judicio contradictorio, iterum perdictum Decretum antecedens confirmatum, ac corroboratum eſt à Supremo Senatu ſanctæ Inquiſitionis Madriti die 6.Martij anno 1673.

QUÆSTIO XI.

Solvuntur argumenta, quæ fiunt ex ſublimi dignitate Chriſti, ac ſanctiſſimæ Virginis Mariæ.

SUMMARIUM.

90 *Quo ſenſu Chriſtus dicitur Auctor ſtatus monaſtici.*

91 *Cum tota proprietate juris Chriſtus dicitur Auctor, & Inſtitutor:*

92 *Bonitas Chriſti ſe extendit ad proxima, & remota.*

93 *Patres dicunt B. Deiparam primam in virginitate.*

94 *Suarez ait quod non pertinet multũ ad ejus commendationem, quod fuerit prima.*

95 *Prima dicitur multis prærogativis.*

96 *Prima objectivè in ratione cauſæ exemplaris.*

97 *Prima etiam dicitur inter fœminas.*

Chriſtus, & Deipara dicuntur primi, ut Duces, ac principes omnium virtutum.

98 *Alij noverunt Caſtitatem, Deiparæ virginitatem, ut prima in integerrima, ac perfectiſſima virginitate.*

99 *Solvitur fundamentum ex Abida Babylonico.*

De Chriſto Domino.

OPponunt primo contra nos adverſarij, quia hæc noſtra ſententia derogat, ac contrariatur ſublimi, & altiſſimæ dignitati. Primo Chriſti Domini, qui dicitur Auctor, & Inſtitutor ſtatus Religioſi, ergo ante ipſum non fuit talis ſtatus. Reſpondeo, etiam Chriſtus Dominus dicitur Auctor Sacramentorum, quod vel ſumitur per reſpectum ad legem gratiæ, & etiam ad legem antiquam, prout ipſa ſacramenta data ſunt illis Patribus, ſicut & cætera dona ſupernaturalia, ex meritis Chriſti præviſis, quod etiam idem erit dicendum de ſtatu Religioſo. 90.

Vel etiam cum tota proprietate juris, auctor, ac inſtitutor ſtatus Religioſi dicitur Chriſtus, prout ipſum ſtatum antiquum renovavit, reformavit, ac perfecit multis donis, gratiis, perfectionibus ac excellentiis. D.Bernardus in Epiſtola ad fratres de monte Dei loquens de Monachorum Religione, ait *tempore Prophetarum demonſtrata in lege gratiæ inſtaurata, & innovata:* Sanct. Antoninus *in ſumma 3.part.tit.16 §.4.* de Monachis loquens ait, *videntur exorti ſub Eliſæo, fuerunt autem renovati à Chriſto Domino.* D. Odilo in vita S. Maioli, quæ extat in Bibliotheca Cluniacenſi apud Lippomanum, ſic ait: *Cœpit monaſticus ordo pullulare ſeu (ut melius dicemus) reviviſcere, quem ab Elia, & Ioanne Baptiſta novimus proceſſiſſe.* Quod etiam docet noſter Vvaldenſ. *tom.1. Doctrinalis fidei lib.3. art.1. cap.6* At qui rem antiquam renovat, reſtauriat, perficit, ac ad meliorem formam, ac ſtatum reducit, illius juris patronatum acquirit, illius inſtitutor, ac auctor dicitur ſecundum jus, Maſcardus *3.part.quæſt.5.num.33.* & maximè *num.35.* Gratianus *tom.1.cap.177.n.26.* Riccius *in praxi aurea Reſol.11.num.6.* Lambertus *lib.1 part.1.q.6.principio art.5.* Menoch. *conſil.90. num.27. & conſil.336.num.5.* Zerola *in praxi Epiſcopali verbo juris patronatus pag.179* Caſtro Palaus *tom.2. tract.13. diſp 2. punct.2. num.5.* Et cum aliis multis Barboſa *de poteſtate Epiſcopi part.3. Allegatione 70. num.5. & 8.* Unde inferunt, quod ille, qui Eccleſiam antiquam renovat, ac reformat, & ad meliorem ſtatum, ac formam reducit, dicendus eſt illius fundator, ac inſtitutor. Cum ergo Chriſtus D. Monacharum antiquum, renovavit 91.

D.Bernard. D.Antonin. Odilo. Vvaldenſ. Maſcard. Gratian. Riccius. Lambertus. Menoch. Zerola. Caſtro. Palaus. Barboſa.

renovaverit, ac restauraverit, perfecerit, & ad meliorem formam, ac statum reduxerit, multis gratiarum donis spiritualibus, ac perfectionibus, simpliciter illius auctor, ac institutor est.

92. Imo maximè pertinet ad supremam celsitudinem; infinitatem; ac bonitatem Christi; quod ex ejus gratia, ac auxilio daretur monachatus in lege antiqua, quia ut ait D.Thom. D.Thom. 1.part.quæst.65. art.3. *Quanto aliqua causa est superior, tanto ad plura se extendit in causando.* Et 3.contra gentes cap.24. ait, *Quanto aliquid invenitur melius, tanto ad remotiora bonitatem suam diffundit.* Et quolibet *3.quæst. 3. art.6. & etiam quæst.3.de potentia art. 3.* Atqui nulla superior, ac excellentior causa est, nec dari potest, quam Christus Dominus & inde non solum divinitas suæ infinitæ bonitatis, se diffudit in eos, qui prope sunt, nempe in lege gratiæ, sed etiam ad remotiora, ad Patres nempe antiquos legis veteri, & sicut eos fecit participes Sacramentorum, virtutum, supernaturalium, ac cœlestium donorum, ita etiam eos fecit participes status monachalis, qui maxime conducit ad justitiam, ac salutem assequendam, & ita in hoc maximè declaratur suprema, & excelsa majestas Christi D. quia ut etiam ait D. Thomas D.Thom. citato loco 3.contra gentes. *In quantum unum quodque, bonitatem suam diffudit in alia, fit altior causa.*

De Beata Virgine.

93. Opponunt secundo contra nos adversarij. Quod hæc nostra sententia maximè contrariatur dignitati sanctissimæ Deiparæ, quæ à Sanctis Patribus dicitur prima, quæ virginitatem vovit. D. Epiphanius hæresi 87. D. Epiphan. *Mariam dicit initium, & Principium virginitatis.* D. Augustin. tract. 10. in Ioan. ait. D. August. D. Ambr. *A Maria cœpit dignitas Virginum.* D. Ambros. lib. 1. de Instit. Virginis cap. 5. loquens de Deipara, ait. *Quod ipsa sacræ virginitatis signum extulit, & intemeratæ virginitatis primum Christo vexillum levavit.* D.Bernard. serm. in signum Magnum: eam dicit *signum magnum virginitatis primicerium.* Sophronius serm. de Assumptione, eam dicit *Perfectionis virginalis exemplum*; sic multi alij Patres adducti à Suar. statim citando. Confirmatur, quia juxta sanctos Patres videtur dicendum, quod inter homines Christus inter fœminas Deipara Primi voverint virginitatem. Origenes in cap. 13. Matth. Origenes. sic ait. *Virilis quidem puritatis in castitate primitias fuisse Iesum.*

94. Respondeo. Primo cum Suario. *tom.2.in 3. part.disp.6.sect.3.§.* Ad has objectiones, sic ait. Quod Beata virgo perfectum votum virginitatis emiserit, ad perfectionem ejus pertinet. *Quod vero ante ipsam nullus hoc fecerit ad ejus commendationem non ad modum refert.* Deinde subdit idem Doctor. *Deinde dici etiam potest prima, quæ præposita est tanquam dux, & exemplar hujusmodi voti, & hunc existimo esse sensum sanctorum Patrum.* Perpende verba *præposita est tanquam dux*, & hunc existimo esse sensum sanctorum Patrum. Quod statim magis explicabo.

95. Deinde subdit ipse Suarius citatus. *Hunc primatum Mariæ in virginitate servanda sufficienter salvari in eminentia, & speciali prærogativa, qua in ipsa eluxit hac virtus:* & inde merito Prima extitit in voto virginitatis super omnes puras creaturas, quod paucis accipe. *Prima prærogativa,* quia in exordio, & primo instanti suæ purissimæ conceptionis emisit votum virginitatis, ut pie, & docte astruunt Barradas *tom.2.suæ concordiæ lib.6 cap.3.* Mo- Barradas. rales *cap.1.Matth.lib.2.tract.6.n.12.* Novatus Morales. *de eminentia virg, c.7. quæst.28. Secunda prærogativa.* Quia meritum tanto est majus, & excellentius, quanto ex majori charitate, ac gratia procedit à persona merente, ut est certum apud Thelogos, atqui votum virginitatis in sanctissima Deipara procedebat ab ejus ferventissima charitate, ac intensissima gratia, quæ excedebant dona omnium aliarum creaturarum, etiam collective; ergo ejus votum altissimo incremento superat omnia aliorum vota. *Tertia prærogativa,* & valdè magna, quod ita exactissime observavit suum virginitatis votum, ut nunquam contra id nec levissimam, nec minimam imperfectionem admiserit, quia sacratissima virgo nunquam peccavit venialiter, ut definitum est in *Concilio* Trident. *Tridentino sess.6.cã.23.* quod privilegium singulariissimum soli Beatissimæ virgini datum, nec Ioanni Baptistæ, nec Apostolis, ut tenet Suar.tom.2 ad 3.part.disp 24.sect.4.§. *Tertio* Suar. *ex his.* Ubi ait. *Apostolos etiam post Apostolatum, & confirmationem in gratia, ac plenitudine Spiritus sancti, interdum venialiter deliquisse.* Et idem dicit de Ioanne Baptista. Unde infero, quod omnes virtutes sacratissimæ Deiparæ, sive humilitatis, virginitatis, charitatis, &c. largo intervallo superant omnes virtutes omnium aliarum creaturarum, cum virgo nec leviissimam imperfectionē contra eas admiserit. *Quarta prærogativa*; firmitas, ac immobilitas, qua ipsi voto adhærebat, ut etiam Angelo offerenti maternitatis Dei dignitatem, quæ est quodammodo infinita, & est suprema dignitas, quæ puræ creaturæ potest communicari, quantum ex se erat, nolebat acceptare, nisi veluti ex pacto servandæ virginitatis votum, & inde ait, *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco.* Ita Nova- Novatus. tus citatus *quæst.29. & ego ipse to.1.in Evang. lib.1.cap.5.quæst.44. nu.134.* ex D.Gregorio Nysseno, *Oratione de Christi Nativitate.* D.Nyssen.

96. Secundo satis apte, & congué respondet M. Petrus Munoz B.Virginem Mariam fuisse Munoz. primam in voto virginitatis, in ratione causæ objectivæ, ac exemplaris; quia agnoscentes sancti Patres antiqui ex divina revelatione sacratissimam Deiparam destinatam Christi Matrem cum voto virginitatis, ad ejus exemplar, ac imitationem castitatis votum emiserunt. Nam ut ait D.Thomas 3 part.quæst.62. D.Thom. art.6. *Non est necesse, ut causa causatum præcedat tempore, nihil prohibet id, quod est posterius tempore, antequam sit movere.* Illi antiqui Patres ex divina revelatione accipientes modum vivendi Christi D. ac ejus sacratissimæ Matris, ad illum se maximè conformabant, talemque vivēdi modum respiciebant ut causam exemplarem, ac finalem, quem imitari intendebant de Elia, ac Elisæo per respectum ab B.Virg. Mariam. Sic jam à me datus *tom.1.*

in

in Evangelia lib. 2. cap. 9. quæſt. 10. num. 36.

D. Method. D. Methodius *homil. de Purific.* ſeu de Simeone, & Anna tom. 3. Biblioth. ait, loquens cum virgine ſacratiſſima. *Puritatis ſuæ Elias Prophetа præſcius, atque imitator in ſpiritu, cum eſſet vitæ illius ſignifera, ſibi coronã colligavit. Te quoque ejuſdem ſucceſſor Eliſæus à ſapiente Magiſtro his ſacris initiatus tanquam jam exiſtente, præfigurans.* Elias in ſpiritus præſcius puritatis virginis, ut illius imitator, inde ſibi colligavit coronam, puritatis, ad quam etiam colligendam inſtructus eſt Eliſæus ejus diſcipulus, *tanquam jam exiſtentem præfigurans.* Præfigurantes, & venerantes ipſam virginem Matiam objective cognitam jam tanquam exiſtentem, & præſentem.

97. Tertiò dicitur Virgo Prima in voto virginitatis, quod fuerit prima inter fœminas, quæ tali voto ſe aſtrixerunt, & inde nil derogatur Eliæ, ac diſcipulis ejus, & ita multi Patres loquuntur, & rem explicat Ioan. Ieroſ. Ioannes Ieroſolymit. lib. de inſtit. Monach. D. Iſidor. cap. 34. D. Iſidor. lib. 2. de offic. Eccleſiaſtico cap. 17. *Quantum pertinet ad vetus teſtamentum Elias, Ieremias, & Daniel caſtitatis, & continentiæ bono primi ſtuduiſſe dignoſcuntur: quantum vero ad novum virorum virginum eſt Chriſtus, fœminarum* D. Bonavent *virginum caput eſt Maria.* D. Bonaventura in 4. diſt. 30. quæſt. 4. *Decuit Virginem Deo virginitatem vovere, ut eſſet mulieribus* Caniſius. *virginitatis exemplum.* Caniſius lib. 2. de Deipara cap. 12. ait, *Apud Damaſcenum legimus Chriſtum virorum, virginem Mariam fœminarum caput.* Quæ omnia intelliguntur de Chriſto ratione ſuæ dignitatis, & excellentiæ, qua ut cauſa finalis, efficiens, moralis, ac meritoria virginitatis, ac omnium bonorum operum, quæ dantur in hominibus, & in hoc ſenſu intelligitur illud Pauli ad Coloſſenſ. 1. numero 18. *Qui eſt principium, & primogenitus.* Explicat D. Anſelm. *in collegio ſanctorum*, ut eorum dux, ac fons ſanctitatis, virginitas etiam Mariæ extitit cauſa exemplaris, ac ſpeculum omnium ſanctorum; hæc dixi juxta expoſitiones, quæ circumferuntur, quas explicavi maximè in laudem virginis.

98. Quarto inſuper addo, & dico, quod ſanctiſſima Deipara prima extitit, quæ fecit votum virginitatis, Elias, Eliſæus, ac filij Prophetarum, fecerunt votum caſtitatis. Latum eſt diſcrimen inter virginitatem, ac caſtitatem, ut docet D. Thomas D. hom. 2. 2. *quæſt.* 152. *articul.* 3. *in corpore*, ibi Caietan. Caietanus, & alij, Leſſius *de juſtitia lib.* 4. Leſſius. *c.* 2 *dub.* 14. *n.* 99. Nam virginitas dicit integritatem carnis, ſeu corporis, ideſt ſubjectum nunquam libidine contaminatum, quod non excludit caſtitas, unde viduati ingredientes Religionem, dicuntur vivere in caſtitate. Deinde inſuper juxta mentem ſanctorum Patrum duplicem virginitatem conſidero; una, quæ eſt ſimpliciter virginitas; altera virginitas perfectiſſima, & integerrima. Virginitas ſimpliciter dicit integritatẽ corporis, tamen læſionem veneream mentis non excludit, ſed admittit, ac proinde licet habeat integritatem corporis, non tamen mentis; At virginitas integerrima, & perfectiſſima dicit ſummam integritatem corporis, & animæ, ut omnes morſus etiam à cogitatione excludat. Sacratiſſima Deipara extitit virgo perfectiſſima, & integerrima virginitate, non ſolum corpore, ſed etiam anima, ita ut nec leviſſima umbra imperfectianis mentem ejus attigerit, & ita ipſa extitit prima, & ſingularis, quæ fecit virginitatis votum; unde merito de ipſa canit Eccleſia: *Tu ſola ſine exemplo placuiſti Domino Ieſu Chriſto.*

Ad confirmationem patet ſolutio ex dictis 99.
maximè in tertia ratione *num.* 97. Nec etiam contra nos facit id, quod refertur ex Abdia Abdias. Babylonico in ſuo libro in vita Sancti Bar- Babyl. tholomæi Apoſtoli dicentis de B. Deipara: *Hæc virgo ſervandæ virginitatis votum prima Deo vovit, primam autem ideo dixi; quia ex quo homo factus eſt ab initio ſæculi, nulla hoc votum Deo obtulit: virgo hoc conſtituit in corde ſuo, cum hoc à nullo homine, nec verbo didiciſſet, nec exemplo.* Hoc nihil facit contra nos, quia ille libet Abdiæ Babylonici eſt apochryphus, & fabuloſus, ut habetur in expurgatorio Romano, & tradunt Sixtus Senenſis, Senenſis. Bellarminus, Poſſevinus de ſcriptoribus, & ſi Bellarm. admittatur teſtimonium ſolum videtur pro- Poſſevinus. cedere, quod prima fecit votum inter mulieres, quod videtur colligi ex verbis Apoſtoli, *Nulla hoc votum Deo obtulit.* Vel dic, quod fuit prima in ratione cauſæ exemplaris; nam cum de ejus puritate habuiſſent revelationem ſancti Patres Antiqui, ad ejus imitationem talia vota fecerunt, ut jam eſt dictum; vel dic quod fuit prima, quæ fecit votum integerrimæ, & perfectiſſimæ virginitatis.

Et ex hoc maximè relucet ſuprema maje- 100.
ſtas ſanctiſſimæ Virginis Mariæ, quia non ſolum poſtquam prodiit in mundum, nos docet, illuminat, ac inſtruit, ſed etiam antequam naſceretur. Doctiſſimus. Idiota ait, ô Idiota. virgo Sacratiſſima Apoſtolorum Magiſtra, Evangeliſtarum doctrix, totius orbis illuminatrix. Hinc Salomon de te canit; *Proverb.* 8. *numero* 15. Per me reges regnant, & legum conditores juſta decernunt, & *Iſai.* 7. *num.* 7. teſtatur: dabit Dominus vobis ſignum. Ecce virgo concipiet, & pariet filium. Quod ſignum maximè inſervivit ad illuminandam Domum David, quæ non quærebat ſignum, & hoc ſigno lucem dedit mundo antequam naſceretur.

QUÆSTIO XII.

Solvuntur argumenta, quæ fiunt ex imperfectione legis veteris.

SUMMARIUM.

101 *Primum fundamentum Adverſariorum.*

102 *Secundum fundamentum cum ſuis confirmationibus.*

103 *Nihil erat proprium legis, per quod juſtificaretur.*

104 *Ex*

104 *Ex gratia Dei multi erant perfecti.*
105 *Deus Patribus antiquis aliqua conceſſit majora, quam Monachatus.*
Præoccupatur adverſariorum ſolutio, ibid.
106 *Martyrium antiquitus non fuit in paucis, ſed in multis, & n.* 107. 108. 109. 110.
111 *Spiritus prophetiæ in illo ſtatu antiquo fuit in multis.*
112 *Similiter in illo antiquo ſtatu multis ſunt communicata dona Spiritus ſancti.*
113 *Multis etiam eſt communicata gratia miraculorum.*
114 *Ergo ſi hæc majora in illa antiquitate dabantur, etiam ſtatus Monachalis dari poterat.*
115 *Ad locum Pauli ad Galatas.*

101. HOc totum effugium, ac ſubterfugium Adverſariorum recurrentium ad imperfectionem legis veteris, ac perfectionē novæ, cui proinde debebatur ſtatus Monachatus, & ſic argumentantur. Iſte Monachatus eſt perfectiſſimus ſtatus: lex vetus fuit valdè imperfecta; ergo non potuit in ea dari. Major eſt certa, Hebr 7. Galat. 4. minor probatur ex Apoſtolo Hebr. 7. num. 19. *Nihil ad perfectum adduxit lex*; & ad Gal. 4. n. 4. Tempus legis appellat tempus pueritiæ, ac infantiæ. *Ita & nos cum eſſemus parvuli, ſub elementis mundi hujus eramus.*

102. D Chryſ. D. Thom. Ad argumentum, ac locum Pauli reſpondetur juxta mentem Sāctorū Patrum D. Chryſ.-D. Thomæ, ac aliorum, *Nihil ad perfectum adduxit lex*, per quod nēpe homo juſtificaretur, ac ſanctificaretur, tota hominis perfectio, eſt illius juſtificatio, ac ſanctificatio. Proprīū autem legis nihil erat per quod homo formaliter juſtificaretur, ſed tantùm diſpoſitivè; lex tantùm ex ſe habebat ſacrificia, oblationes, cæremonias, & ritus, quæ non ſanctificabant. Duo nempe Sacramenta pro parvulis, remedium nempe legis naturæ, ac circumciſio non erant propria legis veteris: remedīū enim legis naturæ datum fuit Adamo, circumciſio autem Abrahamo *Geneſ.* 17. ut bene notant Angles *in* 4. *diſt.* 3. *art. ultimo, cō. luſ.* 3 Faventinus *ibid. diſp.* 3. *cap.* 3. *n.* 4. Pitigianus *in* 4. *diſt.* 1. *q.* 6. *art.* 9. & ita explicant Concilium Florentinum *in literis Sanctæ unionis*, ubi Eugenius Papa ait, quod Sacramenta veteris legis non conferebant gratiam, Sacramenta nempe, quæ erant propria ipſius legis: nam illa duo fuerunt antecedenter data, ut eſt dictum.

Geneſ. 17. Angles. Faventin. Pitigian. Florentin. Florentin.

103. Inde quæ erant à lege, erant imperfecta; quæ verò erant à gratia Dei, ac ejus auxilio, erant perfecta, ut notat Benedictus Iuſtinianus ad proximè citatum locum Pauli Hebræorum, ex D. Gregor. Nazianz. ac aliis Patribus: *Lex nihil de ſe ad perfectum adduxit: non quod in ea lege non fuerunt plurimi valdè perfecti, ſed propter fidem in Chriſtum, ac ejus gratiam.* Quod manifeſtè patet. Abel, quis negare poteſt, quod fuit vir perfectus, quem ut teſtantur D. Chryſoſtomus, D. Ambroſius, D. Auguſtinus. Deus poſuit tanquā primū fundamentū innocentiæ, Sacerdotij, ac Martyrij. De Noë expreſſa dicitur Gen. 6. n. 9. *Noë vir juſtus atque perfectus fuit in generationibus ſuis, cum Deo ambulavit.* Quis negare poterit quod Abrahamus fuerit vir perfectiſſimus, de quo ait Divus Auguſtinus *lib. de Civitate Dei*, quod illud ſæculum fuerit fœliciſſimum, cum tantum, ac talem virum habuerit, cujus fides maximè laudatur ab Apoſtolo præcipuè *Romanorum* 4. ut dicitur, *Pater credentium per fidem*; negari non poteſt, quod perfecta fuerit obedientia Iſaac, qua ſe obtulit ad ſacrificium, patientia Jobi, caſtitas Joſeph, charitas Moyſis erga populum, illiùſque manſuetudo, ut dicatur *mitiſſimus omnium*, *Num.* 12. *num.* 3. Zelus Eliæ, contritio Davidis, fortitudo, ac conſtantia Machabæorum, illorùmque matris in martyrio *Machab.* 2. *cap.* 7. *n.* 1. Hæc omnia non proveniebant à lege, ſed immediatè à gratia Dei, ſic dicimus, quod ille Monachatus legis antiquæ non erat à lege, ſed à gratia Dei, & non erat cū ea perfectione, ac excellentia, ut poſtea fuit à Chriſto inſtitutus ſed multo minori, ut oſtendam *infrà quæſt. per.*

Rom. 4. Numer. 12. Mach. 2. c. 7.

104. Et quia Adverſarij multum in hac re fatigantur, doctrinæ gratia inſuper addo, Deus multa conceſſit Patribus antiquis, majora quam Monachatus, conceſſit Sacramenta, remedium nempe legis naturæ, & circumciſionem, quæ in ratione Sacramenti conveniunt univocè cum Sacramentis legis gratiæ, ut tenent Soto *in* 4. *diſt.* 1. *ſect.* 2 §. *Atque hinc*. Bellarminus *lib.* 1. *de Sacram. c.* 12. Suar. *tom.* 3. *ad* 3. *p. diſp.* 1. §. 2. *Dico tamen primo*. Vaſq. *diſp.* 128. *cap.* 5. *n.* 55 Lovan. *de Sacram. q.* 60. *art.* 4. *dub.* 2. Quod autem Sacramentum ſit quid majus, inde eſt evidens, quia Sacramentum cauſat gratiam ex opere operato, Monachatus ex opere operantis, ne quis dicat, quod illa Sacramenta fuerunt data, ut medium neceſſarium ad ſalutem ad quod ſufficiebat remedium legis naturæ, ad quid inſuper circumciſio, niſi ut quid magis peculiare, ac particulare.

Soto. Bellarm. Suar Vaſquez. Lovan.

105. Inſuper Deus conceſſit Patribus antiquis Martyriū, quod majus eſt, ut dixit *q.* 9. Inſuper conceſſit ſanctificationem in utero Ieremiæ; vitam puram, innocentem, abſque peccato mortali Abel, ut eſt notum, & etiam Noë, ut tenent D. Auguſt. D. Ambr. & canunt Sybillæ, & explicant Commentatores ad illa verba Gen. 6. n. 7. *Noë vir juſtus, ac perfectus in generationibus ſuis.* Sicut D. Gregor. & alii Patres dicunt de Iob ad illa verba: *Vir erat in terra Hus nomine Iob, & erat vir ille ſimplex, & rectus, ac timens Deum, & recedens à malo.* De quo latè ibi Peneda, Sanchez, quod etiam idem dicitur à multis de Abrahamo, Iſaac, ac aliis. Inſuper dedit etiam eis multa cœleſtia chariſmata, ac divina, dona, gratiam miraculorum, donū ſcientiæ, ac intellectus, ac prophetiæ. Hæc majora ſunt, ſi ergo Deus Patribus antiquis talia conceſſit, cur negandum quod etiam conceſſerit ſtatum Monachalem, non cum ea excellentia, ac perfectione, ut modo eſt ſub Chriſto, ut explicabo *quæſt. penult.*

D. Auguſt. D. Ambr. Sybillæ. Geneſ. 6. D. Cregor. Iob. 1. Peneda. Sanchez.

106. Vim hujus argumenti ſubodorati ſunt adverſarij, & dicunt, quod Deus dedit Patribus antiquis Sacramenta legis naturæ, ac circumciſionis, quia hæc erant ſimpliciter neceſſaria; alia verò dona dedit pauciſſimis, ac rariſſimis. Sed contra, ſicut Deus ut Optimus Proviſor dedit illa Sacramenta, quæ erant neceſſaria ad ſalutem, ſic & media proportionata ad ipſam ſalutem adſequendam, ut virtutes Fidei, Spei, & Charitatis, ac Religionis, & cultus Dei, quæ eſt prima virtus inter

inter omnes morales, cum magno apparatu, ac multitudine Sacerdotum, ac Levitarum cum oratione non ſolum vocali externa, ſed etiam interna, cum meditatione, ac contemplatione, & cæteris virtutibus, etiã cum votis, ut ſupra dixi *hac reſol. q.* 1. Si enim hæc vota in aliis virtutibus dabantur, cur etiam non facerent in obedientia, paupertate, & caſtitate.

107. Deinde martyrium, illiúſque fortitudo, quid multo nobilius, ac excellentius eſt, quâ ſtatus Monachalis, ut patet ex Chriſti teſtimonio Ioan. 15. n. 13. *Nullus majorem charitatem habet, quam ut ponat animam ſuam pro amicis ſuis.* Atqui martyrium in illo antiquo ſtatu nõ fuit in paucis, ſed in multis, & in magno numero, ut ait Stephan. Actor. 7. nu. 52. *Quem Prophetarum non ſunt perſecuti patres veſtri, & occiderunt, eos, qui pronuntiabant de adventu juſti?* Ac ſi diceret omnes occiderũt; & in hoc ſenſu loquitur Apoſtolus Hebr. 11. n. 36. de ipſis Prophetis. *Alij vero ludubria, & verba experti ſunt, inſuper & vincula, & carceres: lapidati ſunt ſecti ſunt, tentatione in occiſione gladij mortui ſunt,* Illa diſtributio per tot genera tormentorum, & mortis, multitudinem indicat: & Chriſtus Dominus ait Matth. 23. n. 37. *Ieruſalem Ieruſalem, quæ occidis Prophetas & lapidas eos,* quod multis exemplis oſten ditur. In Prophetis majoribus, & duodecim minoribus, qui omnes ex majori parte ſũt martyrio coronati, de quibus agunt Martyrolog. Roman. ſub nomine cujus libet Iſaiæ, vel Ieremiæ, v. g. & D. Epiph. *lib. de vita, & interitu Prophetæ.* S. Dorotheus *in Synopſi.* D. Hieron. *in Prafatione ipſorum Prophetarum.* D. Iſidorus *lib. de vita, & morte Sanctorum,* & patet ex eis, quæ ſupra dixi *Opuſcul.* 1. *Reſol.* 3. *quæſt.* 22. *&* 23.

Ioan. 15. Hebr. 11. Martyrol. D. Epiphan. D. Doroth. D. Hieron. D. Iſidor.

108. Alia multa exempla adducamus. Impia Iezabel multos Prophetas pro cultu, & veneratione veri Dei occidit, ut dixit Abdias ad Sanctũ Patrem noſtrum Eliam. *Nunquid non indicatum eſt tibi Domino meo, quid fecerim, cum interficeret Iezabel Prophetas Domini,* 3. Reg. 18. n. 13 Sic ipſe Elias dixit ad Deum. *Prophetas tuos occiderunt gladio.* 3. Reg. 19. n. 14. Qui martyrij laurea fuerunt inſigniti, ut tenet Cornelius à Lapide *3. Reg.* 17. §. *Virgines.*

3. Reg. 18. 3 Reg. 19. Cornel.

109. Veniamus jam ad tempora Machabæorum, & in veniemus Martyrũ exercitus cum urgente Regis Antiochi mãdato cogerentur omnes idolo immolare, & multa contra legẽ Dei facere Text. ait: *Multi de populo Iſraël definierunt apud ſe, ut non mauducarent immunda, & elegerunt magis mori, quam coinquinari immundis.* Mach 1. c. 1. n. 5. Nota verbum, *Multi de populo.* Cornel. à Lapide, ait: *Illi omnes glorioſi fuerũt illo priſco, & rudi ſæculo martyres.* Audi Ioſeph. lib. 12. c. 7. ait: *Quamobrem quotidie necabantur cruciati tormentis crudeliſſimis, flagris etiam cæſi, & lacerati corpore vivi adhuc ſpirantes ſuffigebantur crucibus; uxores autem eorum, & circumciſos liberos ſtrangulabant juxta mandatum regium, & ſuſpendebant à crucifixorum parentum cervicibus.* Et de multis aliis exquiſitiſſimis, ac crudeliſſimis tormentis, quibus premebantur, ac cruciabantur ob legis obſervantiam, agit Sanchez *ad finem hujus primi Capitis.*

1 Mach 1. Cornel. Ioſeph. Sanchez.

110. *Lib.* 2. *Mach. c.* 6. *n.* 10. Cum duæ mulieres eſſent deletæ natos ſuos circumciſiſſe, ipſis, infantibus ad ubera ſuſpenſis præcipitantur ex muro; cogebantur omnes in totum legem Dei violare, & Libero ſacra celebrare, & qui nollẽt, *Cum indicati eſſent Philippo flammis ſuccenſi ſunt.* Eodem *cap. n.* 11. de quorum martyrio agit Salian. *anno mundi* 3887. *n.* 19. *&* 20. Sequitur & inclyta mors Senis Eleazari *eodem c.* 6. *n.* 19 De quo S. Patres multa dicunt. Deinde jam *c.* 7. deſcribitur glorioſa, & admirabilis mors ſeptem fratrũ Machabæorum una cum matre ſua, quorum feſtum *prima die Auguſti* celebrat tam Eccleſia Latina, quam Græca, ut teſtatur Baronius *in Annot. ad Martyrol.* Hos omnes, ut Sãctos prævidens canit, ac celebrat Regius Vates Pſal. 78. *Deus venerunt gentes in hæreditatem tuam; poſuerunt morticina ſervorum tuorum, eſcas volatilibus cœli, carnes Sanctorum tuorum beſtiis terræ.* Quem Pſalmum de hac perſecutione facta ſub tempore Antiochi ad litteram intelligunt omnes ferè Patres Græci, & Latini teſte Lorino. D. Baſil. D. Chryſoſt. Theodor. D. Auguſtu. D. Hierõ D. Remig. Nicephor. Euthym. Noſtro Incognito, D. Alberto Magno, Hugo, Caietano, niſi velis dicere cum Arnobio, Lyrano, Treveto, Riberia, explicandum eſſe Pſalmum de deſolatione, ac perſecutione facta per Nabuchodonoſorem, interfectis multis Iſraëlitis defendentibus templum, ne prophanaretur à Gentibus qua ſententia data maximè noſtra reſolutio de numero Martyrum confirmatur.

2. Mach. 7. Pſalm. 78. Lorinus. D. Baſil. D. Chryſ. Theodor. D. Auguſt. D. Heiron. D. Remig. Nicephor. Euthym. Incognit. Albertus. Arnobius. Lyranus.

111. Spiritus Prophetiæ in illo rudi, & antiquo ſæculo multis eſt communicatus, non ſolum quatuor Prophetis majoribus, & duodecim minoribus inſuper & Baruch, ſed etiam multis aliis Spiritum Prophetiæ habuit Henoch ſeptimus ab Adamo, ut teſtatur *Iudas Apoſtolus in ſua Canonica, num.* 14. eundem Spiritum Prophetiæ habuerunt Adamus. *Geneſ.* 2. *n.* 23 Noë. *Geneſ.* 9. *num.* 27. Abrahamus. *Geneſ.* 15. 10. & *c.* 20. *n.* 7. Iſaac *Gen.* 28. *n.* 29. Iacob. *Gen.* 49. *per tot.* Ioſep. *Gen.* 50. *n.* 23 Iob. *in ſuo libro* Moyſes. *Deut.* 18. *n.* 15. & etiã Eldad, & Medad. *Numer.* 11. *n.* 27. & Debora *in ſuo Cant. Iudic.* 5. *à n.* 1. Vir ille, qui Miſſus eſt tempore Gedeonis, Propheta erat. *Iudic.* 6. *n.* 8. Vir ille, qui venit ad Heli, 1. *Reg. c.* 2. *n.* 27. denuntians ſuorum filiorum mortẽ Propheta erat, ſicut & Prophetæ fuerunt Samuel, David, Salomõ, Nathan, Gad, Abias Silonites. Vir ille, qui venit in Bethel ad Ieroboam, & clamavit cõtra altare, Propheta erat, 3. *Reg.* 13. *n.* 1. Iehu filius Anani Propheta erat, 3. *Reg.* 16. *n.* 7. *&* 12. Similiter Prophetæ fuerũt Sem, Addo, Obed, Ananias, 2. *Par.* 12. *n.* 13. & *c.* 13. *n.* 22 *c.* 15. *n.* 8. & *c.* 16. *n.* 7 & Tobias *c.* 14. *n.* 12 & Magni Parentes Elias, Eilſæus, & alij multi. Elias non ſolum fuit Propheta, ſed inſigniter facit Prophetas ſucceſſores poſtea.

Iudas Apoſt. Geneſ. 2. Geneſ. 9. Geneſ. 15. Geneſ. 18. Geneſ. 49. Geneſ. 50. Iob. 3. Deuter. 18. Numer. 11. Iudic. 5. Iudic. 6. 1. Reg 2. 3. Reg. 13. 3. Reg. 16. 2. Par. 12. 13. & 15. Tobiæ 14.

112. Similiter in illo antiquo ſtatu multis communicata ſunt dona, ac chariſmata Spiritus S. ſcientiæ, ſapientiæ, intellectus, ac interpretationis ſermonum ut Adamo, Noë, Abrahamo, Iſaac, Iacob, Ioſeph, Moyſi, Beſeleel & Ooliab. *Exod.* 35. *n.* 35. Ioſuë, Gedeoni, Davidi, Salomoni, Ezechiæ Ioſiæque Regi, Eſdr. Nehemiæ Danieli, ac Machabæis, & multis aliis.

Exod. 35.

113. Et etiam Deus multis communicavit gratiam miraculorum Abrahamo, cum liberatur ab igne Chaldæorum, Iacobo in multis, ac multiplicatione Oviũ, cui Deus dedit omnem ſubſtan

Geneſ. 31. ſubſtantiam Laban. *Geneſ.* 31. *n.* 9. Moyſi in multis portentis, Joſuë, Gedeoni, & Sanſoni, Samueli dum æſtivo tempore ad ejus preces
1. Reg. 12. dat Deus pluviam, & tonitrua, 1. *Reg* 12 *n.* 18. Davidi dum divina virtute Leones, & Vrſi conſurgentes in eum, apprehendebat mentũ
1. Reg. 17. eorum & ſuffocabat eos, 1. *Reg.* 17. *num.* 35. ac Goliath proſtravit, & interfecit. Iſaiæque in
4. Reg. 20. Horologio Achaz 4. *Reg.* 20. *n.* 11. & Ieremiæ
Ierem. 39. dum mirabiliter ab inimicis *cap.* 39. *n.* 17. Danielique dum bis liberatur ab ore Leonum,
2. Mach 3. Eliæ ac Eliſæo, & Nehemiæ *Machab.* 1. *c.* 1. *n.* 2. & Pontifici Oniæ deprecanti pro ſalute
2. Mach. 3. Heliodori 2. *Mach* 3. *n.* 32. quod etiam magnopere viſitur in Elia, ac Eliſeo; ita ut tota vita Eliæ fuerit miraculoſa, ac miraculis plena; antequam naſceretur, teſte Divo Epiphanio *viſus eſt flammam ignis manducare*; poſtea
D. Epiphan. mirabiliter claudit, & aperit cœlum; miraculoſo pane paſcitur apud Carith, & viduam Sarepthanam, cujus filium à morte ſuſcitavit, quod nunquam ante in orbe viſum; cujus farinæ hydria, & lecythus olei non minuitur, & comedit ipſa, & domus ejus to-
3. Reg 17. ta pluſquam per duos annos, 3. *Regum* 17. In Carmelo mirabiliter ſuper ſacrificium ignem
3. Reg. 18. deduxit de cœlo, *cap.* 18. Pane Angelico corroboratur, & ambulat in fortitudine cibi illius quadraginta diebus, & quadraginta
3 Reg. 19. noctibus, *cap.* 19. abſque alio cibo, quiete, continuè ambulando, & in Horeb ſibilo auræ tenuis Domino ei apparet. Ad vocem Eliæ bis ignis de cœlo deſcendit, duos quinqua-
4 Reg. 1. genarios devorat, 4. *Regum.* 1. Pallio dividit aquas Iordanis, & raptus eſt curru igneo in
4. Reg 2. cœlum. 4. *Reg* 2.

114. Si ergo præclarum Martyrium inter omnes virtutes, quod maximum, ac præclara dona, ac chariſmata Spiritus ſancti, quæ ſunt excellentiora, ac majora, quam ſtatus Monachalis, & tamen illa in multis ſunt inventa, & data etiam priſco illo ſæculo, cur ergo negabitur dari in illo ſtatus Monachalis, quod eſt quid minus. non tamen ea excellentia, perfectione, ac frequentia, quæ eſt in lege gratiæ quia ut Chriſtus Dominus, ait: *Ego veni ut vitam*
Ioan. 10. *habeant, & abundantius habeant.* Joan. n. 10.

115. Ad locum Pauli ad Galatas; *Et nos cum eſſemus parvuli ſub elementis mundi eramus ſervientes.* D. Aug. interpretatur locum de Gentibus. D. Chryſ. *de Angelis gubernantibus ele-*
D. Auguſt. D. Chryſ. D. Hieron. D. Amb. *menta* D Hier. D. Ambr. interpretantur de Iudæis; in quo ſenſu illum Adverſarii opponũt contra nos, ſed nihil facit, quia Paulus loquitur de Iudæis, prout erant ſub lege, & participabant de his, quæ erant à lege; nos autem hic loquimur de his, quæ non proveniebant à lege immediatè, ſed à gratia Dei, ut erat Monachatus, & ſatis eſt dictum.

QUÆSTIO XIII.

Solvuntur argumenta, quæ fiunt ex repugnantia cum lege.

SUMMARIUM.

116 *Argumentantur Adverſarii, dabatur præceptum de non ſervanda virginitate.*
117 *In lege nullum erat præceptum de non ſervanda virginitate.*
118 *Explicatur locus Exodi.*
119 *Reſpondetur ad filiam Iephte.*
120 *Reſpondetur ad Apoſtolum* Corinth.
121 *Deus ſuos juſtos promovet ad majora merita.*

ARgumentantur Adverſarii, quia videtur dari præceptum in lege veteri de non ſervanda caſtitate, & conſequenter multo magis de non vovenda. Dicitur enim Exod. 23. n. 26. *Non erit infœcũda neque ſterilis in domo tua.* Et iterũ Deut. 7. n. 14. *Non erit apud te ſterilis utriuſque ſexus.* Deinde filia Iephte, dum ſe virginem moriturã audivit, dixit ad patrem. *Dimitte me ut duobus menſib. plangã virginitatẽ meam.* Iud. 11. n. 37. Confirmatur, quia lex vetus figura extitit legis Evãgelicæ: *Omnia in figura contingebãt illis.* 1. Cor 10. n. 11. Ergo nõ potuit in illa dari Monachatus, ſecundum ſuam ſubſtantiam, ac realitatem. Ex quo inferunt quod quamvis aliqui antiqui vitam duxerint in obedientia, paupertate, ac caſtitate, tamen non datũ eſt eis, ut hæc votis firmarẽtur, quia tanta perfectio reſervabatur legi gratiæ. 116. Exod 23. Deuter. 7. Iudic. 11.

Ad hoc argumentum reſpondetur nullum in lege veteri extare præceptum de non ſervanda caſtitate, ut ſine fundamento aſtruunt Auctores contrarij, ut patet jam ex ſupra dictis *in hac Reſolutione*, *q.* 2. Et quod nullum eſſet tale præceptum de non ſervanda caſtitate apertè, & expreſsè docent, & tradunt Divus Ignatius, D. Epiphanius, D. Damaſcenus, D. Chryſoſtomus, D. Iſidorus, & alii Patres jam relati, & expreſsè habent Abulenſ. *in Levit. c.* 30. *q.* 32. Sotus *in* 4. *diſt.* 30. *q.* 2. *art.* 1. Bartol. Medina 3. *p. q.* 28 *art.* 4. ibi Sylvius, & Suarez. *diſp.* 6. *ſect.* 1. Vaſquez *diſp.* 524. *c.* 3. Angles *in floribus, de impedimento erroris, art. c.* 3. Baſilius de Leon *lib.* 1. *de matrim. cap.* 19. *n.* 2. Michaël Medina *de ſacra hominis continentia, lib.* 3. *c* 46. Mendoça *in quodlibet. q.* 2. *poſitivè*, & *q.* 4. & idem docet D. Thomas *in* 4 *diſt.* 33. *q* 3. *art.* 2. *ad* 2. Neque contrarium docuit 3. *part. q.* 28. *art.* 4. *ad* 1. quia ibi ſolum dicit, quod *videbatur* juxta mores illius temporis *lege prohibitum*; non quod revera ita eſſet. 117. D. Ignat. D. Epiph. D. Damaſc. D. Chryſ. D. Iſidor. Abulenſ. Sotus. Medina. Silvius. Vaſquez. Suarez. Angles. Baſilius. Mich Med. D. Thom. 1. Cor. 10.

Ad verba Exodi: *Non erit infœcunda, neque ſterilis in terra tua.* Verba continent quandam benedictionem obſervantibus legem Domini ut apertè conſtat ex ipſo Textu, ita enim habet n. 25. *Servietiſque Domino Deo veſtro, ut benedicam panibus tuis, & aquis, & auferam infirmitatem de medio tui, & non erit infœcunda, nec ſterilis in terra tua, & numerum dierum tuorum complebo.* Quæ verba continent benedictionem ſummæ felicitatis in pane, aqua, corporis ſanitate, fœcunditate, ac longævitate. Et clarius apparet ex citato loco Deuteron. 7. ubi dicitur, *Non erit apud te ſterilis utriuſque ſexus, tam in hominibus, quam in gregibus tuis.* Quod apertè non denotat præceptum, cum illius nõ ſint capaces pecorum greges, ſed benedictionem, quod ad plurimum regulariter ita erit, ſicut illa verba Geneſ. 9. n. 1. *Benedixit Deus Noë, & filiis ejus, & dixit ad eos, creſcite, & multiplicamini*; non quod omnes filii Noë, qui ſumus nos, faciant multiplicationem per generationem 118. Deuter. 7. Geneſ. 9.

naturalem, ſed quod ad plurimum, ac regulariter ita erit.

119. Abulenſ. Ad illud de filia Iephte facilè reſpondetur cum Abulenſi ibi fletum illum fuiſſe eo quod in tam tenera paucorum annorum ætate mortem ſubierat, & quod pater ſuus eam ad id obligaret, & dato quod ipſa ploraſſet, ſe Virginem mori, non erat ex eo quod daretur præceptum de non ſervanda virginitate, ut dicunt Adverſarij: nam morte interveniẽte non tenebatur ad tale præceptum, eſto daretur, quod eſt falſum, ſed quia communis affectus illius populi erat filios procreare, ut quilibet fieret particeps generationis Chriſti deſiderati, & multi Hebræi apud Abulenſem *Iudic.* 11. *quæſt.* 16. Lyranum, Vatablum, Montanum, tenent quod mors filiæ Iephte non fuerit corporalis, ſed Civilis, ut cum aliis virginibus clauſa moraretur, quidquid ſit de hoc, certum eſt, quod tale præceptum non dabatur juxta illud Machabæorum lib. 2. cap. 3. *Sed Virgines, quæ concluſæ erant, præcurrebant Oniam.* Vide dicta quæſt. 2.

Abulenſ. Lyranus. Vatablus. Arias. Machab. 2.

120. Ad id vero, quod ex Apoſtolo dicitur: *Omnia contingebant illis in figura.* Intelligitur quoad ſacrificia, & ritus illius legis, virtutes autem Patrum erant veræ, & reales, & etiam figuræ, per reſpectum ad Chriſtum Dominum, ut ſacrificium Abrahæ, obedientia Iſaac, & Ioſeph venditus, Ionas in utero belluæ.

121. Id vero, quod dicunt, quod quamvis fuiſſent juſti in illa lege antiqua viventes in caſtitate, paupertate, ac majorum obedientia, tamen alta providentia diſpoſitum eſt, ut illas virtutes non firmarent votis, quia talis perfectio reſervabatur ad legem gratiæ, multum mihi hoc repugnare videtur cum divina bonitate: nam ſuos juſtos, qui toto corde ſervient ei, ſemper illuminat, ut ad majorem gratiam, ac merita promoveantur, quod maximè fieret; ſi ſuas virtutes votis firmarent. Dicebat David Pſalm. 118. num 125. *Servus tuus ſum ego, da mihi intellectum, ut ſciam teſtimonia tua.* Alij apud Lorinum legunt, *ut ſciam conſilia tua*: & unde habet confidentiam ad hoc poſtulandum, *Servus tuus ſum ego?* Noſtor Incognitus: *Servus tuus ſum ego; ſervus enim voluntatem Domini ſui facit; ſervus quærit ſervitutis ſtipendia.* Et quodnam ſtipendium quærit ex ſua ſervitute, *da mihi intellectum, ut ſciam teſtimonia tua*; id eſt, da mihi illuminationem, intelligentiam, ac ſapientiam, ut ſciam tuam voluntatem, ut illam adimpleam, & magis, de tua gratia participem. Divus Auguſtinus: *Non ſufficit accepiſſe intellectum, & Dei mandata didiciſſe, niſi ſemper accipiatur, & quodammodo ſemper bibatur de fonte ſalutis æternæ*; & pergit ulterius, ut ſemper in nobis magis creſcat, & augeatur ejus gratia.

Pſal. 118. Incognit. D. Auguſt.

QUÆSTIO XIV.

Solvuntur argumenta, quæ ſiunt ex ſumma perfectione legis Evangelicæ, ac ex præclara dignitate Apoſtolorum.

SUMMARIUM.

122 *Lex gratiæ perfectiſſima; & inde primum argumentum adverſariorum.*
123 *Secundum argumentum.*
124 *Ex multis oſtenditur excellentia legis gratiæ ſuper veterem.*
125 *Inde ſumitur argumentum pro noſtra ſententia.*
126 *Ex luce Spiritus ſancti antiqui Patres multa conſilia obſervarunt.*
127 *Quod multis exemplis oſtenditur.*
128 *Etiam in Sanctis Patribus fuit quædam propria abnegatio.*
Proponitur magna excellentia Sacrorum Apoſtolorum. Ibid.

122. ARgumentantur ex perfectione legis gratiæ, quia talis lex eſt perfectiſſima, ita ut de potẽtia ordinaria non poſſit dari perfectior lex, ut cõmuniter docent Theologi 1. 2. *q.* 106. *art.* 4. & latè explicant Valentia *tom.* 2. *diſp.* 7. *q.* 8. *punct.* 3 Suar. *l.* 10. *de leg. c.* 7. *nu.* 2. Atqui Monachatus eſt valdè perfectus, ergo ad nullam aliam legem poteſt ſpectare, niſi ad legem Evangelicam, & hoc cohæret, ac convenit ejus excellentiſſimæ perfectioni, ut tantum illius ſit proprius talis perfectionis ſtatus.

D. Thom. Valentia. Suarez.

123. Secundò. Monachatus dicit, & involvit conſilia Evangelica, ergo ante Evangelium non potuit dari. Conſequentia bene infertur; antecedens probatur, quia Monachatus includit votũ paupertatis, caſtitatis, ac obediẽtiæ, quæ ſũt de conſilio Evangelico. Confirmatur, quia Monachatus dicit ſui ipſius abnegationẽ; hãc autem Chriſtus Dominus docuit *Matth.* 16. *n.* 24. dicens: *Si quis vult venire poſt me, abneget ſemetipſum, & ſequatur me.* Ergo ante Chriſtum non fuit data talis abnegatio. Confirmatur, quia ad ſummam dignitatem Apoſtolorum videtur pertinere, ut ipſi ſint primi Religioſi, primique illius obſervatores ſtatus.

Matth. 16.

124. Ad primum argumẽtum reſpondetur. Quod ad ſummam dignitatem Eccleſiæ Evangelicæ pertinet, quod illius tantũ ſit perfectus, & conſummatus Monachatus cum omni ſua excellentiſſima perfectione, quam docuit Chriſtus, cum quo nõ repugnat, quod in alia lege daretur Monachatus imperfectus, & abſque ſua cõſũmata excellẽtia, ſicut ad ſublimẽ dignitatem Eccleſiæ Evangelicæ non ſolum ſpectat, quod in ea fuerint Sacramenta, Martyres, ac juſti: nam hæc etiam fuerunt in lege antiqua; multa tamen differentia: nam in antiqua ſolum fuerunt duo Sacramenta pro parvulis. At in lege gratiæ ſeptem dantur Sacramenta cum magna gratiarum abundantia pro parvulis, ac adultis, & omni ſtatu, in quibus eſt Sacroſanctum Euchariſticum Sacramentum,

in

in quo verè, realiter, ac ſubſtantialiter adeſt ipſe Deus, quo nil majus dari poruit. In lege veteri fuerunt Martyres in pavo numero, at in Eccleſia Chriſti in tam amplo numero, ut
Franciſc. dicat Franciſc. Arias *lib. 3. de imitat. Chriſti, c. 35. in fine*, facta computatione per Provincias, & perſecutiones à tempore Chriſti uſque ad ſua tempora inveniuntur duodecim milliones
Genebrard. Martyrum, multi alij tradunt apud Genebrardum *in Pſalm. 78. verſ. 4.* de quo plura dixi
Apoc. 7. *cap. 7. in Apoc. q. 7. n. 157. 158.* In lege antiqua fuerunt aliqui, & Sancti, ſed in certo, & determinato numero, ut dicitur Apocal. 7. n. 4. *Et audivi numerum ſignatorum centum quadraginta quatuor millia ex omni Tribu filiorum Iſraël. At* de Eccleſia Gentium quid dicit Evangeliſta? *Vidi turbam magnam quam dinumerare nemo poterat, ex omnibus gentibus, & Tribubus, & populis, & linguis ſtantes ante thronum, cap. 7. nu. 9.* & tam ampliſſima erat hæc multitudo, ait Ansbertus: *Ut omnem numerum, & computum excederet, & ſolum divino lumine cognita.* Et hæc cum magna gratiarum affluentia, ait Chriſtus, *Ego veni ut vitam habeant, & abundantius habeant.* Ioan. 10. num. 10.

125. Sicut ergo non repugnat cum dignitate legis Evangelicæ, quod in lege antiqua fuerint aliqua Sacramenta, Martyres, & juſti, ac Sancti, & alia chariſmatum dona, ut jam dixi *ſuperiori quæſtione*, non tamen ea excellentia, ac in lege gratiæ; ſic etiam non repugnat, quod in lege antiqua daretur Monachatus nõ ea perfectione, ac excellentia, & amplitudine, ut in lege gratiæ: nam antiquitùs erat in paucis, ac raris hominibus, modo verò in ampla, & lata multitudine, ut oſtendit tanta varietas Sacrarum Religionum: maximè verò cum Sancti Patres, quos citavi *quæſt. 11. num. 91.* dicant, quod hic ſtatus ſeu Monachatus fuerit demonſtratus, ac deſignatus in lege antiqua.

126. Ad ſecundum argumentum dicimus, quod ſtatus Religioſus, ejùſque vota de conſilio ſunt; tamen illuminatione, ac gratia Spiritus ſancti antiqui Patres multa conſilia obſervarunt. Ait Regius Vates Pſalm. 75. n. 12. *Vovete, & reddite Domino Deo veſtro.* Ibi Lorinus teſtatur, quod juxta omnes Patres Latinos hortatur nos Propheta ad opera conſilij, Religionis nempe, obedientiæ, paupertatis, ac caſtitatis, & de hac re maximè audiẽdus eſt inſignis Doctor Bartholomæus de Medina 1. 2. *q. 108. artic. 4. §. Vt tamen.* Poſtquam aliquas imperfectiones legis veteris notat, ſubdit: *Sed non ex hoc inferat Theologus, quod Viri juſti & Sancti in antiqua legis ſtatu non haberent ex inſtinctu Spiritus ſancti conſilia à Deo tum virginitatis, tum obedientiæ, atque etiam paupertatis, quæ & animo libenti, & forti amplectebantur.* Et poſt pauca adjungit, *Sed pro temporis ratione, non omnino conſummata, atque abſoluta.*

127. Quod claritatis, ac doctrinæ gratia paucis excipe, conſilium Evangelicum eſt, *Orare,*
Luc. 18. Geneſ. 27. *& non deficere.* Luc. 18. num. 1. de Iſaac refert Scriptura. Geneſ. 27. num. 1. *Senuit Iſaac, & caligaverunt oculi ejus*, per quadraginta quatuor annos permanſit in cæcitate, ut ibi notant Interpretes cum Pereira, & Cornelio, &

totum hoc tempus pertranſivit cum multâ patientia in oratione, & meditatione, ut ex D. Gregorio Magno colligunt Moyſes ſtetit Monte cum Deo quadraginta diebus, & quaginta noctibus. Exod. 24. n. 18. *David quo-* Exod. 24.
modo dilexi legem tuam tota die meditat o mea eſt. Pſal. 118. n. 97. Conſiliũ Evangelicum eſt, Pſalm 118.
non reddere malum pro malo, ſed bonum pro malo, orare pro inimicis, & eis benefacere. Matth. 5. n. 43. Ioſeph fratres, à quibus venditus eſt, benigne excepit. Geneſ. 45. n. 3. Moyſes pro populo, à quo lapidari voluit, ac multas contradictiones ſuſtinuit, adeò inſtãter orabat, dicens: *Aut dimitte eis hanc noxam, aut ſi non facis, dele me de libro tuo.* Exod. 32. n. 32. David Saülem, Exod. 32.
à quo ſæpè perquiſitus fuerat ad mortem, bis cuſtodivit à ſuis militibus, ne eum interficerent. Semel in ſpelunca, 1. *Reg.* 24. *n.* 17. & 1. Reg 24.
iterum in tentorio regio, 1. *Reg.* 26. *n.* 9. Eliſæus 1. Reg. 26.
milites, qui venerant eum occidere, cuſtodivit à ſuis inimicis, & juſſit dare panem, & aquam ad comedendum, ſaturatos, & liberos dimiſit, 4. *Reg. n.* 23. 4. Reg 6.

Conſilium Evãgelicum eſt voluntaria pau- 128.
pertas, ac contemptus divitiarum: *Beati pauperes ſpiritu.* Et etiam Matth. 10. n. 9. *Nolite poſſi-* Matth. 10.
dere aurum, neque argentum. Item patientia in laboribus: *In patientia veſtra poſſidebitis animas veſtras.* Luc. 21. n. 19. Hoc præſtiterunt Luc. 21.
antiqui Patres, quos Apoſtolus mirificè laudat. *Circuierũt in melotis, in pellibus Caprinis, egentes, anguſtiati, afflicti, quibus dignus non erat mundus; in ſolitudinibus errantes, in montibus, & ſpeluncis.* Hebr. 11. num. 38. De virginibus ait Hebr. 11.
Paulus 1. Corinth. 7. n. 25. *Præceptum Domini* 1. Cor. 7.
non habeo, conſilium autem do. Et tamen in lege veteri multæ fuerũt virgines, ut dixi ſupra ex Sanctis Patribus *q.* 1. & etiam *q.* 1. *n.* 107. unde præclarè ex D. Auguſtino ait D. Thomas 1. 2. D. Auguſt.
q. 107. art. 5. ad 2. *Fuerunt aliqui in ſtatu veteris legis habentes charitatem, & gratiam Spiritus ſancti, qui principaliter exſpectabant promiſſiones ſpirituales, & æternas, & ſecundum hoc pertinebant ad legem novam.* D. Thom.

Ad confirmationem fatemur, quod Mona- 129.
chatus requirit ſui abnegationem, quam perfectiſſimam, & valdè conſummatam Chriſtus docuit, & introduxit in mundum, cum hoc tamen ſtat, quod in Patribus antiquis fuit quædam abnegatio propria dictante lumine Spiritus ſancti, ut videtur in Elia ſub tãta Dei obediẽtia, in tanta paupertate, ac eximia virginitate, ac etiam in Eliſæo, ac filiis Prophetarum, ut dixi *ſuprà, q. 6. &* 7. ac etiam in Rechabitis, ac Eſſenis, cum tam duro, & aſpero vivendi modo, ut explicavi *ſuprà, q. 3. &* 4. & bene patet ex proximo citato loco Pauli. *Hebr.* 11. ubi Hebr. 11.
Theodoret. *ibi* ait: *Ita Eliæs ille magnus, ita* Theodor.
Eliſæus illius hæres; ita plurimi Prophetæ, qui nec domos quidem habebant, ſed ligna excidentes domos ſibi, caſaſve conſtruebant.

Ad illud, quod dicitur in confirmatione de 130.
Apoſtolis, dicimus quod ſicut ad eorum dignitatem non pertinet quod fuiſſent primi juſti, ac Sãcti primíque Martyres, in toto orbe ſicut etiam ad eorum dignitatem nõ pertinet, quod fuerint primi Religioſi. Et ſicut ad eorum excellentiam ſpectat, quod inter omnes juſtos, & Sãctos ipſi fuerint in ſupremo juſtitiæ, ac ſanctitatis apice ſuper omnes Sãctos, qui fuerunt

ab orbe condito. Ita ſacri Apoſtoli in ſuo martyrio fuerũt excellentiores, in charitate, fortitudine, ac conſtantia ſuper omnes. Ita etiam ad eorum dignitatem non ſpectat, quod fuerint primi in qualicunque obſervantia regulari votorum, ſed ad eorum excellentiam pertinet, quod fuerint primi in exactiſſima, ac maximè perfecta obſervatione regulari votorum, itaut in hac conſummata excellentia excedant omnes, qui fuerunt, ac erunt ante, vel poſt eos, Chriſtus Dominus non ſolum dicitur *Sanctus*, ſed *Sanctus Sanctorum*. Daniel. 9. nu. 24. quia ipſe non ſolùm erat Sanctus, ſed quia ipſe in altiſſimo ſanctitatis apice extollitur ſuper omnes creaturas. Rabbi Gerundenſis apud Galatinum *lib. 4. cap. 18.* ait: *Sanctus Sanctorum vocatur; erat ut in eo ſecundum humanitatem, omnes theſauri Sapientiæ, & ſcientia Dei requieſcerent; erátque ipſe ſuper omnem creaturam oleo gratiæ, ac beneplaciti Dei.* Expende illud *ſuper omnem creaturam*, ſic ad veſtigium Chriſti Apoſtoli non ſolùm fuerunt juſti, Sancti, Martyres, ac religioſi, ſed in altiſſimo perfectionis vertice ſuper omnes puras creaturas, Beatiſſima Maria Virgine excepta.

Daniel. 9.

Gerunden. Galatinus.

QUÆSTIO XV.

Solvuntur argumenta, quæ fiunt ex auctoritate negativa Scripturæ, & affirmativa D. Thomæ.

SUMMARIUM.

131 *Argumentum Adverſariorum.*
132 *Multis exemplis, ac documentis refellitur.*
133 *Explicatur mens Angelici Doctoris.*
134 *Multa loca Angelici Doctoris pro nobis.*
135 *In nullo loco facit contra nos.*

131. ARgumentantur contra nos Adverſarij, quod ſi daretur in lege antiqua Monachatus cum votis, eſſet quid valdè celebre in illa antiquitate, ac proinde in aliquo libro Canonico de tali ſtatu, ac votis fieret mentio; atqui de hoc nulla talis mentio extat, ergo eſt quid commentitum, & falſum.

132. Hoc argumentum multa, & dura involvit: nam ut notat Theophylus Raynaudus *de Scapul. part. 2. quæſt. 1. §. Nimirum*, qui communes traditiones rejicit, & ſolum reſcriptas quærit, favet Calvino, ejùſque ſectatoribus, qui Eccleſiaſticas traditiones reprobãt. Deinde cõtra Adverſarios hic pono argumẽtum ſacri Apoſtoli fecerunt tria vota, ut docent D. Auguſtinus, D. Thomas, *ut ſuprà dixi quæſt. 5.* A tempore Apoſtolorum accepimus ſignum crucis facere in fronte, ut teſtatur D Baſilius *in epiſtola ad Iulianum Apoſtatam relata in 7. Synodo, art. 4* A tempore Apoſtolorũ accepimus in conſecratione Calicis, aquam vino miſcere; ut teſtatur Alexander Papa *in Concilio Tribur. cap. 19.* A temporibus Apoſtolorum accepimus, quod Sacra Euchariſtia non ſumatur, niſi à jejunis, ut docent communiter Sancti Patres, D. Epiphanius *lib. 3. contra hæreſes, in fine.* D. Gregorius Nazianzen. *orat. 4.* quæ eſt de Baptiſmo ad finem. D. Chryſoſtom. *homil. 27. in primam Corinth.* & multi alij Patres. A tempore Apoſtolorum accepimus Imagines Chriſti, ac Beatiſſimæ Virginis, & Sanctorum effigiare, ac depingere, ut teſtatur Adrianus Papa *in epiſtola ad Carolum Regem*, relata ad calcem *in 2. Synodo Nicæna*; à tempore D. Petri, ac aliorum Apoſtolorum accepimus, quod Sacrificium Miſſæ celebretur peculiaribus veſtibus ſacris, ut teſtatur D. Anacletus Tertius Pontifex à D. Petro *in ſua prima epiſtola Decretali*; & habetur ex *cap. Veſtes de conſecratione, diſtinct. 4.* A ſacris Apoſtolis eſt compoſita, & ordinata Oratio Angelica B. Virginis, ut ex multis dixi *tom. 2. in Apocalyſim, cap. 21. quæſt. 26. num. 319.* Sacrum quadrageſimale jejunium, cuius initiũ ignoratur à temporibus Apoſtolorum manavit, ut docent Sãcti Patres, D. Hieronymus *epiſt. 56. ad Marcellam*, ſic ait: *Nos unam quadrageſimam ſecundum traditionem Apoſtolorum toto anno, tempore congruo jejunamus.* D Leo *ſerm. 6. de Quadrageſima*, inquit, *Apoſtolica inſtitutio quadraginta dierum jejunijs impleatur.* Idem indicant D. Epiphanius *hæreſi 75. in fine.* S. Ignatius *epiſtola ad Philadelph.* D. Clemens *lib. 5. Conſtit. Apoſtol. cap. 12.* Et tamen hæc omnia, & multa alia nec in Actis Apoſtolorum, nec in eorum Epiſtolis, nec in aliquo libro Canonico ſunt ſcripta, ergo ſunt falſa, & commentita; nullus Catholicus hoc dicet, nec habebit in mente, ergo neceſſe eſt fateri, quod tempore antiquo multa fuerunt multa celebritate habita, communi praxi, ac frequenti uſu recepta, quæ in libris Canonicis non continentur.

D. Auguſt. D. Thom.

D. Baſil.

D. Epiph.

Adrian.

D. Anaclet.

Tom. 2. Apoc.

D. Hieron.

D. Leo.

D. Epiph. D. Ignat. D. Clem.

133. Deinde obiiciunt Angelicum Doctorem *3 part. quæſt. 28. art. 4.* ubi ait, quod Sanctiſſima Virgo non fecerit virginitatis votum ſecundum mores illius temporis, niſi poſt deſponſationem cum Joſeph. ubi Sanctus Doctor loquitur non tanquam ex propria ſententia, ſed juxta mores illius temporis, ut exprimit; tamen communis eſt ſententia, quod ipſa multo tempore ante diſpenſationem feciſſet virginitatis votum, ut ex aliis locis D. Thomæ colligitur, & docent multi Patres, Doctores, ac etiam Thomiſtæ. Sotus *in 4. diſt. 30. quæſt. 2. artic. 2. ad primum.* B. Albertus Magnus *de laudibus Mariæ.* Paludanus, & alii multi Doctores, quos citant, ac ſequuntur Suarius *tom. 2. ad 3. part. diſput. 6. ſect. 2. §. Dico ergo ſecundo.* Vaſquez *tom. 2. ad 3. part. diſputat. 124. cap. 4. num. 46.*

Sotus. D. Albert. Paludan. Suar. Vaſquez.

134. Et quod Sanctus Doctor pro noſtra ſententia ſtet, eique patrocinetur, patet ex multis locis ejus. Nam ipſe *2. 2. art. 2.* dum inquirit: *Vtrum liceat Religioſis ſæcularia negotia tractare?* Reſpondet cum *diſtinctione ad 3.* dicens: *Adire palatia propter pias cauſas competit Religioſis.* Unde dicitur 4. Reg. 4. *Quod Eliſæus dixerit ad mulierem. Nunquid habes negotium, & vis ut loquar Regi, vel Principi militiæ?* Si ex mente D. Thomæ Eliſæus non eſſet Religioſus, ad quid afferret eum in exemplum ad comprobanda facta licita Religioſorum, ergo ut doctrina D. Thomæ ſit efficax, ac valida, dicendum eſt, quod Eliſæus ab eo cenſeatur verè Religioſus. Idemque etiam comprobatur

D. Thom.

batur ex eadem *quæſt.187.art.6.* namquærens, *Virum liceat Religioſis, vilioribus veſtibus uti quam cæteris.* Reſpondet affirma ivè in argumento ſed contra, & ait in hunc modum. *Sed contra eſt, quod ad Hebræos 11. Apoſtolus dicit: Circuierunt in melotis, & pellibus caprinis, Gloſſa, ut Helias & alii.* Ex eo probat, quod Religioſis licitum ſit talibus veſtibus vti, quia Helias illis utebatur, & cur potius adducit in exemplum Heliam, quam quemlibet alium, niſi quia Heliam Religioſum judicabat, aliàs argumentum eſſet omnino futile. Et corroboratur totus hic diſcurſus ex eadem 2.2. *quæſt.184. art 8.* ubi adducit verba D. Chryſoſtomi, quibus Heliam appellat monachum. Appellationem admittit, & approbat; & etiam favet idem Angelicus Doctor. 2.2. *quæſt.152.art.3. ad 4.* ubi ait: *Virginitas ſecundum quod eſt virtus, importat propoſitum voto firmatum integritatis perpetuo ſervandæ.* Cum Helias, & Heliſæus, ac diſcipuli ejus perpetuo virginitatem ſervarent, ut juxta ſanctos Patres dictum eſt *ſuprà q.6. & 7.* hinc ſequitur ex ejus doctrina, quod firmitas voti in eis fuerit.

135. Nec obſtant aliqua ipſius ſancti Doctoris loca *ex 1,2. quæſt.107.art.2. & quæſt.108. art. vltimo, & Opuſculo 17. c.4. & quodlibeto 4. quæſt.27. & 2.2. quæſt.188. art.7.* in quibus innuere videtur Chriſtum Dominum fuiſſe primum Auctorem Religioſi ſtatus, ſeu Conſiliorum Evangelii. Nam ut bene notat M. Lezana *tom.1. Annalium cap.4. n.13. ad finem.* Nam hæc, & ſimilia ſolum perſuadent juxta dicta in ſuperioribus, Chriſtum Dominum fuiſſe primum exemplar, & finem monaſtici ſtatus in quocumque temporis articulo; imò & primum efficientem cum ſuis Diſcipulis, excellentiſſimæ perfectionis, ac prærogativarum ipſius monachatus, prout in Evangelica lege maximè fulget, ac reſplendet.

Lezana.

QUÆSTIO XVI.

Solvitur argumentum, quod fit ex neceſſitate regulæ, clavium, ac approbationis.

SUMMARIUM.

136 *Ponitur argumentum.*
137 *Præter vota, & præcepta non requiritur peculiaris regula, nec determinatus habitus.*
138 *Ad ſubſtantiam Religionis non requiritur poteſtas Clavium.*
139 *Argumentum ad validitatem Religionis requiritur acceptatio ex parte Dei.*
140 *Acceptatio negativa ſufficit, & dabatur in Religione Prophetica, & n.141.*
142 *Et etiam acceptatio poſitiva dari poterat.*
143 *Elias ex Dei mandato, facit prophetas ſucceſſores poſt ſe.*

136. IN hunc modum argumentantur Adverſarii. Religio eſt Congregatio fidelium utriuſque ſexus tendentium ad perfectionem profeſſione trium votorum ſubſtantialium, paupertatis, & caſtitatis, obedientiæ obſervandorum uſque ad mortem; ex quibus fit ut ad veram Religionem octo ſint neceſſaria. Paupertas, caſtitas, Obedientia, Profeſſio, Habitus, Regula, Poteſtas Clavium, ac Approbatio Superioris, ad veram conſiſtentiam, ac permanentiam ipſius ſtatus; ne quiſquam ſuo judicio feratur.

137. Ad argumentum reſpondeo, quod illa tria vota darentur in antiquo monachatu ſatis probatum eſt ſupra. Profeſſio nihil aliud eſt, niſi promiſſio ipſorum votorum. In profeſſione enim dicimus: *Promitto Deo obedientiam, paupertatem,* &c. Ad id quod dicitur de Habitu, advertat vulgare Proverbium, *Habitus non facit monachum;* & Chriſtus Dominus inſtituens perfectiſſimam Religionem in ſuis Apoſtolis, nullam certam habitus formam eis dedit. Hinc ſanctiſſimus Patriarcha, D. Ignatius inſtituens Sacram Societatem IESU, nullam certam formam habitus præſcripſit, ut conſtat *ex part.6. Conſtit. cap.2. num.15.*

Vulgare Proverbiũ.

Conſtitutiõ Societatis.

138. Ad id, quod dicitur de Regula, Leſſius *lib.2. cap.41. num.9.* & ex eo reſcribit Baſſæus Capucinus *11. Relig.1. num.5.* & ait, Ad eſſentiam ſtatus Religioſi non requiri regulam, præter eam, quæ divinis mandatis, & ipſis votis continetur quia hæc abſolute ſufficiunt, ut ducant hominem ad perfectionem. Confirmat, quia ad reliqua non eſt obligatio in ſinguli præſertim eſſentialis; poteſt enim quis eximi à choro, ab eſu carnium, &c. Sed quia Papa non conſuevit hujus ſtatum approbare ſine regula, ideo ea eſt neceſſaria, non per ſe, ſed per accidens. Ad approbandam Religionem Papa requirit Regulam, ut ſciat ad quem finem Religio ordinatur, & quem vivendi modum habeat, & in quo diſtinguatur à cæteris; hoc tamen eſt per accidens, & non ad ſubſtantiam Religionis. Deinde dicat mihi; Chriſtus D. in ſuis Apoſtolis inſtituit veram Religionem, & quæro, quam regulam eis dedit; nullam aliam, niſi ipſamet vota cum conſiliis Evangelicis. Sic & ego dicam, quod Elias dedit ſuis diſcipulis pro regula ipſamet vota, cum decretis, ac diſpoſitionibus veteri Teſtamenti, & inſuper ſunt graves Auctores, ut ſapientiſſimus Hieronymus Gavara ex ſacra Societate JESU *tom.1. in Matth.* qui affirmant Eliam ſcripſiſſe regulam, quam tradidit filiis Prophetarum, de que infra *quæſt.18.* Suar. *tom.3. de Religione lib.2. cap.15.* exiſtimat, præter vota ad conſervationem Religionis requiri aliquas obſervationes peculiares, ſed hæ in ipſis votis continentur virtualiter, vel ex ipſis deducuntur.

Lezſius. Baſſæus.

Gavara.

Suar.

139. Quantum ad poteſtatem clavium, quæ tangitur in argumento. Vaſquez *1.2. diſp.165. cap.4.* contendit ad ſubſtantiam ſtatus requiri poteſtatem clavium ad bonam ejus gubernationem. At quod talis poteſtas clavium non requiratur ad ſubſtantiam Religionis eſt multo verior, & communior ſententia, & eam ſatis doctè probat Mag. Baſilius de Leone *lib.7. de Matrim. cap.5. num.21.* Et probatur, quia tota ſubſtantia ſtatus Religioſi conſiſtit in traditione, ac acceptione perſonæ, ſed hoc ſufficienter per vota fit; ergo poteſtas clavium

Suar.

Baſilius.

Sanchez. non requiritur, ut obſervant Sanchez *in opere moral. lib. 5. cap. 4. n. 76. & 78.* Caſtro Palaus citandus ſtatim. Quantum eſt ex jure, niſi peculiaribus conſtitutionibus impediatur, Abbatiſſa non eſt capax juriſdictionis ſpiritualis, & tamen poteſt recipere ad habitum, ac profeſſionem; videtur ſupponi *cap. conſuluit, qui cleric. vel voto.* Et in tali profeſſione datur vera ſubſtantia ſtatus religioſi.

140. Ad id, quod dicitur de approbatione, conſtanter aſſeritur, quod ad Religionem requiritur approbatio à ſuperiori, quia tota ſubſtantia Religionis conſiſtit in traditione, ac acceptatione ex parte Dei, atqui nemo nomine alterius poteſt aliquid acceptare, niſi per commiſſionem, & poteſtatem ſibi factam ad talem rem. Hæc poteſtas ex parte Dei à nemine poteſt dari, niſi ab Eccleſia, quæ eam immediatè accepit à Chriſto; ergo in lege antiqua cum non daretur talis poteſtas, non poterat dari vera acceptatio ex parte Dei, nec approbatio veræ Religionis.

141. Reſpondeo, & non loquimur prout in præſenti res ſe habet poſt Concilium Laterane. Innoc. III. nenſe ſub *Innocentio III.* & Lugdunenſ. ſub Greg. X. *Gregorio X.* Quæ Concilia requirunt approbationem Religionum: ſed loquimur tempore antecedenti, quoad Religiones antiquas: & duplex poteſt eſſe approbatio. Una negativa, & altera poſitiva. Negativa eſt, quando verbi gratiâ Papa, vel Epiſcopus, ad quem pertinebat Religiones approbare, videbat novam Religionem exurgentem, nec contradicebat, nec repugnabat, ſed conſentiebat, & permittebat. Et hanc approbationem eſſe ſufficientem, & fuiſſe in multis Religionibus antiquis tenet M. Baſilius de Leone *lib. 7. de Matrim. cap. 11.* & citat D. Thomam 2. 2. *q. 188. art. 1. ad 4.* quem locum invenire non potui forte ex errore typographi; & citat Bellarm. *tom. 2. lib. 2. de Monach. cap. 4.* Medina *lib. 4. de continentia contr. 7. c. 58. §. ſed eam.* Sanchez *lib. 7. de Matrim. diſp. 25. num. 10.* Azor. *tom. 1. lib. 11. cap. 23. quæſt. 1.* Quibus addendi ſunt Trithemius *de laudibus Carmelit. cap. 5.* Mag. Carthagena *tom. 3. lib. 17. hom. l. 2.* Caſtro Palus *tom. 3. tract. 16. diſp. 1. punct. 1. num. 8.* Et ait: *In Eccleſia multæ fuerunt Religiones abſque expreſſa Pontificis approbatione, ſola Epiſcoporum approbatione, vel illorum non repugnantia.* Quia acceptationem, quæ fiebat in votis, dum Eccleſia non contradicebat, ſed potius illi conſentiebat, videbatur nomine Dei acceptare: quod idem dicimus de Religione inſtituta ab Elia per reſpectum ad antiquum Pontificem.

Baſil. D. Thom. Bellarm. Medina. Sanchez. Azor. Trithem. Carthag. Palaus.

142. Approbatio poſitiva fit per actum, vel verba poſitiva, pro quo ſupponendum eſt, quod in Pontifice antiquo dabatur poteſtas ſpiritualis ad diſcernendas res pertinentes ad fidem, Religionem, ac mores. Deuteron. 17. num. 8. *Si difficile, & ambiguum apud te judicium perſpexeris, aſcende ad locum, venieſque ad ſacerdotes.* Malach. 2. num. 7. *Labia ſacerdotis cuſtodiunt ſcientiam, & legem requirent ex ore ejus*; & multis aliis locis. Et Chriſtus D. *Matth. 23. num. 1.* Ita Bellarm. *de Romano Pontifice lib. 4. cap. 3. & lib. 3. de verbo Dei c. 4. & lib. 3. de Eccleſia c. 17.* Suar. *de fide diſp. c. ſect. 5. n. 2. diſp. 9. ſect. 3.* & multis in locis contra Regem Angliæ. Valentia 2. 2. *diſp. 1. quæſt. 1. punct. 7. §. 43.* Bañez, 2. 2. *tom. 1. quæſt. 1. art. 10. dub. 2. concluſ. 4.* Lyranus, Abulenſ. Lorinus, Cornelius ad locum Deuteron. Et in hac Concluſione conveniunt omnes Catholici ad tuendam auctoritatem Romani Pontificis contra Hæreticos, & Lutheranos, quia Deus, ut optimus Gubernator, ac Proviſor, ſemper in Eccleſia ſua dedit regulam, viam, propter humanos caſus ſæpe occurentes. Hæc regula in illo populo inveterato fuit Summus ſacerdos; nunc verò modo in Eccleſia Chriſti eſt Romanus Pontifex, ut ex multis probant Bellarminus Suarez, & alii citati, & ſatis Late M. Lezana *in Conſult. Conſult. ultim. à n. 14.*

Valentia. Bañez. Lyranus. Abulenſ. Lorinus. Cornell. Bellarm. Lezana.

143. Fuit ergo Religio inſtituta ab Elia, approbata ab ipſo Summo capite, vel permiſſive, & non repugnante, ut dixi, vel poſitive per verba, & actum poſitivum approbationis. Et Deus mandavit magno ſervo ſuo Eliæ ut ungeret Eliſæum in Prophetam & ſui ſucceſſorem: ſic enim dixit ei Deus, *Eliſæum filium Saphat, unges Prophetam pro te 3. Reg. 19. n. 19.* ubi poſt Joannem, Hieroſolomitanum, ac alios recte ait Salianus anno 3127. num. 23. *Eliam Divino Decreto, & juſſu elegiſſe Eliſæum in Prophetam, & ſucceſſorem, Patrem, & Præpoſitum diſciplinæ Religioſæ, cui ſecundum Deum obedirent.* & M. Suar. *tom. 4. de Relig. tract. 9. lib. 2. cap. 10.* ait, *Ex quo Eliſæus juſſus Dei vocatus eſt ab Helia, & illum ſequi cæpit, & perpetuo miniſtravit, 3. Reg. 19.* uſque ad *4. Reg. 2. In hujus rei ſignum filii Prophetarum venerunt in occurſum ejus, eumque adoraverunt, & tanquam caput, & principalem Prophetam, Eliæque ſucceſſorem agnoverunt.* Sic & fere omnes noſtri Doctores, ex eo quod dicitur Eccleſiaſt. 48. num. 8. de Elia: *Qui facis ſucceſſores poſt te:* Tam in ſpiritu prophetico, quam in diſciplina Religioſa, quod inter cæteros Prophetas ſoli Eliæ datum eſt, ut ſupra dixi *Reſolut. 1. quæſt. 2. n. 39. & 40.*

Salianus. Suar. 3. Reg. 19. 3. Reg. 19. Eccleſ. 48.

Quæstio XVII.

Solvuntur tria alia argumenta.

Summarium.

144 *Primum argumentum ad vota facienda in lege antiqua requirens revelationem.*

145 *Oſtenditur divinam gratiam magnos effectus operari.*

146 *Beata virgo habuit revelationem, non ob difficultatem virginitatis, ſed ad ſeveritatem; quod per deſponſationem ſua puriſſima virginitas in nullum periculum veniret.*

147 *Ponitur ſecundum argumentum.*

148 *Henoch, de quo fit mentio in Bullis Apoſtolicis, diverſus eſt ab illo, qui erat ante Diluvium.*

149 *In Samuele jam cœpit quoddam delineamentum ſtatus Religioſi*

150 *Tertium argumentum, in ejus ſolutione oſtenditur ex Waldenſi inter filios Prophetarum, varios fuiſſe gradus perfectionis ac diſciplinæ Regularis, & n. 151.*

Omnem

144. OMnem lapidem admovent Adverſarii contra nos. Et primo ſic opponunt. In illa lege antiqua facere votum perpetuum, ac per totam vitam ob illius imperfectionem, erat quid valde difficile, inde ad hoc requirebatur ſpecialis revelatio, & cum de hac non conſtet, nec poteſt conſtare, aſſertum de tali voto. Major eſt certa; minor probatur, quia à multis magnis Auctoribus aſſeritur, quod ſanctiſſima Virgo Maria habuerit revelationem ad edendum ſuum virginitatis votum; ergo ſi hæc revelatio admittitur in B. Virgine, à fortiori in aliis.

145. Reſpondeo, quod quamvis hujuſmodi vota eſſent difficilima pro tali tempore, ad ipſam difficultatem ſuperandam, ſatis erat divina gratia, & ut ad multa majora, ad ſubeundum martyrium, ut in multis patet; ad reſiſtendumque contra crudeliſſimos tyrannos Achab, ac Jezabelem perſequentes, ac interficientes Dei fideles, qui Baal non adorabant, ut neceſſe fuerit eos confugere ad montes, ac ſpeluncas, ut Heliæ dixerit Abdias. *Nunquid non indicatum eſt tibi, quid fecerim, cum interficeret Iezabel Prophetas Domini, quod abſconderim de Prophetis Domini centum viros, quinquagenos, & quinquigenos in ſpeluncis, & paverim eos.* 3. Reg. 18. n. 13. 3. Reg. 18. Et hoc in tanto numero ut dicat Deus Eliæ. *Dereliqui mihi in Iſraël ſeptem millia virorum, quorum genua non ſunt curvata ante Baal* 3. Reg. 19. num. 18. 3. Reg. 19.

146. Circa id, quod tangitur in Confirmatione de voto virginitatis ſanctiſſimæ Virginis, quo tempore illud emiſerit, variæ ſunt ſententiæ. Quidam, ut Durandus, Abulenſis poſt contractum matrimonium cum Ioſeph, licet ſemper habuiſſet propoſitum virginitatis. Alij dicunt, quod emiſerit votum ante contractum matrimonium, tamen quod fuiſſet votum conditionale, *niſi aliud Deus ſtatuerit.* Tamen veta, communis, ac certiſſima ſententia, quod ante deſponſationem, ac in prima infantia fecerit votum abſolutum, & perfectiſſimum, ita Scotus Henriquez, & multi alii juxta mentem ſanctorum Patrum; & tunc Auctores hujus ſententiæ optimo jure dicunt, quod ipſa ſanctiſſima virgo habuiſſet revelationem ad tale votum edendum, non propter difficultatem ipſius voti, ac virginitatis, ſed quod cum eſſet tutela ſuorum parentum; habuit revelationem à Deo, quod per deſponſationem futuram, ejus virginitas in nullum diſcrimen, ac periculum veniret: non enim eſt credendum, quod ipſa ſanctiſſima virgo conſenſerit, ut fieret ſponſa hominis, niſi divinitus agnoviſſet, nullum adfuturum periculum ſuæ virginitatis violandæ in tali matrimonio contrahendo. Ita Suar. *to. 2. ad 3. part. diſp. 6. ſect. 2. §. Dico ergo ſecundo.* Vaſquez *tom. 2. ad 3. part. diſp. 124. cap. 4. num. 77.* Baptiſta Novatus *de eminentia virg. tom. 1. cap. 6. quæſt. 5.* Revelatio ergo facta eſt, non ob difficultatem in voto virginitatis, ſed ob ſecuritatem extra omne periculum in ſervanda virginitate in deſponſatione, de qua fecerat votum.

Durand. Abulenſ. Suar. Vaſquez. Novatus.

147. Secundum argumentum. Si dicimus monachatum incœpiſſe in Elia, eodem modo dici poteſt, quod incœperit in Henoch, de quo dicitur Geneſ. 4. num. 26. *Iſte cœpit invocare nomen Domini.* Quod à multis intelligitur, quod iſte primus cœperit congregare hominum cœtum ad laudem Dei dicendam, ac decantandam. Et de iſto Henoch videtur facere mentionem Iulius II. in ſua Bulla, cum ait. *Sanctorumque Patrum Eliæ, & Eliſæi, & Henoch, qui montem ſanctum Carmeli iuxta fontem Eliæ inhabitarunt, hæreditariam ſucceſſionem tenemer.* Et idem etiam dici poteſt de Samuele, de quo ſcribitur 1. Reg. 19. n. 20. quod congregavit multitudinem Propherarum. Geneſ. 4. Iulius II. 1. Reg. 19.

148. Reſpondetur, argumentum nullius eſſe ponderis; nam Enoch de quo fit mentio in Bullis Apoſtolicis, alter diſtinctus eſt ab eo, qui fuit ante diluvium, & hoc patet ex ipſo contextu, quia ſi de illo antiquiori eſſet ſermo, dicendum erat: *Sanctorum Patrum Enoch, Eliæ, & Eliſæi* ratione antiquitatis prior erat ponendus ante Eliam, & Eliſæum; atqui poſtponitur, ergo alter multo tempore poſt illos fuit: ergo iſte alter diſtinctus. Incola Carmeli, qui ad prædicationem Ioannis Baptiſtæ una cum Andrea Apoſtolo, ac Ioanne Evangeliſta ſecutus eſt D. Jesum Christum, & poſtea comes extitit D. Marci ad Alexandriam, ejuſque prædicationis adjutor; & quod fuiſſet Incola Carmeli patet ex bullis Pontificiis, ubi Enoch refertur inter cæteros Patres, *qui montem ſanctum Carmeli juxta fontem Eliæ inhabitarunt.* Ita Paleonidorus *lib. 2. cap. 2.* Didacus Coria in hiſtoria Carmelitana *lib 7. cap. 1.* Lezana in Annalibus *tom. 2. anno Chriſti 36. n. 24. & anno 45. n. 9. vinea Carmel. num. 344.* Paleonidorus. Coria. Lezana. Vinea Carmeli.

149. Ad id, quod apponitur de Samuele dicimus, quod ibi jam cœpit, veluti quoddam primum delineamentum ſtatus Religioſi, dicitur enim citato loco 1. Reg. 19. n. 20. quod lictores Saül, *viderunt cuneum Prophetarum vaticinantium, & Samuelem ſtantem ſuper eos,* id eſt, ut exponunt Lyranus, Abulenſis, Sanchez, id eſt *præſidentem eis.* Samuel quidem inſtituit quoddam Collegium Prophetarum in Najoth Ramata, & forte in aliis locis, in quibus jam erat aliquale veſtigium, & valdè remotum huius ſtatus; nam Samuel non vivebat in caſtitate religioſa, habebat enim filios: *Factum eſt autem cum ſenuiſſet Samuel, poſuit filios ſuos judices, & non ambulaverunt filii ejus in viis ejus.* 1. Reg. 18. num. 1. Deinde erat judex populi, illiuſque gubernator, ac caput, ac proinde cum apparatu, & quamvis interius poterat habere paupertatem ſpiritus, tamen exterius ſaltem in populo rudi non multum erat documentum religioſæ paupertatis, unde perbelle dixit Bellarm. *tom. 3. lib. 2. c. 9. §. Nos ergo;* ſic ait: *Dicimus itaque primum, vitam religioſam adeo eſſe antiquam, ut quædam ejus adumbratio fuerit in lege naturæ ante diluvium, majorque expreſſio in lege Moyſis, perfectior autem Apoſtolorum tempore.* 1. Reg. 19. Lyranus. Abulenſ. Sanchez. 1. Reg. 18. Bellarm.

150. Tertium argumentum. Filii Prophetarum non vivebant cum caſtitate, ergo in eis non dabatur verus ſtatus Religioſus Antecedens probatur. Dicitur 4. Reg. 4. num. 1. *Mulier autem quædam de uxoribus Prophetarum clamat.* Et Eliſæus dixit Giezi. *Sed & lepra Naaman adhæreat tibi, & ſemini tuo* 4. Reg. 5. num. 27. 4. Reg. 4. 4. Reg. 5.

num. 17. Et confirmatur, ut ipſi adverſarii dicunt irrefragibili auctoritate Eccleſiæ in oratione ſancti Petri, & Pauli 29. Junii dicitur. *Da Eccleſiæ tuæ eorum in omnibus ſequi præceptum per quos Religionis ſumſit exordium.*

151. Et in primis nota, quod dicitur, *Mulier de uxoribus Prophetarum*, non dicitur *de uxoribus* filiorum Prophetarum, poterant eſſe alii Prophetæ diſtincti, & multi habuerunt uxores, ſed quidquid ſit de hoc Reſpondetur cum noſtro Doctiſſimo Vvaldenſi *lib. 3. Doctrinalis fidei art. 1. cap. 1.* Quod quamvis in omni Religione perfecta moderna (intellige in lege gloriæ) eſſentialiter tria vota requirantur, ſcilicet, Obedientiæ, paupertatis, ac caſtitatis, & ait: *Non ſic tamen antiquitus, dum Religio infans erat, ſed alii quidam, alii unum, alii univerſa ſervabant, magnis de cauſis.* Qui tria vota ſervabant, in majori erant perfectione, ac in vero ſtatu Religioſo. Qui vero unum, vel duo obſervabant, ſecundum quid, & analogice tanquam Religioſi appellari poterant. Sic pergit citatus Vvaldenſis. *Religioſi dicebantur omnes, quia ſingulariter præ aliis Concivibus, vel toto mundo, vel alii æquivalenti divino cultui ſe dederunt.* Sicut & in Eccleſia primitiva, quidam obſervabant tria vota, & erant perfectiſſimi, alii habebant unum, vel alterum. Ananias, & vxor eius Saphira habebant votum paupertatis, & ideo delinquentes contra votum abſcondentes pecuniam puniuntur pœna mortis. Actor. 5. n. 4. ut ibi ex communi omnium ſententia notant Lorinus, Cornelius, Menochius; & quod Ananias, & uxor ejus haberent votum caſtitatis, cum eſſent uxorati, nullum ad hoc eſt fundamentum, tamen late, & analogice omnes poterant dici Religioſi, ſicut & Tertiarii uxorati in ſuis domibus viventes, cum participent aliquem Religionis modum in Cæremoniis, orationibus ac aliis obſervationibus analogice, ac late poſſunt dici Religioſi, ut ex D. Th. Henriq. tenent Suar. *tom. 3. lib. 2. c. 2 n. 11.* Lezana *tom. 2 c. 14. n. 7.* Leſſius *lib. 2. cap. 40. num. 11.* Pellizar. *tom. 1. tract. 1. cap. 3. n. 35.*

Vvalden. Actor. 5. Lorinus. Cornel. Menoch. D. Thom Henriq Suar. Lezana. Leſſius. Pellizar.

Ad confirmationem dicimus, quod Eccleſia loquitur de Exordio in Religione Chriſtiana in fide Evangelica: ſic ait Paulus 1. Corinth. 4 num. 15. *In CHRISTO IESV per Evangelium ego vos genui.*

152. 1. Corinth. 4

QUÆSTIO XVIII.

Explicatur differentia interveniens inter monachatum legis antiquæ, ac legis gratiæ, & differentia inter utriuſque vota.

SUMMARIUM.

153 *Status Religioſus tendit ad perfectionem, & tota ejus ſubſtantia in tribus votis conſiſtit.*

154 *Vvaldenſis ponit differentiam, quia antiquitus vota animo interno; nunc autem per verba externa fiunt.*

155 *Duplex eſt votum, unum ſimplex, alterum ſolemne, ſolemne introductum eſt ab Apoſtolis, & n. 156.*

157 *Votum ſolemne habet multas excellentias ſuper votum ſimplex.*

158 *Religio ab Apoſtolis multum ſuperat antiquam.*

159 *Ad veram Religionem Conſtituendam ſufficiunt vota ſimplicia.*

REligio, ſeu Religioſus ſtatus, ut docet D. Thomas 22. q. 186. art. 2. *in corpore*, ubi ait: *ſtatus Religionis eſt quædam diſciplina, vel exercitium, ad perfectionem perveniendi.* Pervenitur autem ad hanc perfectionem per tria vota, obedientiæ, paupertatis, ac caſtitatis, & conſtat ex cap. *Cum ad monaſterium de ſtatu monachorum.* Et ex multis aliis Sanchez *lib. 5. in opere morali cap. 5. n. 16.* Layman *libro 4. tract. 5. cap. 1. num. 1.* Cum ergo tota ſubſtantia ſtatus Religioſi conſiſtat in votis, explicata differentia, quæ datur inter vota in monachis antiquæ legis, ac monachis legis gratiæ, ac novæ, ſatis explicata manet differentia utriuſque monachatus. 153. D. Thom. Sanchez. Layman.

Neſter Doctiſſimus Vvaldenſis *tom. 1. Doctrinalis fidei lib 3. art. 2. c. 17.* ait, *Religio Chriſtiana perfecta, eſt ſpecialis, & ſtricta regula charitatis, voti ſolemnis emiſſione profeſſa, vel æquivalenter.* Et poſtea ſubdit. *Quia autem dicitur illud, quod æquivalet voto? Dico quod eſt divinus inſtinctus immobilitans affectum tendentem in Deum. Et talis profeſſor fuit Elias, talis etiam erat Ioannes Baptiſta, qui quamvis non vovebant vocaliter aliquam regulam charitatis: habebant tamen Dei inſtinctum immobilitantem eorum affectus converſos in Deum. Et ille æquivalet voto; quia tota eſt in non mobilitante affectum ex ſe pronum præverti.* In hoc ponit differentiam, quod antiquitus Elias, Eliſæus, ac filii Prophetarum, & Joannes Baptiſta faciebant vota animo interiori, ac reſoluto, quo ſe Deo conſecrabant; quod ad votum ſufficere cum multis docet Caſtro Palaus *tom. 3. tract. 15. diſp. 1. punct 4. n. 4.* Nunc autem vota fiunt verbaliter, ac per profeſſionem externam. 154. Vvalden. Caſtro. Palaus.

Ut rem clarius, & apertius explicemus, notandum eſt, quod duplex ſit votum; unum ſimplex, & eſt promiſſio Deo facta de meliori bono. Alterum eſt votum ſolemne, & hoc expreſsè docet D. Thomas 2. 2. q. 88. art. 7. in corpore, à tempore Apoſtolorum manavit, & magis explicavit Bonifacius VIII. *cap. unico de voto.* Hæc ſolemnitas dicit perfectam hominis abnegationem juxta illud Chriſti D. *Siquis vult venire poſt me, abneget ſemetipſum.* Matth. 16. Hæc perfecta abnegatio privat hominem, ne ſit ſui juris, tam ad contrahendum, quam ad diſponendum de ſe, ac ſuis rebus; hæc autem ſolemnitas à tempore Apoſtolorum manavit; ut docet D. Thomas, ab Eccleſia eſt explicata: & magis introducta per antiquiſſimos monachos, antiquiſſimo tempore maximè propagata, & obſervata, ut ſtante ſolemni profeſſione, nullus auderet de ſe aliquid agere, niſi interveniente diſpenſatione Summi Pontificis, ut de facto cum aliquibus eſt diſpenſatum. Ita cum multis, Michaël Medina *lib. 5. de continentia ſacrorum* 155. D. Thom. Matth. 16. Medina.

Henriq. Hoſtienſ. Leſſius. *Sacrorum hominum cap.* 86. 87. Henriquez. *Quodl. bet. 5. quæſt.* 31. Hoſtienſ. Joannes Andreas, quos citant, ac ſequuntur Leſſius de juſtitia *lib.* 2. *c.* 41. *dub.* 8. §. *Tertia eſt.* Sanch. in opere morali *tom.* 2. *lib.* 5. *cap.* 1. *n.* 6.

Sanchez. 156. Hanc ſublimitatem voti ſolemnis ſuper votũ multis ſimplex exemplis declaro: verbi gratia ſiquis poſt matrimonium ratum ingrediatur Religionem, in eaque votum ſolemne emittat, diſſolvitur matrimonium, ſi verò quis poſt votum ſolemne ineat matrimoniũ, tale matrimonium etiam conſummatum, eſt nullum, ut habetur expreſſe *Clemen. Vnica de conſanguinitate*; & definitum eſt in Tridentino *ſeſſ* 24. *Can.* 9. At vero ſiquis poſt ratum matrimonium emittat votum ſimplex caſtitatis, non irritatur matrimonium, & ſi tali voto aſtrictus, matrimonium celebravit, ac conſummavit, non invalidat matrimonium, ſed firmum manet: Sanchez *lib.* 1. *de Matrimon. diſp.* 46. *num.* 9. M. Cornejo *tom.* 2. *in* 3. *part. diſp.* 7. *de Matrim. dub.* 9. Qui habet votum ſolemne paupertatis, nec poteſt donationes facere, nec contractus inire ſine licentia ſui Prælati. Atqui habet votum ſimplex paupertatis, tam de his, quæ habet, quam quæ ei adveniunt, bene poteſt facere ſuas donationes, & contractus celebrare, ut patet ex his, quæ docet Suar. *tom.* 3 *de Relig. lib.* 8. *cap.* 16. *art.* 18. Qui habet votum ſolemne obedientiæ, non poteſt proferre teſtimonium juridicum, & validum extra Religionem ſine licentia ſui Prælati; nec ſine illa poteſt agere in judicio, nec per ſe, nec per ſuum procuratorem, per profeſſionem habetur tanquam mortuus, ut tradunt Auctores *cap. cum delicta de reſcriptis, & Authentica cauſa, quæ fit cum monacho*, ut cum multis Doctoribus tradit Sanchez *lib.* 6. *in Decalog. cap.* 12. *n.* 1. *& cap.* 13. *n.* 41. At qui fecit votum ſimplex obediendi Archepiſcopo Vlyſipponenſi, abſque ulla licentia ſua poteſt dare tale teſtimonium, & agere in judicio, nam per talem obedientiam non redditur inhabilis ad illa, & ſolum illa obedientia eſt ad implenda omnia, quæ ipſe præceperit, hoc autem non eſt prohibitum ab eo, ergo tale teſtimonium bene poteſt dari, ut patet ex his, quæ docet Lezana in Summa *Regular. c.* 4. & ſic in multis aliis exemplis.

Clem. unic. Tridٰent. Sanchez. Cornejo. Suar. Cap. Delicta. C. Authen. Sanchez. Lezana.

157. Ex his clare patet, quanta excellentia ſuperemineat ſtatus Religioſus inſtitutus ab Apoſtolis, ab illo antiquo ſub Elia. Totus ſtatus monachatus innuitur, ac ſtabilitur in votis, ab eiſque haurit totam ſuam nobilitatem, ac dignitatem, hæc ſcilicet ſolemnia cum maximè excedant illa antiqua ſimplicia, inde evidens fit, quanto intervallo Religio ab Apoſtolis inſtituta ſuperat illam antiquam, quæ ſolum ex votis ſimplicibus conſtabat.

158. Nec ex hoc inferat aliquis, quod ille ſtatus Religioſus ſub Elia non fuerit vera Religio, quia ad conſtituendam veram Religionem, verumque Religioſum, ſufficiunt vota ſimplicia; quod adeo eſt certum, ut dicat Sanchez in Opere Morali lib. 5. cap. 1. num. 25. *Non licere ullatenus de hoc re dubitare*, & Suar. to. de Relig. tract. 10. lib. 3. cap. 4 num. 5. *Hoc eſſe omnino infallibile, ut ſine errore in fi-*

Sanchez. Suar. Greg. XIII. *de negari non poſſit.* Nam Gregorius XIII. in ſua bulla *Aſcendente Domino* declaravit coadjutores, ac Scholares Societatis Jesu: *Biennio probationis peracto tria prædicta vota, etiamſi ſimplicia emiſerint, vere, & proprie Religioſos fuiſſe, & eſſe.* Cum enim Summi Pontifices in his, quæ pertinent ad doctrinam, contineant infallibilem certitudinem ex Chriſti inſtitutione, ac promiſſione, & hæc declaratio Gregorii XIII. contineat doctrinam pertinentem ad mores Eccleſiæ, ac quietem, & pacem animarum, ergo dicendum eſt, quod talis declaratio contineat infallibilem veritatem.

Inſuper Monachatus in lege veteri deſtitus erat poteſtate Clavium, qua nunc maximè reſplendet, ac fulget ipſe monachatus tali poteſtate communicata à Summo Pontifice, ſuperioribus, ac Prælatis Religionum, qua præclariſſimè eorum ſtatus firmatur, ac corroboratur in ſua perfectiſſima excellentia, ac gubernatione.

QUÆSTIO XIX.

Oſtenditur perſeverantia votorum in Carmelitano Ordine ab Elia uſque ad præſens tempus per varios ſtatus.

SUMMARIUM.

159 *Ante Albertum Carmelitæ habebant votum obedientiæ.*
160 *Albertus deſumpſit regulam ex libro Ioan. & num.* 161.
162 *Motivum ſcribendi regulam.*
163 *Iuxta D. Cyrillum Aymericus congregat eos, qui venerant ex Occidente cum his, qui erant in Syria.*
164 *Qui obedientiam non voverant, erant illi, qui venerant ex Occidente.*
165 *Antiquitus unus conventus erat independens ab alio, & omnes non erant ſub uno capite, ac generali.*
166 *Cœnobia Carmelitarum erat independentia. Aymericus colligavit omnes ſub uno generali.*
167 *Ante Aymericum habuerunt Carmelitæ pro regula librum Ioan.*
168 *Ante Ioannem habuerunt pro regula vivendi modum conſtitutum ſub Apoſtolis.*
169 *Ante prædicationem Evangelicam vita Eliæ erat pro regula.*
170 *Elias ſcripſit regulam juxta graves Auctores.*
171 *Elias multa ſcripſit.*
172 *Religio habuit quinque ſtatus, & n.* 173.

159. OPponunt contra nos adverſarii, quod noſtra Carmelitana familia non habuiſſet votum obedientiæ, niſi ab Alberto Patriarcha, quod ut jam dixi evidenter refutatur Reſolut. 2. ex Prologo ipſius Regulæ. Dicitur enim ibi, *Albertus Dei gratia vocatus Patriarcha Hieroſolymitanæ Eccleſiæ dilectis nobis in Chriſto, filiis Brocardo, ac cæteris eremitis.* (Nota verbum) *qui ſub ejus obedientia, in Monte Carmelo morantur.* Ergo iam ante Albertum erant ſub obedientia ſui Prælati,

lati, ac Prioris, ergo tale obedientiæ votum ab Alberto non acceperunt. Tota hæc regula
Joann. 44. Alberti deſumpta eſt ex lib. Joann. 44. de inſtitutione Monachorum, tanquam ex primaria, & originaria regula Religionis; nam ipſe liber Ioannis multo tempore inſervivit Carmelitis pro regula: tunc Albertus diſtinctiori & clariori methodo ex ipſo libro Ioannis regulam collegit, ordinavit, ac diſpoſuit, ut tradunt D. Cyrillus Conſtantinopolitanus
D. Cyrill. *lib. de progreſſu ordinis cap. 5.* & Doctiſſimus
Vvaldenſ. Thomas Vuldenſis de ſacramentalibus *tit. 9. cap. 8* 9. Palænidorus *lib. 3. cap. 2.* Thomas de
Palænid. Th. de Iesu. Philippus. Iesu *de variis regulis Carmelitar. par. 2. dub. 7.* Philippus *in ſpeculo Ordinis lib. 8. cap. 4.* & ita omnes noſtri Auctores. Et ſic ſcribitur in titulo regulæ apud antiquiſſima exemplaria, quæ ſervantur in Tranſpontina, & habetur *Regula Alberti extracta ex Ioanne* 44. & dicitur etiam extracta ex D. Baſilio, non quod ſimpliciter deducta ſit ex D. Baſilii regula, ſed quia regulæ Baſilii valdè conformis eſt, & cohæret cum doctrina tradita à *Ioanne* 44. & inde doctrina Ioannis maximè cenſetur approbata à D. Baſilio, ut ex multis probat
Lezana. Lezana *tom. 4. Annal. ad annum* 1205. *n.* 15.

160. Motivum autem, quod Albertus habuit ad hanc regulam faciendam, extitit, quia cum noſtra Sacra Religio tranſiret de Syria in Europam, Sanchez Bertoldus primus Generalis ex Latinis ordinavit, ut Sanctus Brocardus vir doctrina, ac ſanctitate vitæ inſignis ſcriberet Canonem, ſeu regulam, cum aliquibus conſtitutionibus ad reducendam, & componendam ſuam Religionem ad mores Eccleſiæ Latinæ, ut teſtantur Joannes Bachonius, Bernardus Olerius citati *in Breviloquio* Boſtius *part. 1. cap. 3. num. 86.* Poſſevin. *in apparatu S. Brocardi*, & M. Fr. Daniel à Virg. Maria, *Vinea Carmeli. n. 714. & 770.* Tunc Beatus Brocardus, regulam, ſeu Canonem ſibi commendatum compoſuit, & pro ſua humilitate tradidit B. Alberto Patriarchæ Hieroſolymitano, ut eum corrigeret, ac emendaret; & ſua auctoritate, quam tunc habebant Patriarchæ, traderet ad obſervandum, quod tunc fecit Albertus, tradens eum ipſi Brocardo Priori Carmeli anno 1205. vel ut alii volunt anno 1209.

S. Bertold. Baccon. Olerius. Boſtius. Poſſevin. Daniel à Virg. Maria. Brocard. Albertus.

162. Ante Albertum Aymericus Patriarcha Antiochenus, ac legatus ſedis Apoſtolicæ, anno 1141. juxta verum computum. Prædictus Aymericus cum videret, quod Carmelitæ, in monte Carmelo & Syria viverent cum magna obedientia, ac religioſæ vitæ rigore, & aliqui ſupervenirent ex partibus occidentalibus, qui non ita rigoroſè vivebant, & quia non omnes intelligebant literas Græcas, in quibus liber Ioannis erat ſcriptus, ideo Aymericus ipſorum rogatu prædictum librum tranſtulit de Græco in Latinum; ac ex ipſo Ioanne deſumpſit regulam, cum voto obedientiæ, & collegit omnes tam ex oriente, quam occidente in unum, quæ
D. Cyrill. omnia ſcribit, & narrat D. Cyrillus Conſtantinopolitanus lib. de Proceſſ. Ordinis cap. 4. & ait: *Erat autem in diebus illis, Patriarcha Antiochenus in terra ſancta, Apoſtolicæ ſedis legatus, vir quidam amabilis Deo, & hominibus, nomine Aymericus Malafai dictione Lemovicenſis de villa appellata Sa'amiacum, qui prædictorum anteceſſorum Eremitarum fratrum B. Mariæ de Monte Carmelo laudabilem converſationem attendens, eos multum ſpecialiter ſuo tempore in Domino enutrivit.* Nota modo de quibus loquitur. *Intelligens autem quoſdam eorum, qui ab occidente ſupervenerant, ſpretis ſeniorum monitis non rectè ambulare ad veritatem religioſæ vitæ premiticæ, in prædicto Ioannis libro deſcriptæ, & perpendens hoc maximè ideo contingere, quia Græcas literas ignorantes neſciebant codicem illum legere, fecit librum illum de Græco in Latinum transferri. Et ut illorum improborum coerceretur audacia, tutaque inter eos eſſet ſeniorum Eremitarum huius montis innocentia ipſos omnes per obedientiæ vinculum colligavit. Statuit enim, quod ex ipſis unus, qui diceretur Prior deinceps, eis ita præeſſet, ut quilibet aliorum obedientiam ei deveveret, ſub cura cujus, & regimine omnes viverent, quibus, & antea licet ſemper unus ex ipſis præeſſet, quem Abba, lingua Syra, & Patrem, latine appellabant, ſub regimine cujus etiam tunc temporis manebant, cui etiam tanquam Patri ſecundum inſtitutionem obediebant, & nunquam ad obediendum alicui ſe voto ſpeciali prius obligaverant, donec prædictus Patriarcha Americus omnes primo ad hoc adſtrinxit. Inter quos ipſe habuit, ſcilicet fratrem ſuum Bertholdum, quem de unanimi omnium aſſenſu anno Domini* MCCXX. *in Priorem eis inſtituit.* Ita communiter Ioannes Bacconius, Ioannes de Malinis, Ioannes de Cimero, Ioannes de Vinera, Ioannes Croſſus, & ex exteris Sabeblicus, Polydorus, Conradus, Geſnerius, Sylveſter, Marulus Ciſtercienſ. quos citant, ac ſequuntur Thomas à Iesu de variis regulis Carmelitarum *cap. 6.* Petrus Sarracenus in Monologio in vita ſancti Bertholdi.

Baconius. Molinis. Cimero. Groſſus. Sabelicus. Polydor. Conradus. Geſnerius. Sylveſt. Matulas. Th. à Iesu. Sarracen.

Ex quibus bene perpenſis rejicitur id, quod 163.
quidam adverſarius nobis opponit, quod ante Aymericum non habuimus votum obedientiæ, quia ait D. Cyrillus citatus, *nunquam ad obediendum alicui ſe voto ſpeciali prius obligaverant.* Conſiderat bonus Auctor cum ſapientiſſimo Joanne de Carthagena *tom. 3.* Carthagen.
lib. 17. homil. 2. quia ibi non eſt ſermo de omnibus Carmelitis, qui erant in Paleſtina, ſed tantum de illis, qui ex occidente venerant, ut ibi dicitur. *Intelligens autem quoſdam eorum, qui ex occidente ſupervenerant, ſpretis ſeniorum monitis non recte ambulare, ad veritatem religioſæ vitæ eremiticæ.* Et cauſam aſſignat, quia non intelligebant librum Ioannis, cum eſſet Græco idiomate ſcriptum, & ideo in Latinum vertit, ex quo manifeſtum fit, quod non loquitur de his, qui erant ex Syria, & Palæſtina; nam hi bene ſciebant literas Græcas, ſed de illis tantũ, qui erant ex occidente; & ideo poſt pauca ſubdit loquens de illis, qui venerant ex occidenti. *Vt illorum improborum coerceretur audacia, tutaque inter eos eſſet ſeniorum eremitarum huius montis innocentia, ipſos omnes per obedientiæ vinculum colligit.* Omnes qui erant in Syria, atqui eos, qui venerant ex occidenti, in unam diſciplinam collegit, ut ſemper tuta eſſet ſeniorum eremitarum huius montis innocentia, & ne ex illis, qui venerant ex occidente corrumperetur.

Sed

164. Sed demus adhuc, quod de omnibus intelligatur, quos omnes per obedientiæ vinculum collegit. Sciendum, quod tempore antiquiſſimo D. Antonii, Hilarionis, ut colligitur ex Arnoldo Boſtio *in ſpeculo hiſtoriali, lib. 6. c. 8. & ſeqq.* quod etſi varii Conventus erigerẽtur eiuſdem Ordinis, in vnoquoque Conventu erat unus ſuperior independens à quocunque alio ſuperiori, ita ut non daretur unum caput, ſub cujus obedientia eſſent omnes illi Conventus, ſed in quolibet erat unus ſuperior independens à quoque alio, qui dicebantur Syriacè *Abba* id eſt, Latinè *Pater*. Et qui faciebant profeſſionem in tali Conventu, illius ſuperiori promittebãt obedientiam, ſuo ſuperiori indeterminatè, prout in tali, & tali Conventu eſſent, & qui promittebant obedientiã Epiſcopo, intelligebatur prout in ejus Diœceſi morabantur, & inde ſi tranſirent ad aliam Diœceſim, illius Epiſcopo ſervabant obediẽtiam. Imò M. Fr. Daniel à Virg. Maria, Vinea Carmeli. *n. 25. fol. 19.* teſtatur, & ait: *Nunc videmus in Religioſis Brigitanis in Belgio, & ditione Lodienſi; cum enim non habeant aliquem ſuperiorem Generalem, obedientiam promittunt Deo, & Epiſcopo loci, quandiu ſcilicet ſub ejus Diœceſi morantur: dum enim ad aliam migrant, illius tunc, & non Prioris ſubduntur imperio.* Et modo Sanctus Philippus Neri fundavit ſuam illuſtriſſimam Congregationem Oratorii, ita ut ſuperior unius Conventus, cui obedientiã promittunt, ſit independens à quocunque alio Conventu, ac à quocunque alio ſuperiori, cũ illa Religio non habeat unum ſupremum caput, nec Provincialem, nec Generalem, ut mihi certum fecerunt Clerici reformati in hac Civitate, ejus regulam obſervantes, & patet ex ejus Conſtitutionibus *cap. 4. ad finem.*

Arnold.

Vinea Carmeli.

165. Sic & Carmelitæ antiquitus promittebant obedientiam Deo, ac Superiori Conventus, in quo morabantur; independenter à quocunque alio Prælato. Tunc Aymericus Patriarcha ut legatus Sedis Apoſtolicæ, ſtatuit, ut omnia cœnobia Carmelitici Ordinis eſſent ſub obedientia unius capitis, qui diceretur *Prior Generalis*, cui omnes promitterent obedientiam, & hoc maximè indicat proprietas verbi *colligavit:* cum dicitur *per obedientiæ vinculum colligavit;* & ita inſtituit fratrem ſuum Bertoldum, primum Priorem Generalem ex Latinis.

166. Ante Aymericum Carmelitæ habuerunt pro regula librum *Ioannis* 44. de Inſtitutione Monachorum, qui liber licèt hiſtoricus ſit de ortu Religionis uſque ad ſua tempora, tamen in eo rectè deſcribitur forma, & modus vitæ Religioſæ, in ſumma oratione, ac contemplatione erga Deum, abnegatis omnibus ſæcularibus cum voto obedientiæ, paupertatis, ac caſtitatis, ut patet ex ipſo *libro c. 16.* de quo libro Ioannis agens D. Cyril. Conſtantinopolitanus *lib. de Proceſſu Ordinis, c. 1.* ait: *Quam librum ſcripſit ipſe Ioannes Capruſio de inſtitutione noſtræ Religionis eloquio, & litteris Græcis, quibus tunc terræ ſanctæ Eccleſia utebatur. In quo libro primariam noſtræ Religionis inſtitutionem, & fundatorum ejuſdem dignitatem, ac Priſcorum Profeſſorum geſta ſancta, & glorioſas virtutes, extrerioremque habitus ornatum, prædictus Ioannes propterea brevi, & lucido eloquio ordinatè deſcripſit, ut ſucceſſores dictorum Patrum, in illo libro, tanquam in nitido ſpeculo inſtitutionem ſuam intuentes, eam obſervare propenſius conarentur, & ſanctam viam, ac virtuoſos mores dictorum Patrum ex totis pectoribus imitarentur: quem librum ipſe Ioannes ſodalibus ſuis Religioſis Eremitis montis Carmeli legendum, & obſervandum tradidit tempore Honorii Imperatoris anno Domini 412.* Ita D. Cyrillus. Perpende ultima verba Sancti Doctoris, *Legendum, & obſervandum tradidit.* Non ſolum ut librum ad legendum, ſed etiam ut regulam ad obſervandum; & ita ſuperius ait Sanctus Pater, *Vt ſucceſſores dictorum Patrum, in illo libro tanquam in nitido ſpeculo inſtitutionem ſuam intuentes, eam obſervare propenſius conarentur.* Ut ad facta majorum in illo libro tanquam in ſpeculo expreſſo, & repræſentata ſe componerent, illa ſequendo, & imitando vividè obſervantes.

Ioann. 44.

D. Cyrill.

167. Ante *Ioannem* 44. habuerunt Carmelitæ tanquam regulam, modum vivendi ab Apoſtolis inſtitutum, adimplentes præcepta Evãgelica, cum voto obedientiæ, paupertatis, ac caſtitatis, ut notat Trithemius *de laudibus Carmeli, cap. 4.* & ait, *Poſt paſſionem Domini multiplicata per Iudæam fide Chriſtiana, hi, qui in monte Carmelo, vitam imitatione Eliæ, ducebant Eremiticam, ſecundum Evangelium Chriſti vivere cœperunt.* Et aliquantulum poſt ſubdit: *Hæc eſt vita Apoſtolica, quam fratres Carmelitæ in primitiva Eccleſia ſtudioſiſſimè obſervabant, regulam ſuper his Evangelium in cordibus ſuis habentes conſcriptum.* Item etiam *Ioannes 44. lib. de Inſtitut. Monachor. cap. 3.* Vvaldenſis *lib. 4. art. 2. c. 27.* Ioannes Groſſus *in ſuo viridario.* Ioannes Ciminetus *in libro dicto ſpeculum Ordinis;* & Sapientiſſimus Mag. Fr. Franciſcus Bonæ Spei *de Concept. diſput. 3. præſumpt. 1. n. 72. & 73.*

Trithem.

Ioan. 44. Vvaldenſ. Groſſus. Ciminetus. Fran. Bonæ Spei.

168. Probatur, quia Carmelitæ fuerunt coexiſtentes cum Apoſtolis, ut habemus ex Sacra Congregatione Illuſtriſſimorum Cardinaliũ, ut læpè dictum eſt, fuerúntque perfecti milites coadjutores Apoſtolorum, ut dictum eſt ex Joſepho Antiocheno, & aliis antiquiſſimis Auctoribus, ut dixi ſuperiori Reſolutione, ergo vitæ modum ſacrorum Apoſtolorũ, tanquam adhærentes Apoſtolis, ac eorum Coadjutores habuerunt. Et confirmatur, quia antiquiſſimi Monachi, ut Dionyſius, D. Antonius ac ejus Magiſter Monachatus, qui floruerunt paulo poſt annum 200. de quibus facit mentionem Bellarmin. *lib. 1. de Monach. c. 5.* nullum alium vivendi modum in eis ſcimus, niſi Apoſtolicum, ac ad imitationem Apoſtolorum, & ita dicitur de D. Auguſtino, *Conſtituit Monaſterium Monachorum, & cœpit vivere ſecundum regulam ſub Sanctis Apoſtolis conſtitutam.* Ergo idem dicendum eſt de Carmelitis, cum fuiſſent coexiſtentes cum Apoſtolis. *Ioannes Ieroſolym. 44. lib. de Inſtit. Monach. c. 31. de Carmelitis,* loquens ait: *Denique eorum multi ea quæ ab Apoſtolis hauſerant, cæteris effundentes, fidem Chriſti per Phœniciam, & Paleſtinam prædicabant, dilatantes dogma fidei, & moribus vita Monaſticæ converſationem Eccleſiæ Dei inſigniſſimam demonſtrantes.*

S. Congr. Ioſephus. Bellarm. D. Auguſt. Ioann. 44.

169. Ante prædicationem Evangelicam habuerũt Carmelitæ pro regula, vita, opera, & facta

Eliæ, ut explicat citatus *Ioanne 44. lib. de Inſtitut. Monach. cap. 2. 3. & 4.* & ſic ait Trithemius de laudibus Carmelitarum, cap. 4. *Sancti Patres, qui in monte Carmelo juxta fontem Eliæ ante Chriſti nativitatem habitabant, regulam conſcriptam habuiſſe non legitur; ſed ipſi norma, & regula ſibi fuerant, qui exemplo Eliæ concorditer vivebant.* Trithem.

170. Imò quod Elias regulam conſcriptam ſuis diſcipulis tradiderit, tenet, & docet vir magnus ingenio, & Sapientia Pater Hieronymus de Guevara *ex Sacra Societate IESV, tom. 1. ad cap. 1 Matth. verſ. 1. obſervatione 16. n. 11. fol. 159.* ubi ſic ait: *Non abnuam dicere Eliam, qui prior Religioſorum parens, & vitæ Monaſticæ fuit inſtitutor, nonnullas ſcripſiſſe regulas, quibus vivendi formam uniformem illis Religioſorum Conventibus, qui in Carmelo erecti fuerunt præſcripſiſſe, quod jugi tenore ſacrarum familiarum fundatores, qui illius ſunt veſtigia ſecuti inviolabiliter obſervarunt.* Ita ille docte, ac luculenter. Guevara.

171. Quod maximè confirmari poteſt, quia Elias extitit magnus Doctor, inſigníſque Scriptor. Doctor, ut dixi *Reſolut. 1. q. 3. n. 72.* ait Chriſtus Dominus: *Elias veniet, & reſtituet omnia.* Matth. 17. n. 11. vertit Arabicus, *Elias veniet, & docebit omnia.* Docere omnia elogium Spiritus ſancti. *Ille vos docebit.* Ioan. 14. n. 16. quod de Spiritu ſancto dicitur per eſſentiam, etiam de Elia ſcribitur per participationem, tanquam quod fuerit univerſalis Doctor Synagogæ, & novæ Eccleſiæ Chriſti eſt futurus. Matth. 17. Arabicus.

172. Fuit etiam inſignis Scriptor, ac illuſtriſſimus auctor. Poſt raptum mandavit litteras ad Joram Regem, 2. *Paralip. 21. n. 12.* quibus illi ſignificabat graviſſimas pœnas ob ſua ſcelera, ut ibi multis expendunt Lyranus, Tirinus, Malveda, Cornelius Mariana, Menochius, Salianus *anno* 3148. *n. 5.* & alii multi. Inſuper Origenes *tract. 35. in Matth.* explicans illud Apoſtoli 1. Cor. 19. *Nec oculus vidit, nec auris audivit, neque in cor hominis aſcendit.* Ait ipſe Origenes *Nullo enim regulari libro hoc poſitum invenitur, niſi in ſecretis Eliæ Prophetæ.* In quo denotat, quod Elias ſcripſerit librum *de ſecretis.* Malveda ex ſacra 2. Par. 21. Lyranus. Tirinus. Mavenda. Cornel. Mariana Menoch. Salian. Origenes 1. Cor. 19. Malveda.

Prædicatorum familia *lib. 10. de Antichriſto, cap. 2.* in excurſu de Elia ex multis Rabbinis teſtatur, quod Elias ſcripſerit librum *de ſingularum ætatum Rebus, ac de geſtis ſuis.* Camartus Digniſſimus Generalis Minimorum *de geſtis Eliæ, c. 10. ſect. 2.* etiam refert, quod Elias *de ſuis geſtis ſcripſerit.* Stratonicus Cumarum Epiſcopus in ſuis Collectaneis affirmat Eliam ſcripſiſſe librum *de conſummatione Mundi,* & alios Auctores refert. Fr. Anton. à Matre Dei *in Præludia Iſagogica Sacræ Scripturæ, Prælud. 1. d. b. 7. à n. 135.* Si ergo Elias ſcripſit libros, & maximè de ſuis geſtis, inde maximè probabile fit, quod ſuis filiis Prophetarum regulam, & vivendi modum ſcriptum tradiderit. Camart. Stratonicus. Anton. à Matre Dei.

173. Ex quo colliges, quod noſtra ſacra Religio in tanta varietate temporum, ac diſcurſu tot millium annorum, habuit quinque ſtatus, ut tradunt communiter noſtri Doctores. *Primus ſtatus* à noſtro Sanctiſſimo Parente Elia uſque ad Chriſtum Dominum, & ſacros Apoſtolos. *Secundus* ab Apoſtolis uſque ad Joannem 44. *Tertius* à prædicto Ioanne uſque ad Aymericum. *Quartus* ab Aymerico uſque ad Albertum. *Quintus* ab Alberto uſque ad præſens tempus.

174. Crede mihi Amice Lector quod hæc dixi non tenaci, & contentioſo animo, ſed quantum capio, quantum ſapio; & hunc Tractatum oſtendi Viris doctiſſimis extraneis à noſtra Religione, & in Regia Conimbricenſi Academia publicè ſaciæ Theologiæ Profeſſoribus, qui maximè illum approbaverunt, etiam me abſente, & tanquam uno ore mihi dixerunt, quod his unum deerat, ut integro, ac ſincero animo legerentur.

De Magno Elia.

Vide etiam *Opuſculum ſecundum, Reſol. 33. per quatuor quæſtiones.*

De Tertiariis Carmelitanis.

Vide *Opuſculum 2. Reſolut. 38. per ſex quæſtiones.*

OPUSCULUM IV.

IMMACULATA CONCEPTIO

SANCTISSIMÆ, AC PURISSIMÆ VIRGINIS Mariæ, abſque ulla labe peccati Originalis. In quo Sacro Myſterio oſtenditur abundantiſſimè reſplendeſcere omnia, quæ ad fidei definitionem requiruntur.

Ad revelationem factam B. Brigittæ, quæ habetur libro ſexto ejus revelationum capite quinquageſimo quinto.

SUÆ ſervæ Brigittæ, ſic loquitur Dei Mater. Quando pater meus, & matet mea matrimonialiter convenerunt, plus fecit hoc obedientia, quam voluntas, & plus operata eſt charitas divina, quam voluptas carnis. Nam hora, in qua ego concepta fui, bene poteſt vocari aurea hora, & pretioſa, quia alii conjuges conveniunt ex voluptate carnali, mei verò parentes convenerunt ex obedientia, & præcepto Dei, bene ergo aurea hora fuit conceptio mea: nam tunc incepit principium ſalutis omnium, & tenebræ quaſi feſtinabant in lucem. Deus namque ſingulare quoddam, & à ſæculo abſconditum facere voluit in opere ſuo, quemadmodum facit in virga arida floreſcente. Sed ſcito, quod conceptio mea non omnibus nota fuit, quia voluit Deus, quod ſicut ante legem ſcriptam præceſſit lex naturalis, & electio voluntaria boni, & mali, & poſtea veniret lex ſcripta, quæ cohiberet omnes inordinatos motus. Sic placuit Deo, quod amici ſui piè dubitarent de conceptione mea, & quilibet oſtenderet zelum ſuum, donec veritas clareſceret in tempore præordinato.

Præfatiuncula.

Eccleſ. 1. Ait Sapiens Eccleſiaſt. 1. n. 7. *Unde exeunt flumina revertuntur.* Exiguus fons noſtrorum laborum per novem Tomos diſperſus ô Sanctiſſima Virgo, ſub tuo patrocinio, tutela ac invocatione exiit in lucem, maximè exordium ſumens à tua puriſima, ac immaculata Conceptione in noſtro primo Tomo; ad tantum ergo myſterium revertamur; inde dicam cum tuo devoriſſimo Idiota libro 5 *O utinam Beatiſſima Virgo calamus meus circa te ſemper in circulo verſetur, ut à te incipiat de te tranſcribat, & in te terminetur, ac finiatur.* Et faciat Deus, ut nec mea mens, nec ratio aliud cogitet, niſi te, nec calamus aliud ſcribat, niſi de te, nec manus aliud intendat, niſi circa te, omnéſque vires meæ ad tuum obſequium applicentur, & maximè ad magnum myſterium tuæ puriſſimæ Conceptionis celebrandum, de quo jam multa variis in locis videnda dixi *tom. 1. in Evangelia, lib. 1. cap. 3. q. 1. & 2. per totum.*

Tomo 3. cap. 16 quæſt. 23. n. 15. & cap. 29. quæſt. 9. n. 65.

Tomo 5 lib. 8. c. 21. q. 10. n. 16. & quæſt. 12. n. 85. 86.

Tomo 6. c. 1. Matt. q. 10. n. 46. 47. 48. & Luc. cap. 1. q. 11. n. 48. 49. 50. 51. & ſeqq.

Tomo 1. in Apocalypſ. c. 2. q. 25. n. 192. 193. & cap. 3. q. 19. & cap. 7. q. 29. n. 246.

Tomo 2. in Apocalypſ. cap. 12. q. 9. n. 74. & q. 14. n. 113. 114. 115. & 116. & q. 16. n. 135. & q. 80. n. 670. 671. 672. 673 & q. 44. n. 347. 348.

Nunc verò ad tantum Myſterium explicandum propono in præſenti hanc revelationem factam B. Brigittæ.

QUÆSTIO I.

Hæc revelatio eſt magnæ auctoritatis, & maximè veneranda.

1. PVra, & immaculata Conceptio Sanctiſſimæ Virginis Mariæ multoties fuit revelata B. Brigittæ, ut conſtat ex præſenti revelatione, & ex alia, quæ refertur *lib. 1. illius revelation.* & ex alia, & clarius *lib. 5. revelation. ad finem* ubi ſic ei dicitur: *Maria de radice Adæ proceſſit, & de peccatoribus nata eſt, licet ſine peccato concepta, ut filius Dei de ea ſine peccato naſceretur,* & clarius *lib. 6. cap. 49.* ubi Sanctiſſima Virgo alloquens cum Beata Brigitta hæc verba protulit. *Veritas eſt, quod ego concepta fui ſine peccato Originali, & non in peccato.* Hæ revelationes valdè graviſſimæ ſunt, & ad firmandam veritatem de puriſſima Conceptione ſufficientiſſimæ. *Multiplex revelatio.*

2. Contra hæc opponit Caietan. *tom. 2. Opuſc. tract. 31. c. 5.* affirmans, quod licet revelatum ſit B. Brigittæ Mariam originale peccatum non contraxiſſe, tamen contrarium fuiſſe re-

velatum Sanctæ Catherinæ Seneſi, quam didici fide digniorem eſſe cenſendam; quippe B Catharina canonizata eſt, ſicut cæteri Sancti; B. verò Brigittam in numerum Sanctorum fuiſſe relatam tempore Schiſmatis, quo nullus habebatur certus Pontifex.

5. Hæc doctrina Caietani in nullo ſuo dicto ſubſiſtit: nam Bonifacius IX. legitimus Petri ſucceſſor Sanctam Brigittam in Sanctorum numerum retulit: nam Petrus Luna, qui contra Bonifacium Anenione inſurrexerat Pontifex adulterius, & dictus fuerat Benedictus Decimus Tertius, depoſitus fuit à ſuo fictitio Pontificatu, & illud renuntiavit, ut conſtat ex Concilio Conſtantienſi *ſeſſ.* 37. de quo nullus Catholicus poteſt dubitare, ſcilicet de Pontificatu Bonifacij, de quo D. Antonin. *3. p. tit. 22. c. 5. §. Secundo.* Ambroſius Catharin. Dominic. *Opuſculo de Concept. lib. 4. in Annotatione contra Caietan. longè poſt modium.* Ioannes Pineda *in Monarchia Eccleſiaſtica, tom. 3. lib. 23. c. 14. §. 3.* Platina *in vita ipſius Bonifacij*, de quo latiùs Anton. Corduba *lib. 1. quæſtion. q 43. Probatione ſextæ concluſ.*

Conc. Conſt. D Anton. Catharin. Pineda. Platina. Corduba.

4. Deinde S. Brigitta non ſolùm fuit canonizata à Bonifacio IX. ſed etiam à Martino V. ut conſtat ex ſuis Bullis, quæ habentur in limine libri prædictarum revelationem. Et tota Eccleſia Catholica B. Brigittam veneratur ut Sanctam canonizatam, ut conſtat ex Martyrol. Romano die 23. Iulii: ut ibidem notarunt Cardinalis Baron. & Molianus eodem die. Surius *tom. 4.* & Cæremoniale Roman. *lib. 1. ſect. 6. cap. 2.*

Bonifac. Martin. Martyrol. Baron. Molian. Surius. Cæremon.

5. Secundum dictum Caietani faciè, & graviter refellunt Suar. *to 2. ad 3. p. diſp. 3. ſect. 5.* Lezana *de Concept. cap. 14. §. Ex qua doctrina.* Vaſquez *tom. 2. in 3. part diſp. 117. c 6.* Ægid. Luſit. Pinto, Ramires, & alii: nam id, quod dicit de revelatione facta B. Catharinæ Senenſi; quod Beatiſſima Virgo fuerit concepta in peccato Originali, falſa, & fictitia eſt talis revelatio, quia nec Stephanus Carthuſienſis, nec Frater Thomas Senenſis imò & Sanctus Antonius, qui vitam Sanctæ Catharinæ ſcripſerunt de tali revelatione, ullam faciunt mentionem, & Caietanus floruit poſt mortem Beatæ Catharinæ, pluſquam centū quinquaginta annis, & inde non appret une Cajetanus habuerit documentum talis revelationis, *& de non apparentibus, ac non exiſtentibus idem eſt judicium*, ut eſt commune axioma, & cum non appareat tale documentum de revelatione ſanctæ Catharinæ, idem eſt, ac ſi non extitiſſet.

Suar z. Vaſquez. Lezana. Stephan. Carthuſ. Thom Sen. D. Anton. Axioma.

6. Eteſto ac non conceſſo, quod aliquod documentum circa revelationem B. Catharinæ daretur; tamen revelatio B. Brigittæ multo majoris eſt auctoritatis, & ut verior veneranda eſt quia revelationes huius Sanctæ mulieris, magno applauſu, ac communi Eccleſiæ calculo & ſapientum judicio ſunt approbatæ, ut non à torvo ſpiritu contradici valeant quia hujuſmodi revelationes non ſemel, aut bis, ſed iterum, atque iterum valdè maturè examinatæ ſunt. Primò, à Concilio Baſileenſi, à quo Cardinalis Turrecremata cum aliis ad hoc examen eſt deſignatus, Deinde Summorum Pontificum Gregorii XI. & Vrbani VI. mandato, harum revelationum examen multis Cardinalibus. Epiſcopus, viriſque doctiſſimis commiſſum fuit, & totum approbatum. Tandem poſt hæc omnia in canonizatione huius Sanctæ à Bonifacio IX. à Martino V. approbatæ ſunt hæ revelationes, ut conſtat ex Bullis, quæ in limine libri revelationum habentur, & ibidem omnia ſupra citata refert Cardinalis Turrecrementa, ad initium harum revelationem.

Concil. Baſileenſ. Gregor. Vrban. Bonifac. Martin. Turrecrem.

Quæstio II.

Sancti Ioachimus, & Anna conveniunt ad conceptionem Virginis Mariæ, non ex carnali concupiſcentia, ſed ex Dei mandato.

7. SIc in præſenti revelatione alloquitur Sanctiſſima Deipara cum B. Brigitta. *Quando Pater meus, & mater mea matrimonialiter convenerunt, plus fecit hoc obedientia, quam voluptas, & plus operata eſt ibi charitas divina, quam voluptas carnis.* Cum jam valde vetuli in ſenili, ac ſterili ætate eſſent SS. Ioachimus, & Anna abſque liberis; tunc Ioachimo apparet Angelus, & Dei iuſſu præcipiens congreſſum cum ſua vxore Anna, denuntians filiam naſcituram nomine Mariam, quæ deſtinabatur Salvatoris Iesu mater, ita etiam iterum revelatum fuit B. Brigittæ, ut habetur *lib. 1. Revelat. c. 9.* ubi dicitur, quod Parentes Deiparæ *ex verbo Angeli nuntiantis, convenerunt carne, non ex concupiſcentia aliqua voluptatis.* Idem tradunt German. Conſtantinop. *in encomiis B. Virg.* & Fulgibert. Epiſc. Carnotenſis *de Nativitat. Virg.* & D. Hieron. *de Nativitate Maria.* Et indemeritò ait D. Damaſc. Orat. 1. de Nativitate Virg. *Ioachimus, & Anna, tanquam ſpirituales montes dulcedinem diſtillaverunt.* Dicitur in Pſalmo Deipara 88. n. 5. *Fundamenta ejus in montibus Sanctis*, nempe in his montibus diſtillantibus dulcedinem Mariæ.

S. Brigitta. Germin. Fulgibert. D. Hieron. Ioachimus, & Anna ſpirituales montes. Pſalm 88.

8. Divino, & ſupremo conſilio factum eſt, ut Ioachimus, & Anna jam in effœta ſenectute Sanctiſſimam Virginem generarent feliciſſime, quo puriſſimam Dei matrem mundius efformarent. quod Sanctus Petrus Chryſologus his verbis elegantiſſimè ediſſerit *Partus non ablatus eſt, ſed dilatus, donec tranſiret tempus carnis, paſſio corporis, voluptatis cauſas, cuncta ditatis ſenſus, & totum, quod humanam confundit, gravat, & onerat conſcientiam*; ſcilicet, non libidinis eſt, quod Maria concipiatur, ſed altiſſimæ providentiæ, quæ Mariæ puritati adjungi'at, ut ejus conceptio è ſterili vulua, & exhauſta ſenecta, opus ſit potius gratiæ, quã naturæ, ſitque citius devotionis negotium, orationiſque officium, quam cupiditatis ſenſus Idem docent D. Damaſcenus *Orat. 1. de nativitate Virginis.* D. Hieron. *citatus.* D. Arnoldus Carnotenſis *de laudibus Mariæ Virg.* Hoc poſtulabat eximia puritas Mariæ, ut non ex concupiſcentia carnis, ſed ex gratiæ privilegio naſceretur. Ipſa enim multo melior eſt Eva, quæ ex Adami coſta dormientis ac in contemplationem elevati fuit procreata, ergo etiam conveniens erat, ut Maria

Chryſol. *Virgo Mariæ non ex concupiſcentia carnis, ſed ex obedientia progigni'ur.* D. Damaſc. D. Hieron. D. Arnold.

pro

progigneretur à Parentibus in oratione, contemplatione, & devotione toti intentis.

9. Cantic. 3. *Cantic. 3. n. 16.* dicitur: *Quæ est ista, quæ ascendit per desertum, sicut virgula fumi ex aromatibus, myrrhæ, & thuris.* Virgula hæc Sanctissima est Virgo Maria, quæ fumo gratiarũ odorifero totum replevit orbem, sed una exurgit, ac ascendit, non à parentibus, sed à myrrha, ac thure exurgit, ac ascendit. Quid habent myrrha, ac thus in se ad tam sublimem generationem, ac ascensionem? Myrrha significat continentiam, seu ut multis placet, obedientiam, quæ compungit, ac coarctat carnem; thus vero orationis devotionem indicat. Ascendit ergo B. Virgo in sua Conceptione, non à cupiditate carnis; & sanguinis, sed ab affectu obedientiæ, continentiæ, ac orationis, quia in ea nihil ex appetitu carnis, sed totum ex cœlesti influxu dabatur. Petr. Damian. *serm. de Assumpt.* adducens præfata Cantic. verba sic ait: *In myrrha continentiam, in thure devotionem intellige. Hæc duo sunt, quæ virginalem substantiam totam circumdedere virtute, continentia scilicet, & contemplatione.* Intellige *alterum carnem, alterum mentem, ita possidet, ut caro mundissima, mens purissima Genitricem Domini singularius consecrarent.* Ascendit Virgo ex aromatibus myrrhæ, & thuris, ut tota spiritu absque carne, & sanguine esset Deo consecrata, & de his multa in toto hoc tractatu.

Maria progignitur ex oratione, ac contemplatione.

Damian.

10. Leo Aug. In laudem horum Parentum Sanctiss. Virg. Mariæ duo adnotabo, unum, quod scribit Leo Augustus *Orat. 2. in Sanct. Mariæ Præsentat.* & ait: *Eiusmodi aliquid molitur, benignus ille, ac clemens Deus: videtúrque puellam dare Ioachim, ac Annæ: & accepit genus ipsum humanum, ut non desit, quod Deo volenti à nobis accipere, demus munus.* In Conceptione hujus Sanctissimæ puellæ, inter cætera quid Glorioſissimus, Benignus, ac Clementissimus Deus molitur. Et quodnam est hujus divinæ liberalitatis arbitrium? scilicet ut videatur puella Deipara concepta, & nata parentibus data. *Et accepit genus ipsum humanum, ut non desit, quod Deo volenti à nobis accipere, demus munus.* Deus jam incœperat fastidire antiquæ legis munera, *Holocausta non delectaberis.* Ps. 50. n. 18. Pauperrimo mundo, & inopi rerum naturæ, felici conceptu Deus Deiparam puellam donat, ut jam mundus aliquid Deo dignum, & maximè Deo placens, ipsi datori Deo redonet, quod totum mundus à parentibus Ioachimo, & Anna accepit; unde cum sic loquitur citatus Leo Augustus: *At ô vos, qui munus hoc locupletissimum ad nos devexistis, qui & ea gratia, quam primi accepistis, dedistisque universis locupletiores facti estis. O beatum ærarium, ex quo illud prodiit.* Expende illud *universis locupletiores facti estis.* Cum nobis Sacratissimam Deiparam dedistis, quæ de se ait, Prov. 8. n. 18. *Mecum sunt divitiæ, & gloria, opes superbæ;* seu ut alii legunt; *A me sunt divitiæ, & gloria,* quæ omnia emanant ab illa.

Ioachimus, & Anna dant mundo gratum munus ad offerendum.

Psalm. 50.

Proverb. 8.

11. Secundò. Joachimus, & Anna partes sunt Deiparæ Mariæ, ac avi D. Jesu Christi; unde Iochimus, & Anna nomine Mariæ, ac Christi valent insigniri, nobilitari, ut dixi. Abimelech Geraræorum Rex ait ad Abrahã, Deus tecum est in universis, quæ agis. *Iura ergo mihi per Deum, ne noceas mihi, & posteris meis, stirpique meæ.* Gen. 21. n. 23. Chald. legit. *Ne noceas mihi, & filio meo, & filio filii mei.* Septuag. scribunt. *Ne noceas nomini meo.* Ecce filius, & nepos dicitur nomine patris, ac avi. Ecce quodãmodo Deiparæ, & Christus Ioachimi, & Annæ nomen, ecce quam augustum nomen à filia, ac nepote fœnerant. Uterque Christi Avus, inde quodammodo alteruter Christi Avus Iesus, id est, salus dicitur, & uterque propemodum Christus nominatur juxta Septuaginta. *Ne noceas filio filii mei,* id est, *ne noceas nomini meo.* Ecce quomodo filiorum, ac nepotum claritas in parentes, & Avos reverberat quod dicit Chrysolog. serm. 6. *Honor geniti, genitoris honor est: perfectio geniti, generantis forma est.*

Chaldæus.

Septuag.

Ioachimus, & Anna à Christo nomẽ habent.

D. Chrysol.

Quæstio III.

Dum corpus Beatissimæ Virginis Mariæ in utero Sanctæ Annæ efformatur Angeli præstant illi obsequium.

12. Angeli per totum vitæ decursum Sanctiss. Virgini obsequium ministrarunt, quod etiam in sua Conceptione non defuisse credo, imò ab ipsa pura Conceptione suum famulatum incœpuisse dicam; ut affirmat Arnoldus Carnotensis *lib. de laudibus Virginis,* dicens: *Obsequium Angelorum patet fuisse ab ejus Conceptione.* Angeli ex visceribus S. Annæ puriorem, & magis defœcatum sanguinem coagularunt, & ex quatuor elementis meliorem, ac excellentiorem portionem adduxerunt, aptioréque cœlestes influentias convocatũ, ut aptissimè, ac proportionatissimè corpus Deiparæ in sua Conceptione organizaretur, ac efformaretur: nam ut ait citatus Arnoldus. *Nullum gratiæ privilegiũ negatum est matri,* scilicet Dei, ergo ab hoc privilegio non est defraudata, cum aliis fuerit concessum.

Arnoldus.

Virginis corpus organizatur interveniente Angelorum obsequio.

13. S. Thom. Ad hanc cogitationem me adducit Angelicus Doctor, 1. *part. q. 2. art. 2.* dum docet, tanquam valdè probabile, quod in creatione Adami Angeli supremæ Dei majestati inservierunt, pulverem, ac lutum sanctissimis ejus manibus ministrantes ad illius corporis formationem, sic ait Sanctus Doctor: *Potuit fieri, ut aliquod ministerium in formatione corporis primi hominis Angeli exhiberent.*

14. Genes. 18. Genes. 19. Abulens. Lyranus. Venerunt tres Angeli ad Abrahã *Genes. 18. n. 2.* & tamen solum duo ad Sodomam transierunt. *Genes. 19 n. 1.* Unde colligunt Abulensis, Lyranus, & alii cõmuniter, quod tertius Angelus mansit cum Abrahamo, profecti sunt in Sodomam, inde Hebræi addunt, quod mansit iste Angelus ad fovenda, ac adjuvanda viscera sterilis Saræ, ad concipiendum filium Isaac, quẽ illi promiserat, ac proinde usque ad conceptũ Angelus ibi invisibiliter perseveravit, ergo multo à fortiori Angeli obsequium exhibuerunt ad efformandum Virginis corpus.

15. Incognit. D. Ambr. Ait Regius Vates de manna cadente de cœlo Psalm. 77. n. 25. *Panem Angelorum manducavit homo.* Hoc est iuxta communem sententiam teste nostro Incognito, panẽ Angelorũ manibus confactũ, ac compositum, & ad hoc fortè respexit D. Ambr. agens de Sanctissima Deipara *serm. 3. in Psal. 21.* dicens: *Mariam Manna dixerim veluti cœlitus veniens,*

Virgo Maria veluti manna de cœlo.

Mariam appellat manna, tanquam è manibus Angelorum è cœlo venientem, fabricatum, ac compoſitum.

16. Tanquam ſtrenui, ac vigilantes milites aſtiterunt Angeli in organizatione huius Divini Corpuſculi Deiparæ, ne diabolus haberet ingreſſum ad illud in infuſione Animæ aliqua peccati macula inficiendum. Hanc cogitationem firmat D. Anſelmus lib. de excellen. Virg. & ait. *Nec dubium ſanctiſſimum corpus, & ſanctiſſimam animam*: Bene ſciebat ſanctus Pater, quod tantum Anima ſit peccati ſubjectum, tamen ita loquitur, ut innuat ſe agere de illo inſtanti, in quo anima infunditur corpori, inde de corpore facit mentionem addens *funditus*, quod verbum importat excluſionem totius peccati in omni tempore; cujus defenſionem explicat. *Angelorum cuſtodia fuiſſe protectam*, qui tanquam optimi Clientes advolant ad defenſionem ſuæ ſupremæ Reginæ.

D. Anſelm.

Angeli advolarunt ad cuſtodiendã virginem ab omni peccato.

QUÆSTIO IV.

Hora, in qua concepta fuit ſanctiſſima Virgo Maria rectè dicitur hora aurea, & prectoſa.

17. SIc in præcitata revelatione loquitur ſanctiſſima virgo cum ſua ſerva B. Brigitta, *Hora, in qua ego concepta fui, bene poteſt vocari aurea hora, & pretioſa*: & ſtatim: *Bene ergo aurea hora fuit Conceptio mea, nam tunc incapit lux omnium, & tenebræ, quaſi feſtinabant ad lucem.* Valde pretioſa, & ſupremæ æſtimationis extitit hæc hora aurea, & in hoc ſenſu dicuntur *murenelæ aureæ* ſponſæ Cantic. 1. n. 10. Extitit hora aurea omnium gratiarum, ac indulgentiarum. *Aurea virga Aſſueri.* Eſther. 15. num. 15. Hora aurea, utpote fulgens ſplendore omnium virtutum. *Lamina aurea in capite ſacerdotis.* Exod. 28. n. 36. Hora aurea ad cuſtodiendam omnem juſtitiam, & ſanctitatem, *Zona aurea ad mamillas* Apocal. 1. num. 13. Hora aurea ad defenſionem totius Orbis, *Reclinatorium aureum.* Cantic. 3. num. 10. Hora aurea oſtendens viam in cœlum. *Platea civitatis aurum mundum.* Apocal. 21. num. 21.

Brigitta.

Cantic. 1.

Eſter. 15.

Exod. 28.

Apoc. 1.

Cantic. 3.

Apocal. 21.

18. Recte de hac die Conceptionis Virginis dicam, id quod Petrus Bleſenſis dixit epiſtola 14. ubi Mariam vocat *Imperialem diem* tanquam ſplendoris primatum tenentem & reliquorum principatum. Vnde per belle Angelus del Paz *lib. 2. in Luc. cap. 28 de die Concep.* ſic loquitur. *Qua autẽ feſtivitas, huic præponenda eſt, ex qua, & per quam omnium aliarum feſtivitatem eſt exorta devotio.* Hæc dies eſt principium, ac Origo omnium ſolemnitatum noſtræ fidei, ergo nulla dies illi proponenda, nec adæquanda. Explicans ſcriptor Canonicus, primam totius Orbis fabricam & fulgentiſſimæ lucis productionem enarrans, ſubdit *Factum eſt veſpere (& mane dies unus.* Gen. 1. n. 5 Ex quo inſurgit difficultas, cur hic dies dicitur unus, & non potius primus, ut iam alibi notavi, conſequens dies dicatur ſecundus, ut clare patet ex Tex. ibidem num. 8 *Factum eſt veſpere, & mane dies ſecundus.* Ergo antecedens dies primus erat dicendus, nam ſecundus ſupponit primum, cur ergo ille non dicitur primus, ſed unus, ſeu unicus rationem præclare nobis dat D. Amboſ. *lib. 2. Hexaemer. cap. 1. &* ait: *Excipiendus à cæteris tanquam dies unus, non conferendus cum cæteris, tanquam dies primus eſt: unde fundamenta rerum omnium poſita, & cauſa eſſe cæperunt, quibus mundi hujus, atque univerſa viſibilis creaturæ fulta ſubſtantia eſt.* Dies, in quo totius Orbis machina exorditur, non vocandus primus, etſi revera primus ſit, ſed unus, ſeu unicus, non enim computandus eſt cum aliis, cum ſit cæteris excellentior; ut hanc ergo ejus excellentiam ſcriptor declaret, tanquam à Cæteris ſeparans; non primum dicit, quia tunc cum cæteris ſecundo, & tertio erat annumerandus, ſed unum, ſeu unicum, & ſingularem appellat, ad majorem ejus nobilitatem indicandam, à quo cætera omnia habuerunt principium; ex quo liquet, quam ſolemniſſima ſit iſta aurea dies conceptionis Virg. Mariæ, ab illa enim tanquam à radice, ac fundamento emanarunt omnes feſtivitates, ac ſolemnitates omnium myſteriorum noſtræ fidei.

Angelus de Paz.

Feſtivitas conceptionis omnium ſuprema.

Gen. 1.

D. Ambroſ.

19. Hæc aurea dies Conceptionis Virginis valde feſtiva extitit, Angelis ubi primum ipſa concepta eſt ait D. Vicentius Ferreira ſermon. de nativit. *Statim Angeli in Cœlo fecerunt feſtum Conceptionis.* Et Angelus in ſermone, quem habuit cum B. Brigittæ cap. 4. loquens cum ſanctiſſima Deipara ſic ait: *Et tu ô virgo ſanctiſſima, Angelis ut creati fuerunt, gaudium fuiſti.* Angeli in illo inſtanti, in quo fuerunt viatores, fidem Chriſti habuerunt, eumque ut ſuum glorificatorem adorantes agnoverunt; ſicque de ipſa ſua ſanctiſſima Matre notitiam habuerunt, eamque ut eorum Reginam venerati ſunt; gaudentes de tanto ſanctitatis ſplendore; ſi cum tot ante ſæcula eam objective agnoſcentes, ita lætitia exultarunt Angeli, quale eſſet eorum gaudium, cum eam jam actualiter vidiſſent conceptam, ac efformatam in utero Matris. Ait Chriſtus D. Luc. 15. num. 10. *Dico vobis gaudium erit coram Angelis Dei ſuper uno peccatore pœnitentiam agente.* Quanto magis in hac die gaudium fuiſſet ſanctis Angelis Dei, cum illa concipiebatur, per quam peccatores ad pœnitentiam vocabantur, & per quam ſalus omnibus aperiebatur.

D. Vincent.

Hæc dies feſtiva Angelis.

B. Brigitta.

Luc. 15.

20. Valde feſtivus extitit hic dies Conceptionis ipſi Deo, ait Paulus 2. Corinth. 8. n. 9. *Scitis gratiam Domini noſtri IESV CHRISTI.* Quæ verba explicat ibi D. Thomas Lect. 2. *Scitis gratiam, quam quidem humano generi contulit.* Et in rem noſtram Lectio Græca ſic habet: *Scitis feſtivitatẽ Domini noſtri IESV CHRISI.* Feſtivitas Domini noſtri Iesu, ut gratiam conferret humano generi. Præcipiebat Deus certa dona præparari, *quæ offerat is in diebus feſtis meis.* Numer. 28. ut legit Origenes homil. 23. in numer. *Habet ergo Deus dies feſtos ſuos. Eſt enim ei humana ſalus dies feſtus.* Dies hæc Conceptionis valde feſtiva Deo, dum Maria præſervatur à peccato; dumque Maria concipitur, per quam ſalutis gratia diffundenda

2 Corinth. 8.

D. Thom.

Græcus.

Numer. 28.

Origenes.

Dies feſtus.

Dei ſanctificatio noſtra.

denda erat in omnes. Ingreſſus Angelus ad
Luc. 1. virginem Mariam ait: *Ave gratia plena.* Luc. 1.
n. 28. quia ex plenitudine ejus ſuperabundanti nos omnes accipimus. Richard. lib. 1. de
Richard. laudibus Virg. cap. 4. *Bene ergo dicta eſt gratia plena, & in tantum plena, ut ex tuo redundante totus hauriat mundus.*

21. Ad fores divinæ ſponſæ pulſat divinus ſponſus Chriſtus D. dicens, *Aperi mihi ſoror mea, amica mea, columba mea, immaculata mea, quia caput meum plenum eſt rore, & cincinni mei*
Cantic. 5. *guttis noctium.* Cantic. 5. num. 2. Inſtanter pulſat oſtium divinus ſponſus, ut ei ſponſa aperuit, & quamnam rationem ad hoc interponit? An ut ejus præſentia gaudeat, ejus colloquiis fruatur, & cum ipſa habitans commoretur? minime, ſed tantùm hoc proponit,
D. Ambroſ. Richard. Rupertus *quia caput meum plenum eſt rore, & cincinni mei guttis noctium.* D. Ambroſ. lib. 3. de Virg. Richardus, Rupertus, per rorem, & guttas intelligunt divina dona, ac cœleſtes gratias; inde divinus ſponſus poſtulat, & inſtat, ad
Maria virgo gratiarum diſpenſatrix. oſtium ſanctiſſimæ Virg. Mariæ, ut aperiat, ut illam gratiarum, ac donorum affluentiam, tanquam eorum diſpenſatrix per univerſum genus humanum dividat, ac diſtribuat, ut ait D. Anſelmus, *Totum nos Deus voluit habere per manus Mariæ.*

QUÆSTIO V.

Summam puritatem Virg. Mariæ in ſua Immaculata conceptione apertiſſime nobis divinus ſpiritus declarat in ſcriptura multis in locis.

22. AD hoc tantum myſterium, quod incipimus explicare, ipſa ſanctiſſima virgo nobis ducatum præbeat, & viam oſtendat. Mittens Chriſtus D. ſuos Apoſtolos ad prædicandum per totum orbem, *Præcepit eis, ne*
Marc. 6. *quid portarent in via niſi virgam.* Marc. 6. n. 8. & quænam eſt hæc virga, quæ tantum portari mandatur? eſt illa, de qua loquitur
Iſai. 11. Iſaias 11. num. 1. *Egredietur virga de radice Ieſſe.* Quæ à Doctoribus ſemper pottanda eſt, ad veram ſapientiæ illuminationem. Richardus de ſancto Laurent. lib. 12. de laudibus
Maria ducatum præbet Doctoribus. Virg. ſic ait: *Maria eſt via prædicationis, ac doctrinæ, quæ ſola datur prædicatoribus, ac*
Richardus. *Doctoribus ad portandam in via: qui enim habere poſſet hanc virgam comitem non deeſſet ei gratia, non doctrina, vel aliquid neceſſarium.* Adſit nobis hæc divina virga ad dirigendum in præſenti.

23. De ſanctiſſima Virgine Maria, ait divinus
Cantic. 4. ſponſus Cantic. 4. num. 7. *Tota pulchra es amica mea, & macula non eſt in te.* Illa vocula *tota* propoſitio univerſalis eſt, & dicit omnimodam gratiæ pulchritudinem, & omnem
Idiota. fœditatem peccati excludit Doctiſſimus Idiota. De Beata Maria cap. 2. ſic ſcribit: *Tota pulchra es virgo glorioſſima, non in parte, ſed in toto: & macula peccati ſive mortalis, ſive venialis, ſive originalis, non eſt in te, nec unquam fuit, nec erit.* Ergo Deipara totaliter pulchra, & nulla exparte maculata eſt. Eccleſia per Mariam Virginem, ſeu ad ejus ſimilitudinem eſt compoſita, ac efformata, D. Ildelphonſus ſerm. 2. de Nativit. Virg. *Ad*
D. Ildelph. *vicem Matris ejus*, ait, *mater noſtra Eccleſia conſtruitur.* Albertus Mag. ſuper Miſſus eſt,
Albertus. ait: *Supremus artifex per matrem ſuam, Eccleſiam matrem noſtram fabricavit.* Et Petrus
Damian. Damian, homil. de S. Ioan. ait *De Maria prodiiſſe videtur Eccleſia.* Nam ſanctiſſima Deipara juxta communiorem ſententiam Theologorum, in quodam ſigno priori ſimul cum Chriſto fuit prædeſtinata, ante aliorum electorum prædeſtinationem, ex quibus Eccleſia conſtruitur. Tunc ſupremus artifex ad ſimilitudinem, & exemplar ſuæ matris Mariæ Eccleſiam compoſuit, & effigiavit; atqui de
Epheſ. 5. Eccleſia ait D. Paulus ad Epheſ. 5. nu. 27. loquens de Chriſto D. cum Eccleſiam efformaret; *Semetipſum tradidit pro ea, ut ſibi exhiberet ipſe Eccleſiam gloriоſam non habentem maculam, neque rugam ſed ut ſit ſancta, & im-*
Cum Eccleſia ſit macula, ſic ſit ſine macula. *maculata.* Vt Eccleſia correſpondeat ſuo exemplari, ſi Eccleſia non habet maculam, nec rugam, nec etiam ſanctiſſima Deipara; etſi Deipara habet maculam, etiam Eccleſia illa inficitur; hoc ſecundum negat Apoſtolus, ergo & primum negandum eſt: ſi ergo ex ſponſo Chriſto colligitur, quod Eccleſia ſit immaculata, idem colligendum eſt de filio
D. Thom. Jesu, per reſpectum ad matrem; nam ex ipſo divino ſponſo tota puritas deſumitur. D. Thom. ad Epheſ. *Indecens erat, ut immaculatus ſponſus ſponſam duceret maculatam, & ideo exhibet eam ſibi immaculatam per gratiam.*

24. Loquens Chriſtus D. cum Beata Deipara
D. Bernard. Rupert. Eccleſia. Cantic. 5. juxta D. Bernad. *homil.* 4. ſuper Miſſus, Rupertum, & alios, eam appellat *amica mea, columba mea, immaculata mea.* Cantic. 5. num. 2. Purum, & immaculatum juxta D.
D. Thomas. Thomam 2. 2. *quæſt.* 106. intelligitur per receſſum à contrario. Ergo cum virgo dicitur immaculata, exponendum per receſſum à contrario, ſeu macula, explicans prædicta verba Anſbertus Abbas ad Cantic. 4, *Pulchra es*
Ansbert. *amica mea, & macula non eſt in te, nec viciſſitudinis obumbratio.* Expende verba Magni Abbatis, quod virgo Maria ita ſit immaculata, ut nulla ſit in ea *viciſſitudinis obumbratio.* Ut Apoſtolus Iacobus explicet ſummum Dei
Iacob. 1. ſplendorem ait cap. 1. num. 27. *Deſcendens à Patre luminum apud quem non eſt tranſmutatio, nec viciſſitudinis obumbratio.* Quibus verbis, ut ibi advertunt expoſitores, denotatur diſcrimen inter noſtrum ſolem terrenum, qui eſt fons noſtri luminis; ac Deum Patrem luminum; nam ille terrenus mutationis ſubit vices, & nunc ſplendet, & nunc obſcuratur terræ, aut lunæ oppoſitus; unde nocturnæ umbræ, ac diurnæ eclypſes exiſtunt; & ſemper ſuo curſu aliquando illuceſcit, aliquando tenebreſcit; At Æternus Pater luminum ſemper ſupremo ſplendore fulget, ut in eo nulla
In Dei patre nulla fuit viciſſitudinis obumbratio. ſit tranſmutatio ad tenebras, nec *viciſſitudinis obumbratio*, aut ad terrenæ labis objectu, aut de alicujus caligine eclypſis; ſic de ſanctiſſ. Deipara ait Ansbertus, quod *macula non eſt in te, nec viciſſitudinis obumbratio:* tanto divini ſpiritus ſplendore fulget, ut alicujus alternæ humanitus obumbrationis nullam ſenſerit injuriam, tantoque plenæ pulchritu-

dinis nitore irradiat abſque ullo umbrarum nævo, & obſcurationis viciſſitudine, ut à tenebroſa primævæ culpæ fœditate omnino aliena extiterit.

25. Eccleſi. 1. Tertiò. Ait Siracides Eccleſiaſt. 1. num. 9. *Ipſe creavit illam in Spiritu ſancto, & vidit, & dinumeravit, & menſus eſt*; quæ verba, licet magna pars Expoſitorum, de Filio Dei intelligant; Tamen Richardus de ſanct. Lauren. Richard. D. Bernad. *lib. 2. de laudibus Mariæ part. 5.* D. Bernad. *citand.* & alij de B. Virgine interpretantur, eique magis convenit verbum *creavit illam*, nam filius Dei *non eſt factus, nec creatus, ſed genitus*, ut habetur in Symbolo D. Athanaſij, ex quo inſurgit magna difficultas, quomodo dicitur de ſanctiſſima Deipara: *Ipſe creavit illam in Spiritu ſancto*: Nam omnia dicuntur in filio Dei creata, quæ eſt ſapientia æterna. *In principio creavit Deus cœlum, & terram.* Alia lectio habet: *In filio creavit Deus Cœlum, & terram*; & de ſe ait Chriſtus Dominus, Ioan. 8. numero 25. *Principium, & qui loquor vobis.* Et Apoſtolus ad Coloſſenſ. 1. num. 16. *Omnia per ipſum, & in ipſo creata ſunt.* Vt explicant D. Anguſtinus *lib. 1. de Geneſi ad literam cap. 1.* D. Ambroſ, D. Baſil. *homil. 1. Hexaem.* & D. Thomas ibi in Eccleſiaſt. tanquam per Ideam, & cauſam exemplarem, in ipſo, & per ipſum facta ſunt omnia, cum filius ſit ſapientia Patris. Cur ergo virgo Maria non dicitur Creata in filio, ut de cæteris creaturis aſſeritur. *In filio creavit cœlum, & terram*, ſed aliter de ea habetur, *Ipſe creavit illam in Spiritu ſancto.* Numquid in creatione Virginis filius ceſſit, & eam remiſit Spiritui ſancto? Abſit: vel in ipſa virgine duæ creationes conſiderandæ ſunt? & maximè; eam cum cæteris creaturis in eſſe naturali creavit in filio ſuo, ſecundum ſuam æternam ſapientiam, ut ſimul etiam crearet in Spiritu ſancto ac gratia illius. Perpende verbum, *Vidit, & dinumeravit.* In illo primo ſigno æterniratis, in quo Deus decrevit creare omnia, ſimul *vidit*, quod ſic eam creabat in eſſe naturali, ut futuram Matrem ipſius filij, & pro ſingularitate dignitatis ſingulariter eam creavit ſimul in Spiritu ſancto, ut in primo inſtanti ſuæ creationis eſſet illius gratia plena, & inde ad tantum cumulum meritorum, ut ſolus Deus ſua infinita ſapientia, illa valeat agnoſcere, & dinumerare. D. Bernard. Senenſ. *tom. 2. ſerm. ſerm. 3 cap. 1.* ait: *Tanta fuit perfectio virginis, ut ſoli Deo cognoſcēda reſervetur*, juxta illud Eccleſiaſtic. 1. *Ipſe creavit illam in Spiritu ſancto, & vidit, dinumeravit, & menſus eſt.* Ad hunc locum Eccleſiaſt. alludit Leo Imperator cognomento ſapiens orat 3. ſic loquitur. *Et quis conetur magnitudinem gloriæ tuæ metiri*, ac ſi dicat, *cum ſis totius Omnipotentiæ opus*, Cum Deipara loquitur.

Alia lectio. Ioan. 8. Coloſſen. 1. D. Auguſt. D. Ambroſ. D. Baſil. D. Thom. *Maria tota creata ſt in gratia.* D. Bernad. Leo Imper.

26. Cantic. 6. Malach. 4. Quartò. De ſanct. Deipara decantat Divinus ſponſus, *Electa ut ſol.* Cantic. 6. num. 9. Cur non dicitur electa ut Luna; nam Chriſtus Dominus dicitur Sol. Malach. 4. num. 7. *Orietur Sol juſtitiæ timentibus nomen meum.* Deipara etſi ſanctiſſima, non eſt æqualis filio ſuo, cur ergo non dicitur electa ut Luna, vel ut quid aliud ſole inferius? Profunde conſidera myſterium; magnum intervenit diſcrimen inter ſolis, ac aliarum rerum creationem; nam aliæ res prius fuerunt creatæ in ſua ſubſtantia naturali, & poſtea aſſecutæ ſunt decoris formam, prius habuerunt ſubſtantiam, deinde formam: *In principio creavit Deus cœlum, & terram*; poſtea vero decoris forma eis data eſt: *Germinet terra herbam virentem, facientem ſemen, & lignum pomiferum.* Ibidem n. 11. ſimiliter & quarta die, *Fecit Deus duo luminaria magna, & ſtellas, & poſuit eas in firmamento Cœli.* Ibidem num. 16. At in creatione ſolis aliter ſe res habuit, prius creata fuit forma lucis, deinde eius ſubſtantia: prima die *dixit Deus fiat lux*, & ex ipſa luce, quarta die fabricavit ſolare corpus, ut docent D Baſilius *homil. 1. in Hexaemer.* D. Gregor. Nazianz. Orat. 43. D. Gregor. Nyſſen. D. Thom. Abulenſ. Cajetan. & alii. Iſtam creationem ſolis diverſam ab aliis perbelle notavit D. Gregor. Nazian. citatus. *Cum in Cæteris rebus Deus materiam prius conderet, & deinde eam forma veſtiret, hic ut majoris cujuſdam miraculi ſpecimen daret, formam materia priorem protulit; forma enim ſolis lumen eſt.* Ecce cur Virgo Maria dicitur *electa ut ſol*, quia ejus electio ad gratiã valde diverſa eſt ab electione aliorum, *Vt majoris cujuſdam miraculi ſpecimen daret.* Homines alii prius fuerunt præordinati ad eſſe naturale, tanquam Adami filii, ac ejus fœditate infecti antequam gratia mandarentur. At Maria *electa ut Sol* prius fuit præordinata ad formam lucis gratiæ, quam ad ſuam naturalem ſubſtantiam. Nam in primo inſtanti Chriſtus prædeſtinatus eſt, ut de tali muliere carnem ſumeret, ac proinde ibi ipſa prædeſtinata eſt tanta gratia, quanta ad tantam dignitatem requirebatur, & ſi in ordine naturali, Deus fecit hoc mirabile, ut prius crearet lucem ſolis, quam ejus ſubſtantiam; Cur hoc denegandum electioni Matris ejus, *ut majoris cujuſdam miraculi ſpecimen daret.* Sic ait Ioan. Apocal. 12. n. 1. *Signum magnum apparuit in cœlo. Mulier amicta ſole.* Græcus legit, *miraculum magnum.* Magnum fuit; quod Deipara eſſet electa ut ſol, veſtita ſole, & de hoc ſigno magno ad myſterium Conceptionis multa dixi *tom. 2. in Apocal. cap. 12. quæſt. 9. num. 74. quæſt. 14. num. 113. 114 115. 116. & quæſt. 16. & quæſt. 35. & quæſt. 70.* per totum.

Deipara veluti prius ad gratiam, quam ad ſubſtantiam Apocal. 12. Græcus.

27. Cantic. 7. D Gregor. Caſſiodor. Philo. Aponi. Anſelm. Alcuin. Haymo. Cant 5.

Quinto. Maxime celebratur de Sponſa, *Quam pulchri greſſus tui in calceamentis filia principis.* Cantic. 8. num. 1 Quæ verba ſunt ſponſi ad ſponſam, ut tenent Divus Gregor. Caſſiodor. Philo, Aponi, Anſelmus, Alcuinus, Haymo, & alii. Illud tamen obſervatione digniſſimum eſt, quod dum ſponſa laudes ſui ſponſi intonat, à capite incipit Cantic 5. n. 11. *caput ejus aurum optimum, comæ ejus ſicut elatæ palmarum, oculi ejus ſicut columbæ, genæ illius ſicut areolæ labia ejus lilia, manus ejus tornatiles, venter ejus eburneus, crura illius columnæ marmoreæ, &c.* At vero præconia ſponſæ à pedibus, ac primis greſſibus inchoantur ab ſponſo hoc cap. 7. *Quam pulchri greſſus tui: junctura femorum tuorum, ſicut monilia. Umbilicus tuus crater tornatilis. Venter tuus ſicut acervus tritici; duo ubera tua, ſicut duo hinnuli; collum tuum ſicut turris eburnea; naſus tuus ſicut turris Libani; caput tuum, ut Carmelus.*

Suprema Deiparæ magnalia à ſua conceptione.

lus. Si divina Sponſa maximè aſſimilatur cum ſuo cœleſti ſponſo, & maximè cum eo cohæret, cur tam diverſimode eorum corpora, eorumque membra deſcribuntur, ut unus à capite, alius è contra, à pedibus, ac greſſibus referatur? *caput Chriſti Deus.* Primi vero Deiparæ greſſus in ſua Conceptione, ac prima formatione habentur, & agnoſcuntur. Suprema majeſtas Chriſti à capite hoc eſt ejus divinitate dimanat, ac exundat. At vero præclariſſima Deiparæ magnalia à ſuis primis greſſibus, à ſua prima formatione, ſeu conceptione; inde exurgunt, & ſublevantur ex magna gratia, qua ex ſumma Dei liberalitate fuit plena, In calceamentis *filia Principis.* Vaticanus *filia liberalis.* Aquila excribit *filia ſponte dantis* D. Ambroſius in Pſalm. 118. *Filia voluntatis*, vel *beneplaciti.* Deipara enim extitit filia ſummi Dei principis, valde liberalis in eam, ac ſponte dantis, ut filia ſuæ voluntatis, ac beneplaciti, & inde tantam gratiæ abundantiam ei eſt largitus, quantum poſſibile eſt uni puræ creaturæ. D. Bernardinus Senenſis *tom. 1. Sermon. 6. art. 8. cap. 10.* ait. *Tanta gratia Virgini à Domino data eſt, quantum uni puræ Creaturæ dari poſſibile eſſet.*

Vaticanus. Aquila. D. Ambroſ. *Mariæ virgini tanta gratia data eſt, quantum pura creatura poſſibilis.* D. Bernard.

28. Luc. 1.

Sexto. In ſuo Cantico ſic modulatur ſanctiſſima virgo Luc. 1. num. 28. *Fecit mihi magna, qui potens eſt, & ſanctum nomen ejus: & miſericordia ejus à progenie in progenies timẽtibus eum.* In præſenti duo Dei attributa nobis proponit ſacratiſſima Deipara, potentiam ſcilicet, & miſericordiam; magno tamen diſcrimine, nam potentiam dicit declaratam, ac exhibitam erga ſe, *fecit mihi magna, qui potens eſt*; miſericardiam vero erga alios manifeſtatam: *Et miſericordia ejus à progenie in progenies.* Hæc contrapoſitio non videtur apte appoſita; nam Deus dum miſeretur etiam ſuam potentiam manifeſtat, ut dicitur Sapient. 11. n. 24. *Miſeretis omnium, quia omnia potes.* Pro hujus rei apta intelligentia, ſupponendum, quod Theologi duplicem Dei potentiam agnoſcunt, unam ordinariam, aliam abſolutam; ordinaria eſt illla, qua ſecundum communes leges operatur; abſoluta vero, quæ tranſcendit communem rerum naturalium concurſum, etſi in aliis hominibus, dum miſeretur potentia ordinaria ſe exhibeat, in ſe tamen virgo decantat potentiam abſolutam operatricem, *Fecit mihi magna, qui potens eſt.* In ſuis nempe donis ſpecialibus, ut perbelle notavit Beda in præſenti loco, & ait: *A ſpecialibus ſe donis ad generalia judicia convertens, totius humani generis ſtatum deſcribit dicens, & miſericordia ejus, &c.* In aliis virgo celebrat potentiam ordinariam, dum in gratiarum infuſione miſeretur, in ſe vero dicantat potentiam abſolutam in ſuis donis ſpecialibus; ſupra omnem communem legem, quæ ſpecialia dona Cardinalis Hugo, & Richardus de Sancto Laurentio *lib. 11.* non ſolum intelligunt de gratia, ad Dei maternitatem, ſed etiam ad alia ſpecilia dona, ut de præſervatione à peccato originali in ſua conceptione, non vero de ſanctificatione; nam hæc etiam communis fuit Hieremiæ, ac Ioanni Baptiſtæ, ergo ſpecialia dona ſunt, dum ab originali macula præſervatur.

Sapient 11.

Beda.

Hugo. Richard. *Deipara ex potentia abſoluta præſervata à peccato.*

QUÆSTIO VI.

Sanctiſſima virgo maximè Dei potentia cuſtodita ab omni peccato originali.

29. Pſal. 70.

AIt Regius Vates Pſal. 70. n. 17. *Quoniam non cognovi literaturam, introibo in potentias Domini; Domine memorabor juſtitiæ tuæ ſolius.* Seu ut legit Agellus. *Miſericordiæ tuæ ſolius.* Ac ſi dicat, quia non argutiis, Syllogiſmis literatorum, ac Philoſophorum, ſed magnitudine tuæ gratiæ, ac miſericordiæ ducor, inde ad aliquid inveſtigandum de mirabilibus tuæ potentiæ poſſum elevari; nam ut ait D. Auguſtinus in dicto Pſalm. *Homines de literatura præſumentes, & à gratia reſilientes toto corde reprobavi.* Nos vero de divina gratia confiſi aliquid de Dei potentia in tanto myſterio conſideremus.

Non ex literatura, ſed ex Dei gratia ejus potentia conſideranda. D. Auguſt.

30. 3. Reg. 10.

Primo. Inter magnifica Salomonis opera deſcribitur ejus thronus 3. Reg. cap 10. n. 19. & dicitur: *Fecit Rex Salomon thronum de ebore grandem, & veſtivit eum auro fulvido nimis, & duo leones ſtabant juxta manus ſingulas.* Valdè notum eſt in ſcriptura per thronum Salomonis ſãctiſſimam virginem adumbrari; *Thronus ejus ſicut dies cœli*, & thronus iſte ex nulla alia materia fabricatur, niſi ex ebore, quod ob ſui candorem, eximiam puritatem adumbrat, & cum ex carne, & ſanguine animalis naſcatur, omnino carnis, & ſanguinis expers eſt; ſic puriſſima, ac candidiſſima Deipata cum conciperetur ex carne, & ſanguine humano; totaliter prodit aliena ab omni commercio, ac fœditate carnis, & ſanguinis humani.

Deipara aliena ab omni macula carnis, & ſanguinis.

31.

Illud maximè in præſenti notandum, quòd *duo leones ſtabant juxta manus ſingulas.* Et cur duo leones adiunguntur illis manibus tenentibus ſedile. Iacob. Gen. 49. in Iuda filio annuntians Chriſtum dicebat, *Catulus leonis Iuda.* In quo catulo, & leone ſapienter agnoſcit ibi D. Ambroſ. duos nobiliſſimos leones, nimirum Deum Patrem, & Filium ejus. Sicut & per aurum fulvidum *reclinatorium aureum.* Cãtic. 3 D. Gregor. & Caſſiodor. interpretantur dona Spiritus ſancti. Cur ergo ad cuſtodiendum hunc thronum Salomonis omnes tres perſonæ divinæ conveniunt, & aſtant; unus Cherubim collocatur ad cuſtodiendum paradiſum. Gen. 3. *num.* 24. unus Angelus deputatur ad ducendum, & cuſtodiendum populum per deſertum. *Exod. 32 num. 34.* Vnus Seraphim volans labia Iſaiæ purificavit, *c. 6. num. 6.* & unicuique homini, ac cuilibet regno ad cuſtodiam unus aſſignatur Angelus: ad defenſionem throni Salomonis tres divinæ perſonæ proponuntur. Unde tanta diverſitas, ac differentia? Cherubim cuſtodit paradiſum, poſt perpetratum primi hominis peccatum; in eo Angelus poſt adoratum vitulum à populo ei præcedit; Seraphim purificat labia Iſaiæ, quæ antea polluta erant; & Angeli ſuſcipiunt hominum tutelam, cum jam ſint infecti venenoſo ſerpentis halitu? At ut ſu-

Gen. 49. D. Ambroſ. D. Gregor. Caſſiodor. Gen. 3. Exod 32. Iſai. 6.

premi

Deipara à Trinitate cuſtodita.

premi Regis Marianus thronus, abſque ulla leviſſima peccati macula illibatus, ac puriſſimus ſervetur, in hoc negotio, ſic excubant tres divinæ perſonæ, ut nec Seraphim, nec Cherubim, nec Angelis hoc committatur, ſed ipſæ tres divinæ perſonæ undequaque illum protegunt, tuentur, ac muniunt tanquam ſuo divino ſigillo, maximè in hujus rei confirmationem

32. Cantic. 4.

Secundò, ſuam virginem ſponſam alloquitur divinus ſponſus. Cantic. 4. num. 12. *Hortus Concluſus, ſoror mea ſponſa hortus concluſus, fons ſignatus.* Ad quæ verba ſic ait Gregorius Nicomedienſis ſerm. 5. & maximè ad Mariæ immaculatam Conceptionem: *Vere illum ſignatum fontem dixerim, ex quo manant puriſſimi latices, in quo turbidi luti nullæ ſunt deprehenſæ reliquiæ.* Videtur facere alluſionem ad Adamum *de limo terræ* formatum, ac proinde, quamvis ex natura ſit virgo ejus filia, tamen ex ejus limo, ac turbido, & fœtoſo luto, nullum ſqualorem generatione contraxit. *Turbidi luti nullæ ſunt deprehenſæ reliquiæ.* Et inde omnium virtutum *puriſſimi latices manarunt.* Perpende verba *Hortus concluſus ſoror mea ſponſa, hortus concluſus, fons ſignatus.* Seu ut legit Arabicus *ſigillatus*: dicitur ſoror, & ſponſa Chriſti, cum his dicitur hortus concluſus, in eo extitit ſoror, & ſponſa Chriſti quia fuit hortus concluſus, peccato originali, & actuali: & inde fons ſignatus, ſeu ſigillatus ſigillo ſanctiſſimæ Trinitatis; ut ſcribit Sophronius ſermone de Aſſũptione Deiparæ, & ait. *Vere hortus deliciarum, in quo conſita ſunt univerſa florum genera, & odoramenta virtutum, ſicque concluſus, ut neſciat violari, neque corrumpi, ullis inſidiarum fraudibus, fons itaque ſignatus ſigillo totius Trinitatis, ex quo fons vitæ manavit.* Sic Deipara eſt hortus concluſus. *Ut neſcirat violari, neque corrumpi ullis inſidiarum fraudibus.* Quod præclare dixit D. Damaſcen. Orat. 2. de Aſſumptione. *Ad hunc parad ſum ſerpens aditum non habuit.* Cuius rei rationem videtur innuere Sophronius, cum dicit ſignatum *ſigillo totius Trinitatis*; & quod tanto ſigillo eſt obſignatum, quis illud violare audeat?

Arabic.

In Deipara nec peccatum originale, nec actuale,

Sophronius.

D. Damaſc.

Munita ſigillo Trinitati.

33. Cantic. 2.

Tertiò. De ſuo dilectiſſimo Sponſo loquitur ſanctiſſima Deipara. Cantic. 2. num. 8. *Ecce iſte venit ſaliens in montibus, tranſiliens colles*, quod indicat magnam celeritatem veniendi, quod vivacius explicat Tex. Hebræus: *Ecce iſte venit contrahens ſe ſuper colles.* Qui fortiter, ac velociſſimè ſalire volunt, membra, & vires contrahunt, ut validius, ac pernicius ſaliant, & currant, ſed ad quid tam accelerata velocitas? Subdit text. *En ipſe ſtat poſt parietem noſtrum reſpiciens per feneſtras proſpiciens per Cancellos.* Tam præpropere venit, eſt commune cogitatu ut Cõceptioni Deiparæ adſit; nam ait Hieremias. *Aſcendit mors per feneſtras.* Hieremi. 9. num. 21. Inde tam velociter currit ſaliens per montes, & colles, ut præoccupans feneſtras, & vigilans per eas; ne peccati mors ingrediatur ad ſponſam, tamen quid ſublimius cogito in illo; quod additur, *Proſpiciens per cancellos.* Septuaginta, & multi Patres legunt *Proſpiciens per retia*; hoc eſt, explicat Cornelius *per feneſtras reticulatas.* Solent pervigiles cuſtodes tritici, in feneſtris ponere retia, ne minimæ aviculæ valeant ingredi, ut triticum comedant, & aliquam inferant læſionem, hac metaphora explicat Divinus Spiritus ſupremam ſuam providentiam erga Virginem Mariam, quam tantis gratiis, & privilegiis ex omni parte tanquam reticulis communivit; ita ut nulla avis infernalis, ex multis, quæ per aërem graſſantur, ac curſitant, & multos multa clade opprimunt, nulla tamen potuit Mariam etiam leviſſime attingere, vel parviſſimo morſu offendere, & ejus gratiæ granum minuere, vel impedire. Catena trium Patrum apud Ghiſlerium in Appendice, ſic ait: *Inſtar retium mutuo virtutum complicatarum contextu, feneſtras communitas dicit; Hoc eſt ex aëreis ſpiritibus nullus furtim ingrediatur, atque reconditum divinæ diſciplinæ ſemen corrumpat.*

Hebræus.

Septuaginta

Cornel.

D. Spiritus communivit virginem, ne avis infernalis ineat.

Catena Patrum.

Quartò. De ſuprema, & alta Dei providentia loquens Regius vates Pſal. 77. num. 69. ait: *Ædificavit ſicut unicornium ſanctificium ſuum in terra quam fundavit in ſæcula.* Seu ut alij legunt *in æternum*, ut Græcus. Valde rara, & admirabilis unius rei cum altera comparatio, nã ubi nos habemus *ſanctificium* legit Arabicus *ſanctuarium.* Cur non potius adducit in comparationem leonem ob ſuam fortitudinem, ad vigilantem cuſtodiam; vel Aquilam ad ſolem contemplandum, ſed unicornium proponit? Abſque dubio magnũ myſterium hic latet. Unicornium, ut de eõ ſcribit *Plinius lib. 20. cap. 13.* & plura Pierius, ejus cornu multam vim, ac efficaciam habet ad depulſandum omne venenum, unde tali litera frequenter depingitur *venena pello*, tantam contrarietatem, tantamque virtutem natura in ejus cornu indidit, ac occultavit, ut quidquid attingit, quamvis ſit veneno infectum, ſtatim venenum deperditur, & in ſalutiferum tranſmutatur, tali ergo virtute Deus templum, ſanctificium, ſeu ſanctuarium ſuum conſtruxit, ac ædificavit: Reſtat modo inquirere, quodnam ſit hoc ſanctificium, ſeu ſanctuarium? Aliqui de templo Salomonico ſunt interpretati, tamen videtur repugnare cum litera, dum dicit, *fundavit in ſæcula*, ſeu *in æternum.* Templum autem Salomonicum, omnino fuit deſtructum, ac devaſtatum. Alij, ut D. Baſilius, D. Chryſoſtom. Noſter Incognitus, Caſſiodorus, & plures de Eccleſia militante in terris exponunt. Præclare tamen D. Bonaventura in ſpeculo cap. 23. totum locum de ſanctiſſima Deipara intelligit, & ait *Mariam ſanctuarium ſibi conſtruxit Deus ut unicornium.* Sicut enim hoc animal à primæva ſua natura; à ſuaque prima formatione talem habet virtutem, ut nullum venenum nec in ſe, nec in his, quæ tangit, admittat, ſed illud omnino valet propulſare, deſtruere, ac diſſipare: ſic Deus ſuum ſanctuarium Mariam ædificavit, ut à ſua primæva natura ac ſua prima formatione, ejus divinæ gratiæ virtute, ut nullo peccati veneno inficeretur; ſed illud totaliter à ſe rejiceret, ac excluderet. Sic ait Symon Metaph. ſerm. de B. Virg. *Omnia ſine peccati mortiferæ damnationis venena depello.* Ut ita fieret condignum Omnipotentis Dei templum, nobiſque omnibus ſalutiferum ſanctuarium.

34. Pſal. 77.

Græcus.

Arabic.

Plinius.

Pierius.

D. Baſilius.

D. Chryſ.

Incognitus.

Caſſiodor.

D. Bonaven

Deipara in ſua prima formatione ſine peccati veneno.

Quinto. Loquens ſanctiſſima virgo de æterno

35.

æterno decreto, quo Deus prædifinivit, venire ad illam, ut carnem ſumeret, ait: *Ecce iſte venit ſaliens in montibus, tranſiliens colles.* hoc eſt, ut exponũt Origenes, Philo, Carpatius, tranſcendens omnes Prophetas, & Patriarchas, Angelos, & Archangelos; unde ipſa puriſſima Virgo de ſe ait: *Ante omnes colles ego parturiebar* Eccleſiaſtic. 24. Et quomodo ipſe dilectus ſponſus ad ſe veniat, ſtatim explicat *Similis eſt dilectus meus capreæ, hinnulóque cervorum.* Cantic. 2. n. 9. & cur Deipata ſuum advenientem ſponſũ cum his animalibus comparat? Ratio eſt in promptu, quia inter omnia animantia ſunt velociſſima; unde apud Antiquos pro velocitate denotanda, talia animalia depingebantur; tamen aliquid ſublimius communiter excogitant in præſenti Interpretes, *Ioannes Carmelita, Ludovicus Soto, Major, Ghiſlerius, Cornelius, & alij ex Theodoreto, D. Bernard. ſerm.* 54. Caprea acutiſſimo viſu pollet, & valdè remota ac longinqua videt, & penetrat. Unde à videndo dicitur apud Græcos *Dorcas*: cervi verò hoc ſibi ipſis proprium vendicant, ut halitu ſuo ſerpentes è cavernis extrahant, eoſque interficiant, & vorent. Origenes *homil.* 2. ex duobus ſic ait: *Salvator meus Dorcas vocatur in cõtemplatione, quia acutius videt: cervus juxta opera, quibus interficit ſerpentes.* Ecce valdè ſublimis explicatur adventus divini Verbi ad Virginem Mariam, ſaliens ſuper montes, tranſiliens colles Prophetarum, & Angelorum, veniens tanquam caprea acutiſſimo viſu à longinquo, ſeu ab æternitate penetrans, & videns omnes inſidias, & machinationes Adverſarij & tanquam hinnulus cervorum halitu ſuæ divinæ gratiæ, ipſum peremit, ac interfecit, ut nec parvam læſionem, nec minimũ morſum poſſet inferre, ut in omnibus ab illo Maria Virgo intacta permaneret; unde ſic ait Origenes *citatus.* Chriſtus cum ad Mariam Virginem venit, *Salit quatenus ſit in ea fons aquæ ſalientis in vitam æternam.*

Origenes. Carp. Philo.

Eccleſi. 24.

Cantic. 2.

Carmelita. Soto. Ghiſler. Theodor. D. Bern.

Origenes.

Deus alitè providit, ne Virgo Maria laderetur à Diabolo.

36. Pſalm. 71.

Sextò. Loquens David de adventu filij Dei in mundum ait Pſalm. 71. num. 6. *Deſcendet ſicut pluvia in vellus, & ſicut ſtillicidia ſtillantia ſuper terram.* Venit imber divinus Filius Patris ad uterum Mariæ Virginis, ut pluvia ſuper terram. Et cur Deipara in ſuſcipiendo Dei filio terræ comparatur? Cur non alio nomine dicitur? Ex multis, quibus decantatur ut *Electa ut Sol, pulchra ut Luna, Aurora conſurgens, Domina cœli, Regina Angelorum,* &c. Sed tantum terra nuncupatur, quod eſt quid vile, & abjectum. Præclarè D. Amadæus homil. 3. de laudibus Mariæ. *Præfata terræ eandem Virginem demonſtrat, terræ nomine appellatam, propter quandam ſimilitudinem. Sicut enim vetus Adam de terra incorrupta, nullum paſſa contagium formatus eſt: ſic terris terra Virgo novum Adam procreavit.* Cum Prophetа facit mentionem de adventu filij Dei in uterum Virginis, nullo alio nomine utitur, niſi terræ, alluſionem faciens ad terram, de qua Adamus fuit formatus. Terra illa, de qua primus Adamus ſumptus eſt, omni puritate fulgebat, totius expers contagij, à fortiori eandem, inde & majorem puritatem, excellentior novus Adamus Chriſtus requiſivit in Matre, de qua naſcebatur, ut nullum originalis maculæ haberet contagium. *Sicut enim vetus Adam de terra incorrupta, nullúmque paſſa contagium formatus eſt: ſic, terris terra Virgo novum Adam procreavit.*

Amad.

Adamus ex pura terra formatur, ita de ea à fortiori Chriſtus.

Quæstio VII.

Sanctiſſima Maria in primo inſtanti ſuæ Immaculatæ Conceptionis, magna gratia fuit communita, ut nullam maculam peccati Originalis contrahere.

PRimò, præclarè D. Bernardus loquens de Sanctiſſ. Deipara *ſerm. 2. ſuper Miſſus eſt*, de ea ſic ſcribit: *Procul, & de ultimo finibus pretium ejus, hoc eſt non vile, non parvum, non mediocre, non denique de terra, ſed de cœlo: nec de cœlo proximo terris pretium hujus mulieris, ſed à ſummo cœlo egreſſio ejus.* Pſalm. 18. numero 7. Primus egreſſus Mariæ dicitur de cœlo, & non de quolibet cœlo, *ſed à ſummo cœlo*, hoc eſt Empyreo; in quo ut ait Joannes in ſua Apocalypſi 21. num. 27. *Nihil eſt coinquinatum.* Primus egreſſus Mariæ extitit in ſua Conceptione, atqui cum iſte egreſſus ſit à ſummo cœlo, in quo nihil eſt coinquinatum, nil maculæ potuit ſecum importare, ſed omne defectuoſum excludere, & ſecum omne purum, & ſanctum importare: cum egrediatur à ſummo cœlo, in quo viget, & floret omnis puritas, & ſanctitas.

37. D. Bern.

Pſalm. 18.

Apoc. 21.

Deipara in ſua conceptio egreſſa eſt à ſummo cœlo.

Secundò, ait Joannes in ſua Apocalypſi, cap 21. n. 2. *Vidi civitatem Sanctam Hieruſalem novam deſcendentem de cœlo, à Deo paratam, ſicut ſponſam ornatam viro ſuo.* Per hanc Civitatem graves Patres intelligunt Sanctiſſimam Virginem Mariam, ut retuli *tom. 2. in Apocalypſ. citato cap. 21. quæſt. 3. n. 32. Ipſa enim eſt Civitas Regis Magni.* Pſalm. 47. num. 3. *Et ſicut lætantium omnium habitatio eſt in te.* Pſalm. 86. num. 7. *Sanctificavit tabernaculum ſuum Altiſſimus.* Pſalm. 45. n. 5. tamen inſurgit difficultas, quomodo dicitur deſcendentem de cœlo; ſolus enim Chriſtus deſcendit de cœlo. *Ioan. 3. n. 13.* Deipara autem in terris progenita, & nata eſt, ut Adami filia: quomodo ergo *deſcendentem de cœlo.* D. Auguſtinus lib. 20. de Civitate, cap. 17. *De cœlo deſcendere civitas iſta dicitur, quia cœleſtis eſt gratia, qua Deus illam fecit.* Verum eſt, quod Deipara cum humana natura in terris prodiit, tamen cœleſti gratiâ formata, ac donata eſt. *Quia cœleſtis eſt gratia, qua Deus illam fecit.* Ex hoc tamen gravior ſuboritur difficultas. Nam ait D. Auguſtinus quod Deus illam fecit ſua gratia, ſed inquit cœleſti gratia: nam ejuſdem naturæ, ac ſpeciei eſt gratia, quæ in cœlo juſtificat Sanctos, ac illa, quæ in terra mundat homines, ac delet eorum peccata; ex quo videtur bene inferri ſuperfluum eſſe verbum, *Cœleſtis*: tamen non exabundat verbum, ſed alta conſideratione poſitum eſt. Quamvis enim gratia una ſit in ſua eſſentia, & eadem ſecundum ſuos effectus; tamen hanc diverſitatem admittit, quod in terra datur hominibus infectis peccato originali, ut ab illo

38. Apoc. 21.

Pſalm. 47.

Pſalm. 86.

Pſalm. 45.

D. Auguſt.

munden

mundentur, ac juſtitia dealbentur. Iob. 21. *Nemo mundus à ſorde, neque infans, cujus unius diei eſt vita.* At vero Angelis in cœlo gratia communicata eſt in primo inſtanti, eorum creationis, ac proinde ſimul cum ipſa gratia fuerunt creati, unde eſt illud celebre dictum D. Auguſtini *Deus erat ſimul condens naturam, & largiens gratiam.* Cum ipſa creatione naturæ gratia infundebatur. In infuſione, ac communicatione gratiæ in Deiparam, quem modum obſervavit Deus, nobis aperiat Regius vates, *A ſummo cœlo egreſſio ejus.* Et D. Auguſtin. *Cœleſtis eſt gratia, qua Deus illam fecit.* Si enim gratia, quæ data eſt Angelis, inde dicitur cœleſtis, quia eis communicata eſt cum creatione naturæ; inde & recte gratia Deiparæ cœleſtis nũcupatur, & quia ei in primo ſuæ productionis inſtanti infuſa eſt; & ſic decens erat, ut illa, quæ inaugurata erat Regina Angelorum, ipſis Angelis excellentior fieret, magna infuſione gratiæ ei in ſua creatione data.

D. Auguſt.

Deipara creata eſt ſimul cum gratia inſtar Angelorum.

39. Cantic. 6. Tertiò. In perſona Chriſti typice ait Salomon Cantic. 6. num. 8. *Una eſt columba mea, perfecta mea, una eſt matris ſuæ, electa genetricis ſuæ.* Et adeo perfecte pulchra, adeo conſummate perfecta, ut omnibus eſſet plauſibilis, & grata; ita ut ſtatim ſubditur: *viderunt eam filiæ* (ſcilicet adoleſcentulæ) *& beatiſſimam prædicaverunt Reginæ, & concubinæ laudaverunt eam.* Ita ut nullus nec æmulatione maledica, nec invidia corrodente potuerit aliquid indecens invenire, vel objicere, quod eſt magna Mariæ puritatis laus. Sed unde illi tam magna proclamatio perbelle elucidat Guillelmus apud Ghiſler. & ait: *Hæc eſt columba per fœcunditatem, & mea per ſingularis partus nativitatem; perfecta mea, cui nihil deeſt ad gratiam, & gloriam.* Abſque dubio multum, ad gratiam, & gloriam Mariæ defuiſſet, ſi in inſtanti ſuæ vitæ, ac exordio, ita à gratia longe extitiſſet, ut Deo inimica, cœlo averſa, diaboli mancipium haberetur, quomodo dici poterat de illa: *Perfecta, cui nihil deeſt ad gratiam*, ſi in vitæ principio illi defuiſſet gratia, ergo hac ſemper plena extitit, ut illi dixit Angelus, impleta eſt enim ab Spiritu Sancto ſuis omnibus donis, ut luculenter dixit D. Athanaſ. homil. de Deipara. *Ita Spiritus Sanctus deſcendit in virginem, cum omnibus ſuis eſſentialibus virtutibus, quæ illi per rationem principatus divini adſunt.... eam in gratia, ut in omnibus grata eſſet, atque idcirco gratia plena cognominata, eo quòd adimpletione Spiritus Sancti omnibus gratiis abundaret.* In eam Spiritus Sanctus deſcendit cum omnibus ſuis donis eſſentialibus, gratiis, & privilegiis. *Vt nihil illi deeſſet ad gratiam, & gloriam.*

Guilleim.

D. Athanaſ.

In Maria nihil deeſt ad gratiam

40. Cantic 5. Quarto. Ad oſtium dilectæ clamat Chriſtus D. cap. 5. num. 2. *Aperi mihi ſoror mea, quia caput meum plenum eſt rore, & cincinni mei guttis noctium.* Valdè inſtanter pulſat ad oſtium, magnam celeritatem indicans, & rationem tantæ celeritatis apponit, quia *caput meum plenum eſt rore, & cincinni mei guttis noctium*; pro intelligentia huius rei maximè eſt expendendum quid in præſenti ros, & guttæ noctium ſignificent. Ros deſignat divinam gratiam ſic ait Oſeas 6. num. 4. *Miſericordia veſtra quaſi nubes matutina, & quaſi ros mane pertranſiens.* Iſai. 45. num. 8. *Rorate cœli deſuper, & nubes pluant juſtum.* Econtra vero gutæ noctium peccata adumbrant, ut ſatis eſt vulgare in ſcriptura, & in præſenti notant D. Auguſt. tract. 57. in Joan. D. Gregor. Papa, Caſſiodor. Philo, Carpathius. Iuſtinus, Beda, Anſelm. & ait D. Ambroſ. lib. 3. de virginib. *Circa medium, ſicut ros cœli nocturnas amovet ſiccitates. Ita Ros Domini noſtri Ieſu Chriſti nocturnis, & ſæcularibus tenebris æternæ vitæ ſtillavit humorem.* Cum venit Chriſtus, dicitur *Caput ejus plenum rore, & cincinni guttis noctium.* Quod venit ad deſtruendum peccatorum tenebras; ſed quid eſt in rem noſtram, quod cum venit ad Virg. Mariam. Dicuntur *guttæ noctium*: Cur non potius in ſingulari: *Gutta noctis.* Cum ad ſanctiſſimam virginem venit D. Sponſus, ut ab ea rore gratiæ propulſet omne peccatum, ait in plurali *guttis noctium*; nam nox ſignificat peccatum actuale 1. ad Theſſalonic. 5. num. 5. *Vos filij lucis eſtis, & non ſumus noctis, nec tenebrarum.* Significat etiam nox peccatum originale. Iob. 3. num. 3. *Pereat nox, in qua dictum eſt, conceptus eſt homo.* Appoſite quidem cum divinus ſponſus advolat ad virginem ait: *Caput meum plenum eſt rore, & cincinni mei guttis noctium.* Accedit divinus ſponſus, ut ab illa excluderet, ac projiceret omne peccatum, ſive actuale, ſive originale, nullaque eorum macula poſſet illam inficere, vel ad eam aditum haberet, cum undique ſplendore gratiæ eſſet munita. D. Bernard. ſerm. *in ſignum magnum* dicat. *Omnia in ea tam excellenter irradiata noſcuntur, ut nihil in ea, non dico tenebroſum, ſed obſcurum ſaltem, vel minus lucidum liceat ſuſpicari.*

Iſai 45.

D. Auguſt.
D. Gregor.
Caſſiodor.
Carpathius.
Iuſtinus.
Beda.
Anſelm.
D. Ambr.

1. Theſſal. 5.

Iob 3.

Deipara maximè caſtodita ab omni peccato actuali, & originali.

D. Bernard.

Quinto. De B. Virgine proclamatur Cant. 6. numero 9. *Quæ eſt iſta, quæ progreditur, quaſi Aurora conſurgens.* Sicut ſolis nomine Chriſtus ſignificatur, ſic Auroræ vocabulo ſanctiſſima virgo adumbratur. Ut aſſerit Petrus Damian. ſerm. de Aſſumpt. his verbis Pſal. 73. numero 16. *Tu fabricatus es Auroram, id eſt, Virginem, & ſolem, id eſt Chriſtum, qui de Spiritu Sancto eſt conceptus.* Peridoneè Auroræ vocabulum ſanctiſſimam Deiparam denotat inter caliginoſas noctis tenebras nitens Aurora exurgit, nihil de tali caligine obſcurum in ſe admittens, ſed tota ſcintillans, ac fulgens noctem fugat; nam ubi primum Aurora apparet, jam nox præcedens temulenta denſitate deſiit, lucidis Auroræ ſpiculis ſplendide interempta; & jam diurnæ lucis eſt inchoatio, & prænitens incipientis diei auſpicium. Sic pura, & myſtica Eccleſiæ Aurora, Deipara virgo, etſi de tenebris humanæ naturæ caligine peccati originalis prodeat, tota ipſa fulgore gratiæ reſplendens nec in minimo de tali tenebroſitate obfuſcatur, nec in ſe aliquid trahit, & omnes peccati obſcuritates diſſipans, advenientis ſempiterni diei lucem Chriſtum Dominum jam denuntiat. D. Bernard. ſerm. 4. *ſuper Salve Regina*, ſic Virginem alloquitur. *De te ſecretorum conſcius Salomon dicit: quæ eſt iſta, quæ progreditur, quaſi Aurora conſurgens? Aurora ſemper noctem ſequitur; nox præcedit Auroram; quid autem eſt nox frigida, & obſcura, niſi originale peccatum?*

41. Cantic. 6.

Damian. Pſal. 73.

D. Bernard.

frigidam concupiſce tia, obſcurũ ignorantia. Tu verò proceſſiſti, ut Aurora lucida, & rubicunda.

Rectè Deipara dicitur Aurora, quæ noctis tenebras excludit, & in ſe non admittit.

Nox præcedit Auroram, noctis tenebras Aurora diſſipat, ac deſtruit: omnem illius obſcuritatẽ à ſe reiiciens deſtruit, nihil de illa in ſe admittens. *Quid autem ſignificat nox; quid autem eſt nox frigida, & obſcura, niſi originale peccatum?* Cum ergo Maria ſit Aurora, nihil de tali noctis obſcuritate, ac peccato originali participavit, & omnino ab illo fuit immunis, & expers, *ut Aurora, & lucida & rubicunda*, & inquam *lucida* eximia, ac ſumma puritate, *rubicunda* ferventi charitate in Deum.

42. Ierem. 18.

Sextò. Vaticinatur Ierem. 18. n. 14. *Nunquid deficiet nix de petra Libani?* per interrogationem loquitur Propheta, & ſupponit reſponſionem, quod nunquã ipſa nix deficiet de petra Libani; hæc autem petra Sanctiſſimam Virginem repræſentat; juxta Iſaiam 16. n. 1. *Emitte agnum Domine dominatorem terræ de petra deſerti.* Maximè ponderandum, albedinem, quam divinus Spiritus denotat in hac petra deſerti, nõ conferri cum candore byſſini, lini, ſed cum nive. Nam byſſinum, ſeullinum, ex ſua primæva orgine naſcuntur primò nigro, viridi, vel flavo colore compoſita, tamen radiis Soliis, ac humana induſtria dealbantur: at nix in ſuo candore multo majoribus privilegiis gaudet à primo inſtanti ſuæ congelationis, ac compoſitionis, ſua nitente albedine reſplendet, & cujuſcunque alterius coloris maxturam à ſe excludit. Alij juſti, etſi in peccatis naſcantur. *Omnes in Adam peccaverunt.* Roman. 5. num. 12 tamen radiis divinæ gratiæ, ac ſua cooperatione, pœnitentia, ac contritione, mundantur, & inde dicitur Apocal. 3. num. 5. *Veſtietur veſtimentis albis*, & Apocal. 19. n. 14. *Veſtiti byſſino albo, & mundo*, & David clamabat: *Lavabis me, & ſuper nivem dealbabor.* Pſalm. 50. num. 9. At puritas, & ſanctitas Sacratiſſimæ Deiparæ aliter ſe habet, alitérque explicatur cum nive nempe. *Nunquid deficiet nix de petra.* Nix ſemper candida à ſuo primo exordio, & nullo alio colore offuſcatur, ſic & Sacratiſſima Virgo ſemper candidiſſima; alba concipitur, alba generatur, alba naſcitur ſine ullius peccati rubigine. D. Amadæus *homil. 2. de B. Virg.* ait: *Ave gratia plena, & ſemper plena, quam Spiritus ſanctus ſibi elegit in Sponſam.* Semper fuit plena gratia, & nulla ex parte vacua ut aliquam peccati nigredinem contraheret.

Rom. 5.

Apoc. 3.

Apoc 19.

Deipara in gratia refert ſimilitudinem filii ſui.

D. Amad.

43. Zachar. 4.

Septim. Pro hac inſigni puritate Virginis veniat explicandus Zacharias Proheta *cap 4. num. 7* dicens: *Educet lapidem primarium, & exæquabit gratiã gratiæ ejus.* Variè exponitur locus. Aliqui de Zorobabele interpretantur tamen cõmuniter Patres de Chriſto Domino. Noſter S. Cyrillus, D Hieronymus, Rupertus, de ipſo ait Apoſtolus Epheſ. 2. num. 10. *Ipſo Summo Angulari lapide Chriſto Ieſu.* Tamen Rabbi Acados, ut refert Galatinus *lib. 7. de Arcanis, cap. 3.* Virginem Deiparam in præſenti ſignificari contendit, & hoc colligit ex verbo *Thas*, quod eſt fœminini generis, ipſa enim cõſtituta eſt à Deo *ut in omnibus primatum teneat*; & ipſa Sãctiſſima Virgo frequenter nomine lapidis ſignificatur, ut patet ex antecedenti numero. *Exæquabit gratiam gratiæ ejus.* Syrus vertit. *Protuli lapidẽ præſtantiſſimum æqualitatis, & miſericordiæ.* Arabicus, *cujus gratia æqualitas eſt gratiæ.* Hebræus ponit *ſimilitudinem gratiæ ejus*, non quod gratia Deiparæ habeat omnimodam ſimilitudinem cum gratia Chriſti, quia Chriſti gratia fuit infinita in genere moris; gratia autem Deiparæ quantum fuit poſſibilis puræ creaturæ; & ut cognoſcas quod Propheta in præſẽti loquitur de Virginis Conceptione. Expende verbum, *Educet lapidem*, id eſt, quando Deus ipſam primo produxit, creavit, & formavit, ſtatim fuit ad ſimilitudinẽ filij ſui, ut prodiret pura, innocens, immaculata, abſque aliquo defectu ad imitationem filij ſui, quia ex ſua benignitate voluit ut tanto privilegio ejus mater gauderet. Petrus Cellenſ. *lib de panibus. c. 12.* ait: *Maria privilegio filij ſui tota Deitatis gratia ſuperfuſa.* De quo plura *quæſt. 9.*

Syrus. Arabicus. Hebræus.

Deipara ſit ſuam nix ſemper alba, & pura.

QUÆSTIO VIII.

Mariana immunitas à primordialis delicti labe ex jure maternitatis aſtruitur.

44. D. Ambr.

AIt D. Ambr. lib 2. de Virg. *Quid ſplendidius ea, quam ſplendor elegit? Quid nobilius Dei Matre?* Totus Marianus ſplendor, tota ejus nobilitas in puritate, juſtitia, ac ſanctitate à ſuo filio genito Ieſu naſcitur, & exoritur. Ait Iſai. 11. n. 1. *Egredietur virga de radice Ieſſe, & flos de radice ejus aſcendet.* Quænã ſit hæc radix Ieſſe. Tertull. D. Auguſt. D. Ambr *de Benedictionib. Patriarch. c. 4* dicunt: *Radix familiæ Iudæorum, virga Maria flos Maria Chriſtus, qui fœtorẽ mãdanæ collavionis abolevit, & odorem vitæ æternæ inſpidit.* Alij contendunt, quod David per radicem ſit intelligendus, cui divinus flos Chriſtus promiſſus eſt. Tamẽ genuinam expoſitionem nobis dat ipſemet Propheta Iſaias *citato cap. 11. num. 10.* cum ait: *In illa die erit radix Ieſſe, qui ſtat in ſignum populorum, ipſum gentes deprecabuntur.* Quem locum ad litteram Divus Paulus *Roman. 15. num 12.* de Chriſto Domino exponit; ecce, ut bene advertit Cardinalis Hugo, *Quem prius florem vocavit, vocat nunc radicem Ieſſe*, Chriſtus, qui eſt ipſamet puritas, ſanctitas, ac fons totius gratiæ, & juſtitiæ quia eſt flos Mariæ, inde eſt illius radix, ac principium; virga totum quod in ſe habet, ab ipſa radice exoritur & pullulat, nec poteſt habere aliquid diverſum à ſua radice. Hæc virga ſanctiſſima Deipara, à ſua radice Chriſto Ieſu, qui eſt ejus flos exurgit & pullulat, & cum ipſe ſit ipſamet puritas, juſtitia, ac ſanctitas. In hac virga nil poteſt eſſe alienũ à juſtitia ac ſanctitate hujus radicis, ſed totum, quod eſt in illa eſt purum, ſanctum, abſque ulla labe tam in ſuo primo exortu, ſeu conceptione, quam in nativitate, & toto vitæ curſu; inde in ipſa maximè reſplendent divinitatis divitiæ, cum à tali radice prodeat. Ad illa verba, quæ Angelus dixit B. Ioſeph. Matth. 1. num. 20. *Noli timere accipere Mariam conjugem tuam*, præclarè explicans Origenes *homilia 1.* ex variis ait:

Tertull. D Auguſt. D Ambr.

Iſai. 11.

Rom. 15.

Hugo.

Puritas immaculata Virginis à filio provenit.

Matth. 1.

Origenes.

ait: *Accipe illam, ſicut cœleſtem theſaurum, ſicut divinitatis divitias.* Expende quæſo, & adverte ultima verba, *Divinitatis divitias.*

45. Numer. 17. Secundo. *Numer.* 17. *num.* 8. Cum duodecim virgas à duodecim Principibus Tribuum accepiſſet Moyſes inter eas Aaronis virga mirificè floruit; ſequenti die Moyſes: *Ingreſſus invenit germinaſſe virgam Aaron turgentibus gemmis eruperant flores, qui in amygdalas deformati ſunt.* Multa miracula conſiderat Abulenſis in hac virga, quod protulit Abulenſ. flores, & fructus, abſque eo, quod haberet radices in terra; deinde, ut etiam advertit Cornel. Cornelius, totus rerum ordo videtur mutatus, qui ab arborum natura valdè peregrinatur: nam reliquæ arbores prius florent, poſtea germinant, ſeu baccas producunt, & demum fructum proferunt. Cur ergo hic totus invertitur rerum ordo, ut hæc virga, ſine radice tantum proficiat, ut germinet, floreat, & in fructus parturiat? Magno ſanè arcano myſterio, virga hæc adumbrabat Sanctiſſimam Deiparam, ut tenent D. Bernardus *homil.* 2. *ſuper Miſſus eſt.* Rupertus *in præſenti*; juxta illud proximè citatum Iſai 11. *Egredietur virga de radice Ieſſe* Flos, & fructus Chriſtus Dominus qui de ſe ait Cantic. 2 *Ego flos campi*, & ipſe eſt fructus benedictionis, *in quo benedicentur omnes gentes.* Geneſ. 22. Geneſ. 22. Inde ergo bene tantum creſcit, ac floreſcit, abſque radice in terra, & abſque aliquo terreno humore, quia Sanctiſſima Deipara ibi adumbrata, quam in terris naſceretur, ſic prodit, ac ſi à terreno pulvere eſſet præciſa, nihilque de terreno humore primorum parentum in ſe haberet, ſed totum ſupra omnem ordinem naturæ à divina gratia hauriret, & inde prius proponitur germinans, quam florens, quia in præſenti non ſervatur naturæ ordo, ſed totum in virga geritur per ordinem ad florem, & fructum naſciturum. Rupertus Abbas *in cap.* 1. *Cantic.* ſic ait: *Virga omnem ſuperbiam Ægyptiacam obſtruit.* Deinde, *Germinavit, frondit, floruit: & fructum protulit, non plantata, non ſucco terræ animata, ſed virtuti cœleſti, ſupra uſum naturæ provecta: ſic tu amica mea pulcherrima mulierum, amica mea, cunctam ſuperbiam diaboli rejecisti concentu florida, partu fructifera.* Et in hoc ſenſu de Chriſto Domino, ait Iſaias 53. num 2. *Aſcendet ſicut radix de terra ſitienti;* id eſt, abſque aliquo humore, vel influxu, terreno, de quo nihil participavit in ſua Conceptione.

Maria concepta abſque humano pulvere.

Rupertus.

Cantic. 2.

Iſai. 53.

46. Luc. 3. Tertiò Deſcribens Sanctus Evangeliſta Lucas longam ſeriem progenitorum Mariæ Virginis, per Ioachimum ejus parentem, ſic ſcribit Evangeliſta, cap. 3. num. 23. *Et ipſe Ieſu erat incipiens, quaſi annorum triginta, ut putabatur filius Ioſeph, qui fuit Heli, qui fuit Matha.* &c. Et tandem ad finem deveniens ſubdit: *Qui fuit Adam, qui fuit Dei.* Alto dictamine S. Iritius ſácti Evangeliſta in Genealogia Mariæ, à Ieſu ejus filio ſumit exordium, & aſcendens poſt Adamum, uſque ad Deum, *qui fuit Dei*, ibi deſinit, quod præclarè notavit Rupertus *in cap.* 1. *Matth.* & ait: Sic incipit, *& erat Ieſus incipiens, quaſi annorum triginta (ut putabatur filius Ioſeph, qui fuit Heli,* & ſic finit. *Qui fuit Adam, qui fuit Dei: nonne (in quam) initium, & finem conjunxit, & circulum fecit? Cum enim uno ductu linea ſic flectitur, ut ejus initium, & finis conjungantur, nonne circulus formatur.* Alto, & ſublimi myſterio in deſcribenda Genealogia Mariæ à Chriſto Ieſu ſumit Evangeliſta exordium, *Qui fuit Ieſu*, & in ipſo Deo finitur, & terminatur, *Qui fuit Adam, qui fuit Dei.* Ecce arcanus circulus, quem Rupertus maximè veneratur, in quo Deipara tota verſatur, ut tota ſit de Deo in Deum: nam circulus à puncto, quo incipit ibi terminatur; Maria incipit à Deo, & tota ad Deum ut finem rapitur, principium ejus generis, ac Genealogiæ in ſua Cõceptione, eſt à Jeſu ejus filio, totum quod eſt à Jeſu. eſt purum, ſanctum, & immaculatum, initium autem Mariæ, ſeu ejus Conceptio, cùm ſit à Ieſu ejus filio, tota eſt pura, ſancta, & immaculata

Summa puritas Mariæ à Deo incipit, & tota ad Deum ordinatur.

47. Quartò. Nobis proponit *Iſaias* 7. *n.* 15. Illud valdè celebre ſignum ecce Virgo concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen ejus Emmanuel: *Butyrum, & mel comedet, ut ſciat reprobare malum, & eligere bonum.* Nempe eo ſe demittens Deus natus ex Virgine, ut inſtar humani infantis, melle, & butyro indigeat, iiſque veſcatur, ut ſe verum hominem oſtendat, ut ait Apoſtolus *per omnia ſimilis fratribus*, & ſe habere verum corpus humanum, & non phantaſticum, ut impiè dixerunt Manichæi. *Butyrum, & mel comedet.* Lac, quem ex uberibus materni ſugebat, intelligitur ob ſuam dulcedinem, & ſuavitatem: nam illud, quod erat valdè dulce, & ſuave comparatione mellis, & butyri exprimebatur apud Hebræos; illud tamen magna indagine dignum eſt, quod ſubditur, *ut ſciat reprobare malum, & eligere bonum.* Et cur tam ſapiens infantis diſcretio ad ſugendum lac è maternis Virginis uberibus, ab Iſaiæ ore notatur, datúrque in Meſſiæ noſcẽdi præluſtre ſignum; cur ex materno lacte hauſto tam diſcreta ſapientia, *Vt ſciat reprobare malum, & eligere bonum.* Præclarè, ac ingeniosè noſter D. Cyrillus rem expendit in præſenti, & ait: *Butyrum lac Virginis vocat Propheta, quod non ex muliebri mollitie, voluptatéque, ac diſſolutione natum ſit; ſed leve eſſet, ac firmum, nullámque peccati amaritudinem admixtã habens, ſed mellis dulcedinem.* Propheta dum in præſenti ait, *Vt ſciat reprobare malum, & eligere bonum*; loquitur de ſcientia experimentali, ut notant D. Baſilius, Hieron. Cyrillus, Chryſoſt. & D. Auguſt. multis in locis, *Vt ſciat puer reprobare malum, & eligere bonum* Ex Mariano lacte guſtato, quod *nullã peccati amaritudinem admixtam habet.* Sciet puer experimentaliter *eligere bonum* quod purum, & defœcatum eſt à peccati acerbitate, *& reprobare malum* quod peccati acredine eſt amarum, & infectum; ergo ut lac eſſet dulciſſimum, ut mel, & butyrum, *nullam peccati amaritudinem habens.* Unde *ſciat puer eligere bonum*, à peccato alienum, & reprobare malum, quod cum illo eſt coinquinatum; exindéque ſi in Virginis Cõceptione eſſet aliquod peccatum illius amaritudo transfunderetur in lac & non haberet dulcedinem mellis, & butyri, nec ex tali dulcedine ſciret puer eligere bonum, & malum reprobare.

D. Cyrill.

D. Baſil. D. Hieron. D. Chryſ. D. Cyrill. D. Auguſt.

In lacte Mariano nulla erat amaritudo peccati

Quintò.

48. Quintò. Poſt primi hominis peccatum, adeſt ſupremus Iudex Deus, pœnas tranſgreſſoribus infligens, quæ vim habebant latæ legis in omnes poſteros. Geneſ. 3 n. 16. *Mulieri quoque dixit Deus : multiplicabo ærumnas tuas & conceptus tuos : in dolore paries filios, & ſub viri poteſtate eris : & ipſe dominabitur tui ; Adæ vero dixit : In ſudore vultus tui veſceris pane tuo, donec revertaris in terram, de qua ſumptus es : quia pulvis es, & in pulverem reverteris.* Duas condidit pœnales leges Dominus adverſus primos parentes cum ſuis poſteris; unam adverſus mulierem, *In dolore paries*; alteram adverſus virum, *In ſudore veſceris pane tuo, & ut revertatur in pulverem.* Neceſſitas autem moriendi poſita eſt in ſententia lata contra Adamum, non adverſus Evam, ut bene notavit Bellarminus *lib. 1. de gratia, cap. 11.* & ex eo M. Baëz *tom. 6. de Chriſto Figurato, lib. 12. cap. 12. §. 18.* Cur ergo lex mortis non indicitur Evæ, ſed uni Adamo? An ut maneret Eva inimunis à mortis lege? Abſit hoc. Ex eo quod lex mortis imponitur Adamo, ſub illa etiam Eva intelligitur comprehenſa utpote perſona intimè conjuncta cum Adamo, & cum caro Evæ ſit Adami caro; & ex Adamo Eva formata ſit, ex quo manifeſtè elicitur exemptio Deiparæ, ab omni morte peccati originalis; cum Sanctiſſima Virgo ſit perſona conjunctiſſima Deo, & caro Chriſti ſit Virginis caro; ex qua carne Chriſtus eſt formatus, & generatus, ut perbelle, ac ſapienter notavit Divus Damaſcenus *Oration. in Aſſumpt. Mariæ habita apud Metaphraſtem*, ubi ait: *Eva quidem, quæ aures præbuit nuntio ſerpentis, accepit ſententiam doloris, & moleſtiæ, & partus ſubit dolores, & cum Adamo mortis damnatur ſupplicio. Mariam autem omni ex parte beatam, quæ aures inclinavit Dei verbo, & peperit abſque doloribus, & tota Deo fuit unita, quomodo mors devoraverit? Quomodo audebit interitus in corpus, quod vitam ſuſcepit? Sunt hæc aliena, & prorſus remota à divina Anima, & corpore.* Evæ non fuit indicta mortis ſententia, ſed Adamo, *In pulverem reverteris.* Sed quia Eva maximè conjuncta erat Adamo, & ejus caro, caro illius, & ex eo creata eſt; inde *cum Adamo mortis damnatur ſupplicio.* E contra ergo Maria, *quæ tota Deo fuit unita*, cum caro illius ſit caro Chriſti, ex qua Chriſtus eſt formatus, & genitus, illius benedictionibus comprehenditur, & ditatur, quantum fas eſt puræ creaturæ. Petrus Cellenſis *libro de panibus, cap. 12.* ait: *Simul collecta gratia plenitudo nullatenus creaturæ humanæ capacitate, poteſt comprehendi; tamen privilegio filij ſui mater Dei aſperſione Spiritus ſancti, tota Deitatis gratia eſt ſuperfuſa.* In tam excellentiſſimo gradu puritatis, ac ſanctitatis eſt plena, *Vt Mater Dei aſperſione Spiritus ſancti, tota Deitatis gratia eſt ſuperfuſa.*

Caro Chriſti, caro Virginis, & inde ipſa exempta à peccato originali.

Rupertus.

Petr. Cellenſ

49. Sextò. Cum Angelus Gabriel nuntiaret Deiparæ divini Verbi conceptum, ait illi *Spiritus ſanctus ſuperveniet in te.* Luc. 1. n. 35. ex Hebræo legitur *advolabit in te*, quod ſignificat magnam celeritatem, ac vehementiam Spiritus advenientis. Aliter factum legimus ab ipſo divino Spiritu poſt tranſactum diluvium. Geneſ. 8. num. 1. quod Deus *Adduxit Spiritum ſuper terram, & imminutæ ſunt aquæ.* Aliqui Patres, & Doctores dicunt hunc Spiritum fuiſſe ventum, quod graviter impugnat D. Ambroſius *lib. de Noe*, affirmans Spiritum ſanctum eſſe exponendum, & ait: *Non puto hoc dictum, ut Spiritus nomine ventum accipiamus : alioquin cum mare ventis exagitetur quotidie exinaniretur profectò. Nam quomodo non ſiccaretur mare ventorum vi, cum ceſſet toto diffuſum orbe diluvium.* Et ſubdit: *De Spiritu ſancto hoc intelligendum eſt.* Quomodo ergo nunc Moyſes ait, *Adduxit Spiritum.* Nec obſtat quod Geneſ. 1. n. 1. dicitur *Spiritus Domini ferebatur ſuper aquas.* Alia lectio *volitabat ſuper aquas.* Cur ergo poſt diluvium dicitur, *Adduxit Spiritum.* Lippoman. in ſua Catena inquit. *Sed cur dixit; Adduxit Dominus Spiritum, & non ferebatur.* Et ſubdit rationem; *Ad demonſtrandum, quod non libenter inviſeret aquas illas, quæ mortis fuerunt cauſæ*: Ad Deiparam cum venit divinus Spiritus, ut maximè ſpontaneus adventus exprimatur, ſcribitur *Advolabit in te* ſuper aquas adducitur. *Adduxit Spiritum : quia non libenter inviſeret aquas illas, quæ mortis fuerunt cauſæ.* Cum ergo in illis aquis eſſet mors, inde divinus Spiritus tanquam non ſponte in illis aderat; ad Virginem promptiſſimè volitat, in qua totum erat vita & nullum veſtigium, nec umbra mortis D. Bonaventura *in ſpeculo, c. 8.* ait: *Maria vita, in ipſa mors nulla, quæ nobis dedit fontem vitæ ſalientis in vitam æternam.*

Geneſ. 3.

Geneſ. 8.

D. Ambroſ.

Geneſ. 1.

Lidpoman.

Ex eo quod Deipara ſit Chriſti Mater, nulla in ea umbra mortis,

D. Bonav.

50. Septimò. Chriſtus deſcendit in Virginis uterum, ut nobis præparet vitam æternam; ergo in illa nulla peccati mors præceſſit. Poſtquam Chriſtus Dominus divinum inſtituit Euchariſticum Sacramentum, ſcribit D. Matthæus 26. n. 3. *Tunc venit Ieſus cum illis* (ſcilicet Diſcipulis ſuis) *in villam, quæ dicitur Gethſemani.* Et D. Marc. 14. num. 16. *Tunc exierunt in montem Oliveti trans torrentem Cedron ubi erat hortus.* Domine mi Ieſus quid agis? Nonne radentiſſimè deſiderabas ab inimicis comprehendi, ut pro nobis vitam dares? Cur non perſiſtis in Cœnaculo, à quo diſceſſit traditor Iudas, ut ibi facilè ipſe cum militibus, ac ramata miniſtrorum manu te capiant, & apprehendant, nunquid mortem fugis? præclarè Origenes *tract. 35. in Matth.* ait: *Non enim conveniebat, ut ibi caperetur, ubi paſcha cum diſcipulis ſuis manducaverat.* O ſupremum, & altum conſilium divinæ Sapientiæ. In Cœnaculo cum manducaret paſcha cum Diſcipulis ſuis, inſtituit ſalutiferã Euchariſtiam: ac valdè alienum extitiſſet à divina Sapiẽtia, ut ubi inſtituerat Sacramentum vitæ. *Qui manducat hunc panem vivet in æternum.* Ioan. 6. ibi mors introiret, & ipſe caperetur ad mortem, quomodo ergo fieri poteſt, ut in regali habitaculo virginalis ventris, in quo formatum eſt ſupremum Sacramentum noſtræ vitæ, corpus ſcilicet Chriſti, ibi jam mors peccati introiret, ac domicilium haberet, hoc maximè alienum eſt à ſupremo, & alto conſilio divinæ Sapientiæ. Unde merito ait Carthuſ. lib. 2. de laudibus Virg. *Maria non ſolum vita, ſed viva dicenda eſt.*

Matth 26.

Marc. 14.

Vbi Sacramentum vitæ, nulla mors.

Origenes.

Ioan. 6.

Carthuſ.

Luc. 1. Hebraus.

51. Pro hujus rei confirmatione, nota, quod Chriſtus conſecravit corpus ſuum in pane azymo. *Luc.22. n.1.* ut obſervat Eccleſia Romana; cur non potius in pane fermentato. Fermentum denotat peccatum, ejus nequitiam, ac malitiam. Inde Chriſtus Dominus dicebat ſuis Diſcipulis: *Cavete à fermento Phariſæorum, & Sadduceorum.* Matth. 16. num. 6. Marc. 8. num 14. ut ibi notant Origenes, D. Ambroſius *lib. 1. de Pœnitentia c. 14.* D. Chryſoſtomus *homil. in Iob. & Abraham.* D. Hieronym. Noſter D. Cyrillus, Rupertus *in cap. 7. Oſee.* Ad quæ verba eleganter ait Origenes citatus. *Cavebat Dominus in ſuis Diſcipulis fœtorem Phariſæorum*, id eſt, peccatorum eorum; ergo à fortiori talem peccati fœtorem, in matre ſua non permiſit; & ſi ipſe, decrevit non conſecrare in pane fermentato, ob peccati umbram ibi inſinuatam; quam maximè abhorrebat, quomodo cogitari poterit, quod in utero virginali habitaret, non umbra, ſed reali peccato maculato, ab illóque carnem ſumeret.

Matth. 16. Marc. 8. Origenes. D. Ambr. D. Chryſ. D. Hieron. D. Cyrill.

Non in fermentato pane conſecrat Chriſtus ob peccati umbram.

Quæstio IX.

Immaculata Virginis Deiparæ Conceptio ab Originalis delicti labe, ex pura ſimilitudine cum filio IESV deducitur.

52. Cantic. CLamat divinus Sponſus ad dilectam Virginem, ac Matrem ſuam. Cantic. 1. num. 15. & 16. *Ecce tu pulchra es amica mea, ecce tu pulchra es.* Et illa reſpondens ait: *Ecce tu pulcher es dilecte mi, & decorus, lectulus noſter floridus.* Deipara ſuper omnes, agnoverat excellentiam Incarnationis myſterii, quod in ſe peractum erat; inde præ aliis tantam Domini pulchritudinem admiratur. Similiter, & Sponſus ſua infinita ſapientia altè comprehendebat tantam Virginis pulchritudinem. Unde inter eos quædam veluti contentio videtur dari de pulchritudine. Sed cur inter viciſſim pulchritudinis encomia, ut bene advertit M. Didacus Celada *in Eſther §. 365. num. 5.* de florido lectulo fit mentio, *Lectulus noſter floridus*; ad quid hoc ad utriuſque pulchritudinis commendationem? Lectulus Chriſti ut exponit Rupertus, fuit ejus humanitas, quæ tota per divinum Verbum hypoſtatitè unitum, eſſentialiter, ac ſubſtantialiter extitit florida omni juſtitia, ac ſanctitate, abſque aliquo peccato Originali. Lectulus Sanctiſſimæ Virginis ejus Sacratiſſimum corpus in ipſo primo infuſionis animæ inſtanti totus floridus omni juſtitia, & ſanctitate per Divinam gratiam abſque aliquo peccato Originali. Perbelle Galatinus *libro 7. cap. 5.* & ait: *Ecce tu pulchra es amica mea: Ecce tu pulcher es dilecte mi*, &c. *Quemadmodum ego abſque Originali labe concepta ſum, ita tu quoque amicus meus, & idcirco pulcher es, & formoſus: lectulus, hoc eſt conceptio noſtra eſt florida, & odorifera abſque peccati corruptione.* O bona de Conceptione pulchritudo, de qua mater filium Dei æmulatur. Proſpera gratia in Deiparæ Conceptione pie contendit, & ſuo modo imitatur unionis hypoſtaticæ auguſtum privilegium; inde utriuſque conceptio dicitur, *Lectulus noſter floridus*; nam Chriſti eſt florid s per naturam, & eſſentiam, cum ſit verus Deus, Deiparæ vero cum ſit creatura, per gratiam, & divinam benevolentiam, qua impleta eſt in primo inſtanti infuſionis animæ, ut omnium virtutum gratia floreret abſque ulla labe peccati originalis.

Celada, Rupertus.

Puritas Conceptionis Deiparæ imitatur Conceptionem Chriſti.

Secundò. Chriſtus Dominus per eſſentiam totus Sanctus à ſua primæva origine, ac Conceptione. Dicitur de eo Ioan. 10. numero 36. *Quem Pater ſanctificavit, & miſit in mundum.* Et Gabriel ait ad Deiparam Virginem. Luc. 1. num. 35. *Quod naſcetur ex te ſanctum vocabitur.* Sic & voluit, ut & Mater ſua à ſua primæva origine, & conceptione per gratiam Spiritus ſancti, eſſet pura, & ſancta. Ait Regius Vates: *Ædificavit ſanctificium ſuum in terra, quam fundavit in ſæcula.* Pſal. 77. num. 69. Ubi nos habemus ſanctificium, legunt Arabicus, Chaldæus, D. Hieronym. Caietan *Sanctuarium ſuum.* Totus rerum ordo videtur hic mutatus. Nam optimus Artifex in ædificando templo, vel domo, prius ponit fundamenta, erigit parietes, & totum tecto cooperit, & poſtea auro, ac ornamentis illuſtrat, ac componit; ſic in ordine ſpirituali, prius ſupponitur natura humana creata, & poſtea gratia, & cœleſtibus donis condecoratur, ac nobilitatur à Deo, ut fiat vas in honorem. Quomodo ergo ſupremus Artifex, *Sic ædificavit ſanctificium ſuum, ſeu ſanctuarium ſuum in terra*, ut videatur ſignificare, prius cogitaſſe de ſanctificatione, ac ſanctitate, quam de ipſa natura, cum ait Propheta, *Ædificavit ſanctuarium, ſeu ſanctuarium ſuum.* Totum locum exponit D. Bonavent. *in ſpeculo de Sanctiſſima Deipara.* Ipſa & tabernaculum & domus Dei: *Sanctificavit tabernaculum ſuum Altiſſimus.* Pſal. 45. num. 5.

53. Ioan. 1. Luc. 1. Pſalm. 77. Arabicus. Chaldæus. D. Hieron. Caietan. *In Deipara prius gratia, quam natura.* D. Bonav.

Domum tuam decet ſanctitudo. Pſalm. 92. num. 5. Eam Deus tanta gratia, ac ſanctitate in primo inſtanti ſuæ Conceptionis implevit, ita ut videatur prius in illa fuiſſe gratia, quam natura. Divus Damaſcenus *de Nativitate Virgin.* ait: *Natura progredi non eſt auſa, ſed parumper expectavit, donec gratia fructum ſuum peperiſſet.* Tam alta providentia Deus creavit Deiparam, tantâque gratia eam prævenit, ut ordinem humanæ naturæ, quæ ſecum influxum peccati originalis involvebat, impedierit, ne aliqua labe macularetur. *Natura progredi non eſt auſa, ſed parumper expectavit, donec gratia fructum ſuum peperiſſet.*

Pſalm. 92. Damaſcen.

Maximè totum noſtrum aſſumptum approbat, & confirmat D. Chryſoſtom. *homil. de Nativitate Ioannis*, cum ait: *Merito is quoque, qui natus eſt, matri talia dedit privilegia, quæ etiam habuit ſolus, & illi quoque ſoli dedit.* Quodnam eſt hoc privilegium, quod ſolus Chriſtus habuit, & ſoli matri ſuæ dederit. Hoc ad generationem æternam nullo modo poteſt referri, quia talis generatio, nec Deiparæ, nec alicui puræ creaturæ convenit, ſed tantum unigenito filio Dei; ergo hoc

54. D. Chryſ.

privile

privilegium quod ipse solus Christus habuit. est ipsa Conceptio in justitia & sanctitate. Sic
Psal. 109. ait David de Christo Domino. Psal. 109. n. 4.
Hebræus. *In splendoribus Sanctorum genui te.* Hebraïca lectio, *In splendoribus sanctitatis.* Hoc privilegium, quod solus Christus habuit, soli matri communicavit: *Matri talia præbuit privilegia, quæ etiam habuit solus, & illi quoque soli dedit.* Ut in gratia conciperetur: nam alii homines in peccatis generantur. *In peccatis concepit me mater mea.* Psal. 50. n. 7. Hæc tamen
Psalm. 50. doctrina intelligenda est cum distinctione
Puritas Deiparæ imitatur puritatem filii sui. sæpè data, Christus habuit conceptionē, & generationem in gratia, & sanctitate per naturam, & essentiam, ut verus Deus, Deiparæ verò ut puræ creaturæ hoc concessum est ex
D. Ambros. gratia, & privilegio. Cum D. Chrys. choret D. Ambros. *in Psal.* 40. ubi introducitur Christus loquens cum sua Sanctissima matre, & ait: *Generationis meæ privilegium in te recognosco. quam nulla potuit macula inquinare peccati.*

55. Tertiò De suo Sanctissimo filio Jesu testa-
Cantic. 1. tur Sanctissima Virgo. Cantic. 1. n. 12. *Dum esset Rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suum.* Ex Hebræo legunt omnes, *Cum*
Hebr. *esse Rex in circulo suo.* Circulus typus est æ-
Pierius. ternitatis teste Pierio Valerian. *lib.* 18. Hieron. ex eo quia circulus principio, & fine caret, & inde æternitatem adumbrat; idem est, ac si diceret, cum supremus Rex meus Sponsus, & Deus Omnipotens constituisset decretum æternæ prædestinationis, ibi prædefinitum fuit, ut *Nardus mea dedisset odorem suum.* Nardus vel est unguentum pretiosum, ut pa-
Ioan. 12. tet ex Ioan. 12. num. 3. ubi dicitur, *Maria accepit libram unguenti nardi pistici*, vel ut alii volunt, est herba odorifera; & ubi
Græcus. nos habemus in nostra vulgata, *Nardus mea dedit odo em suum*, Origenes, ac Græci legunt, *Nardus mea dedit odorem ejus.* Res valdè mira! Præter communem rerum ordinem una planta, vel unum odoramentum dat suum proprium, & genuinum odorem, quis vidit unquam, quod Rosa exhalet ut platanus, vel cinnamomum, & balsamum vaporem det ut thus? cur ergo non ait Sponsa Sancta, Nardus mea dedit proprium odorem suum, *sed odorem ejus*, nempe filii mei. Idem est ergo ac si dicat Sanctissima Virgo, ab æterno prædisposuit Deus suo decreto, ut Nardus mea, mea nempe natura, meáque persona, non dedisset proprium odorem suæ naturæ humanæ: nam hoc esset valdè fœtidum utpote infectum culpa originali, sed dedisset odorem filij mei, qui est impeccabilis per naturam, cum omni
Deipara puritas dat odorem filii sui. justitia, & sanctitate, ut de ejus odore hauirem, & participarem, ut in me totum esset Sanctum, purum absque aliqua macula.
Origenes. Origenes *homi. 2. ex quatuor.* Ita ait: *Nardus mea odorem mihi detulit sponsi, veluti separato naturali odore suo præ fragrantia ejus ipsius mihi detulit suavitatem.* Duo odores in hac divina planta Maria possunt considerari unus naturalis ex propria humana natura, alter supernaturalis ex filio suo Jesu. Quid inde *superato naturali odore suo.* Quod erat ex propria natura *præ fragrantia ejus, ipsius mihi detulit suavitatē*, ex suo nempe decreto mihi detulit plenitudinem, ac suavitatem gratiæ,

& sanctitatis ejus ut in omnibus illius Mater appearem.

Quartò. *Sapient. 7. n. 26.* dicitur: *Speculum sine macula Dei majestatis, & imago bonitatis illius.* Quæ verba à Patribus, ac expositoribus Beatæ Virgini adaptari solent. Dicitur, *Speculum sine macula Dei majestatis imago bonitatis illius.* Non decantatur imago omnipotentiæ, immensitatis, æternitatis, vel aliorum attributorum; sed *imago bonitatis illius*, id est, illius puritatis, ac sanctitatis, ut est communis vox interpretum, quæ bonitas, & sanctitas divina relucet in Deipara, tanquam in speculo Chrystallino sine macula, quod magis explico ex mente Divi Augustini, qui D. August. de hac Sanctissima Virgine, sic ait sermone de Nativitate. *Si formam Dei te appellem digna existis.* Cur magnus Doctor eam dicit *Deipara Dei imago, ac forma.* Dei formam; quia in se habet perfectam Dei similitudinem, in omnibus referens ipsum Deum. In hoc sensu Divus Paulus intelligit Philip. 2. formam *ad Philipp. 2. n. 7.* agens de Christo Domino. *Qui cum in forma Dei esset, non rapinam, arbitratus est esse se æqualem Deo* Et quo- D. Thom. modo Christus Dei forma. Explicat D. Thomas *in eadem epist ola ad Philipp lect. 2.* & ait: *Dicitur Christus filius, verbum, & imago, sed imago non dicitur perfecta, nisi habeat formam, cujus est imago.* Imago ut sit perfecta debet habere formam illius, cujus est imago; cum ergo Sanctissima Virgo *sit imago bonitatis Dei.* Inde consequens est, quod ut sit perfecta, debet habere formam illius, cujus est imago inde præclarè ait D. Augustinus, *Si formam Dei te appellem, digna existis.* Adeo enim Beatissima Virgo simillima est cum Deo, ut potius videatur referre formam divinam, quam humanam; *Imago non dicitur perfecta, nisi habeat formam illius, cujus est imago.* Indè de Beatæ Virgine ait Iunilius Iunilius. Africanus, *Christo simillima, quod nunquam peccatum commisit.* Unde tantam Dei formam, imaginem, ac similitudinem admi- *Pulchritudo Mariæ Ingenium summ Artificis con tinet.* rans Ioannes Geometra sic modulatè canit Geometra. Hymno 3. *Gaude Virgo, decus naturæ, pulchráque imago, quæ summi genium continet Artificis.* Tam præclarum consummatum, ac perfectum est hoc opificium B. Deiparæ, ut in eo maximè reluceat, ac resplendeat, ingenium, potentia, ac scientia supremi Artificis.

Quintò. Vidit Parens meus Elias, & ait: 57.
Ecce nubecula parva, quasi vestigium hominis ascendebat de mari, 3. Regum 18. num. 44. in 3. Reg. 18. qua nubecula, ut jam dixi *tom. 1. in Evangel. lib. 1. cap. 3. quæst. 1. num. 5.* ex Joanne Je- Ioan. Ieros. rosolymitano, Josepho Antiocheno, Gilli- Antioch. berto, Platina, Petro de Oiedo, Lezana, Ægy- Platina. dio Lusitano, Salazar, & aliis multis, quos Lezana. citavi opusculo de Elia *Resolut. 1. q. 3. num. 65.* ibi revelatum fuit nostro Sanctissimo Parenti Immaculatæ Conceptionis Virginis mysterium: nam nubes, etsi à mari exoriatur, tamen valdè diversæ est conditionis ab ipso: nam mare, amarum, salsum, gravidum, & ponderosum, opacū, & sterilizans; nubes verò ab his omnibus qualitatibus valde alienæ; dulcis, suavis, levis, lucida, & maximè fertilizans; sic & Sanctissima Virgo, quamvis orta sit, ex natura humana, tamen tota est pulchra,

ſuavis, dulcis, & levis, ſine amaritudine, ac pondere peccati, ac illius fœtore; tamen in præſenti, maximè in rem noſtram, id quod dicitur, *quaſi veſtigium hominis*, id eſt, referēs ſimilitudinem, ac formam veſtigij hominis, ut eſt communis expoſitio, ſed cujus hominis importabat ſimilitudinem, Chriſti Domini nempe, ut jam alibi notavi ex D. Auguſtino *ſerm. 201. de tempore*, & ait: *Ne forte aliquis dubitet nubem illā veſtigium hominis habuiſſe, dixit illius utique hominis, qui dixit, quem dicunt homines eſſe filiū hominis.* Proindeque nubes illa præfigēs immaculatam Conceptionem Virginis Mariæ, præferebat veſtigium, & ſimilitudinem Chriſti Ieſu: *Equitatui meo aſſimilavi te amica mea.* Cantic. 1. num. 9. Arabicus legit, *Equo meo aſſimilavi te amica mea.* Per equum Aponi. Theodoretus intelligunt Chriſti humanitatem, cui inerat divinitas; huic ergo humanitati ait aſſimilavi te amica mea. De hac ſimilitudine Virginis multa dixi *tom. 1. in Evangel. lib. 1. cap. 5. quæſt. 49. n. 147. & tom. 3. cap. 17. quæſt. 19. num. 132. & tom. 5. lib. 8. cap. 17. quæſt. 13. nu. 83. & tom. 6. cap. 2. Matth. q. 8. n. 41.*

Cantic. 1. Arabicus. Apoi. Theodor.

Quæstio X.

Veritas immaculatæ Conceptionis Virginis demonſtratur ex perpetua traditione Eccleſiæ à tempore Apoſtolorum.

59. SAtis notum eſt, quanta ſit auctoritas traditionum Eccleſiæ, de quo latè agunt Theologi cum D. Thoma 3. *part. quæſt. 27. artic. 1. diſt. 3. quæſt. 1. quæſtiunc. 3 ad 3.* & in materia de fide, quod nos docet Apoſtolus 1. *Timoth. ultimo*, dicens: *Tene traditiones, quas didiciſtis, ſive per ſermonem, ſive per epiſtolam noſtram* Utroque modo noſtram veritatem, ſive per ſermonem, ſive per ſcripta, ex ore Apoſtolico habitam.

D. Thom. 1. Tim. 6.

60. Et primum ſit, ex libris Sanct. Cecilij & Sanct. Teſiphon, qui fuerunt diſcipuli Sancti Jacobi Apoſtoli Majoris, qui libri litteris Arabicis in monte Sancto Granatæ reperti ſunt, pro quorum librorum approbatione exactiſſima, & rigida examina ſunt facta. In quodam Concilio Provinciali convenientibus doctiſſimis, & graviſſimis Viris; & poſtea ex mandato Sereniſſimi Regis Philippi III. In quodam congreſſu Magnorum Virorum Præſidente Illuſtriſſimo Domino Archiepiſcopo Toletano, appoſitis, & ſolutis argumentis in contrarium, iterum prædicti libri fuerunt examinati, & approbati, ut teſtatur Illuſtriſſ. Dom. D. Fr. Franciſcus de Souza Epiſcopus de Oſma, qui interfuit in prædicto congreſſu *libro pro Immaculata Concept.* & referunt Frāciſcus Bavierius, & Thomas Tanajo *in dexterum ad annum Chriſti 308. nu. 9.* Lezana *de Concept. c. 16.* Ægid Luſitan *lib. 3. de Concept q. 3. art. 1. ſect. 4. §. 7.* Madeira *in defenſorio pro Reliquiis Sanctorum.* Fr. Joſephus de Jeſu Maria *in vita Deiparæ noſtræ, cap. 20. num. 2.*

Franciſc. Oſma. Bavier. Tanaj. Lezana. Ægid. Madeir.

In prædicti libris Sancti Cecilius, & Teſiphon dicunt, quod Sancti Apoſtoli in quodam Concilio Hieroſolymis habito dixerunt, & declararūt, quod *illa Virgo, illa Maria, illa Sancta præſervata fuit à peccato Originali in primo inſtanti ſuæ Conceptionis, & libera ab omni culpa, & qui ita non ſenſerit, non conſequetur ſalutem æternam.* Ita ex Arabico ſunt verba Latinè donata; forſitan ultima verba, *& qui ita non ſenſerit, non conſequetur ſalutem æternam*: addita ſunt à Sanctis Cecilio, & Teſiphon. 61. S. Cecil. S. Teſiphon.

Sanctus Gabriel Archangelus revelavit B. Amadæo, ut conſtat ex quodam libro ſervato Valliſoleti, ut refert citatus Epiſcopus Souza, & illum ſe vidiſſe teſtatur Fr. Joſephus de Jeſu Maria *citatus num. 4.* Revelavit ergo Archangelus, quod Sancti Apoſtoli miris laudibus celebrarunt Sanctiſſimam Deiparam, & quod facit ad rem noſtram Sanctus Andreas dixit: *Tu ſola fuiſti præſervata ab univerſali condemnatione omnium, mortua non fuiſti in Adamo, unica, & ſola immaculata.* Sanct. Thomas Apoſtolus dixit, *O felix, quæ in principio viarū, fuiſti electa, & in præviſo peccato Adami, non fuiſti cum aliis damnata, imò ob merita filij tui, præter aliorum conditionem ſic fuiſti præventa, ut nec in minimo momento extitiſti ejus inimica, ſed ſemper amica.* Sanct. Matth. Apoſtolus dixit, *Sicut nix tua albedo! ô Maria immaculata, juncus liſus abſque nodo, Spiritus ſanctus ab æterno te præſervavit, ſanctificavit, illuminavit, ac ſingularibus privilegiis condecoravit.* Sanctus Matthias Apoſtolus hoc modo loquitur, *O Beata Maria non fuiſti concepta in peccato, imò ſemper plena, omni gratia, ac ſapientia.* 62. S. Amad. D. Thom. Apoſtol. Matth. Apoſtol. Matth. Apoſtol.

Ratio, quam ſacri Apoſtoli habuerunt, ad decantanda talia Virginis præconia, nobis non conſtat, tamen poteſt colligi ex his quæ tradit D. Dionyſius *cap. 3. §. 1. de divinis nominibus*; quod poſtquam Sanctiſſima Virgo efflavit ſacratiſſimam animam, convenerunt Apoſtoli ad funerandum illud divinum corpus Iacobus Epiſcopus Hieroſolymitanus, D. Petrus, & alij Apoſtoli, ac Diſcipuli Domini, & poſtquam venerati ſunt illud corpus, quod in ſe Deum receperat; omnes Apoſtoli illius laudes decantaverunt; unuſquiſque juxta ſuum Spiritum, extollentes Dei bonitatem, quæ in eo tot, ac tanta mirabilia fuerat operata; inde conſequens fit, quod Apoſtoli non præterierunt magnum privilegium præſervationis à peccato originali; ſed illud, ut illuſtre, ac præclarum principium aliorum Magnalium, ac divinæ, & ſupremæ electionis intonarunt, & hoc maximè ex eo comprobatur, quia ut teſtatur Juvenalis Epiſcopus Jeroſolymit. apud Euthymium *lib. 3. Hiſtor. cap. 3.* Apoſtoli, & cæteri fideles per tres dies integros, ac continuos perſeverarunt in his Virginis præconiis celebrandis; & hoc ex eo facilè perſuadetur, quia apud antiquos Chriſtianos extitit celebris conſuetudo, quod in actibus funeralibus publicè dicebantur, ac evulgabantur præconia, rerum geſtarum demortui, ut teſtatur D. Dionyſius *de Eccleſiaſtic. Hierarch. cap. 7. in principio.* D. Clemen. *lib. 6. Conſtitut. Apoſtolicar. cap. 2.* Tertullian. *de Corona militis*, & ex illis multi alij 63. D. Dionyſ. *Funeralia D. Virg. multis encomiis Apoſtoli celebrarunt.* Juvenalis. Euthym. D. Dionyſ. D. Clem. Tertullian.

alii antiqui, ex quo à fortiori credendum eſt, quod Apoſtoli in his non defuerunt, ſed abundantiſſime illud peregerunt in celebrandis funeralibus Beatiſſimæ Virginis.

64. Extant etiam alia præclara teſtimonia Apoſtolorum de hac re, & primo, & valdè celebre de hac re eſt illud D. Andreæ Apoſtoli, ut refert Abdias Abylonicus lib. 4. ſuæ Hiſtoriæ in hæc verba. *Sicut de Immaculata terra, & nunquam maledicta factus fuerat primus homo, ita ex ſemper Immaculata Virgine formatus fuit ſecundus Adamus.* Hanc ſententiam publice prædicavit ſanctus Apoſtolus adſtante Proconſule Egea, ut ſcribunt Præſbyteri Achaiæ in libro de Paſſione ſancti Andreæ. Hanc Hiſtoriam ut magni ponderis, ac auctoritatis venerantur *Bellarmin. lib. 4. de ſtatu peccati cap. 15. & lib. de ſcriptorib. Eccleſiaſt. ad finem 5. ſaculi.* Caniſi. *lib. 1 cap. 7.* Lyppoman. & alii, & merito ſane. Nam in illis Deipara ſacratiſſima, terræ, ex quâ primus Adamus formatus eſt, comparatur; & cum Adamus creatus fuiſſet ex terra, quæ nullam Dei maledictionem obtinuerat, ſic & ipſa puriſſima Virgo ſecundo Adamo, nempe Chriſto Domino ſuppeditavit materiam, quæ nullam in ſe peccati maledictionem admiſerat, & ab illa omninò erat aliena, & libera.

Andreas. Apoſtol. Abdias. Presbyter. Bellarm. Caniſi. Lippoman.

65. Secundum teſtimonium in hac re nobis dat ſanctus Jacobus Minor Epiſcopus Hieroſolymitan. qui in ſua Liturgia, de qua multoties facit mentionem Sexta Synodus *c. 32.* & eam nobis dedit Proclus Conſtantipolit. Patriarcha, qui in Synodo Epheſina contra Neſtorium pugnavit. Sic ait ſanctus Apoſtolus in citata Liturgia: *Dignum eſt, ut te vere Beatam dicamus Deiparam, ſemper Beatam, & omnibus modis irreprehenſibilem, & matrem Dei noſtri,* & iterum *Commemorantes ſanctiſſimam, immaculatam, & glorioſiſſimam Dominam noſtram Dei matrem.* Cum ergo Apoſtolus dicat B. Virginem immaculatam omnibus modis irreprehenſibilem, nullam maculam, nil reprehenſibile, in ea agnoſcit, alias eam non diceret immaculatam, & omnibus modis irreprehenſibilem.

D. Iacobus Minor. Sexta Synodus Proclus

66. Similiter & Marcus in ſua Liturgia, de qua quæſt. ſequenti pro Eccleſia Alexandrina Beatam Virginem appellat Immaculatam, ac omnibus modis irreprehenſibilem, & D. Iacobum Apoſtolum, Majorem Eccleſiam, quam in Granata fundavit ſub nomine B. Mariæ Virg. de Pilar dedicaſſe ſub titulo Conceptionis Deiparæ teſtatur Marcus Maximus Epiſcopus Civitatis illius, qui floruit an. 600. quem mirifice laudat D. Iſidorus *lib. de viris illuſtribus cap. 46.* ita modulatur Epiſcopus in quodam hymno à ſe compoſito, ut referunt Murillus in fundatione illius Eccleſiæ, & Epiſcopus, Souza pro Conceptione; & Fr. Ioſeph. à Iesv Maria citatus. num. 4.

D. Marc. Iacobus Apoſtolus Marc. Màxi D. Iſidor.

67. Ex quibus facio hoc argumentū ex optima doctrina D. Irinæi *lib. 3. adverſus Hæreſes cap. 4.* ubi ait, quod quando emerſerit aliqua quæſtio, vel dubitatio non ab aliis quærenda eſt veritas, ſed tantum ab Eccleſiis, quæ fundatæ ſunt ab Apoſtolis. Ait ſanctus Doctor. *Non oportet apud alios veritatem quærere, quando facile eſt ab Eccleſia ſumere, cum Apoſtoli, quaſi in depoſitorium dives pleniſſime in eam contulerint omnia, quæ ſint veritatis.* Et ſubdit, *quod debet fieri ex ſcripto, vel traditione Apoſtolorum.* Atqui Eccleſia Hieroſolymitana fundata à Iacobo Apoſtolo ejus Epiſcopo, Eccleſia Hiſpanica erecta à Iacobo Majore; Alexandrina à D. Marco, Achaica à S. Andra, ſcripto, & traditione: hanc veritatem tenent de pura, & immaculata Conceptione Virg. Mariæ, ergo non eſt quid amplius quærendum.

D. Irinæus.

Quæstio XI.

Veritas Immaculatæ Concept. Virg. Mariæ recte demonſtratur ex antiquiſſimis feſtivitatibus illius, à tempore Apoſtolorum.

68. CErtiſſimum eſt feſtum Immaculatæ Conceptionis Virg. Mariæ celebari univerſaliter in tota Eccleſia à tempore Sixti IV. anno 1480. Licet antea tam in Romana Eccleſia, quam in multis aliis tacita, vel expreſſa licentia Summi Pontificis celebraretur. Et noſter Ioannes Bachonius, qui floruit circa annum 1220. in 4. diſt. 2. quæſt. 3. art. 3. teſtatur, *quod ab antiquiſſimis temporibus feſtum conceptionis in Romana curia præſentibus Cardinalibus, in Carmelitarum conventu celebrabatur.*

Sixtus IV. *Feſtivitas Conceptionis antiquiſſima in Eccleſia Carmilitarum.* Bachonius.

69. Inquiramus antiquiſſima tempora, de quibus loquitur noſter Bachonius, & certum habetur, quod hoc feſtum publice celebratum fuerat in Anglia à tempore D. Anſelmi, ſcilicet ab anno 1060. Nam quod D. Anſelmus primus inſtituiſſet hanc Conceptionis celebritatem in Anglia, teſtatur Concilium Canturienſe, anno 1328. Teſte noſtro Bachonio *quodlibet 3. quæſt. 13.* & ex multis aliis notat Bachonius *in Kalendario die 8. Decembris.*

Bachon. D. Anſelm. Anglia.

70. Longe antiquius D. Anſelmo eſt feſtum Conceptionis, nam in multis antea Eccleſiis celebrabatur, ut patet ex *Martyrolog. Bedæ*, qui floruit anno 730. In quo invenitur hoc feſtum jam appoſitum, quod etiam fit manifeſtum *ex Kalendario Græco*, quod tribuitur D. Damaſceno, qui floruit eodem tempore cum Beda.

Beda. D. Damaſc.

71. Quartò. Altiori tempore ante Bedam, & Damaſcenum deprehenditur in Hiſpania feſtum conceptionis celebratum, ut manifeſtatur *ex Kalendario* Sancti Iſidori, qui ex mandato Concilii Quarti Toletani, compoſuit, ac reformavit Breviarium Hiſpaniæ, quod appellatur *Moſarabe*, ut tradunt Ambroſius de Morales *lib. 11. cap. 19.* Mariana *lib. 6. c. 5.* Loarza *in Annotationibus ad dictum Concilium* Baroni *tom. 8. anno 673.* Floruit autem D. Iſidorus *circa annum 630.* Concilium autem celebratum fuit anno 643.

D. Iſidor. Conc. Tolet. Morales. Maria. Baron. Hiſpan.

72. Quinto. Adhuc in majori antiquitate invenimus feſtum Conceptionis celebratum multo longiori tempore ante D. Iſidorum; nam Oroſius auctor antiquiſſimus, ac graviſſimus, qui floruit anno 400. In Epiſtola ad Euſtochium, ex quo hæc verba refert Oieda in ſua

Oroſius. Oieda.

informatione pro concept. cap. 5. fol. 11. *Coram Deo novi, & in veritate comperi, quod nulla mulier in partu periclitatur, ſuper quam Mariæ gratia devotè imploratur, & dies conceptionis celebratur.*

73. Sextò. Aſcendamus jam ad primitivam Eccleſiam ad tempus nempe Apoſtolorum, de quo teſtatur Flavius dexter auctor magnæ auctoritatis contemporarius, & amiciſſimus D. Hieranti, ad quem dedicavit ſua opera, & floruit circa annum 430. Sic ſcribit ad annum 308 n. 9. *A Iacobi prædicatione celebratur in Hiſpania feſtum immaculatæ, & illibatæ Conceptionis Dei Genitricis Mariæ.* Aliqui valdè ſiniſtre Flavium interpretati ſunt, ut dicant, ipſum non agere de Virginis Conceptione Activa in vtero ſanctæ Annæ, ſed de Conceptione paſſiva, quando divinum verbum concepit, hoc evidenter patet quantum diſtet à vera intelligentia, nam in omnium ore Conceptio Immaculata, & illibata intelligitur de Conceptione Deiparæ in utero Sanctæ Annæ.

Flavius Dextr.

Tempus Apoſtolorum.

74. Probatur etiam ex Liturgia Sancti Jacobi Minoris lingua Syriaca ſcripta, de qua ſuperiori quæſt. ego, qui cum dicitur, *Mementote præcipue Sanctiſſimæ Immaculatæ, & ſuper omnes benedictæ glorioſæ Dominæ Mariæ.* Reſpondebat chorus: *Dignum eſt, ut te vere Beatam dicamus Deiparam, ſemper Beatam, & omnibus modis irreprehenſibilem matrem Dei.* Ex quo fit manifeſtum Eccleſiam publice auctoritate Jacobi Apoſtoli in Miſſa decantare Virginem illibatam omnibus modis irreprehenſibilem. Tertiò. Id etiam conſtat in Eccleſia Ægypti ex traditione Sancti Marci Evangeliſtæ, in quodam libro dicto *Noviteſtamenti* habetur *in Conceptione Vir. Mariæ legatur Evangelium Beatus venter.* Titulus autem feſtivitatis eſt. *Lectio in Conceptione Deiparæ Mariæ*, quòd ex graviſſimis Auctoribus refert Ægydius Luſitan. *De conceptione lib. 3 q. 6. art. 1. §. 13. n. 221. fol. 318.*

Iacobus Min.

S. Marcus.

Ægidius.

75. Et jam ante Apoſtolos myſterium Conceptionis Virg. fuiſſe revelatum Parenti Eliæ, ut ex Ioanne Hieroſolymitano, & aliis multis ſupra dixi *quæſt. 9. in fine*, & tenet ipſe Ægidius citatus *n. 222.* Quam revelationem Elias ſuos diſcipulos docuit, qui ſemper in veneratione tanti myſterii perſeverarunt, de quo latius egi *Opuſculo 3. de Elia, Reſolut. 1. quæſt. 3.*

In Carmelo feſtum Conceptionis.

Triplex Argumentum.

76. Primo. Eccleſia ſancta Romana non poteſt errare in celebrandis feſtivitatibus Sanctorum, ſed Eccleſia Sancta Romana non ſolum celebrat feſtum Conceptionis, ſed etiam illud præcipit celebrari; ergo in celebratione Conceptionis B. Virg. ſub titulo Immaculatæ Conceptionis errare non poteſt. Conſequentia recte colligit; minor eſt evidens, quia Eccleſia nō ſolum celebrat feſtum Conceptionis, ſed etiam pro ejus feſtivitate concedit indulgentias. Major probatur, quia cum Eccleſia habeat aſſiſtentiam Spiritus Sancti, fieri non poteſt, ut det religioſum publicum cultum alicui, cui non debetur ut perſonæ in ſtatu damnationis, ut probat D. Tho. 2. 2. q. 93. art. 1. *in fine & ad 3.* Alias talis cultus eſſet contra virtutem Religionis, & ratione mendacii, ac deceptionis eſſet valde pernicioſus, & ſupeſtitioſus, ut docet ibid. D. Th. ergo ſi Conceptio Virginis non fuiſſet pura, & illibata, Eccleſia quæ eſt columna veritatis, non dediſſet illi cultum, ergo cum illum tribuat, pura, & ſancta eſt Conceptio.

Eccleſia non errat in celebratione feſtivitatum.

D. Thom.

Probatur ſecundo ex eo, Patres, & Theologi probant, Beatam Deiparam ex utero matris ſuæ Annæ natam fuiſſe in gratia & ſanctam abſque peccato originali, quia Eccleſia ejus feſtum celebrat, ergo à fortiori ex eo quod celebrat feſtū Immaculatæ Conceptionis tenendum eſt, quod ipſa virgo in ſua Conceptione extitit pura, & immaculata. Antecedens eſt Patrum doctrina. Ex D. Bernard. Epiſtol. 174. *ad Canonicos Lugdunenſes.* D. Idephonſ. libro de Virginitate Virginis ſic ait, *Quia ejus nativitas tam ſolemniter colitur: conſtat ex auctoritate Eccleſiæ, quod nullis, quando nata eſt ſubjacuit delictis.* Et hoc aperte ſupponit D. Thom. *3. p. q. 27. art. 1. in Argumen. ſed contra.*

77. *Ex feſtivitate nativitatis argumentum.*

D. Bernard.

D. Ildeph.

D. Thom.

Probatur tertio. Conceptionis dies multa feſtivitate celebratur in tota Eccleſia ſub duplici majori; & cum Octava; ita ut valde ſit ſolenniſſimus, & maximè in Hiſpania, ac Luſitania, quod ex flatu Spiritus ſancti eſt ordinatum ad oſtenſionem veritatis puriſſimæ Conceptionis: præcipit Concilium Tridentinum *Seſſion. 13. cap. 5. de ſacra Euchar.* Sacramentum cooteris Chriſti magna feſtivitate, ac ſolemnitate celebrari; Ait Concilium, *Sic quidem oportuit victricem veritatem de mendacio, & hæreſi triumphum agere, ut ejus adverſarii in conſpectu tanti ſplendoris, & in tanta univerſæ Eccleſiæ lætitia poſiti, vel debilitati, & fracti tabeſcant vel pudore affecti, & confuſi aliquando reſipiſcant.*

78. *Ex magna feſtivitate.*

Trident.

Quæstio XII.

Veritas puræ, & Immaculatæ Conceptionis oſtenditur ex verbis, & modo loquendi Conciliorum.

79. Frequenter in multis Conciliis Generalibus dicitur ſanctiſſima Deipara pura, illibata, & immaculata. In Concilio Tertio Generali celebrato anno 303. ut teſtatur Phocius in *Epiſtola ad Bulgariæ Principem.* & in Concilio ſexto Generali an. 320. Actione 2. dicitur. *Quæ Immaculata ſemper extitiſti ab exordio tuæ creationis, quia paritura eras creatorem totius ſanctitatis.* Maxime notanda ſunt verba *Immaculata ſemper extitiſti ab exordio tuæ creationis.* In epiſtola Sophronii habetur, *Mariam ab omni contagione, ſive labe liberam fuiſſe credimus.* In Conc. Toletano ſecundo anno 675. in Profeſſione fidei ſic habetur, *Solam filii perſonā pro liberatione humani generis hominē verum ſine peccato de ſancta, & Immaculata Maria Virgine, credimus aſſumpſiſſe.* In ſeptima Synodo Generali, quod fuit ſecundum Nicænum An. 787. Acti. 3. dicitur *Veneramur etiam, & adoramus Imaginem Deiparæ & Dominæ noſtræ irreprehenſibilis, & Immacu-*

Concilium 3. Generale.

Sophronius.

Toletan. ſecundum.

Secundum Nicænum.

Franco ford. *Immaculata.* In Franco-fordenſi epiſtola ad Epiſcopos Hiſpaniæ, ſcribitur *Virgo immaculata, prorſuſque pura.* Concilium Oxonienſe celebratum in Anglia anno 1220. eodem modo loquitur & præcipit celebrari feſtum Conceptionis Deiparæ ut tutatur Fernandus Ojeda in Relectione de Conceptione *cap.* 12.

Concil. Oxonienſe.

Concil. Cantuarien. Similiter & Concilium Cantuarienſe citatum à noſtro Baconio *quolib. 3. quæſt.* 13.

80. Nec poteſt dici; quod Beatiſſima, virgo dicitur à Conciliis pura, Immaculata, irreprehenſibilis, à peccatis nempe actualibus tantum, hoc nullo modo poteſt dici; quia ſi habuiſſet peccatum originale, non poterat dici abſolute pura, & immaculata, irreprehenſibilis, ex eo quod erat libera à peccatis actualibus; nam peccatum actuale dicit mortale, & veniale, & majorem notam, ac maculam imponit peccatum Originale, quam veniale, ut eſt notum. Deinde quod ſanctiſſima Deipara dicatur pura, immaculata, irreprehenſibilis omnibus modis, ſi habuiſſet peccatum Originale, locutio eſt valde impropria, per reſpectum ad verum, & genuinum ſenſum, & ſecum importat fictionem, & falſitatem, ut ex multis probant Juriſtæ Mendocius *de Privileg ad inſtar.* Menoch. *de arbitrar. caſu* 314. *n.* 13. Gama Luſitan. *Deciſ.* 223. *n.* 2. Cenedo *Diſtinct.* 33. *num.* 2. Barboſ. *in Deciſion. Dictione* 252. *num.* 2. Verba autem Conciliorum ſimpliciter, & abſolute ſunt vera, & nullam important fictionem, vel falſitatem.

Reſponſio rejicitur.

Mendoc. Menoch. Gama. Cenedo. Barboſa.

Conc. Baſil. Omitto auctoritatem Conſilii Baſileenſis, quod celebratum fuit anno 1439. ubi ſeſſ. 36. approbat laudabilem, & piam conſuetudinem Eccleſiæ celebrantis Officium Immaculatæ Conceptionis, tamen Concilium rem non definit, ſed loquitur ſecundum piam, & laudabilem conſuetudinem, ut notant Corduba *lib.* 1. *Quæſtion. quæſt.* 40. *poſt* 6. *Concluſ.* Bellarm. *lib.* 4. *de amiſſione gratiæ, & ſtatu peccati cap.* 15. §. *Deinde.* Et quod magis eſt illud Concilium tempore Decreti jam non erat legitimum, utpote continuatum ſub Amadæo Antipapa renuente Eugeno vero Pontifice; Unde Concilium pro tali tempore fuit acephalum, & conciliabulum declaravit Leo X. *in Concil. 3. de Lateran. ſeſſ.* 15. in Bulla, quæ incipit, *Pater Æternus.* Et Eugenius IV. & Nicolaus V. nulla illius Concilii Decreta approbarunt, nec confirmarunt, de quo Ægid. Luſitan. de Concept. *lib. 3. q. 3. art. unico, ſect. 2. n.* 8. *fol.* 170.

Corduba. Bellarm. Leo X. Eugen IV. Nicol. V. Ægid. Luſit.

Quæstio XII.

Veritas Immaculatæ Conceptionis Virginis Mariæ oſtenditur, ac declaratur Auctoritate multorum Summorum Pontificum.

81. DEus ſua infinita, & alta ſapientia, ac providentia gubernans ſuam Eccleſiam diſponit, & ordinat, ut non omnia myſteria ſimul aperiantur, ac exponantur, ab ipſa Eccleſia, ſed ſenſim pro præſenti occaſione, rerum ſtatu, ac capacitate fidelium, & opportunitate temporis, quod Chriſtus Dominus nobis inſinuavit; nam poſtquam in ultima Cœna ſublimia, & alta docuiſſet ſuos diſcipulos. Ioan. 16. n. 12. addit, *Multa habeo vobis dicere, ſed non poteſtis portare modo, ſcietis autem poſtea:* Non poteſtis portare modo omnia, nempe illa, non poteſtis corde, & animo intelligere, capere, ac retinere. Divus Chryſoſt. *homil.* 77. *in Matth* ſic loquitur in perſona Chriſti; *Non eſt ignorantiæ meæ adſcribendum, quod non dicam, quæ dicere oportet, ſed audientium imbecillitati.* Unde laudatur *fidelis ſervus, & prudens, quem conſtituit Dominus ſuper familiam ſuam, ut det illis cibum in tempore.* Matth. 24. *n.* 45. D. Lucas ſcribit *c.* 12. *n.* 42. *ut det illis in tempore tritici menſuram.* Dat triticum, & cibum doctrinæ ad menſuram temporis, occaſionis, ac capacitatis Audientium.

Ioan. 16. *Omnia myſteria non ſimul aperiuntur.* D. Chryſ. D. Matt. 24. D. Luc. 12.

Hinc Eccleſia recte comparatur Auroræ. 82. Cantic. 6. num. 9. *Quæ eſt iſta, quæ progreditur quaſi Aurora conſurgens.* Aurora quippe temporis proceſſu magis ſplendet, rutilatque vehementius; Sic Eccleſia ſancta Divino Spiritu quotidie eam plenius illuſtrante, alta, & ſublimia myſteria pro temporis opportunitate, ac occaſionis nobis aperit, & declarat. De ipſa Eccleſia aſſeritur Cantic. 8 num. 8. *Soror noſtra parva, & ubera non habet,* quo modo hoc dicitur de illa, *ubera non habet,* cum de ea ſcribatur Cantic. 7. num. 3. *Duo verba tua ſicut duo hinnuli.* Et ibid num 8. *Vbera tua ſicut botri,* quomodo aſſeritur de illa, *Soror noſtra parva, ubera non habet.* Quæ verba juxta communiorem ſenſum teſte Giſſerio *in Appendice,* intelliguntur de Eccleſia primitiva, quia tunc erat parva in ſuo exordio, & non habebat ubera ad effundendam magnam copiam lactis ob debilitatem audientium. Theodoret. *Cum nec doctrinæ lac, aut ſolidum cibus poſſit egentibus ſubminiſtrare.* At vero poſtea Spiritu Sancto cooperante, cum adolevit, & vires comparavit, jam habet ubera ut copia lactis ſuæ doctrinæ totum mundum valeat fœcundare. Sic & Summi Pontifices hoc negotio puræ, & immaculatæ Conceptionis aperiendo ac explicando ſenſim ſe habuerunt pro opportunitate téporis, ac imbecillitate aliquorum, qui omnes à Sixto Quarto uſque ad præſens myſterium Conceptionis Virginis maximè venerantes illud explicarunt, non expreſsè definientes, ſed celſitudinem myſterii declarantes, ac fidelium devotionem excitantes.

Paulatim declarantur myſteria ab Eccleſia. Cantic. 7. Gillet. Thodoret.

Series Pontificum.

Primus extitit Sixtus IV. magna devotione 83. affectus ad tantum virginis myſterium, & Sixtus. de hac re quatuor edidit conſtitutiones, & in duabus primis præcipit in tota Eccleſia Romana celebrare officium *ſub titulo immaculatæ Conceptionis,* Quarum prima, & incipit *Grave nimis* expedita fuit anno 1482. Altera eſt Extravag. 2. *de reliquiis, & veneratione ſanct.* expedita fuit anno 1483. & concedit indulgentias pro celebratione ipſius feſtivitatis. In aliis duabus approbat officia Conceptionis, unum compoſitum à Leonardo Nogarolis, alterum à Bernardino de Buttis.

Secundus

84. Secundus Pontifex fuit Innocentius VIII.
Innoc. VIII. qui an 5. ſui Pontificatus approbavit, & confirmavit Religionem Immaculatæ Conceptionis Monialium Toletan. Tertius fuit Alexan-
Alexand. VI. der Sextus anno Domini 1502. approbavit, ac renovavit omnes conſtitutiones Sixti IV.
Iulius II. Leo X. Iulius II. Leo X. Adrianus VI. Clemens VII.
Adrian. VI. Paulus III. Julius III. Paulus IV. Pius V.
Clem. VII Gregorius XIII. Clemens VIII. & alii
Paulus III. Pontifices multas indulgentias pro celebri-
Iulius II. tate feſtivitatis Immaculatæ Conceptionis
Paulus IV. Virginis conceſſerunt, multaſque Eccleſias, &
Pius V. monaſteria erecta ſub titulo Immaculatæ
Greg. XIII. Conceptionis approbarunt, ac confirmarunt;
Clem. VIII. & Leo X. anno 6. ſui Pontificatus fecit illam inſignem conceſſionem oppido de Molina, ut in die Conceptionis poſſint dici matutinalia officia, ſicut die Nativitatis Domini, & à media nocte miſſas celebrare, mutato nomine Nativitatis in Conceptionem. Incipit conſtitutio *Pia Chriſti fidelium*, & ea præſertim Immaculatæ Conceptionis, quæ omnia minutim, & latè refert Petrus de Alva in ſuo libro dicto *Nodus indiſſolubilis* Nodo Primo §. 2. *fol.* 82. *& ſequentibus.*

83. Tandem Paulus V. in ſua Conſtitu. *Regis*
Paulus V. *Pacifici* edita anno 1617. Auguſti 3. ubi inter cætera ſic ait Pontifex. *Propterea volens huiuſmodi ſcandalis ex debito ſui muneris providere decrevit, & præcepit, ac præſentis decreti virtute mandat omnibus, & ſingulis, cuiuſvis ordinis, & inſtituti regularibus, & alüs quibuſcumque tam Eccleſiaſticis, quam regularibus perſonis, cuiuſvis conditionis, & ſtatus, gradus, ordinis, dignitatis tam Eccleſiaſticæ, quàm ſecularis, etiamſi ſpecialis, ſpecifica, & individua, earum eſſet neceſſario mentio facienda, ut*
Prohibet, ne publice contraria ſententia dicatur. *impoſterum, donec articulus hujuſmodi, à ſede ſancta Apoſtolica fuerit definitus, vel per ſanctitatem ſuam, ac ſedem Apoſtolicam fuerit aliter ordinatum, non audeant in publicis concionibus, lectionibus, concluſionibus, & aliis quibuſcunque actibus publicis aſſerere, quod eadem Beatiſſima virgo fuerit concepta cum peccato originali.* Refertur tom. 3. Bullar. fol. 348. &
Ballar. eſt conſtit. ipſius Pontif. 97. contra aliter facientes procedit impoſitis graviſſimis pœnis & ut contra eos procedant Ordinarii Præla ti locorum, ac etiam Domini inquiſitores.

86. Poſtea vero Gregor. XV. In ſua conſtit. 29. huius Pontificis data 24. Maii anno 1622. & incipit *Sanctiſſim. Dominus noſter auditis* Renovat, & confirmat conſtitu. Sixti IV. Alexandri VI. Pij V. Pauli V. Poſt quam præcepit, quod officium de Beatiſſimæ Virginis Conceptione ſolemniter celebretur, Addit,
Aliter nomine non eſt utendum in officio niſi cœpti. *Omnibus, & ſingulis perſonis Eccleſiaſticis tam ſecularibus, quam cujuſvis ordinis, & inſtituti regularibus mandat, ac præcipit, ut in ſacroſancto Miſſæ ſacrificio, ac divino officio celebrandis tam publice, quam privatim, non alio, quam Conceptionis nomine uti debeant. Contravenientes autem ſanctitas ſua, voluit, & declaravit ſubiacere debere, & ſubjecit cenſuris, & pœnis contentis in ſupradictis conſtitutionibus.* Refertur in Bullario fol. 426.

87. Concedit tamen Fratribus Ordinis Prædicatorum, de cætero in quibuſcumque privatis eorum colloquiis, ſeu conferentiis, inter ſe dumtaxat, & non inter alios, aut cum aliis de materia ejuſdem Conceptionis Beatæ Mariæ Virginis differrere, ac tractare, abſque vllo pœnarum incurſu in dictis decretis latarum.

Quæstio XIV.

Veritatem Immaculatæ Conceptionis Virginis Mariæ nobis maximè aperit, & declarat Alexander Septimus in ſua conſtitutione, quæ breviter proponitur, & explicatur.

88. SAnctiſſimus Dominus noſter Alexander
Alexander. Septimus. ſeptimo anno ſui Pontificatus die 8. Decembris anno 1661. edidit conſtitutionem in favorem puræ, & Immaculatæ Conceptionis Virginis Mariæ, Quæ incipit. *Solicitudo omnium Eccleſiarum.* Inter cætera ſic habet in corpore, *Conſtitutiones, & decreta à Romanis Pontificibus prædeceſſoribus noſtris, & præcipuè à Sixto IV. Paulo V. Gregorio XV. edita in favorem ſententiæ aſſerentis animam Beatæ Mariæ Virginis, in ſui Creatione, & in corpus infuſione, Spiritus ſancti gratia donatam, & à peccato Originali præſervatam fuiſſe, nec non in favorem feſti, & cultus Conceptionis ejuſdem Virginis Deiparæ, ſecundum piam iſtam ſententiam, ut præfertur, exhiberi innovamus, & ſub Cenſuris, & pœnis, in eiſdem Conſtitutionibus contentis obſervari mandamus*, &c. Inſuper innovat Conſtitutiones Pauli V. Gregorii XV. Ut de contraria ſententia non agatur in publicis concionibus, diſputationibus, Concluſionibus, cæteriſque publicis actionibus, & quod feſtum dicatur celebrari tantum ſub nomine Conceptionis, & non alio.

89. Quamvis omnes Romani Pontifices habeant eandem poteſtatem; auctoritatem, & aſſiſtentiam Spiritus ſancti, tamen ipſe ſua infinita ſapientia, ac providentia, omnia diſponit ſuaviter, & leniter, ut tanta ſuavitate faciliùs veritas inſinuetur in cordibus fidelium. Hac alta providentia diſpoſuit ipſe divinus Spiritus, ut Summi Pontifices hanc veritatem de Immaculta Conceptione ſenſum aperirent, & explicarent Sixtus IV. inſtituit illius feſtum. Paulus V. prohibet, ne contraria ſententia tractetur, & agatur in publicis actionibus. Gregorius XV. ut feſtum celebretur ſub nomine conceptionis, & non alio. Tandem effulget Alexander Septimus, nobis ſublimiter aperiens: *Animam B. Mariæ Virginis in ſua creatione, & corpus infuſione. Spiritus ſancti gratia donatam, & à peccato originali præſervatam fuiſſe.*

Sixtus IV. Paulus V. Gregor. XV. Alex. VII.

90. De Joanne Baptiſta ſcribit Evangeliſta Joannes cap. 1. num 7. *Hic venit, ut teſtimonium perhiberet de lumine.* Deus lux eſt, & in eo non ſunt tenebræ ullæ. Ad quid venit Baptiſta cum eſſet *lucerna*. Ioan 5. num. 33 nunquid lux magna indiget parva luce lucernæ? ad quid ergo venit Ioannes? ut lucerna, ut ſua tenui luce homines aſſuefierent ad ſuſcipiendam lucem magnam; Carthuſianus ait. *Neceſſaria fuit Iudæis iſta præparatio; nam cum rudes*

Ioan. 5. *Animus ſenſim diſponendus ad magna.*

rudes fuerint, immediatè capaces non erant ſupernaturalium, ac cæleſtium documentorum Chriſti, ſed pedetentim inducendi erant ad magna. Magna non ſubito ſunt dicenda, ac proponenda, ne rerum magnitudine, animus opprimatur onere, ſed paulatim diſponendus, ut ſuavius, ac facilius percipiat, & intelligat.

91. In revelatione B. Brigittæ à nobis in exordio propoſita ſic ait Sanctiſſima Deipara famulæ ſuæ Brigittæ, quod placuit filio ſuo, ut multi amici ejus pie de ſua Immaculata Conceptione ſentirent, tamen diſpoſuit ut clareſceret in tempore præordinato. Hoc præſens ſæculum videtur feliciſſimum tempus à Deo præordinatum, ut tanta veritas Immaculatæ Conceptionis clareſceret, & eam nobis referaret Alexander Septimus Summus Pontifex, ſeptimo ſui Pontificatus anno. Cum in Summa temporum ſterilitate Pater meus Elias oraſſet, mandavit puero ſuo, ut proſpiceret contra mare, & cum hoc ſexies feciſſet, *Septima autem vice, ecce nubecula parva, quaſi veſtigium hominis aſcendebat de mari.* 3. Reg. 18. num. 44. per hanc nubeculam; quæ de mari aſcendebat nullam ſecum portans ſalſuginem, ac amaritudinem maris ſignificari ſacratiſſimam virginem Mariam in ſua puriſſima Conceptione, quæ de natura humana nullam ſecum importavit amaritudinem peccati, conſtans eſt graviſſimorum Auctorum ſententia, ut ſupra retuli in hoc Opuſculo quæſt. 9. in fine, & latius *Opuſculo 3. de Elia, Reſol. 1. quæſt. 3.* Quorum multi per vicem ſeptimam intelligunt ſeptem dona Spiritus ſancti, ut ibi dixi, quia ſolum tanta donorum luce poteſt intelligi, ac cognoſci ſublime; & altum myſterium Immaculatæ Conceptionis Virginis, & ideo tantum arcanum nobis aperire, & de illo tam amplam intelligentiam, ac cognitionem dare Alexandro Septimo erat reſervatum; nam in ſuo ſeptimi nomine virtus donorum Divini Spiritus innuebatur, quia ille illuminatus tantum oraculum nobis protulit. Quod anima Beatæ Virginis in ſua Creatione, ac infuſione in corpus Spiritus ſancti gratia donata fuerit.

Revelatio. S. Brigittæ. *5. Reg. 18.* *Ad intelligendum myſterium Conceptionis dona Spiritus Sancti.*

92. Ad Chriſtum Dominum loquitur ſanctiſſima virgo Maria Cantic 8. num. 1. *Quis mihi det te fratrem meum, ut inveniam te foris, & deoſculer te, & jam me nemo deſpiciat.* Pro eo quod nos habemus, *Inveniam te foris.* Græcus legit, *In foro*; hoc eſt in publico, ac manifeſto, expoſtulat ejus oſculum, hoc eſt ut explicat Catena trium Patrum, *ut ejus deliciis fruatur*; Juſti maximè intendunt, ut dona ipſis à Deo data ſint in ſecreto, & abſcondito. Cur ergo illa exoptat, ut in foro, ac publico, ejus oſculo, ac donis gaudeat, & condecoretur. Rationem ſubdit, *ut nemo me deſpiciat.* Aponius, *Deoſculer te, ut prius, & eorum, qui eum ſolebant habere deſpectus, jam nemo eam deſpiciat.* Aliqui non benè intelligentes magnalia divinæ ſponſæ, quibus fuerat ſublimata à ſuo dilecto eam deſpectui habebant, poſtulat, ut hæc fiant publica, & manifeſta, ut omnes recognoſcant ejus excellentiam, & nemo eam deſpiciat. Fuerunt aliqui, etſi pio zelo, qui de Conceptione Virginis non rectè ſentiebant, exiſtimantes eam cum labe originali: Adeſt nunc Alexander VII. qui in foro, ac publico oſculo, & pace privilegii à filio ſuo cõceſſa, ut in creatione animæ, ac in corpus infuſione fuerit Spiritus ſancti gratia donata, *ut jam nemo deſpiciat* & habeat, quid loquatur, & dicat.

Cantic. 8. *Græcus.* *Tres Patres.* *Aponius.* *Declaratur myſterium. Concipientis, ut obmutteſcant aliqui*

93. Nunc vero profundius expendamus verba Pontificis, qui ait *Animam Beatæ Virg. Mariæ in ſui creatione, & in corpus infuſione, Spiritus ſancti gratia donatam, & à peccato originali præſervatam fuiſſe.* In his verbis difficultas inſurgit, pro cujus explicatione duo inſtantia ſunt notanda in anima. Primum inſtans, quando anima immediatè creatur à Deo. Secundum; quando ex vi generationis activæ unitur corpori. In primo inſtanti anima non conſideratur pro tunc fœdata peccato originali, quia in tali ſtatu ſolum habet eſſe à Deo per creationem. In ſecundo verò inſtanti ex vi generationis ab Adamo tunc contrahitur peccatum originale, & homo fit filius Adami. Ita D. Thomas 1. 2. *q.* 83. *art.* 1. *ad* 4. & *in* 2. *diſt.* 18. *q.* 2. *a t.* 1 *ad* 3. Et in hoc ſecundo inſtanti nempe infuſionis animæ in corpus, ſeu illius unionis Beatiſſima Virgo fuit præſervata à peccato originali, pro qua ſententia ſunt ferè infiniti Theologi, teſt. Ægydio Luſitano *de Concept lib* 3. *q.* 10. *art.* 6. *n.* 1. *fol.* 354.

Alexand. *D. Thom.* *Ægid.*

94. Quomodo ergo ait Pontifex, quod anima B Virg. Mariæ *in ſui creatione, & in corpus infuſione fuerit præſervata à peccato originali*, tanquam ſi in illo primo inſtanti fuiſſet præſervata à peccato originali, in quo illud non datur? Fortè fuerunt aliqui qui videntur ſupponere, quòd adhuc jam in illo primo inſtanti jam contrahitur ipſum peccatum, ut videntur ſupponere Iacob. à Valent. *in Pſ.* 45. *ſol.* 132. *col.* 3. & Michaël de Palatio *in* 3. *diſt.* 3. *diſp.* 1. *pag.* 47. *colum.* 2. Cũ ergo Alexander VII. ait, quod B. Virgo fuerit præſervata à peccato originali, in animæ creatione, ac infuſione in corpus, ut radicitus evelleret contrariam ſententiam, & nullum eſſet ei ſubterfugium, & ideo abundantiſſimè declarat, quod in nullo inſtanti, in nulla conſideratione, in nullo ſenſu, nulla in ea fuiſſet peccati originalis macula; notat Gilbertus *ſerm.* 14. *in Cantic.* quod divinus ſponſus paſſim laudat elegantiam ſuæ ſponſæ in Cantic. *Tota pulchra es amica mea,* 4. num. 7. *Immaculata mea,* 5. *n.* 2. *Pulcherrima mulierum* ibid. num. 17. *Columba mea perfecta mea,* 6 num. 7. *Facies tua decora,* &c. Ad quid tanta de pulchritudine repetitio? Reſpondet Abbas, *Præ ſumma charitate, eximio affectu cumulatiſſimè laudat, ne adverſario pateret aliqua rimula* Calumniandi, ac murmurandi; quod in præſenti ita dico.

Iacob. de Valentia. *Palatius.* *Alexand.* *Gilbert. Eximius affectus multiplicat verba.* *Cantic. 4.* *Cantic. 5.* *Cantic. 6.*

95. Et Pontifex tam claris, & apertis verbis rem declarat: *In ſui creatione, & in corpus infuſione fuerit præſervata à peccato originali.* Quæ verba dum conſidero ſtatim mihi venit in mentem illud, quod Gelaſius Papa dixit *lib. de ſacra Euchariſtia*, agens de forma, qua dulciſſimus Iesus illud admirabile Sacramentum inſtituit. Ait Pontifex, *cum Chriſtus Dominus tam apertis verbis dixiſſet: Hoc eſt corpus meum, Hic eſt calix ſanguinis mei, proprio ore tanquam gladio acutiſſimo omnes hæreticos jugulavit;*

Gelaſius. *Matth. 26.* *Ore Pontificis iugulatur ſententia contraria.*

vit; ac iniquorum ora obſtruxit. Cum ergo Pontifex, vices Chriſti gerens in terra, apertis verbis ab ore ſuo protulerit, quod anima B. Virginis in ſui creatione, ac infuſione in corpus gratia Spiritus ſancti donata, præſervata fuerit ab originali peccato, jam ore ſuo oppoſita ſententia eſt jugulata, & aliorum ora obſtructa.

QUÆSTIO XV.

Veritas Immaculatæ Conceptionis Virginis Mariæ comprobatur auctoritate Patrum Græcorum.

96. Proverb. 8. Hebræ. Beda. Caietan. *Doctores ſunt poſtes, qui aperiũt oſtium.* Iob 8.

AIt divina Sapientia Proverb. 8. num 34. *Beatus homo, qui audit me, & qui vigilat ad fores meas quotidie, & obſervat ad poſtes oſtii mei.* Ultima verba (Hebraïca lectio, *cuſtodierit poſtes oſtiorum meorum.*) Beda allegorice exponens locum: *Fores ſuas, & poſtes oſtii ſui, ſcripturas ſanctas, & earum Doctores nuncupat*; ſimiliter Cajetanus: *Poſtes oſtiorum ſapientiæ ſunt Doctores, ſuſtinentes oſtia.* Inde ergo ait divina Sapientia: *Beatus homo, qui obſervat ad poſtes oſtii mei.* Doctores nempe Hos tales Doctores mandat nobis divina Sapientia obſervare, ad eorumque verba, & doctrinam invigilare, ut habeamus oſtium apertum ad veram ſcientiam, intelligentiamque ſcripturarum, & hæc doctrina maximè requirenda eſt ab ipſo fonte, ab ipſáque antiquitate, ab his nempe, qui Apoſtolorum nepotes, diſcipulique diſcipulorum Apoſtolorum extiterunt. Ad hoc documentum perquirendum in antiquitate doctrinæ magnum conſilium nobis præbet ſanctus Job cap. 8. n. 8. *Interroga generationem priſtinam: & diligenter inquire Patrum memoriam*; & ſubdit: *Ipſi docebunt te, & loquentur tibi, & de corde ſuo proferent eloquia.* Hic non intendo congerere auctoritates, ſed tantum eas propono, quæ maximè faciunt ad rem, & non diffusè conterere tempus.

97. Origenes. Primus Origenes, qui floruit circa annum Chriſti 200. homil. 1. ex variis, de ſanctiſſima Deipara ſic ait poſt multa: *Hujus itaque unigeniti, dum dicitur hæc mater Virgo Maria, digna digni, immaculata ſancti immaculati una unicus, unica unici.* Et poſta ſubdit maximè notanda dicens: *Mariam fuiſſe, quæ neque perſuaſione ſerpentis decepta eſt, nec ejus afflatibus veneneſis infecta.* Quæ verba clariſſima ſunt; nam peccatum originale transfunditur ex venenoſo afflatu ſerpentis, à quo B. Maria dicitur libera.

98. Ioan. Ieroſ. Oieda. Paleonid. Trithem. Gilbertus. Salazar. Carthag. Secundò, Ioannes Ieroſolymitanus *lib. de ſtatu Monach. cap. 32.* qui refert Eliam inter Chriſti myſteria, quæ ſuis diſcipulis revelavit primum revelaſſe: *Quod quædam infantula futura erat, quæ ex utero Matris ſuæ, ab omni peccato munda naſceretur.* Et hoc teſtimonio ad probandum myſterium immaculatæ Conceptionis maximè utuntur Petrus de Oieda ex Societate Jesu, Paleonidorus, Trithem. Gilbertus, Salazar, Carthagena, Ægyd. Luſitanus, & alii quos citavi *opuſcul. 3. de Præeminentia Eliæ, Reſol. 1. quæſt. 3.* ſæpè citata.

99. D. Cyprian. Suar. Ægyd. Tertiò D. Cyprian. de Cardinalibus Chriſti operibus ſerm. de Nativit. ait *Spiritu ſancto obumbrante incendium originale extinctum eſt.* Et quanquam aliqui ſanctum Doctorem de fomite peccati voluerunt interpretari, tamen ipſe ſanctus Doctor loquitur abſolutè, & fomes peccati de facto datur ex peccato Adami, & ex deſtitutione juſtitiæ originalis, ac proinde ex peccato originali oritur; Suar. *tom. 1. ad 3. art. 9. 47 art. 3. in Comment.* Ægyd. Luſitan. *de Concep. lib. 4. 7. 2 art. 1. §. 2. num. 25. fol* 401 Proindeque ſanct. Doctor loquitur de peccato originali.

100. D. Hippolit. Quartò. D. Hippolytus, qui teſte Trithemio de ſcriptoribus Eccleſiaſticis floruit ſub Alexandro Principe anno Domini 220. protulit hæc verba. *Qui dixit Honora Patrem, & matrem, ut decretum à ſe promulgatum obſervaret, omnem gratiam Matri, & honorem impendit.* Cum aſtruit omnem gratiam, & honorem impendiſſe, ergo etiam eam, quæ erat ad præſervandum à peccato originali, & quomodo cum hoc poſſit ſtare, quod dedecus peccati originalis admiſiſſet; alias omne honoris decus non dediſſet matri.

101. Proclus. Quintò. Proclus Cyzicenus homilia habita in Concilio Epheſino *tom. 6. cap. 7.* taliter proclamat: *Clemens Deus ex muliere naſci non erubuit, quod enim agebatur, vita erat, nullam inde contrahit labem, quod intra viſcera, quæ citra omnem dedecoris notam condiderat, inhabitat.* Quam veritatem clarius aſſeruit homil. de Beata Virg. quam Franciſcus Turrianus *epiſt l. de peccato originali.* Quæ verba non poſſunt ſtare cum nota peccati originalis. Turrian.

102. D. Athanaſ. Sextò; D. Athanaſius, qui floruit ann. 340. *in epiſtola ad Epictetum* poſita apud eundem in Evangelium de ſanctiſſima Deipara *pag.* 659. ſic ait: *Quæ idcirco gratia plena denominata eſt, eo quod adimpletione Spiritus ſancti omnibus gratiis abundaret, & virtute Altiſſimi obumbraretur.* Nota ſequentia: *Quam virtutem per omnia tempora etiam conceptus ſui habuiſſe confido: nec enim id temporarium in virgine accidiſſe opinor, ſed per omnia tempora hoc illi datum fuiſſe.* Dicitur Maria gratia plena, non quod virtutem Spiritus ſancti habuiſſet per aliquod tempus, ſed illam habuit per omne tempus etiam conceptus ſui, ac proinde à primo inſtanti ſuæ conceptionis: *Quam virtutem per omnia tempora etiam conceptus ſui habuiſſe confido.*

103. D. Cyrill. Alexandr. Septimo. Noſter D. Cyrillus Alexandrinus, qui floruit anno 412. *lib. 6. in Ioan. cap. 15.* ſic ait: *Omnes homines excepto illo, qui de virgine natus eſt, & ſacratiſſima etiam virgine, ex qua Deus homo prodiit in mundum excepta, cum peccato originali naſcimur.* Nec poteſt dici, quod ſanctus Doctor loquitur de Nativitate Virginis, non verò de ejus Conceptione; nam hoc ſtante aſſertum D. Cyrilli non eſt verum, cum dicat, quod *ſolus Chriſtus, & quod ſola Virgo Maria nati ſunt ſine peccato originali*, cum manifeſtum ſit, quod ſine illo Ieremias, & Ioannes Baptiſta nati ſunt; ergo ſanctus Pater nativitatem intelligit conceptionem; ut paſſim multoties fit, quod nativitas accipitur pro conceptione, quæ eſt prima hominis nativitas.

Octavò.

104. Damaſcen. Octavò D.Damaſc. *circa annum 736.orat 1. de Nativitate Virg.* quem variis in locis referunt Soarez, Caniſius, Vaſquez, Lezana, unum, vel alterum illius locum referam, & ait: *Natura gratiam antevertere non eſt auſa, ſed tantiſper expectavit, dum gratia ſuam fructum produxiſſet.* Ordo naturalis ex generatione ab Adamo poſtulabat, ut priùs vitium originale communicaretur, & poſtea gratia adveniret. Altâ Dei providentiâ ſuſpenditur influxus naturæ, cedens gratiæ, dum ſuum fructum produxiſſet, animam Virginis ſanctificando, ut naturæ vitium impeditum; unde non capio, quo fundamento Vaſq. *tom.2.ad 3. diſp. 117. c.4. n.46.* dicat quod præfata verba Damaſceni ſolum oſtendunt ſanctificationem Virg.in ſua Nativitate, non verò Conceptione: *Nam natura gratiam antevertere non eſt auſa*; quia non in Nativitate,ſed in Conceptione influxus naturæ ex Adamo ſuſpenſus eſt,ut priùs gratia ſuum fructum produceret.

Vaſquez.

105. Damaſcen. Secundò. Idem Damaſcenus *orat.1. de Aſſumptione* expendens illud Luc. 1. *Cogitabat qualis eſſet iſta ſalutatio.* Sic ſcribit Sanctus Doctor, *Gratia abyſſum invenit, quæ duplicis virginitatis navem incolumẽ ſervaverat, animam non minus, quam corpus, Virginem cuſtodierat.* In Deipara duplicem virginitatem agnoſcit S Doctor,animæ ſcilicet,& corporis,& æqualiter de utraque virginitate loquitur. Corpus cuſtoditum fuit abſque ulla levis corruptionis macula:eodem etiam modo anima integra,& omnino à qualibet culpa ſervata eſt;quæ virginitas nullo modo in ea reperitur, ſi corrupta fuiſſet peccato originali:unde merito ipſe Damaſc.citata *orat.1.* eam dicit: *Immaculatam conſervatam in Sponſam Dei.* Et *lib 4. de Fide, c.2.* Virginẽ vocat *ſemper Sanctam*, quia nunquam fuit in ſtatu peccati abſque ſanctitate.

Damaſcen

106. D Baſil. Nonò. D. Baſil. qui floruit ad annum 374. *oratione de Verbi generatione, de puritate Virgineæ carnis*, loquens ait: *Ex ſanctitate compacta caro digna erat,ut dignitati unigeniti uniretur.* Quæ verba ſatis latè à multis explicantur: breviter dico ad mentem Sancti Patris.Aliorũ hominũ caro utpote ex Adamo compaginatur, & componitur in ipſa animæ unione infecta peccato originali. *In iniquitatibus conceptus ſum, & in peccatis concepit me mater mea.* Pſalm. 50. At caro Virginis cum ſanctitate componitur, & coadunatur, ut ex tali carne Filius Dei fieret homo, *Vt dignitati unigeniti uniretur:* ac ſi diceret, ut caro Mariæ digna eſſet, ut Filio Dei uniretur.

Pſalm 50.

107. D. Chryſ. Decimò. D.Chryſoſt. qui floruit anno 400. In Liturgia pro Virgine Maria,ſic habet appellans eã *ſemper Beatiſſimam, & penitus immaculatam.* Si ex aliqua parte Beatiſſima Virgo fuiſſet maculata,non diceretur à S.Doctore *penitus immaculata.* Similiter Sophronius *in epiſtola ad Sergium Patriarcham Conſtantinopolitanum*; quæ lecta, & probata fuit *in 6. Synodo Generali*, qui inter multa, quæ ſcribit de Sanctiſſima Virgine Maria. Sic ait: *Qui ita miniſtravit Incarnationi, ut manda, caſta, & incontaminata.* Et ſtatim ſubdit: *Ex inviolabili, & virginali ſanguine ſanctæ, atque immaculatæ Virginis Mariæ Verbum eſt incarnatum.* Similiter multi alii Patres loquuntur Divus Gregorius Thaumaturgus *ſermone 1.de*

Sophron.

Thaumar.

Annunciat. D. Ephrem Syrus *Titul. de Margarita pretioſa.* D.Gregor.Nyſſenus *homil.13. in Cantica.* Theophanes Nyſſenus *in Annuntiatione Deiparæ.* Et German.Patriarcha Hieroſolymitan. *in Theorema rerum Eccleſiaſticarum*, & alii.

D.Ephrem. D.Nyſſen. Theophan.

Quæstio XVI.

Veritas Conceptionis Immaculatæ Deiparæ comprobatur ex teſtimonio Patrum ex Eccleſia Latina.

108. D.Auguſt. ET primò.D.Auguſtinus, & ſanè optimus locus, & non multum communis & vulgaris *ſermone 20. ad fratres in Eremo*, ſic ait: *Maria electa eſt, & ſuper omnes creaturas præelecta omnibus gratis fœcundata, omni virtute; & ſanctitate in utero repleta, ut de mundiſſima matre mundiſſimus filius naſceretur. Et ſicut in cœlo filius habuit Patrem immortalem, & æternum; ſic & in terra haberet matrem omni corruptione carentem. Igitur in cœlo qualis eſt Pater, talis eſt Filius: & in terra qualis eſt mater, talis eſt, & ſecundum carnem Filius.* Comparat Mag. Doctor mundiſſimam matrem cum mundiſſimo Filio, *de mundiſſima matre mundiſſimus Filius naſceretur.* Sed mundiſſimus Filius caret omnino vitio peccati originalis; ergo, & mundiſſima mater. Pergit Sanctus Doctor, *& ſicut in cœlo Filius habuit patrem immortalem* abſque ulla corruptione mortis, *ſic & in terris haberet matrem omni corruptione carentem*, ſcilicet corruptione mortis peccati. Et ſubdit: *In cœlo qualis eſt Pater*, ſecundum nempe naturam Divinam, *talis eſt Filius*; ſecundum ipſam naturam Divinam; *& in terra qualis eſt mater* ſecundum ſuam humanam carnem, *talis eſt ſecundum carnem filius*;ſed filius in ſua carne eſt abſque ulla labe peccati; ergo cum qualis eſt filius, talis eſt mater,fit ut caro matris ſit abſque aliquo nævo venenoſo, alias non erit talis mater, qualis filius.

109. D. Hieron. Pſalm. 77. Secundò. Divus Hieronymus, qui floruit anno 380. ad illa verba Pſalm.77. *Eduxit eos in nube diei*, ſic ait; *Certe nubem levem debemus Sanctam Mariam accipere: pulchre dixit in nube diei, nubes enim illa, non fuit in tenebris, ſed ſemper in luce.* Deipara dicitur nubes levis, nullo nempe pondere peccati gravata, & dicitur *nubes diei*; *quæ non fuit in tenebris, ſed ſemper in luce*: quæ nunquam fuit in tenebris peccati, ſed ſemper in luce diei, divinæ gratiæ, abſque ulla obſcura ſorde peccati,ut idem Sanctus Doctor obſervat *ad c. 9. Iſai.* & ait: *In aula virginali, & nulla ſorde maculata de Spiritu ſancto Dei ſermo proceſſit.*

110. D. Ambroſ. Tertiò. D. Ambroſius Contemporaneus Hieron.de quo aliqua verba referuntur à Catharino, & aliis, quæ apud ipſum Doctorem non inveniuntur, & alia ejus verba ab aliis adducuntur, quæ poſſunt videri non multum clara, tamen apertè Sanctus Doctor Ambroſ. tenet noſtram ſententiam *in c.8. epiſtolæ ad Romanos*, quibus integritas originalis Mariæ

maximè probatur; & ait: *Expiata eſt caro Domini ab Spiritu ſancto in Virgine, ut in tali corpore naſceretur, quale fuit corpus Adæ ante peccatum.* Quibus verbis indicat carnem Virginis expiatam, ac purificatam fuiſſe ad generationem mundiſſimi corporis Chriſti Jesu, quæ ita ſunt accipienda, ut tota Virginis caro fuerit ſummè mundata, ut inde corpus Chriſti conciperetur mundiſſimum, abſque ulla labe originali, ut ante peccatum fuit formatum copus Adami.

111. Quartò. Ildephonſus Archiep. Toletan. qui floruit an. 660. *ſerm. de purificat. & parturit. Mariæ*, ait: *Ergo in qua clauſtrum pudoris integrum permanſit, nulla diſruptio interemit, nulla vexatio carnis, nulla fœditas duræ conditionis, ei in qua vexilla virtutum micarunt, nullum peccatum primæ originis, ut cruciaretur, viguit.* Quæ verba abſque ulla explicatione noſtram ſententiam apertè indicant.

112. D. Illephon. Idem affirmat Sanctus Præſul *lib. de perpetua virginitate Mariæ*, docens quomodo Eccleſia celebrat Nativitatem Virginis Mariæ, ſubdit: *Quia auctoritate totius Eccleſiæ, veneratur ejus nativitas, conſtat eam, ab omni originali peccato immunem fuiſſe.* Et ſtatim pergit: *Nullis ergo quando nata eſt delectis ſubjacuit, nec originale peccatum in utero ſanctificata contraxit.* Quæ verba contendit Vaſquez *tom. 2. ad 3. p. cap. 3. ad finem*, quod ſolum probant ſanctificationem Virginis in ſua nativitate, non verò in Conceptione: ſed cum Sanctus Doctor dicat, *quod in utero originale peccatum ſanctificata non contraxerit*, ſine dubio de Conceptione loquitur, ut oſtendat, quod ejus nativitas fuerit cum gratia, & ſanctitate, hoc alius ab ejus Conceptione oſtendit, & ideò pro noſtra ſententia hunc locum adducunt Catharin. Carthagena, Caſtro, Oieda, Lezana.

Vaſquez. Cartharin. Carthag. Caſtro. Oieda. Lezana.

113. D. Iſidor. Quintò. D. Iſidorus in Officio Eccleſiaſtico ab ipſo compoſito juſſu Concilii IV. Toletani, quod poſtea Hiſpani dicunt *Mazarabe* in die 8. Decembris in feſto Conceptionis Deiparæ in una ex ultimis orationibus dicitur: *Domine IESV Chriſte, qui ſic Virginem Matrẽ honorificaſti quouſque Conceptionis ejus gratia, eam coram te ſuffragatricem invenimus*, &c. & hoc ipſum ſæpè repetitur in eodem Officio ab ipſo compoſito, *ut ſuprà dixi q. 11. n 71.*

114. D. Anſelm. Sextò. D. Anſelm. qui floruit an. 1080. *in 2. ad Cor. c. 5.* ad illa verba ergo *Omnes in Adam peccaverunt*, ſic ſcribit: *Omnes itaque mortui ſunt in peccatis, nemine prorſus excepto, dempta Matre Dei, ſine originalibus, ſive voluntate additis.* Et lib. de conceptu Virg. c. 18. ſic ait: *Quia dicebat, ut illius hominis conceptio de matre puriſſima fieret: decens enim erat, ut ea puritate, qua major ſub Deo nequit intelligi, Virgo illa niteret.* Ex quibus verbis D. Thomas *in 1. ſentent. diſt 44. q. 1. art 3 ad 3.* colligit B. Virginem ad originali fuiſſe liberatam, & ipſe D. Anſelm. *inſtituit feſtum Concept. in Anglia*, ut ſupra dixi *q. 11. n. 69.*

D. Thom.

115. D. Maxim. Septimò. D. Maxim. qui floruit an. 420. *in ſerm. de Virgin.* ſic ait: *Hæc porta clauſa, quæ fuit admirabilis Dei thalamus, cœleſte templum, tabernaculum gloriæ; de quo ſpecioſus prodiit Sponſus, lux gentium, ſpes fidelium, condecenter, & congrue nulla macula originali contaminata.* Quæ verba ita ſunt clara ut non indigeant expoſitione; de eis multum agit Petrus de Morales de Chriſto, & Virg. *lib. 3. tract. 1. pag. 280. in fine.* Morales.

116. D. Bernard. Octavò. D. Bernard. an. 1130. *ſermo 4. in Salve Regina*, qui fertur inter ejus opera, ſic habet: *Tu naſus Eccleſiæ, ſimilis turri excelſæ, videlicet dignitate, firma gravitate turris Libani. Libanus mons quidem dicitur dealbatio, altam præ omnibus ſignat innocentiam tuam: innocens fuiſti ab originalibus, & actualibus peccatis: nemo ita præter te.* Et idem habet *ſermon. 13. de Cœna Domini*, adducens regulam D. Auguſtini. *De Maria cum de peccatis agitur nullam prorſus volo habere quæſtionem.*

D. Auguſt.

117. S. Domin. Nonò. Sanctiſſimus Pater Dominicus illuſtriſſimi Ordinis Prædicatorum, inſtitutor, & Auctor, qui floruit an. 1200. *in tractatu de corpore Chriſti*, quem contra hæreticos Albanenſes ſcripſit, hæc verba protulit: *Sicut primus Adamus fuit ex terra Virgine, nunquam maledicta formatus; ita decuit in ſecundo Adam fieri ſcilicet Chriſto: cuius terra, id eſt, mater Virgo nunquam fuit maledicta*, Malveda *lib. de Paradiſo, c. 6.* ait tractatum illum non eſſe D. Dominici, quia nec Vincentius, nec Antoninus, nec Theodoricus de Apoldia, nec alii talis libri unquam meminerunt, ut illa ait.

Malveda.

118. Bellovac. Sed fallitur bonus Auctor, nam quod talis liber fuiſſet compoſitus à Sancto Patriarcha Dominico teſtantur Vincentius Bellovacen. Epiſcopus (qui poſt Sanctum Dominicum obiit annis 35.) *in ſuo ſpeculo hiſtoriali, lib. 19. cap. 96.* Theodoricus Apoldia *in vita Sancti Dominici, lib. 1. cap. 6.* Sanct. Antonin. *3 part. tit. 19 c. 1. §.* & Antoninus de Cucaro, Galatinus, Caniſius, & plures alii, quos refert Pineda *in ſerm. de Concept. Virg §. 7.* & multo plures Oieda *in defenſione, c. 7. fol. 18. p. 1.* ubi affirmat de tali libro fieri mentionem in quodam antiquo Officio S. Dominici, unde ad ejus illuſtriſſimos filios dicam id quod ait Iſaias 52. *Attendite ad Petram unde exciſi eſtis. Attendite ad Abraham patrem veſtrum.* Suum Patrem Sanctum Dominicum.

Theodoric. S. Antonin. Cucaro. Galati n. Caniſius. Pineda. Oieda. Iſai. 52.

119. Albert. Mag. Decimò. Sequutus eſt B. Albertus Magn. D Thomæ Magiſter *c. 12. Lucæ*, ad illa verba: *Beatus venter, qui te portavit*, ſic ait: *Hic uterus eſt coccus, Sanctiſſima, eſt caro Beatæ Mariæ Virginis, quæ nunquam admiſit aliquid ſanctitati contrarium.* Quod nunquam diceret Mag. Doctor ſi in illa inveniretur peccatum originale, jam enim admiſerat aliquid contra ſanctitatem.

120. Vinc. Ferreir. Vndecimò. Sanctus Vincentius Ferreira, qui ſuum Patrem Sanctum Dominicum ſecutus floruit anno 1420 *ſerm. de Concept. Virg. in 3. p. fol. 7. col. 1. in fine*, ait: *Quando corpus gloriosæ Virginis fuit organizatum, & anima conjuncta corpori per creationem, tunc Altiſſimus ſanctificavit tabernaculum ſuum.* Et *ſerm. de Nativit. fol. 115. col. 1.* ait: *Statim poſtquam corpus fuit formatum, & anima creata tunc fuit ſanctificata.* In utroque loco illud adverbium, *Tunc*, ſine ulla controverſia denotat primum inſtans generationis, quæ facta fuit in ipſo infuſionis animæ inſtanti tunc primum fuit ſanctificata, cum primum fuit genita.

121. D Laurent. Iuſtin. Duodecimò. Divus Laurentius Iuſtin. qui floruit anno 1430. *in libro de Caſto Connubio Dei, & animæ, c. 7.* ait: *Hæc eſt originalis pœna delicti,*

delicti, à qua nemo, quamvis eximia polleat, ſanctitate, liber exitit. quotquot enim ex ipſa nati ſunt propagine, exceptis dumtaxat mediatore Chriſto IESV, & ejus Matre, ſub hac peccati lege ſunt conditi. Et in libro de gradibus profectionis *c. 1. poſt medium*, ſic ſcribit: *Ab originali delicto nullus excipitur præter illam quæ genuit Salvatorem.* Et idem ſcribit in libro dicto, *Faſciculus amoris*, & in ſermonibus Annuntiationis, & Nativitatis, & multis aliis locis.

122. S. Bernard. Tertiodecimo. D. Bern. Senen. Ordin. Minorum *floruit an. 1430. tom. 5. ſerm. 52.* qui eſt de ſalutat. Angelica *art. 1. c. 1. in medio, pag. 386. col. 1.* ſic loquitur: *Fuit Beata Virgo ſine primavo, id eſt ſine tyranno concupiſcentiæ peccati originalis, quia ſine eo concepta eſt, ſicut teſte Salomone.* Cant. 4. Didicimus, quia ait, *Tota pulchra es amica mea, & macula non eſt in te*, ſcilicet *originalis* Idem habet *tom. 4. ſerm. 42.* poſt Paſcha, & aliis locis.

123. Idiota. Decimoquartò. Sapientiſſimus Idiota, qui ſuppreſſo proprio nomine, ita ob ſuam humilitatem vocari voluit, & inde merito inter Sanctos Patres refertur. *floruit an. 800. lib. de contemplat. Virginis, c. 2.* iam ſupra à me datus, ſic ait: *Tota pulchra es Virgo glorioſiſſima non in parte, ſed in toto & macula peccati ſive mortalis, ſive originalis, non eſt in te, nec unquam fuit*, & *cap. 6.* ſic ait: *Inveniſti Virgo Maria gratiam cœleſtem: quæ fuiſti ab originali labe præſervata*, quæ verba valdè præclara, totam rem dicunt, & optimè explicant. Cantic. 4.

124. Damian. Decimoquintò. Petrus Damian. contemporaneus D. Anſelmi *ſerm. de Aſſumptione Mariæ*, ait: *Caro Virginis ex Adamo ſumpta maculas Adæ non admiſit, ſed ſingularis continentiæ puritas in candorem lucis æternæ converſa eſt.* Ubi expreſsè docet noſtram ſententiam, quod ſine peccato originali fuerit concepta, ſed etiam, quod tanta gratia fuit donata, ut inde fieret principium omnium cœleſtium donorum, & idem habet *ſerm. 3. de Nativitate.*

125. D. Bonav. Decimoſextò. D. Bonav. Contemporaneus D. Thomæ quamvis *in 3. diſt. 3.* contrariam ſententiam tenere videatur tamen jam ſenex, ut erat Virginis devotus *ſerm. 2. de Beata Virg.* ait: *Fuiſſe plenam gratia præveniente in ſua ſanctificatione, gratia, ſcilicet præſervativa contra fœditatem originalis culpæ, quam contraxiſſet, niſi ſpeciali gratia præveniente præſervata fuiſſet.* Et ſtatim ſubdit: *Solus enim filius Virginis fuit ab originali culpa immunis, & ipſa mater ejus Virgo.* Sicque multi alii Patres, quos ſatis longum eſſet referre.

Quæstio XVII.

Veritas immaculatæ Conceptionis probatur ex D. Thoma, qui ſemper fuit firmus in hac ſententia, & explicatur ejus mens.

126. D. Thom. IN confeſſo eſt apud omnes D. Thomam docuiſſe aliquando immunitatem Virg. Mariæ à peccato originali ex *1. diſt. 10. q. 2. art. 4.* & etiam *in 3. diſt. 44. q. 1. art. 3. ad 3.* Ubi oſtendit illam eſſe majorem puritate, quæ magis diſtat à culpa, ſubdit: *Talis fuit puritas B. Mariæ quæ à peccato originali, & actuali immunis fuit.* Et hoc etiam liquet ex ejus Commentario *in epiſtola ad Galatas, lectione 6.* ubi ſic inquit: *Virum de mille unum reperi, qui eſſet ſine omni peccato. Mulierem autem non inveni, quæ à peccato omnino immunis eſſet ad minus originali, vel veniali excipitur puriſſima, & omni laude digniſſima Virgo Maria.*

127. Mendo. Bene advertit P. Andræas Mendo ex Societate JESU *lib. de jure Academico in appendice de jure Academiar. fol. 467. col. 2.* Quod hæc verba habentur ex Commentariis prælo excuſſis Pariſiis an. 1519. & an. 1532. ac Venetiis anno 1555. Poſtea verò in editionibus ab anno 1590. expuncta fuerunt à Remigio Florentino illa verba: *Excipitur puriſſima, & omni laude digniſſima Maria.* Probatur etiam hæc veritas ex opuſculo ipſius D. Thomæ ſuper ſalutationem Angelicam, ubi ſic inquit: *Ipſa ſcilicet Sancta Maria, puriſſima fuit, quantum ad omnem culpam, quia nec originale, nec mortale, nec veniale peccatum incurrit.* Quod videns Petrus Bergomenſis affirmat fuiſſe errorem præli. Si hoc ſubterfugium admittitur in omni libro nihil erit firmum, & certum. D. Thom. Bergom.

128. Dicendum D. Thomam docuiſſe immunitatem Deiparæ à peccato originali, & nunquã hanc ſententiam mutaſſe, aut retractaſſe, ſed ſemper in illa firmus perſiſtit. Ita Ioannes Bromiardus *in ſumma prædicantium, verb. Maria*, & adducit D. Thomam *3. p. q. 27. art. 2.* & fuit Contemporaneus cum D. Thoma, & bene debebat ſcire ejus mentem. Ambr. Catharinus *tr. 8. de Concept.* Fr. Ioannes à D. Thoma *to. 1. in primam partem, diſp. 2. art. 2. fol. 161. col. 2.* Bromiard. Catharin. Ioan. à S. Thom. Porrecta de Aravio. Petr. Alva.

co formaſſe D. Thomas ſenſum Eccleſiæ ſub hoc titulo. Et tres hi Auctores ex illuſtri familia Dominicana Stephanus à Porrecta *in 3 p. q. 27. art. 2.* Dom. Franciſcus de Aravio Epiſcopus Segovienſis *in 1. 2. quæſt. 81. artic. 3.* Petrus de Alva *in ſuo ventilabro Seraphico veritatis promyſterio immaculatæ Conceptionis in Trituratione pagina 120.* Andræas Pinto Ramires *tom. de Concept. poſt Anthologia 5. in examine Text. D. Thom. fol. 89.* Andræas Mendo jam citatus. Pinto. Mendo.

129. Prima pars concluſionis patet ex proximè dictis, in exordio quæſtionis, quod nempe D. Thomas docuit hanc ſententiã de immunitate Concept. quod in ea ſemper firmus ſteterit; inde probatur, quia *3. p. hac q. 27. art. 4. in corpore* docet, quod Deus eos, quos elegit, præparat, ac diſponit ad id quod eliguntur. Iuxta illud Pauli 2. Cor. *3. Idoneos nos fecit miniſtros Novi Teſtamenti*; atqui Sanctiſſima Virgo fuit deſtinata ad ſupremam, & altam dignitatem Matris Dei, utque illius fieret dignum habitaculum; ergo fuit deſtinata, & electa, ad ſummam, ac ſupremam puritatem, qua major de potentia ordinaria non datur; ergo abſque ullo peccato juxta doctrinam datam à Divo Thoma, & hoc clarius patebit ex locorum D. Thomæ explicatione, quæ contra nos objiciuntur. D. Thom. 2. Cor. 3.

130. Primò, objicitur ex *1. 2. quæſt. 81. art. 3.* ait S. Thom. *Dicendum, quod ſecundum fidem Catholicam firmiter eſt tenendum, quod omnes homines præter ſolum Chriſtum, ex Adam derivati, peccatum originale contrahunt: alioqui non omnes* D. Thom.

indigerent redemptione quæ eſt per Chriſtũ. quod eſt errorum; ergo cum S. Doctor ſolum ab illa communi regula contrahendi peccatum ab Adamo, excipiat Chriſtum Dominum, videtur ſub illa includere Sanctiſſimam Virginem, ac proinde quod contraxerit peccatum.

131. Argumentum nullius roboris eſt, quia à regula communi, & generali excipitur perſona eminens, & privilegiata, v.g. ab illa lege univerſali lata contra mulieres in Eva: *In dolore paries filios tuos.* Geneſ. 3. excipitur Sanctiſſima Virgo ob ſuam eminentiam. Sic ait Da-
Geneſ. 3. Pſalm. 115. vid Pſal. 115. *Omnis homo mendax*, & tamen ab hac regula generali excipitur Chriſtus Dominus, quia non erat purus homo, & etiám Sanctiſſima Virgo ob ſuam eximiam ſanctitatem, de quo plura *quæſt. 21. infrà.*

132. Majores difficultates in hac re inſurgunt ex 3. *p. q. 27 art. 2. de Sanctificatione Virginis*: ubi ait S. Doctor *in corpore*, quod Sanctificatio Virginis nõ poteſt intelligi, ante ejus animationem, quia ſanctificatio ſupponit ſubjectũ, in quo fiat, & recipiatur. Reſpond. o, quod etſi ſanctificatio poſſit dari tempore poſt animationem, tamen bene poteſt fieri à Deo in ipſo inſtanti reali intrinſeco animationis: nam in illo primo inſtãti reali, quo Deus creavit Angelos, dedit eis gratiam, ut docet Angelicus Doctor 1. *part. q. 62. art. 3. in corpore*, juxta illud
D. Auguſt. D. Auguſt. *erat Deus condens naturam, & largiens gratiam.* Et Sol in eodem inſtanti reali quo creatur, illuminat; ergo cum D. Thomas
D. Thom. nõ explicet, qualis fuerit antecedentia animationis ad gratiam, intelligendus eſt de quadã prioritate naturæ, cum totum fuerit in eodẽ inſtanti reali; ſi hoc cõceditur in Angelis, cur erit negandũ Reginæ Angelorum juxta doctrinam ipſius Sancti Doctoris, ac omniũ Patrum, & quia ſemper Virgini Mariæ tribuendum eſt, quod magis eſt ad ejus gloriam, & honorem. Cum ergo D. Thom. ait: Quod ante infuſionẽ animæ rationalis B. Virgo ſanctificata non fuit; non negat quod in eodemmet inſtãti reali infuſionis animæ potuerit ſãctificari, ad quod ſufficit prioritas naturę in anima, ut de Angelis docet ipſemet Angelicus Doctor.

133. Ea, quæ Sanctus Doctor docet ad primum argumentum nil faciunt contra nos. Ad ſecũdum reſpondet, quod ſi admittatur animam
D. Thom. B. Virginis nõ fuiſſe contagio originalis peccati inquinatã, hoc derogaret dignitati Chriſti, quia jam ipſe non eſſet univerſalis Redẽptor, ac B. Virgo ab ipſo nõ diceretur redempta. Reſpondeo, quod ad hoc ut Chriſtus D. ſit univerſalis redemptor, & Deipara ab eo redempta ſufficit, quod ipſa habuiſſet debitum peccati originalis, à quo fuit liberata meritis Chriſti D. quamvis nullum tale peccatũ realiter in ſe habuiſſet, ſic dicitur de Davide
Pſal. 143. Pſ. 143. n. 10. *Redemiſti David ſervum tuum de gladio maligni*, id eſt Goliath, vel Saül; & tamen David nunquam à tali gladio fuit vulneratus, ſed tantũ divina gratia liberatus: & hoc ſufficit ut dicatur redemptus ab illo; & cum juxta D. Th. 3. *p. q. 78. art. 1. ad 3* datur malũ; & debitum illius, & ſufficit liberari à malo, vel debito illius, ut dicatur redimi. Sic concludit citato loco loquens de redẽptione per Chriſtum. *Liberari autem à malo, vel à debito abſolvi non poteſt, niſi qui debitum incurrit, vel in malum de actus eſt*; ergo cum in malo, ſeu peccato culpa, vel ejus debitũ conſiderandum ſit, cum in præſenti Angelicus Doctor loquatur de peccato originali, & nõ explicet, an loquatur de ipſo peccato, vel debito. De debito eſt exponendus, ut ipſe ſe explicavit, de quo dicam ſtatim *in hac quæſt.* & cum hoc ſufficiat, ut ipſa ſit, & dicatur redempta à Chriſto Domino.

Ad tertium ait D. Th. quod Eccleſia Romana non celebrat feſtum Conceptionis, ſed to- 134.
lerat conſuetudinem aliquarum Eccleſiarum, quæ tale feſtũ celebrãt; ex quo bene infertur, quod ſi S. Doctor modo vidiſſet, quod Eccleſia Romana non ſolum modo celebrat feſtum Conceptionis, ſed etiam præcipit cum multa ſolemnitate ſine dubio hanc noſtram piam ſententiam magis expreſſiſſet ac declaraſſet.

Et addit S. Doctor ibid. ad 3. *Quod celebratur* 135.
feſtum ſanctificationis ejus, potius quam Conceptionis. Ait Fr. Ioan. à D. Thoma citat. §. *ad 2.* Ioannes à
quod illa reſtrictiva *potius* nõ negat celebrari D. Thom.
etiam feſtum Conceptionis. Dico tamẽ, quod præclariſſimè, ac ſapientiſſimè ait S. Doctor, quod *potius celebratur feſtum ſanctificationis, quam Conceptionis*, ſi ſumatur ipſa Conceptio præcisè, ac nude ſumpta à gratia, quia Conceptio celebratur, prout in ipſo primo inſtanti animationis fuit cum gratia, juſtitia, ac ſanctificatione, proindéque non celebratur Conceptio abſtractivè ſumpta, ut ita dicã, ſed prout fuit cum ſanctificatione, ac gratiæ infuſione.

Quod hæc vera ſit expoſitio, ac intelligen- 136.
tia mentis D. Thomæ. Quadruplici probo argumento. Primò, quod in hac materia de peccato originali circa Deiparam, ipſe Angelicus Doctor non loquitur de peccato realiter contracto, ſed de debito ipſius peccati, ita ipſe
S. Doctor explicavit mentem ſuam. Nam Fau- Fauſtin.
ſtinus Epiſcopus Paduenſis an. 1400. cum pertractaſſet aliquas quæſtiones *ad 3. p.* totus admirabatur Angelicum Doctorem docuiſſe opinionem minus piam. Tunc ei apparuit S. Thom. eique dixit: *Scito Domine Epiſcope, quod quando talem opinionem poſui, ſolum habui reſpectum ad divinum ſtatum, quo beata Virgo peccatum originale contrahere debuerat, niſi per filium fuiſſet præſervata, ſed Dei filius matrem ſuam ab originali macula præſervavit.* Quam revelationem Epiſcopus declaravit ſuo Vicario Nicolao de Padua, & immediatè mandavit in ſuo Epiſcopatu celebrari ſolemniter feſtũ Conceptionis, ita referunt Buſtos *p. 1. ſerm. 3.* Buſtos.
Guerrero del Eſpinar *concordia 15. §. 4.* Ioan. Guerrer.
Tamayo de Salazar *in opere S. Epitacii, p. 259.* Tamayo.
Ioannes à Fonte *in allegat. pro Concept. fol. 16.* Fonte.
& ab omnibus revelatio habetur pro certa.

Probatur ſecundò, ex argumento evidenter 137.
deducto, ex doctrina D. Thom. nam ipſe 1. *p.* D. Thom.
q. 27. art. 2. & in 3 quæſt. unica, art. 1. Deiparam natam fuiſſe gratia præditam ex hac ratione probat, *Eccleſia non ſolemnizat niſi pro aliquo Sancto; ſolemnizat autem nativitatem Virginis; ergo Sancta nata eſt.* Ex qua doctrina D. Thomæ apertè ſequitur hæc ratiocinatio: *Eccleſia non celebrat niſi pro aliquo Sancto: ſolemnizat autem Conceptionem B. Virg. Mariæ; ergo Sancta concepta eſt.* Nulla enim inter verum diſcurſum apparet diverſitas.

Probatur tertiò, ſatis vulgare eſt apud 138.
Theologos, & juriſtas, quod quãdo unus Tex-

tus

tus videtur repugnare cum altero, ita est explicandus, ut unus cohæreat cum altero, ut nulla in eis sit contrarietas, *l. Præcipimus, in fine, Cod. de appellation.* De quo latè Suar. *lib. 6. de leg. c. 1. n. 18.* Salas *disp. 21. sect. 13. n. 28.* Bonacina *tom 2, disp. 1. de leg. q. 1. punct 8. n. 21. § Secundo.* Ut ergo dicamus quod doctrina Angelici Doctoris Principis Theologorum cohæret cum Constitutionibus Apostolicis Sixti IV. Pauli V. Gregorii X V. Alexandri VII. quamvis post ipsum emanaverint, cum tamen illius mens fuisset, nec in minimo ab illis recedere; rectè à nobis est explicandus: ut cum talibus decretis inveniatur conformis.

L. Præcipimus. Suar. Bonacina.

139. Ioannes à D. Thom.

Quartò. Fr. Joannes à D. Thomâ *cit.* ait D. Thomam nullo in loco docuisse Sanctissimam Virginem Mariam cõtraxisse peccatum originale, nec negasse à Deo præservatam fuisse: sed solum statuisse communia, & generalia principia, ex quibus deducitur, quod si non daretur præservationis gratia à labe originali non fuisset immunis, non resolvit, nec determinat, an talis gratia de facto fuisset concessa, & idem affirmat Seraphinus Porrecta.

QUÆSTIO XVIII.

Veritas immaculatæ Conceptionis firmatur à gravissimis Theologis in amplissimo milliario, & à præstantissimis Academiis, Imperatoribus, Regibus, ac Dynastis.

140. MAteria huius quæstionis multa, & amplissima requirit volumina, quia tamen hæc tanquam in Compendio epilogamus, breviter attingo, & hæc multa magnorum Principum, quæ ibi latiùs videri possunt.

141. Imprimis Doctores Theologi multum magno studio, alta discussione, magnóque examine Sacræ Scripturæ, Sanctorumque Patrum studio laborarunt; inde de hac re multa volumina, varióque Tractatus prodierunt, & in tanto numero sunt, ut ex sacris Religionibus Auctores, qui pro veritate de immaculata Conceptione pugnent, & suis scriptis stent Petrus de Alva *in Sole veritatis* plusquã sex millia, & quinquaginta referat. Ex illustri familia Prædicatorum *centum quinquaginta*, & ex nostro Carmelitano Ordine plusquam ducenti annumerari possunt; & sic in magno numero ex quolibet sacro Ordine.

Petrus de Alva *Doctores plusquam sex millia.*

142. *Verbi Divini concionatores.* Idémque omnes divini Verbi Prædicatores in limine suæ concionis enuntiant, & dicunt Sacratissimam Deiparam fuisse absque originali labe conceptam in primo suæ Conceptionis instanti, & absque hoc exordio proclamato, nulli licet concionem in aliqua Ecclesia habere, quod etiam jucundissimè observant omnes ex illustrissima, ac Religiosissima Prædicatorum familia concionatores in tota Hispania, annuentibus, ac præcipientibus Generalibus, ac Provincialibus Ordinis, ut testatur Andræas Mendo *in statera opinionum Dissertione 13. q. 1. §. 2. n. 10.*

Mendo.

143. Ferè in triginta Academiis Doctores, & Magistri veritatem de Immaculata Conceptione Virginis Mariæ jurant semper defensuri, ac pro illa propugnaturi. In Hispania, in Salmãtina, Conimbricensi, Complutensi, Vallisoletana, Eborensi, Granatensi, Oxomensi, Ovetensi, Compostellana, Olutrensi, Baëzena, Onatrensi, Cæsar-Augustana, Valentina, Oscensi, Gandiensi, Barcinonensi, Tarraconensi, Illendensi; in Orienti, Basilensi, Mexicana, Limensi, in Germania, Gallia, Italia, & Belgio; Parisiensi, Moguntina, Coloniensi, Viennensi, Tolosana, Lovaniensi, & Neapolitana, & in Anglia etiam, cum olim in ea Religio Catholica efflоreret, Oxoniensi, & Cantabrigensi. Quod latè adducit, & formas juramentorum ab Academiis præstitas, Valasquez *de Maria Immaculata, lib. 4. dissertat. Adnotation. 1. & 2.*

Triginta Academiæ.

Valasquez.

144. Imperato-

Pro tuenda etiam pura, & immaculata Virg. Mariæ Conceptione stant omnes Principes sæculares Imperatores. Leo Imperator *orationem de immunitate Sanct. Deiparæ* composuit, de qua sæpè fit mentio in hoc Tractatu, & Baron. in notis ad Martyrologium die 8 Decembr. Imperator Emmanuel Commenus legem tulit, ut dies Conceptionis inter festos reponeretur. Ioannes Imperator immunitatem Virginis publicè confessus est, ut habet Cantacuzenus *Apologia 3.* Ferdinand. Imperator I I. multa privilegia, ac immunitates concessit. Congregationi de Immaculata Conceptione. Ferdinandus I I I. de Consilio Episcoporum fecit ut festũ Immaculatæ Conceptionis prævio jejunio celebraretur, & ipsã Patronam totius Austriæ Imperii suscepit, ut scribit Guillelmus Comes Islavita *in libello, seu cartha typis excussa Viennæ anno 1648.*

Guillelm.

145. Reges Hispaniarum valdè conspicui fuerunt in hac devotione erga Sacratissimã Virginem. Ex Regibus Gotis Sisinandus, monuit Concilium Toletanum IV. ut inter officia Ecclesiastica reponeretur Officiũ Conceptionis B. Virg quod dicitur compositũ à S. Isidoro. Rex Aragoniæ Iacobus vulgò *Iayme*, ordinẽ B. Virg. de Mercede in honorem Immaculatæ Conceptionis erexit. Ioan. I I. Aragoniæ anno 1461. publico edicto cavit ne quis tueretur opinionem contrariam. Reges Catholici Ferdinand. & Elizabetha post obtentam Granatam, illustrẽ Ecclesiam fabricarunt: & obtento novo orbe primas duas insulas nomine Salvatoris, ac Conceptionis nuncuparũt. Rex Carol. V. Augustus Imperator confraternitatẽ Cõceptionis suo rescripto firmavit, & multis privilegiis munivit. Hæc omnia apud Petrũ de Oieda *in informatione Ecclesiastica, c. 5. & 8.*

Oieda.

146. Philip. I I I.

Philippus III. Hispaniarum Rex epistolas an. 1617. scripsit ad omnes Archiepiscopos, Episcopos, ac Universitates, ut definitionem immunitatis B. Virg. Mariæ à Summo Pontifice instanter efflagitarent, & super hac re misit Romam Fr. Antonium de Trejo Episcopum Carthaginensẽ, & Fr. Anton. de Trejo Episcopum Accitanum, si esset necessariũ se Romam aditurũ, omnibus Regni sui negotiis posthabitis ad pedes Sũmi Pontificis pro definitione impetranda. Parentis vestigia secutus Philippus IV. Magnus cognominatus, & revera Magnus nomine, & re inauguratus Rex statim ad Summum Pontificem Gregor. XV. per litteras

die 10. Novembris anno 1621. poſtulat definitionem hujus myſterii, & ſequenti anno 1622. die 14. Iulii gratificatur Pontificem, eo quod præcepiſſet in divinis Officiis nomen *Sanctificationis* expungi, & *Conceptionis* apponi, & quod nec publicè, nec privativè contraria opinio diceretur, ac evulgaretur. Videatur *Armentarium Seraphicum in Regeſto colum.* 315. Tandem miſit Oratorem Ludovicum Epiſcopum Placentinum ad Alexandrum Septimum, qui anno ſeptimo ſui Pontificatus die 8. Decembris 1661. Qui dedit illam magnam, & amplam conſtitutionem in hac re, de qua egi *ſuprà, quæſt.* 14.

Armen.

147. Reges Galliæ ſemper valdè pio, & magno deſiderio exarſerunt erga hoc myſterium puræ Conceptionis Virginis Carolus VI. decrevit, nullum confeſſarium ſibi aſſumere ex illis, qui opinionem piam de Conceptione Virginis non ſequerentur, & hac de cauſa à ſe repulit *Guillelmum de Valone* ex illuſtri Dominicana familia Epiſcopum Ebroicenſem, eo quod ex animo non aſſentiretur ſententiæ Immaculatæ Conceptionis, ut teſtatur Spondanus *in Annalibus ad annum* 1397. *n* 7.

Spondanus.

148. Reges Portugalliæ ardenti animo ſemper inflammati ſunt in hac devotione erga Virginem Mariam, qui ſemper in materia Religionis valdè præſtantiſſimi fuerunt. *Rex Ioanne Primus* cœnobio Monialium ſub titulo Cnceptionis, multa conceſſit privilegia *Rex Emmanuel* multas in toto Regno fabricavit Eccleſias conſecratas Conceptioni Virginis Mariæ, ut refert Epiſcopus Ozorius *de rebus geſtis Emmanuelis.* Rex Ioannes, qui Academiam Conimbricenſem inſtituit feſtum Conceptionis decrevit celebrari ab ipſa Academia ſolemni feſto, conclamante toto Academia, & illuſtrem Eccleſiam ſub nomine conceptionis in hac Olyſſiponenſi civitate ædificavit. Rex Sebaſtianus peculiari cultu, ac ſolemnitate feſtum Conceptionis celebrabat. Rex Henriquez Cardinalis Eccleſiam Conceptionis ad majorem ſui opulentiam, ac concurſum inſtituit inſignem Parochiam. *Rex Ioan. IV.* Virginem Conceptionis totius Regni Patronam ſuſcepit: ſuóque decreto conſtituit, ut nullus in toto ſuo Regno admitteretur ad aliquem gradum, magiſterium, ac dignitatem, niſi prius facto juramento tuendi, ac defendendi Immaculatam Conceptionem Virginis Mariæ.

Ioan Primus.

Ozorius. Ioan. III.

149. Inſignis Comeſtabilis Regni Portugalliæ Dominus Nuñeſius Alverez Pereira, origo omnium Regum Europæ, ac fundator iſtius Conventus Olyſſiponenſis, qui in eo habitum noſtræ Religionis ſuſcepit, in eoque profeſſionem emiſit. In Villa Viçoſa ædificavit Monaſterium Monialium ſub titulo Conceptionis, & extitit prima Eccleſia in toto hoc Regno, tam ſacro nomine inſignita.

Nuñus Alverez Pereira.

150. Ecce totus orbis pugnat, & tuetur ſacrum Immaculatæ Conceptionis myſterium Apoſtoli, eorúmque diſcipuli, Pontifices, Concilia Generalia, Patres, Traditio totius Eccleſiæ, Doctores, & Theologi, Academiæ totius orbis, Imperatores, Reges, Dynaſtæ ac Principes. *Cantic. 3. n. 7.* ſcribitur: *En lectulum Salomonis ſexaginta fortes ambiunt ex fortiſſimis Iſraël.* Syrus vertit *Gigantes ex Gigantibus Iſraël.* Et ſubdit Textus: *Omnes tenentes gladios, & ad bella doctiſſimi, unuſquiſque enſis ſuper femur ſuum propter timores nocturnos* Per quos ſignificatur peccatum originale Iob 3. num 3. *Et nox, in qua dictum eſt, conceptus eſt homo.* Quod tamen mihi facit magnam difficultatem, quia Septuaginta ita tranſcribunt. *Omnes tenentes gladium docti ad bellum,* ſi ſunt ſexaginta fortes ex fortiſſimis Iſraël, quomodo in eis unus tantum gladius reperitur; etſi multi ſint Patres, Doctores, ac Reges ad cuſtodiendum lectulum veri Salomonis, nempe Sanctiſſimam Mariam Virginem à timoribus nocturnis peccati originalis, tamen in eis eſt unus tantum animus, unus devotionis affectus, una tantum veritatis ratiocinatio *ſuper femur ſuum,* ad evaginandum hunc devotionis, ac affectus gladium, quoties occaſio ſe obtulerit, ut nihil prætermittatur pro defenſione.

Cantic.

Iob 3.

Septuag.

Cantic. 3. Septuag.

151. *Cantic. 1. n. 6.* dicitur: *Filii matris meæ pugnaverunt contra me.* Ex Græco Septuaginta cum ablativo legunt, *Pugnaverunt pro me,* ſeu *ſuper me.* Et quomodo pugnant pro ea, explicat Origenes *homil.* 2. ex quatuor, & ait cum ab adverſariis poteſtatibus graviſſimè contra me moverentur pugnæ, Angeli ſancti pugnaverunt in me. Qui pro conceptione pugnant Angeli ſunt, filii cœleſtis Curiæ.

Qui pugnãt pro conceptione Angeli ſunt.

QUÆSTIO XIX.

Veritas Immaculata Conceptionis ſtabilitur à divina Omnipotentia multis revelationibus, ac miraculis.

152. SÆpè jam notavimus quod à divino Sponſo ſeratiſſima Virgo appellatur Hortus concluſus ſoror mea hortus concluſus. *Cantic. 4. num.* 11. Cur tam repetitis vicibus eam hortum dicit. Cur non potius campum, agrum, vineam, quæ multoties inſerviunt ad magnam utilitatem, & pinguedinem; tamen eſt magna in eis differentia. Nam campus, ager, vinea dans ſuos fructus certo, & determinato tempore, ut arbor illa, quæ eſt plantata ſecus decurſus aquarum, cujus fœcunditas exaggeratur, *fructum dabit tempore ſuo.* Inde rectè Deipara non ager, non campus, non vinea nominatur, ſed hortus, qui ſemper perpetuo, ac inceſſanter vernat, flores, & perpetuis fructibus ſemper autumat; ex quo aptè Deipara hortus dicitur: nam illa abſque ulla temporis determinatione ſuum divinum Sponſum invitat, *Vt veniat in hortum ſuum; & comedat fructum pomorum ſuorum.* Cantic. 5. num. 1. At quæ verba præclarè ait Rupert. *Hortus dicitur quod ſemper ibi aliquid oriatur, quia cum alia terra ſemel in anno aliquid erat, hortus nunquam ſint fructus eſt.* Vnde ergo hortus es tu ô dilecta dilecti? Perbellè Virgo Deipara non ager, non vinea dicitur. *Quia alia terra ſemel in anno aliquid creat.* At Deipara eſt hortus, quæ ſingulis vitæ annis, menſibus, diebus, horis, ac momentis ſemper, & inceſſanter flores, & fructus gratiæ in nos germinat, & producit. Hortus nunquam ſine fructu eſt. Tamen in rem noſtram Hailgrinus *Maria hortus concluſus,*

Cantic.

Pſalm. 1.

Cantic 9. Rupertus.

Deipara inceſſanter in auxilium noſtrum.

Cantic. Hailguin.

clauſus, munitas turræ Davidis, cum propugnaculis, ac armatura fortium. Cantic.4. num.4. *Pro armatura fortium*, alii legunt *armatura fortitudinis.* Cornelius ex Hebræo *armatura ſcuti.* Quod ſignificat divinam Omnipotentiam. *Scuto circundabit te veritas ejus.* Pſalm.90.n.5. Guarinus legit, *Ædificata eſt ad propugnandum.* Beſſon apud Bibliam Maximam ad ſuſpendendos gladios, ſeu jacula adverſariorum contra ſuam puritatem Originalem, & contra eos, qui gladiis, ſeu jaculis ſuorum argumentorum eam intendunt maculare. Munita eſt armatura fortitudinis ſcuti divinæ Omnipotentiæ, ſcilicet Scripturarum, Pontificum, Conciliorum, ac Patrum, & etiam cum revelationibus, ac miraculis in ejus defenſionem.

Pſalm. 90. Guarim. Beſſon. *Conceptio armatura contra iacula argumentorum.*

Revelationes.

153. Primò. Pura, & Immaculata Conceptio Sanctiſſimæ Deiparæ revelata fuit multoties *B. Brigitta*, ut dixi. *quæſt.* 1. Secundò. Revelata fuit *Sanctiſſimo Parenti Eliæ*, in nubecula parva, ut oſtendi *quæſt.* 9. *num.* 57. Tertiò, ex revelatione facta à Sancto Gabriele Archangelo B. Amadæo, ut retuli *ſuprà, quæſt.* 10. *n.* 62. Quartò, ex revelatione facta à D. Thoma Epiſcopo Fantino, de quo egi *ſuprà, q.* 18. *n.*....

Brigitta. Elias. Amadæus. D. Thom.

154. Quintò. Sancta, & Immaculata Conceptio Virg. Mariæ revelata fuit noſtræ Sanctæ *Monialis Angelæ* filiæ Regis Boëmiæ, quam ſcripſit in libro Revelationum, quem approbat Delrius *diſquiſit. Magicarum, lib.* 4. *cap.* 1. *quæſt.* 3. *ſect.* 2. Sextò. Revelatio facta eſt *ſanctæ Thereſiæ de Ieſu* noſtræ ſacræ Religionis, ac totius mundi fulgentiſſimum decus; refert M. Lezana *de Concept. cap.* 14. §. 1. *ad finem.* Septimò. Veniat huc revelatio, quam habuit ſancta Mectilda, quod Sanctiſſima Virgo in ſua puriſſima Conceptione magna gratiarum, ac donorum copia fuit prævenia ab Spiritu ſancto à labe peccati Originalis. Referunt Bloſius *in manuali ſpirituali circa finem.* Caniſius *in tractatu de B. Virg. lib.* 1. *cap.* 13. & Fr. Joſephus à Jeſu Maria *de B. Virg. lib.* 1. *cap.* 2. *num.* 2.

Delius. Lezana. Mectilda. Bloſius. Caniſius. Fr. Ioſeph.

155. Octavò. Refert D. Anſelmus *in epiſtola ad Epiſcopos Angliæ*, quod cum Elpinus Abbas cum aliis navigaſſet Galliã exorta vehementi tempeſtate apparuit ei Vir Pontificiis veſtibus indutus, illíque dixit, quod ſi promiſiſſent die 8. Decembris celebrare feſtum Conceptionis, mutato nomine Nativitatis in vocem Conceptionis, quod à periculo liberarentur, promiſit Abbas, & ſtatim ceſſavit tempeſtas. Nonò, ſanctus Petrus Nolaſcus fulgentiſſimum decus ſacræ Religionis B. Virginis de Mercede, cum in Vigilia Purificationis B. Virginis Mariæ ad horam matutinam acceſſiſſet ad Chorum, vidit Angelos canentes Officium Conceptionis, & adſtabat ſacratiſſima Virgo in ſuo loco multis luminibus, ac radiis reſplendens: refert Sylveſter de Saavedra *lib. de Sacra Deipara, diſp.* 16. *ſect.* 17. *n.* 655.

D. Anſelm. Saavedra.

156. Decimò Refert Sylvanus de Pazzi in Actis B. Oringæ, alio nomine dictæ Chriſtianæ, & obiit in Hetruria anno 1310. quod cum vidiſſet B. Virginem alba veſte indutam aſtantibus omnibus Sanctis, eam allocutus eſt Chriſtus Dominus: *Miraris Chriſtiana honorem, qui ab Angelis hodie Matri meæ glorioſæ exhibetur, & qua induta eſt veſte, ſed ſcito hodie egi in cœlo celebritatem Immaculatæ Conceptionis ejus, quæ me deinde concepit, ac peperit verum Deum, ac hominem.* Alteram ſimilem viſionem factam cuidam Moniali refert Buſtos *ſermone de Concep.* & Guerrero *concordia* 15. & aliæ revelationes circumferuntur, quas omitto.

Sylvanus. Buſtps. Guerrero.

Miracula.

Miracula à ſolo Deo fieri poſſunt. *Qui facit mirabilia ſolus.* Pſalm. 71. num. 18. Pſalm. 135. num. 4. *Quoniam magnus es tu, faciens mirabilia, tues Deus ſolus.* Pſalm. 81. num. 10. Cum ergo miracula ſint à ſolo Deo, tantum poſſunt fieri ab eo in comprobationem veritatis, & nullo modo falſitatis; proindéque quodlibet miraculum certiſſimum eſt teſtimonium veritatis, indéque maximè verificatur infallibilis veritas Immaculatæ Conceptionis tot, ac tantis miraculis à Deo teſtificata, ac demonſtrata. D. Anſelmus *in epiſtola ad Epiſcopos Angliæ*, tria ſcribit miracula, & ex eo illa refert Noſter Bachonitanus *in* 4. *diſt.* 2. *quæſt.* 4. *artic.* 5. & Primum eſt Abbas Helſinus cum cæteris navigantibus liberatis à tempeſtate maris, de quo proximè egi in hac quæſtione. Secundum eſt quod cum quidam Sacerdos rediret ab adulterio præſolutis horis Canonicis B. Virginis, à dæmonibus ſubmerſus eſt in fluvio *Secane.* Poſt tertium diem veniens Sacratiſſima Virgo eum reſuſcitatum adduxit incolumem ad ripam. At ille ad pedes ejus proſtratus dixit: *Quid pro tot beneficiis retribuam? Reſpondit Dei Mater Conceptionis meæ feſtum octavo die Decembris celebres, & prædices celebrandum.* Ecce magnum, & inſigne miraculum. *Tertium miraculum.* Cum quidam Diaconus Germanus Regis Hungariæ, de conſilio parentum vellet nubere, & cum recitaſſet Officium B. Mariæ Virginis, ac dixiſſet illam Antiphonam: *Pulchra es, & decora filia Ieruſalem, ſubito apparet ſancta Dei Genitrix dicens; ſi ego pulchra ſum, cur me dimittis, & aliam accipis? At ille, quid vis Domina, ut faciam. Ait illa ſi Conceptionis meæ feſtum octavo die Decembris annuatim celebres, & celebrandum prædices, in regno unigeniti mei eris locatus.* Ille poſtea factus Monachus, & Patriarcha Aquilegiæ, feſtum Conceptionis celebravit, ac celebrandum prædicavit, ac præcepit.

157. Pſalm 71. Pſal. 135. D. Anſelm Bachon. *Tria magna miracula.*

Quartò. Concionator quidam *in Urbe Tholoza Galliæ* prædicavit contra Immaculatam Conceptionem Virginis, & finito ſermone acceſſit ad Altare S. Michaëlis, in quo erat imago marmorea Deiparæ Miſſam celebraturus, & cum ad ſacram Imaginem oculos elevaſſet. Tunc ipſa divina Imago marmorea caput ad latus flexit, & ſic uſque in hodiernum diem permanet, eum aſpicere dedignata, & ille amiſit viſum, & promittens contrarium ſemper dicere, & prædicare, viſum iterum recuperavit. Et Ioannes Americus in concione habita ad Concilium Tridentinum affirmavit aliquos prædicatores ob ſimilem cauſam graves morbos, ac labores fuiſ-

158.

ſe paſſos, hæc omnia ſcribunt Carthagena *tom. 2. lib. 1. homilia 19.* Pelbartus *in Stellario, lib. 3. part. 2. art. 3.* & *Propugnaculum Concept.* & alij.

Pelbartus.

159. Quintò. Ingrediens ſubtilis Scotus Academiam Pariſienſem propugnaturus Immaculatam Conceptionem, humiliter venerans imaginem lapideam, quæ pro foribus Academiæ eſt affixa, ſic eſt allocutus *dignare me laudare te virgo ſacrata.* Ipſa ſacra imago ſuaviter inclinavit caput, hoc facto oſtendens ſibi maximè eſſe gratam illam defenſionem. Refert Lezana *in Apologia de Concept. c. 15.*

Lezana.

160. Sexto ex quadam relatione typis data Hiſpali refert Ægydius Luſitan. *de Concept. lib. 3. quæſt. 6. art. unico §. 2. num. 6.* Quod in eadem civitate Hiſpalenſi anno 1617. Cum pueri per publicas plateas decantarent Immaculatam Conceptionem Virg. Matiæ; Mulier quædam habebat filium ad ubera vix quatuordecim menſium, qui nec unum verbum poterat proferre; tunc Mater dixit, fili mi decanta etiam laudes B. Virginis Mariæ de Conceptione, quod infans præſtitit eandem Cantilenam diſtincte, & alta voce proferens, quo miraculo omnes cives excitati in magnas laudes Virginis prorupterunt. Multa alia miracula referuntur.

Ægid. Luſit.

QUÆSTIO XX.

Immaculata Virginis Mariæ Conceptio etiam rationibus firmatur.

161. *Cantic. 4. num. 12.* dicitur, *Hortus conclusus soror mea sponsa, hortus conclusus, fons signatus.* Et ſubditur num. 15. *Puteus aquarum viventium, quæ fluunt impetu de Libano.* Per hunc hortum concluſum, fontem ſignatum intelligit Rupertus ſacratiſſimam Virg. Mariam, ipſa eſt *hortus cõcluſus* omnium virtutũ floribus ornatus *fons* à quo in nos manavit ſalus æterna, nempe Chriſtus, *Puteus aquarum*, in quo reconduntur theſauri divinæ ſcripturæ. Tamen in rem noſtram, quomodo dicitur *hortus concluſus, fons ſignatus*, ſigillo nempe ſanctiſſimæ Trinitatis, ut ſupra dixi ex Patribus, *Puteus aquarum viventium.* Puteus altus eſt, quomodo de his guſtandum, ac bibendum. *Aque fluunt impetu de Libano*, id eſt de Chriſto D. *qui eſt candor lucis æternæ.* Libanus enim id eſt *candor.* Verum eſt, quod Maria eſt hortus concluſus, fons ſignatus; puteus altus, ut exponunt D. Gregor. Papa, Thedoritus, Richardus de ſancto victore, intellectui nempe humano; Nullus intellectus, nullus diſcurſus, ac ratiocinatio ſua naturali vi poteſt aliquid guſtare, vel bibere, de ſublimitate, ac altitudine Mariæ, *Hortus concluſus, fons ſignatus, puteus altus eſt.* Sed de illis potandum, ac guſtandum divinis aquis, quæ fluunt impetu de libano; cœleſtis nempe illuminationis, ac illuſtrationis à Chriſto Domino, cujus luce poteſt aliquid participare de hoc horto, fonte, puteo Mariano. *Haurietis aquas in gaudio de fontibus ſalvatoris.* Iſai. 12. num. 3. Richardus de ſancto victore inquit, *De Libano fluunt aquæ iſtæ, id eſt de Chriſto, qui ſuavitate donorum nos inebriavit.* Ut alienati à terreno ad hortum, fontem, ac puteum Marianum poſſimus adire & aliquid de eo haurire.

Cantic. 4.

Rupertus.

D. Gregor. Theodor. Richard.

Iſai. 12. Richard.

In præſenti quæſtione multi Theologi aliquas efformant rationes, quæ omnes ad hoc tendunt, quia eligebatur ipſa, ut eſſet Dei Mater, in illaque Divinum verbum realiter habitaret, de illaque carnem ſumeret, ut ita caro virginis eſſet caro Chriſti; & inde conſequenter juxta veram rationem ad divinam providentiam, ſcientiam, ac potentiam ſpectabat, ut ipſa puriſſima abſque ulla macula crearetur. D. Chryſoſtom. *homil. 1. in Matth.* ait: *Hæc eſt totius diſpenſationis ſumma, & radix bonorum omnium, Deum hominem factum eſſe: hoc enim facto, alia ſecundum rationem ſequebantur;* 162.

D. Chryſ.

Dicitur Proverb. 17. *Gloria filiorum parentes eorum*, ex quo bene infertur, ſi is, qui futurus eſt filius, poſſet non ſolum ſibi parentes eligere, ſed etiam eos, magno honore, ac decore nobilitare; optima ratione bene deducitur, quod hoc promptiſſime præſtaret, omni gloria; & honore ſuos parentes condecorando; Atqui Deus ab æterno Mariam Virginem ſibi in Matrem elegit. Cur negandum, quod Deus decreviſſet dare Matri ſuæ, quod alij filij deſiderant parentibus ſuis exhibere. Ait D. Auguſtin. lib. 3. de libero arbitrio cap. 5. *Quidquid tibi vera ratione melius occurrerit; id ſcias feciſſe Deum.* Cum ergo verbum Divinum B. Virginem ſibi elegiſſet in Matrem, ac de de illa carnem ſumere, conſequens eſt vera ratione ut eam conderet omni gratia, privilegio, ac excellentia, quæ matrem Dei decebant, ac proinde omni puritate, ac ſanctitate ornaret, ut latius ſupra dixi *quæſt. 5. 6. & 7. ac 8. & 9.* 163. Proverb. 17

Ex vera ratione colligitur id quod Deus fecit.

D. Auguſt.

Ex ratione deducitur puritas Virginis.

QUÆSTIO XXI.

Quare à Deo permiſſum eſt, ut aliqui viri pii, de hoc arcano Immaculatæ Conceptionis dubitarent? eorumque argumenta proponuntur, ac ſolvuntur.

164. IN ſupracitata revelatione hujus opuſculi in limine ait Sacratiſſima virgo Deipara famulæ ſuæ Brigittæ. *Quod Conceptio mea non omnibus nota fuit: ſic placuit Deo, quod amici mei pie dubitarent de conceptione mea, & quilibet oſtenderet Zelum ſuum.* Supremo, & alto Dei conſilio factum eſt, ut multi viri pij, & devoti, ac præſtantiſſimi, qui magno devotionis affectu erga virginem ſanctiſſimam tenebantur, de hoc arcano Conceptionis dubitarent, ut argumenta, ac objectiones contra ponerent, ut inde veritas, ſublimitas, ac celſitudo illus clareſceret, ac manifeſta fieret magis.

S. Brigittæ.

165. Sacri Apoſtoli multis editis miraculis magno fervore Chriſti fidem prædicabant; eos magna multitudo populi ſequebatur, tunc Principes ſacerdotum, ac ſeniores, contra eos faciunt concilium, ne deinceps prædicarent.

Act. 4.

Act. 4. num. 16. *Conferebant ad invicem: dicentes, quia facientes de hominibus istis.* Faciunt multas conferentias, consultationes, multas proponunt rationes ad Apostolorum prædicationem eradicandam; quid inde factum est; Accipe Chrysostom. homil. 7. de laudibus Pauli. *Quæ putabantur impedimenta prædicationis fortia erant auxilia.* Profunde præpondera verba. Exorta est inter Apostolos controversia; *Quisnam major esset in Regno Cœlorum.* Matth. 18. num. 1. Numquid hæc quæstio de ambitione prodit? Minime: Nam sacri Apostoli Christi doctrinam, ejusque vestigia ad unguem sequebantur, qui dicebat de se: *Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde.* Matth. 11. n. 29. unde hæc disputatio nata est. D. Paschas. lib. 9. in Math. ait: *Hoc factum in suffragium humilitatis, ut de humilitate melius informarentur.* Formata sunt argumenta, propositæ sunt quæstiones, interpositæ disputationes, non ut impedimenta veritatis, puræ & Immaculatæ Conceptionis Deiparæ, sed *ut fortia auxilia illius, ejusque suffragium*: ut melius, & exactius in sublimitate tanti mysterij informaremur, illiusque major cognitio, ac intelligentia haurienda esset à nobis.

Cõtradictiones sæpe sunt in auxilium veritatis. D. Chrys.

Matth. 18.

Matth. 11. D. Paschas.

166. Ait Apostolus Paulus. 2. Corint. 4. num. 6. admirans Dei sapientiam, ait: *Deus, qui facis de tenebris lucem splendescere.* Ad quæ verba præclare ait D. Hilar. lib. 7. de Trinit. *Proprium hoc Ecclesiæ est, ut tunc vincat, cum læditur, tunc intelligat, cum arguitur.* Hoc dico de Mariana pura Conceptione, quanto magis impugnatur tanto magis triumphat. *Tunc vincit, cum læditur.* Et cum argumenta contra illam formantur, ac objectiones machinantur, tunc magis ejus immaculata puritas, ac immaculata sanctitas resplendet, magisque intelligitur, ac agnoscitur. *Tunc intelligit, cum arguitur.* Ait de se sanctissima Virgo juxta communem sensum sanctorum Patrum. *Sicut Cinnamomum, & balsamum aromatizans odorem dedi.* Eccles. 24. num. 20. sicut artifex, dum versat, agitat, ac componit balsamum, majorem sui dat odorem, sic immaculata Virg. Mariæ Conceptio dum versatur, ac agitatur argumentis, & objectionibus impugnatur, suæ puritatis dat majorem fragrantiam, ac odorem.

2. Corinth. 4

D Hilar.

Conceptio Mariæ dum impugnatur, magis resplendet.

Eccles. 24.

Argumenta.

167. Et Primo opponunt Contrarij quod gravissimi Auctores Antiqui tenuerunt sententiam contra Immaculatam Conceptionem; ad quod respondeo celebri dicto Sanctissimi Ludovici Beltrani ex Illustrissima familia Prædicatorum, qui modo à sanctiss. Domino Clemente X. relatus est in numerũ sanctorũ, qui dicebat, quod si sancti, & Theologi antiqui, qui docuerunt B. Virginem in peccato originali fuisse conceptam, hodie viverent, absque dubio nobiscum sentirent; quia viderent hãc immunitatem ab Ecclesia Romana populis, ac fidelibus celebrandam proponi. Hanc fuisse hujus sancti sententiam testatur Vincentius Iustinianus ejusdem Ordinis gravissimus Auctor; & prædicti sancti familiarissimus, ut constat *ex Tractatu de Immaculata Concept. §. 1. & 15.*

S Ludovic. Beltran.

V. Iustin.

Secundo opponunt, & est totum eorum robur. Ait Paulus Roman. 5. num. 12. *Sicut per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertransit, in quo omnes peccaverunt.* & 1. Corinth. 15. n. 22. *Sicut in Adam omnes moriuntur, ita in Christo omnes vivificabuntur,* & 2. Corinth. 5. num. 14. *Si Christus mortuus est pro omnibus, ergo omnes mortui sunt.* Ex quibus inferunt, quod si Virgo Beata non fuit mortua in Adamo, ac proinde nec à Christo vivificata, & redempta. 168.

Rom. 5.

1. Corint. 15

2. Corint. 5.

Respondeo communem consuetudinem sacræ Scripturæ esse, propositiones universales non esse ita exacte intelligendas, ut omnes includant nemine excepto, sed esse explicandas secundum majorem partem, ut jam probavi 6. *tom. in Evangelia ad cap. 1. Luc. q. 12. num. 12. 13. 14.* & insuper probatur ex Psal. 13. n. 1. *Non est intelligens, aut requirens Deum, omnes declinarunt, simul inutiles facti sunt; non est qui faciat bonum, non est usque ad unum.* Quæ verba expendens D. Hieronymus epistol. 146. ad Damascum ait. *Secundum illum Canonem, quem sæpe exposuimus scripturarum.* Omnia *non ad totum referenda esse, sed ad partem maximam; ut omnes declinaverunt; & omnes, qui venerunt ante me fures sunt, & omnes quæ sua sunt, quærunt.* Similiter illam vocem omnes communiter sãcti Patres explicant; sic & Apostolus ait Philipp. 2. num. 21. *Omnes quærunt, quæ sua sunt, & non ea, quæ sunt Iesus Christi.* Et tamẽ Petrus, Ioannes, Andræas ac cæteri Apostoli magis quærebant, quæ Jesu Christi erant, quam sua, cum pro Christo vitam darent. Explicat D. Thomas ibi lect 4. *Consuetudo est, quod aliquando scriptura loquitur de nonnullis, sicut de omnibus.* Ierem. 6. num. 13. *A minore usque ad majorem, omnes avaritiæ student;* ergo sub illa propositione universali non est intelligenda sacratissima virgo. 169.

Psal. 13.

D. Hieron.

Philipp. 2.

D. Thom.

Ierem. 6.

Respondeo secundo. De sacratissima Deipara ait Hieremias 13. num. 22. *Novum fecit Dominus super terram fœmina circundabit virum.* Nam sacratissima Deipara extitit quid novum, valde mirabile, & singulare supra omnes communes leges. Aliæ mulieres concipiunt ex semine. *Mulier si susceperit semine.* Ipsa vero ope Spiritus sancti servata virginitate: *Ecce Virgo concipiet.* Aliæ mulieres sub illa sententia comprehenduntur; *In dolore paries filios.* Gen. 3. Deipara suaviter, & absque ullo dolore. Aliis dictum est, *Pulvis es, & in pulverem reverteris.* Gen. 3. De aliis dictũ est, *Omnis homo mendax.* Psal. 115. In ore ejus nec leve mendacium est inventũ. De aliis dictum est. *Deum omne vidit unquam*, juxta illud Exod. 33. n. 20. *Non videbit me homo, & vivet*: & tamen juxta satis communem sententiam, ipsa Deum vidit in hac vita, ut alibi late dixi. D. aliis ait Paulus 1. Corinth. 15. n. 51. *Ecce mysterium vobis dico omnes nesurgemus*: & tamen ab illa regula universali excipienda est sacratissima virgo, ad vocem ultimæ tubæ non resurget; nam tertia die post felicissimum ejus transitum, gloriose resurrexit, & assumpta est in Cælum. De aliis in persona Christi conqueritur Regius vates Ps. 21. *Omnes amici mei dereliquerunt me, spreverunt* 170.

Ierem. 13. *Maria non comprehenditur communibus legibus.*

Gen. 3.

Gen. 3.

Psal 135.

Ioan 1.

Exod. 33.

1 Corint. 15.

Psal. 21.

runt me. Sub qua querela non venit ſacratiſſima Deipara, nam ipſa firma ſtetit juxta crucem filij ſui. Ioan. 19. ergo ſicut ſub aliis communibus legibus non includitur ipſa ob ſuam celſitudinem, ac eminentiam, etiam à fortiori nec ſub lege peccati originalis. Perbelle D. Anſelmus alibi à me datus, ſic ait. *Paulus dixit, omnes in Adam peccaſſe. Vera utique ſententia. Sed cum eminentiam in te Maria conſidero, ſicut te non intra, ſed ſuper omnes contueor, ita & te non lege aliorum in tua Conceptione fuiſſe devinctam opino.*

Ioan. 19. D. Anſelm.

171. Ad id verò, quod ſi non contraxit peccatum originale, non eſt dicenda redempta à Chriſto; facile ſolvitur argumentum, quod licet ſanctiſſima Virgo non habuiſſet peccatum originale actualiter, habuit tamen debitum illius, à quo ex meritis Chriſti fuit liberata, & præſervata proindeque ab eo perfectiſſime redempta. Ait David Pſ. 143. num. 10. *Qui redemiſti David ſervum tuum de gladio Maligni*: explicat Chaldæus *de gladio Goliath*; & tamen David nunquam ab eo fuit vulneratus, ſed tantum gratia divina præſervatus, & tamen dicitur redemptus. Ait idem Propheta Pſal. 30. num. 6. *In manus tuas commendo ſpiritum meum, redemiſti me Deus veritatis.* Quæ verba de Chriſto Domino interpretantur D. Auguſt. D. Chryſoſto. Noſter Incognitus tanquam ac ſi ipſe ad Patrem commendet animam, & corpus. Animam, cum ait *In manus tuas commendo ſpiritum meum*, ut ipſe dixit pendens in cruce Luc. 23. n. 46. *Redemiſti me Deus veritatis*, nempe corpus meum à corruptione, ſicut *ut Deus veritatis* promiſerat; *non dabis ſanctum tuum videre corruptionem.* Pſal. 15. num. 10. Et tamen corpus Chriſti nunquam fuit corruptione læſum, ſed à Deo Patre præſervatum, & tamen dicitur *redemptum*: ergo quamvis Beatiſſima virgo non habuerit actualiter peccatum originale, ſatis eſt quod ab illius debito, & contractione divina gratia fuerit præſervata, ut dicatur redempta. Confirmatur tota ſuperior doctrina, Quia illuſtrior, & ſublumior eſt modus liberandi à malo imminenti, quam ſalvandi poſt ipſum malum contractum; Quippe ſalubrior eſt medicus: excellentior Imperator; dexterior gubernator; fœcundior alitor ſi à morbi, belli, naufragij, famis Matrem damnis præſervet, quam ſi eiſdem immiſſam poſtea liberet; ergo tam glorioſa, ac ſingularis redemptio decens erat Deiparæ ob ſuam eminentiam; ac etiam Chriſto Domino ob ſuam celſitudinem, ut omnibus modis eſſet redemptor, & liberans à malo contracto, & ab illo ac ejus macula imminenti præſervans, antequam contraheretur.

Suffecit præſervatio ad veram redemptionem. Pſalm. 143. Chaldæus. Pſalm 30. D. Auguſt. D. Chryſ. Incognit. Luc. 23. Pſal. 15.

172. Tertiò opponunt aliquas Patrum auctoritates, in quibus dicuntur omnes polluti in Adamo, omnes peccatum habere ab Adamo; uno ſingulariter excepto Chriſto D. Omnes tamen illæ, & ſimiles auctoritates accommodatiſſime explicantur, quod omnes homines ex vi ſuæ Conceptionis fuerint ſub peccato, quia omnes ſub debito illius fuerunt, etiã Sacratiſſima virgo: & omnes peccatum actualiter contraxerunt, una excepta Virgine, quia ex ſpeciali privilegio à regula communi, de actuali contractione fuit excepta. Sic in figura Virg. Mariæ dixit Aſſuerus Eſther. 15. *Non morieris, non enim pro te, ſed pro omnibus hac lex conſtituta eſt.* Eſther. 15.

Quæstio XXII.

Veritas Immaculatæ Conceptionis abundantiſſimè habet pro ſe omnia requiſita, ut à ſede Apoſtolica fixatur, & inde eſt proxime definibilis.

CErtiſſimum eſt apud Catholicos, quod Romanus Pontifex abſque Concilio, & conſultatione Theologorum, habet plenariam poteſtatem definiendi res fidei. Ita communiter omnes Theologi, quos in magno, & amplo numero citat, & ſequitur Diana p. 11. *tract. 2. Reſol. 2.* & Ordinatus *tract. 5. Reſol. 2.* nam aſſiſtentia Spiritus ſancti ſolum eſt in Romano Pontifice, & non in Concilio, nec in Theologis, imo Concilium abſque approbatione Summi Pontificis non habet auctoritatem ad definiendas res fidei, tamen ut Pontifex prudentialiter ac circunſpecte agat, aliquam inquiſitionem, & diligentiam debet facere, ut notant Bellarm. *lib. 4. de Romano Pontifice cap. 17.* Suar. *de fide diſp. 5 ſect. 8. n. 11.* Dian. *citat. Reſol. 3. §. Ad 2.* quia Deus non vult, ut homines temere judicent, ac gubernent, quanta autem ſit hæc prudentia, nullo jure divino determinatur, ſed judicio Pontificis relinquitur. Quantum in præſenti: hæc inquiſitio ad quatuor capita reduci, poſſe videtur: Primò ad Teſtimonia ſacræ Scripturæ. Secundò ad traditionem Eccleſiæ. Tertiò ad auctoritatem Patrũ. Quartò ad conſenſum Theologorum. An hæc omnia requirantur ad fidei definitionem, vel quodlibet ex eis ſufficiat modo non diſputo; ſed hoc dico, quod hæc quatuor abundantiſſime interveniunt, in hoc negotio Immaculatæ Conceptionis Virg. Mariæ, & hæc omnia ſatis patent ex dictis in hoc Tractatu, ſed ea breviter, & ſummatim repeto. 173. Diana. Bellarm. Suar. Diana.

Teſtimonia ex Sacra Scriptura.

Juxta communem ſenſum ſanctorum Patrum, ac Eccleſiæ de ſanctiſſima Virgine dicuntur illa verba Cantic. 4. num 7. *Tota pulchra es amica mea, & macula non eſt in te.* Notandum illud verbum, *Tota.* Quæ eſt propoſitio univerſalis, & dicit omnimodam pulchritudinem gratiæ, abſque ulla fœditate. Doctiſſimus, ac antiquiſſimus Idiota de Beata Maria *cap. 2.* ſic ait: *Tota pulchra virgo glorioſiſſima, non ex parte, ſed in tota: & macula peccati, ſive mortalis, ſive venialis, ſive originalis, non eſt in te, nec unquam fuit, nec erit.* 174. Cantic 4. Idiota.

Secundo. Chriſtus Dominus loquens cum Beata Virgine, iuxta D. Bernard. homil 4. *Super Miſſus eſt*, Rupertum, & alios multos Patres; ait de illa Cantic. 5. num 2. *Amica mea, columba mea, immaculata mea.* Immaculatum iux a D. Thomam. 2. 2 quæſt. 106. *intelligitur per receſſum à contrario*: ergo cum virgo 175. D. Bernard. Cantic. 5. D. Thomas

virgo dicitur Immaculata intelligitur per receſſum à contrario, nec aliqua illius viciſſitudinis umbra, quæ maculam innuat dicit.

Ansbert. Ansbertus Abbas *Cantic.* 4. ait. *Pulchra es amica mea, & macula non eſt in te, nec viciſſitudinis obumbratio.*

176. Pſal. 77. Tertiò. Ait Regius vates Pſalm. 77. *n.* 69. agens de ſumma Dei providentia ait. *Ædificavit ſicut unicornium ſanctificium ſuum, quem fundavit in ſæcula.*

Arabic. Arabicus legit, *Sanctuarium ſuum.* Sed cur hoc ſuum ſanctuarium non comparat fabricatum tanquam cum Leone, Aquila, ſed cum unicornio: hoc animal à ſe excludit omne venenum, & illud in ſe non admittit, ſanctuarium autem hoc, de quo agit propheta, eſt ſacratiſſima Virgo Maria, quæ omne peccati venenum à ſe excluſit, & nullum admiſit, D. Bonavent. *in ſpeculo cap.* 23. ſic ait: *Mariannum ſanctuarium ſibi conſtruxit Deus, ut unicornium.*

D. Bonaven.

177. Gen. 3. Quartò: Veniat huic celebris locus Gen. 3. *num.* 15. Poſt primorum Parentum peccatum dixit Deus ad ſerpentem. *Inimicitias ponam inter te, & mulierem, & ſemen tuum, & ſemen illius, ipſa conteret caput tuum, & tu inſidiaberis calcaneo eius.* In quo multa veniunt expendenda. De muliere, de qua in præſenti agitur, intelligunt ſancti Patres B. Virginem D. Auguſt. *lib.* 12 *de Geneſi ad literam*, D. Ambr. *lib. de fuga ſæculi, c* 7. Chryſoſt. *hom.* 17. *in Geneſ.* & alii, & ut benè advertit D. Cyprian. ait: *Inimicitias ponam inter te, & mulierem, non dixit, pono, ne ad Evam pertinere videretur*; ſed aliam mulierem, nempe Virginem Mariam, ut latè explicat ſanctus Pater, & non dixit in ſingulari inimicitiam, ſed in plurali *inimicitias*, quia talis mulier, omne genus inimicitiæ ſcilicet in originali, mortali, veniali peccato debebat ſumere contra diabolum; unde D. Chryſippus *ſerm.* 2. *de laudibus Mariæ* ſic dæmonem conquerentem, ac dicentem introduxit. *Quantum tempus ſufficere poſſit ad perſequendum verbis, quibus modis triumphavit de me*, ait Deus. *Ipſa conteret caput tuum.* Per caput intelligitur peccatum originale, quod eſt caput, & fons omnium malorum, & ſerpens per caput ingreditur, *Ipſa conteret caput tuum.*

D. Auguſt. D. Ambr. D. Chryſ. D. Cyprian. D. Chryſipp

178. Maximè adverte, quod vox Hebræa *roſch* æquè ſignificat caput, ac etiam *toxicum*, quod omnium lethalium ſuccorum caput eſt; & verbum *ſuph* pro quo noſter interpres poſuit *conteret*: ſignificat etiam *impetu exſufflare*, quia ſacratiſſima Virgo omne venenum primordiale, à ſe longiſſimè exſufflavit, ac removit, D. Bernard. *homil.* 4. ſuper Salve Regina ſic exponit alloquens cum Virgine, ſic ait: *Innocens fuiſti ab originalibus, & actualibus, nemo it a præter te.* Quod magis exprimitur, cum ait: *Tu inſidiaberis calcaneo ejus*; per quod intelligitur peccatum originale: *Iniquitas calcanei mei circundabit me*; Pſal. 48. n. 6. potuit inſidiari, non vero mordere, nec attingere.

Virgo peccatum originale à ſe longe removit.

D. Bernard.

Pſal. 48.

179. Multa alia ſunt loca ſacræ Scripturæ pro hac veritate confirmanda, quæ ſupra adduxi *q.* 5. 6. 7. 8. 9. & multa alia variis in locis à me citatis in exordio hujus opuſculi, quæ ſi omnia computentur, faciunt magnum numerum.

Traditio Eccleſiaſtica à tempore Apoſtolorum.

180. Non loquimur hic de Traditionibus ſtrictè ſumptis, nempe Apoſtolicis, de quibus late Bellarm. *lib.* 4. *de verbo non ſcripto cap.* 2. Hæ conſtituunt rem de fide, ut docent Tridentin. *ſeſſ.* 6. & prius Nicenum primum, & ſecundum *Actio.* 6. *& ultima*; ſed latiori modo prout Traditiones conſtituunt rem credibilem pia fide, & rationabili credulitate, ut docent D. Thomas 3. *part. q.* 27. *art.* 2. & *in* 3. *diſt.* 3. *q.* 2. *art.* 3. *ad.* 3. Ibi D. Bonavent. Richardus, & alii, & in hoc ſenſu de Traditione loquimur.

Bellarmin. D. Thom. D. Bonav. Richard.

181. Quod à tempore Apoſtolorum manaverit hæc traditio de pura, & immaculata Conceptione, patet ex libris ſanctorum Cecili, & Teſiphon, qui fuerunt reperti in monte ſancto Granatæ, qui libri fuerunt à graviſſimis viri examinati, & approbat, in quibus refertur, quod Apoſtoli dixerunt quomodo Sacratiſſima Dei para fuerit Divina gratia præſervata à peccato originali, & quod idem dixiſſent ſacri Apoſtoli in funeralibus B. Virginis, revelatum fuit Beato Amadeo, quod totum conſtat ex dictis ſupra *q.* 10. *n.* 60. 61. 62. Quod etiam conſtat ex aliis dictis, ac Liturgiis Apoſtolorum, ut dixi eadem *q.* 10. *num.* 64. 65. 66.

S. Cecil. S. Theſip.

182. Probatur hæc traditio ex antiquiſſima celebritate feſtivitatis Conceptionis Virg. Nam de hoc myſterio conceptionis faciunt mentionem in ſuis Liturgiis Jacobus Apoſtolus Minor, & D. Marcus, & feſtum Conceptionis celebrari in tota Hiſpania à tempore prædicationis Jacobi Apoſtoli teſtatur Flavius Dexter Amiciſſimus D. Hieron. qui floruit an. 403. Oroſius, qui vixit annum 400. facit mentionem de feſto Conceptionis. De mandato Concilii I V. Toletani an. 643. Reformavit D Iſidorus Breviarium Hiſpaniæ. In quo eſt feſtum Conceptionis; quod etiam habetur in Martyrologio. Beda anno 730. & D. Anſelmus anno 1060. feſtum celebrat in Anglia? & à tempore antiquiſſimo in noſtro Conventu Romano agebatur Dies feſtus Conceptionis, ut teſtatur Noſter Bachonius, qui floruit an. 130. Hæc omnia dixi ſupra, *q.* 11. ibi videnda, & hìc repetii ut videas quàm per longa tempora ſolemnitas Conceptionis eſt celebrata, ac continuata.

D. Iacobus. D. Marcus. Flavius. Oraſius. D. Iſidor. Beda. D. Anſelm. Bachonius.

183. Probatur hæc Traditio ex modo loquendi, quem habent Concilia Antiquiſſima ab anno 303. qui dicunt Deiparam *ſemper Immaculatam ab exordio ſuæ creationis.* Et iterum liberam ab omni contagione peccati, de quo ſuprà dixi *q.* 12. Stabilitur hæc traditio auctoritate Summorum Pontificum præcipientium celebrare feſtum Conceptionis, in quo fuit Anteſignanus Sixtus I V. pro tota Eccleſia quod etiam fecerunt multi alii Pontifices, & concedentes indulgentias pro majori feſti celebritate, & valde ſtrictè in hac re Conceptionis loquentes, ut Paulus V. Gregorius X V. Alexander V I I. ut late dixi *q.* 13. & 14.

Auctoritas Patrum.

185. Quæ in negotio de fide definiendi, magni eſt

Concilium Vinnenſe.

eſt ponderis, ac roboris; ita ut dicat *Concilium Viennenſe ſub* Clemente V. quod quando aliqua controverſia agitata de fide ab Eccleſia definienda venit, illa pars definietur, quæ in ſe probabilior fuerit; & dictis ſanctorum Patrum magis conſona, quia Spiritu ſancto inſpirati locuti ſunt ſancti Dei omnes.

185. Atqui ſancti Patres tam Græci, quam Latini, quos in magno numero retuli *ſupra quæſt.* 15. *&* 16. expreſſe, & claris verbis dicunt Virginem Mariam non contraxiſſe peccatum originale, fuiſſe præſervatam divina gratia. Maculas Adæ non contraxiſſe, & ſimilia; & Patres, qui in contrarium adducuntur, vel loquuntur de debito peccati Originalis, vel quantum eſt de ipſa natura ſecundum ſe abſque privilegio; ut ſupra dixi.

186. Accedunt ad hoc multæ revelationes, de quibus egi *quæſt.* 19. & maximè revelationes B. Brigittæ, quæ approbata ſunt à Sede Apoſtolica, & Revelationes ſanctæ Angelæ, ſanctæ Thereſiæ, & aliis, quæ Revelationes non ſunt contemnendæ, ſed ut fide dignæ venerandæ, ut docet D. Cyprian. *lib. de lapſis c.* 10. & ex D. Amadæo, ac multis aliis docent Caniſius *lib.* 1. *de Deipara c.* 8. *pag.* 84. *litera A.* Latiſſime Morales lib. de Deipara, & S. Joſeph. *tract.* 8. *pag.* 722. & tales revelationes habēt pro ſe, quæ requiruntur ad magnam credulitatem, factæ ſunt perſonis magnæ virtutis, & ſanctitatis, inſerviunt ad ædificationem, & nihil habent contrarium ſacræ Scripturæ, ac his, quæ docet Eccleſia; inde maximè probandæ.

Revelationes ut fide dignæ venerandæ.

D. Cyprian.

Caniſius.

Morales.

Conſenſus Theologorum.

287. Qui eſt in ampliſſimo numero, ut pro ea referantur ſex millia centum quinquaginta. Triginta Academiæ totius orbis principales, Cardinales, Archiepiſcopi, Epiſcopi, Cathedrales Eccleſiæ, Imperatores, Reges, Principes, Senatus Regnorum, ac civitatum, omneſque Populi, puram, & Immaculatam Virginis Conceptionem acclamantes, ut dicatur vox populi vox Dei, ut retuli ſuprà *quæſt.* 18. ad quod omnes maximè excitantur devotione B. Virginis, ac etiam.

Theologi Academiæ.

188. Multis, & magnis miraculis, quæ Dei potentia operatur, interveniente ſanctiſſima Virg. ſub invocatione ſuæ Immaculatæ Conceptionis: Miracula autem cum ſint à ſolo Deo ſolum fiunt in confirmationem, ac ſtabilimentum alicujus veritatis, ſic D. Chryſoſt. *in Matth. homil.* 14. Miraculum *eſt quoddam pignus Divinæ Omnipotentiæ*, quod Deus præſtat ad oſtendendam ſuam Omnipotentiam, & D. Auguſt. *epiſt.* 49. *quæſt.* 6. ait: *Deus mirabilibus operibus loquitur.* Sunt enim tanquam Epiſtolæ miſſæ alicujus veritatis; ergo cum tanta miracula ſint facta à Deo ſub nomine Conceptionis Virginis Mariæ, per illa maximè nobis Deus teſtificatur, ejus veritatem.

Per miracula teſtificatur Deus veritatem.

D. Chryſ.

D. Auguſt.

Conceptio Beatæ Virginis Mariæ videtur quodammodo canonizata ab Eccleſia.

Hanc veritatem docet Suar. *tom.* 2. *ad* 3. *p. diſp.* 3. *ſect.* 5. Idem ſignificat *ſect.* 6. *in principio.* Eandē veritatem tuentur. Fr. Franciſcus à S. Ioſeph in ſupplici libello ad Paulum V. Ægid. Luſitan. de Concept. *lib.* 3. *q.* 6. *art.* 1. § 9. *n.* 72. 73. *fol.* 307. Joannes à Fonte in allegat. pro Conceptione *fol.* 14. Quia canonizatio abſolutè ſumpta non eſt aliud, quam publicum Eccleſiæ Romanæ judicium, ac teſtimonium, quo declaratur, ac decernitur ſanctum, & veneratione dignum, ſive perſona, ſive aliquod myſteriū. Atqui Breviarium Romanum à tempore Pii V. qui ſicut alii multi Pontifices Romani Gregorius XIII. Clemens VIII. Paulus V. Vrbanus VIII. approbarunt Breviarium Romanum, & in feſto Conceptionis die 8. Decembris, in reſponſorio 8. lectionis, dicitur, tuam celebramus ſanctam conceptionem, ecce publicum judiciū, & teſtimonium à Romano Pontifice, quo Virginis Conceptio declaratur, teſtificatur, publicatur ſancta; ergo jam videtur canonizata, quia ad canonizationem alicujus ſancti nihil aliud requiritur, niſi tantum declaratio, ac teſtificatio Romani Pontificis. 189.

Suar.

Fr. Franciſc. à S. Ioſeph.

Ægid. Luſit.

Ioan à Fonte.

Quid ſit canonizatio?

Pius V.

Greg. XIII.

Clem. VIII.

Paulus V.

Vrban. VIII.

Secundò. Eccleſia Romana inſtituendo aliquod feſtum, illud Canonizat & toti Eccleſiæ proponit tanquam vere colendam ratione alicujus ſanctitatis, quam canonizat, & veneratur in tali myſterio, vel perſona. Atqui Eccleſia celebrat, & præcipit celebrari officium Conceptionis, & cum octava ſub nomine Conceptionis eſt ſub nullo alio, ut declaravit Gregor. XV. ergo ſub ipſo nomine Conceptionis agnoſcit aliquam ſanctitatem, quam canonizat, celebrat, ac veneratur; ergo videtur quodammodo jam canonizata. 190.

Gregor. XV.

Tertiò. Sancto Canonizato ut dixi *Opuſcul.* 2. *Reſol.* 22. *q.* 5. Conceditur à ſede Apoſtolica, ut in ejus honorem erigantur capellæ, & ædificentur, ac conſecrentur Eccleſiæ, & ut publicè invocetur, & ut qualibet die poſſit de eo miſſa celebrari. Atqui hoc totum datur fieri in honorem Conceptionis, imò etiam ei Religiones conſecrari, nam Iulius II. an. 1511. die 7. Septembr. inſtituit Religionem Monialium ſub titulò Conceptionis, & c. 4. Regulæ, ait: Pontifex *ſe illam, Religionem inſtituere, ut Divinum ſervitiū ſemper creſcat & glorioſæ Virginis piis cordibus puriſſimæ Cōceptionis devotio augeatur.* Faciat ipſa ut hic ingens devotionis affectus in nobis quotidie accumuletur, ut ipſa de plenitudine ſuæ gratiæ nobis miſeris, & mihi omnium miſerrimo tantillum diſtillare dignetur: & ſic impoſitus eſt finis in feſtivo die Sacratiſſimæ imaginis Chriſti captivi, & vigilia Sanctiſ. Virginis de Monte Carmelo die 15. Iulii. 1674. 191.

Iulius II.

Laus Omnipotenti Deo, Beatæque Virgini Mariæ, ſanctiſque Doctricibus, ac meis Patronis Thereſiæ, & Magdalenæ de Pazzi.

INDEX

INDEX RERVM QVÆ IN HOC LIBRO CONTINENTVR.

O, indicat Opuſculum. R, Reſolutionem. Q, Quæſtionem. N, Numerum. P, Paginam.

A

Abbas.

ABBAS unde dicatur,& ſignificat eximium amorem in ſubditos. O.2. R.1. q.5. n.1. & 2. p.121

Abbates in multiplici ſunt differentia. ibid.q.2.n.4.5.ibid.

An benedictio ſit neceſſaria Abbatibus, & à quo danda. q.3.n.6.7.8.p.122

Abbates aliquando veniunt ſub nomine Monachi,Religioſi,& Ordinarii. q.4.n.12.13.14.ibid.

Abbates Regulares uti poſſunt inſigniis Pontificalibus,& quid ſignificent hæc inſignia. q.5.n.15.16.p.123

Quænam ſint hæc inſignia. num.17.18.19. ibid.

In quibus locis Abbates uti poſſunt talibus inſigniis. q.6.n.20.21.p.124

Abbates habentes juriſdictionem Epiſcopalem, poſſunt omnia in ſuo territorio, quæ poſſunt Epiſcopi. quæſt.7. n.22. uſque 26. ibid.

Abbates Regulares poſſunt dare primam tonſuram,& minores ordines, ſuis ſubditis,& cum eis diſpenſare in interſtitiis. quæſt.8. n.27.28.29.p.124.

Hæc etiam poſſunt facere Abbates cum ſuis Novitiis. q.9.n.31.32.p.125

Probabilius, quod Abbates non valent conferre minores ordines ſibi non ſubditis. q.10.n.33.34.35. ibid.

An ſi non ſubditus accipiat minores ordines ab Abbates, tales ordines, non ſolùm ſint illiciti, ſed etiam invalidi. q.11. n.39. 40. p.126

Abbates non poſſunt hodie conferre majores ordines Diaconatus,& Subdiaconatus. q.12.n.42.43. ibid.

Abbates non poſſunt hodie miniſtrare Sacramentum Confirmationis,niſi ex delegatione Papæ. q.13.n.44.p.127

Deficientibus Epiſcopis ad Clericorum degradationem, poſſunt aſſumi Abbates,qui habent uſum mitræ,& baculi. q.14.n.44 ibid.

An Abbates vocandi ſint ad Concilium Generale, vel Provinciale, & in eo habeant vocem deciſivam. q.15.n.46.ibid.

Abbatiſſa.

Abbatiſſa unde dicta, & in odioſis non venit nomine Monialis maximè verò in favorabilibus. O.2.R.2.q.1.n.1.2.p.127

De ætate annorum, & etiam profeſſione Abbatiſſæ eligendæ juxta Tridentinum. q.2. n.3.4.5.p.128

An anni requiſiti à Concilio ad electionem Abbatiſſæ debeant eſſe completi. q.3.n.8.9. ibid.

An tales conditiones ætatem ſint ſubſtantiales. q.4.n.10.11.12.p.129

Tres caſus valdè notabiles, qui contigerunt circa hanc ætatem requiſitam à Concilio. q.5.n.13.14.15.16. ibid.

An Monialis non habens quadraginta annos poſſit eligi in Vicariam. quæſt.6.n.17. ibid.

Electa Abbatiſſa antè confirmationem non habet auctoritatem ad gubernandum. q.7. n.18.19.20.p.130

Monialis illegitima ut eligatur, non eſt neceſſaria diſpenſatio,& dato quod ſit neceſſaria à Prælato poteſt dari in religione. q.8.n.22.23.24. ibid.

Monialis bigama bene poteſt eligi in Abbatiſſam ſine diſpenſatione. q.9. ibid.

Monialis ex maculoſo genere poteſt eligi in Abbatiſſam ſine diſpenſatione. q.10. n.28. p.131

Fœmina infamis non poteſt eligi in Abbatiſſam. q.15.ibid.

Monialis, quæ fuit vidua in ſæculo poteſt eligi in Abbatiſſam, abſque diſpenſatione. q.12.n.30.31. ibid.

Abbatiſſa finito ſuo triennio poteſt continuari ut Vicaria: non poteſt verò eligi in Abbatiſſam, niſi tranſacto ſexennio. q.13. n.33.34. p.132

Prælati, & ſcrutatores in electione Monialium non habetur ſuffragium. q.14. n.37. 38.39. ibid.

Index Rerum.

Prælati, qui in electione Monialium, ſeminant, vel fovent diſcordiam incidunt in excommunicationem ipſo facto. num. 4. p.133

Qualiter ſe debeant habere Prælati, cum Moniales nolunt concordare in electione. q.15. n.41.42. ibid.

Quibus ſpectat dare ſuffragium in electione Abbatiſſæ, ſeu Prioriſſæ. q.16.num.44.45. ibid.

An Monialis poſſit ſibimet dare ſuffragium. q.17.n.46.p.134

Quo in loco debeat fieri electio Abbatiſſæ, ſeu Prioriſſæ. q.19.n.49.50. ibid.

Qualiter vota in tali electione debeant eſſe ſecreta. q.20.n.51.52.53.p.134.135

Quid faciendum, quando una ſchedula eſt vitiata. q.21.n.54.ibid.

Ad canonicam electionem requiritur major pars. q.22.n.55.56.ibid.

Abbatiſſa perpetua, & non triennalis benedicenda. q.23.n.57.58.ibid.

Abbatiſſæ à quo ſint benedicendæ, quo die ac tempore. q.24.n.59.60.61.62.p.136

Abbatiſſa non poteſt publicè benedicere Moniales. q.25.n.65.66. ibid.

An Abbatiſſa, ſeu Prioriſſa poſſit præcipere aliquid Monialibus ſub peccato mortali. q.26.n.67.68.69.p.137

An ſtante voto obedientiæ poſſit Abbatiſſa aliquid præcipere in virtute ſanctæ obedientiæ. q.27.n.72.73.75. ibid.

An poſſit præcipere ſub excommunicatione. q.28.n.76.77.78.p.138

An Abbatiſſa poſſit diſpenſare cum ſuis Monialibus circa regulam, ac leges Eccleſiaſticas. q.29.n.81.82.ibid.

An Abbatiſſa vota ſuarum Monialium valeat irritare. q.40.n.83.84.85.p.139

An Abbatiſſa vota ſuarum Monialium valeat commutare, ac diſpenſare. quæſt.31.n.87. 88.89. ibid.

Abbatiſſa tenetur in conſcientia cogere Moniales ad obſervantias Religionis. quæſt.32. n.90.91. p.140

Abbatiſſa, nec ſibi, nec ſuis Monialibus poteſt eligere confeſſorem. q.33. num.92.93. ibid.

Abbatiſſa ſine licentia Superioris poteſt recipere novitias, non tamen eas ad profeſſionem admittere. q.34.n.94.95.ibid.

Abbatiſſa habet liberam adminiſtrationem Conventus, tamen ſine licentia Superioris non poteſt facere contractus. q.35. n.96. 97. 98. ibid.

Abbatiſſa poteſt dare licentiam ſuis Monialibus ad accipiendum, & largiendum de bonis ad earum uſum. q.36.num.99.100. p.141

In quibus caſibus Abbatiſſa poſſit dare licentiam extraneis ad ingrediendum clauſuram, vel ab illa exeundum. q.37. n.102. 103.104.105. ibid.

An, & qualiter poſſit Abbatiſſa dare beneficia Eccleſiaſtica Clericis, vel Capellanos inſtituere. quæſt.38. n.106.107. 108. p.142

An Abbatiſſa valeat impedire Moniali, uti licentia data à ſuo Superiori. q.39.n.109. ibid.

Abdias.

Unus eſt ex duodecim Prophetis minoribus, teſte D.Epiphanio, diſcipulus magni Eliæ, ſuum vaticinium uno capite comprehendit. O.1.R.3.q.23.n.413.q.63

Abortus, ſeu Aborſus.

Quid ſit aborſus, & quam grande crimen. O.2.R.3.q.1.n.1.2.p.142

Proponitur rigoroſa Conſtitutio Sixti V. contra procurantes aborſum. O.2.R.3.quæſt.2. num.3.4.5. p.143

Proponitur moderatio Gregorii XIV. ad prædictam Conſtitutionem. q.3.num.6.7. ibid.

Quando proles animatur anima rationali q.4. n.8.9.10. ibid.

An procurans aborſum ante fœtum animatum, incidat in cenſuras, & an aliquando hoc ſit licitum. quæſt.5. num.11. 12. 13. p.144

Probabile, quod ad evitandum periculum vitæ, & infamiæ eſt licitum procurare aborſum fœtus animati. q.6. n.15. 16.17. ibid.

An procurantes, conſulentes, intendentes aborſum fœtus animati, ſint excommunicati, irregulares. quæſt.7.num.20.21.22. p.145

An applicans fœminæ remedia ad ſterilitatem incurrat in cenſuras. q.8. n.25. 26.27. 28. ibid.

Valdè probabile, quod procurans aborſum, dubitans, an fœtus ſit animatus, non ſit irregularis. quæſt.9.num.30.31.32.33. p.146

An aliquando licitum ſit conſulere aborſum, quid dicendum de eo qui revocat conſilium datum. quæſt. 10.num.34. 35. 36. ibid.

An procurantes aborſum effectu non ſecuto, vel qui de eo dubitant ſint excommunicati. quæſt. 11. num. 39. 40. 41. 42. pag.147

An qui approbant aborſum jam factum incidant in pœnas Sixti V. q.12. n.45. 46.47. ibid.

Excuſantur à pœnis procurantes aborſum ex ignorantia, metu, vel ex caſuali eventu. q.13.n.40.50.51.p.148

Circa mulierem infirmam prægnantem, multi caſus reſolvuntur. q.14.num.52.uſque 57. p.148.149

Habentes juriſdictionem quaſi Epiſcopalem & Confeſſarius Regularis, vel etiam alius Confeſſarius virtute Jubilæi poteſt abſolvere ab hac excommunicatione. quæſt.15. n.58.59.60.61. ibid. & q.16.n.63.64.65. p.150

Prælati Regulares, & Epiſcopi poſſunt diſpenſare in irregularitate ex aborſu. q.17. n.66.67.68.69.p.150

Prælati Regulares poſſunt habilitare ſuos ſubditos ad officia, qui fuerunt complices in aborſu. quæſt. 18. num. 73. 74. p.151

Abſolutio.

Abſolutio ſacramentalis ſemper proferenda eſt verbis. O.2. R.4. quæſt. 1. num.1. p.151

In caſu extremæ neceſſitatis Sacerdos mutus non

non poteſt validè abſolvere. q. 2. n. 2.3.4. ibid.
De forma abſolutionis à peccatis,q. 3.n.6.7.8. 9.p.152.
Valdè utile eſt in forma ponere illa verba, *quidquid bene feceris*.quæſt.4.num.12.13. 14.15.ibid.
Utrum poſſit eſſe valida abſolutio ſub conditione de præſenti,præterito,vel futuro.q.5. n.16.17.18.19.p.153.
Qui in forma abſolutionis, ac aliorum Sacramentorum mutat verba,licet retineat legitimum ſenſum peccat mortaliter.q.6.n.21. ibid.
Eodem verbo abſolvo poteſt Confeſſarius abſolvere pœnitentem à peccatis,ac cenſuris. q.7.n.22.p.154.
An abſolutio ſemper danda ſit in ipſa confeſſione. q.8.n.23.24.ibid.
An ſi quis confiteatur cum ſimplici Sacerdote de venialibus, ac mortalibus bona fidè valida ſit abſolutio. q.9. num. 25.26. ibid.
An Sacerdos validè, & licitè abſolvat ab omnibus venialibus, ac mortalibus jam confeſſis. q.10.n.27.28.29.155.
An poſſit abſolvi, qui eſt in occaſione peccati, retinens concubinam in domo.quæſt.11. n.30.31.32.ibid.
An ex aliqua circunſtantia poſſit abſolvi concubinarius, non ejecta concubina è domo. q.12.n.33.uſque 38.ibid.
An poſſit abſolvi pœnitens,qui ſæpè relabitur in eadem peccata,v.g.perjurium,mollitiem, à qua occaſione vix poteſt expelli. q.13.n.39.40.41.p.156.
An poſſint abſolvi adoleſcentes,qui cum fœminis verſantur,laborando,vel converſando ex qua occaſione peccant mortaliter. q.14.n.42.43.44.ibid.
An valeat Confeſſarius differre abſolutionem pœnitenti ob occaſionem proximam.q.15. n.45.46.p.157.
Confeſſarius validè poteſt abſolvere complicem ſui peccati, cum quo peccavit. q.16. n.49.50.ibid.
Circa hanc rem vide multa verbo *Bulla Cœnæ*, *Bulla Cruciata*, *Confeſſarius*.

Academia.

In triginta Academiis jurant Doctores defendere Immaculatam Conceptionem. O. 4.q.18.n.142.p.533.

Accuſator, ſeu *Accuſare*.

Quid ſit accuſatio, & quomodo diſtinguatur à denuntiatione,ac querela. O.2. R.5.q.1. n.1.2.3.4.p.158.
Quæ conditiones requirantur ad veram accuſationem. O.2. R.5.quæſt.2.num.6.7.8.9. p.158.159.
An procedere via accuſationis conveniens ſit inter Religioſos. q.3. num.11.12.13.14. ibid.
Quilibet Religioſus poteſt alterum accuſare. q.4.n.14.15.16.17.p.159.160.
In accuſatione maximè conſiderandum delictum factum,vel faciendum.q.5.n.20.21. 22.p.160.
Religioſus poteſt ſuum Prælatum accuſare,& Prælatus ſuum ſubditum, & an utrique ſint dandæ expenſæ. q.6. n.22. uſque 27. ibid.
Religioſi non poſſunt eſſe auctores, ſeu accuſatores in judicio forenſi ſine licentia ſui Prælati. quæſt.7.num. 28.29.30. p.161.
Proponuntur aliqui caſus,in quibus Religioſi ſine licentia ſui Prælati poſſunt agere in judicio externo.quæſt.8.num.32.33.34 ibid.
Qualiter,& quomodo agere apud judices ſæculares ſit prohibitum Monachis in cauſa criminali. quæſt.10. num. 40. 41.42. 43. p.162.
Religioſus accuſans coram ſæculari in cauſa criminali cum proteſtatione non fit irregularis. q.11. nu.46.47.48.p.168.
Aſſignantur aliqui caſus,in quibus Eccleſiaſtici, abſque proteſtatione, & irregularitate valent accuſare coram judice ſæculari etiam in cauſa mortis. q.12. n. 50.51.52. 53 164.
An religioſus ex oblivione omittens proteſtationem in cauſa criminis incurrat in irregularitatem. q.13.n.55.ibid.
An Regulares incurrant irregularitatem accuſando in cauſa criminis coram judice ſæculari, cum aliud datur medium ad evitandum damnum. quæſt. 14.n. 56. 57.ibid.
An ſi totus Conventus conſtituat Procuratorem ad accuſandum,ſecuta morte ſint omnes irregulares. q.15.n.58.p.165.
An totus Conventus poſſit accuſari, ac puniri criminaliter. quæſt.16. num. 59.60 p.165.
Religioſi non poſſunt accuſari à laicis, vel à Religioſis alterius Religionis.q.17. nu.61. 62. ibid.
An Prælatus poſſit aliquando non acceptare accuſationem, & acceptatam abſolvere,& etiam impedire accuſatorem. q.18.n.63.64. p.165.166.
An accuſator poſſit deſiſtere ab accuſatione incepta. q.19.n.65.p.166.
Nullus tenetur ad accuſationem, vel denuntiationem faciendam, ſi certo ſcit Prælatum, nullum remedium eſſe adhibiturum. q.20.n.66.ibid.
Explicantur tria vitia, quæ contingere poſſunt in accuſatione.quæſt.21.n.67.68.69. ibid.

Acta Apoſtolorum.

De nomine, quo hic liber dicendus eſt. O. 1. R.5.q.8.n.646.p.99.
Variis nominibus hic liber dicitur à Sanctis Patribus. n.647.p.100
In hoc libro agitur de prædicatione Apoſtolorum juxta præceptum Chriſti Domini. n.648.ibid.
Auctor hujus libri D. Lucas & ſcripſit Græco ſermone. n.649.ibid.
Evangelium, & hunc librum ſcripſit Divus Lucas Theophilo viro illuſtriſſimo, vel Epiſcopo,Antiocheno,ut alii volunt.n.650 ibid.

Index Rerum.

D. Lucas ſcripſit hunc librum anno Chriſti ſexageſimo completo biennio carceris Divi Pauli, in quo liber terminatur. n. 651. ibid.

Hic liber eſt de fide Canonicus. num. 652. ibid.

Hic liber agit de geſtis Apoſtolorum per viginti octo capita. n.653.ibid.

Utilitas hujus libri magna eſt, ita ut D. Chryſoſt. eum conferat cum Evangelio. n.654. 655.656.657.p.101

Adamus.

Adamus formatur ex terra virginea, & immaculata, ergo à fortiori Sanctiſſima Virgo. O.4. q.10.n.64.p.523

Advocatus.

Religioſi interveniente licentia Prælati poſſunt eſſe Advocati, ac Procuratores pro ſæcularibus in judicio forenſi. O.2. R.6. q.1.n.1.p.166

An officium Procuratoris ſuſceptum in Religione ſine licentia Prælati ſit irritum. q.2. n.5.6.7.p.167

An Religioſus ſine licentia ſui Prælati poſſit inſtituere, aut ſubſtituere Procuratorem. q.3.n.9.10.11. ibid.

An poſt litem conteſtatam ſi Procurator alicujus impediatur Religionem, poſſit adhuc cauſam proſequi. q.4.n.12.p.168

Prælatus Regularis, tenetur Religioſo reo dare Advocatum, an hic poſſet eſſe ſæcularis. q.5.n.13.14.15. ibid.

Aggæus.

Unus ex duodecim Prophetis minoribus. O.1. R.3.q.23.n.413.p.63.

Alexander VII.

Summus Pontifex altiſſimè, & apertè nobis declarat myſterium Immaculatæ Conceptionis. O.4.q.14.n.92.93.p.527

Eximio effectu multipliciter nobis explicat puritatem Conceptionis. ibid.

Cum Pontifex tam clarè loquatur jam non eſt dubitandum. n.91.ibid.

Albertus Magnus.

Clarè docet puritatem Conceptionis Deiparæ, & nunquam aliquid amiſit contrarium. O.4.q.16.n.119.p.530

Alienatio, ſeu *Alienare.*

Propriè quid ſit alienatio. O.2. R.q.1. n.1. 2. p.168

De multiplici prohibitione quæ datur de rebus Eccleſiæ non alienandis, & de Extravaganti *ambitioſæ*. O.2.R.1.q.2. à num.3. uſque 9. p.169

Proponitur decretum Urbani VIII. prohibentis alienationem rerum Eccleſiaſticarum. q.3.n.10.11.12.p.170

Explicantur quinque caſus excepti à jure in quibus licitæ ſunt rerum alienationes. q.4. n.12.13.14. ibid.

Hodie adhuc in his caſibus conſulenda eſt Sacra Congregatio. q.5.n.18.19.p.171

Quæ ſolemnitates requirantur ex jure ad alienandam rem Eccleſiaſticam. q.6.à num.20. uſque 29. p.171.172

Proponuntur aliqui caſus, in quibus licita eſt alienatio vel pignoratio rerum Monaſterii abſque ſolemnitate juris, vel licentia Sedis Apoſtolicæ. q.7.à n.30.uſque 39.172 p.173

Quænam ſunt bona, quæ prohibentur alienari ab Eccleſiaſticis. q.8. n.40.41.42.43. p.173

Pecunia ſervata in arca Monaſterii, quam naturam habeat, ut valeat expendi. quæſt. 9. n.45.46.47.50.p.174

Quomodo, & pro quo tempore poſſint Regulares res locales conducere. q.10. num. 51. uſque 58. p.175

Ad majorem hujus rei cognitionem explicatur, quid ſit locatio, emphyteuſis, & feudum. q.11.n.62.63.64.65.p.176

An Regulares poſſint bona immobilia, ſuorum Conventuum, infeudare, ſeu emphyteuticare. q.12.n.67.uſque 72.p.176.177

An Regulares poſſint tranſigere, aut compromittere ſuper bona Monaſterii? quæſt.13. n.73.74.75.p.177

Utrum ſtante prohibitione Apoſtolica poſſint Regulares fidejubere pro aliis, aut etiam cum aliis contractum aſſecurationis inire. q.14.n.76.77.78. ibid.

An Regulares bona mobilia pretioſa Monaſterii poſſint oppignerare. q.15. à num.80. uſque 84.p.178

An Regulares poſſint ſuper bona ſua conſtituere contractus ad uſus vitalitios, vel precarios. q.16.n.85.86.87. ibid.

An Regulares bona unius Monaſterii ad aliud Monaſterium valeant transferre, eique illa donare, vel cum alio Monaſterio permutare. q.17.n.90.91.92.93.94.p.179

An Regulares ſuper pecuniam poſſint inire contractum ſocietatis, vel montis pietatis, vel recipere ad Canonicum. q.18.num.96. uſque 101. p.180

Qualiter ſe debeant habere in extinguendo, vel redimēdo cenſum. q.19.n.103.104.p.181

An Regulares ſine licentia S. Congregationis poſſint alienare bona ſibi relicta cum tali conditione, ut non poſſint ea alienare. q.21. n.108.109.110. ibid.

Utrum Regulares valeant alienare bona immobilia, quæ tempore facta ſunt inutilia. q.22.n.113.uſque 117.p.181

An Regulares ſine debita ſolemnitate gregem pecudum, armentum boum vendere, & arbores cædere in ſuis prædiis valeant. q.23. n.118.119.121. p.182

An Religioſi poſſint alienare reliquia Sanctorum, ac oblationes ex devotione fidelium. q.24.n.122. uſque 128.p.183

An Regulares poſſint alienare capellas ſuæ propriæ Eccleſiæ. q.25.n.129.130.131.p.184

An Regulares poſſint repudiare hæreditatem Monaſterio relictam, non obſtante prohibitione Apoſtolica. q.26.n.132.133. 134. ibid.

In quas pœnas incidant Regulares alienantes bona Eccleſiaſtica. q.27. n.135.136.137. p.185

An bona Confraternitatis, Collegii Congregationis, & Hoſpitalis alienari poſſint. q.28.n.143.144.145.p.186

Altare.

Quid, & quotuplex ſit altare. O.2.R.8.q.1. n.1.2.3.p.186

An conſecratio altaris in omni caſu pertineat ad Epiſcopum, & qualiter ſe debeant habere Regulares cum eis. O.2.R.8.quæſt.2. n.6.7.8.p.187

Utrum